D.pl. 29611 Montfaucon
2 Ant. 57m



G. Müller inv. et del.

Bayerische Staatsbibliothek MÜNCHEN

ANTIQVITATES GRAECAE ET ROMANAE

A VIRO
MAXIME REVERENDO ATQVE DOCTISSIMO
DN. BERNARDO DE MONTFAUCON
PLVRIBVS OLIM VOLVMINIBVS EXPLANATAE
ET
SCHEMATIBVS ILLVSTRATAE,
NVNC AVTEM
AD COMMODIOREM STVDIOSAE IVVENTVTIS VSVM
IN COMPENDIVM REDACTAE
ET
FIGVRIS AENEIS FORMA MINORI EXORNATAE
A
M. IOHANNE IACOBO SCHATZIO,
ARGENTINENSI, GYMNASII PATRII GYMNASIARCHA ET VNIVERSITATIS BIBLIOTHECARIO.

NOTAS CRITICAS
PASSIM ADIECIT
VIR
MAXIME REVERENDVS ATQVE DOCTISSIMVS
DN. IOHANNES SALOMON SEMLER,
SS. THEOLOGIAE DOCTOR ET IN ACADEMIA FRIDERICIANA PROF. PVBL. ORD. LONGE CELEBERRIMVS.

IMPENSIS GEORGII LICHTENSTEGERI, CHALCOGRAPHI NORIMBERGENSIS.
TYPIS FLEISCHMANNIANIS. MDCCLVII.

Brabeum hoc Scholasticum
quod
Vir Nobilissimus JOH: GEORG:
FRIZ, Celsiss: Circuli Franconici
Ordinib, ab aerario bellico; ejusq,
Conjux, BARBARA SABI-
NA, ex Gente PAUMGART-
NERORUM ab Hollenstein,
Juvenib, gnavis et in literis pro-
ficientib, legavit,
Aō. MDCCCVII d. XI Nov. meruit.
Joannes Albertus Amon
ordinis I alumnus

diribitoribus.

M. Joh. Jac. Baiero, Antist. ad Spir. S.
et
Georgio Balth. Hofmanno, Schol. ad
Spiritum S. Rectore.

Bayerische Staatsbibliothek MÜNCHEN

LECTORI!

Non multa sunt, quae praefando hic dicere habeo; nec sunt illa eximii momenti; eius enim generis, ut ad me praecipue pertineant, cui ratio quasi reddenda est publice, et excusatio dispicienda curae illius exiguae, quam in hoc antiquitatum corpusculum uidebor impendisse; et multo certe ampliorem in illud conferri ius fas erat, si meam ipse dicere sententiam iubear. Inibo autem uel eo nomine aliquam a lectoribus gratiam, quod satis breuiter illa dixero, quae ad id, quod parum referat ea dici, inuitus ipse, ut dicam, quod res est, attingo, quam prodo. Quod ad ipsum colligendi huius ex Montfauconiano grandi et splendidissimo corpore, operis attinet consilium uniuersum: nihil eius mihi praecipue tribui uolo. Temere quasi, post aleam iam iactam, nihil eius rei meditatus ipse aut cogitans ad illud accessi; postquam sua iam ipsi, aliisque constabat omnis ratio. *Altdorfium* mihi euocato honoris caussa compellandus erat Perillustris ille *Ebnerus* ab *Eschenbach*, Norimbergensis Duumuir, cet. de re ista omni publica, deque omni litteraria aeternum meritissimus; quem *Peirescium* aetatis huius habere fas est. Commodum Perillustrem virum ego secundum aut tertium adieram, cum intellexi, quantum valuerit apud eum amicorum quorumdam mei commendatio; mihi enim, et uix ordiundae consuetudini tribuere nihil possum. Inter plura clementer atque longe humanissime communicata mecum consilia, quibus me admoturum se significabat, mentionem ille facere etiam huius instituti, de quo *Lichtenstegero* cum Argentoratensis Gymnasii directore iam conuenerat; illud collaudare, atque me id adiuuare uelle, imo iubere. Promittere enim liberalissime, ex ipsius arculis opulentis uariorum κειμηλιων nouas imagines, operi isti tandem adiiciendas. Idem eius auctoritate me rogabat honestissimus *Lichtenstegerus*, Norimbergensis ciuis, inter alios artifices aenearum imaginum caelandarum non ignobilis. Istud igitur negotii, quantumuis sub auspicia noui tum et grandis muneris graue futurum, nefas uidebatur deprecari atque omnino a me amoliri, cum praecipue hac illa ratione satis prodesse dicerer; ne parum liberalem mentem de me ipse praedicarem. Condixi itaque, in partem aliquam, ut iam possem, me uenturum. Recensui autem manuscriptas terniores, quas per otium Cel. *Schazius* confecerat, et ad *Lichtenstegerum* miserat; Argentoratum et ipse aliquoties, quae hanc in rem conducere uidebantur, perscripsi. Immutaui autem hic ibi scribendi genus, ut ne uerboso nimis stilo hoc opus excresceret, si forte breuiori ratione tradi illa, quae auctore argentoratensi Directore, ex grandi illo opere Montfauconii erant selecta, recte possent. Hic quae partes meae fuerint, multis dicere non attinet. Adieci autem ueterum scriptorum quaedam testimonia, quibus res praecipue mythologicae

gicae niterentur; rarius addidi quaedam de meo, ſi qua inter recenſendum commode notare licebat, ſiue ita comparata, ut meliora uiderentur, quam quae ſcripſerat *Montfauconius*, ſiue quod illuſtrandae magis rei inſeruirent. Itaque facile apparet, meo me ipſius arbitrio, conſilioque, hoc in negotio, parum potuiſſe uti: ſecutum ſcilicet inſtitutam iam et munitam a cel. *Schazio* uiam. Huc et illud a me eſt referendum, quod haec omnis epitome, *Montfauconii* in illuſtrandis aeneis figuris imitabatur praecipue ingenium atque exemplum: hiſtoricum nempe et enarrandis ipſis figuris, quam cauſſis et rebus ipſis deſtinatum. Quod quidem, ſi uel paululum mutare ego, atque proponere mihi aliud, forte magis frugiferum, uolebam: oportuerat nouam atque aliam omnino ſuſcipere in me prouinciam, quae ab ipſa grandioris indole operis diſſidebat multum, atque in me, tenendamque tum perſonam, non conueniebat. Itaque uel inuitus, (quod ſine inuidia uolo dicere) id ita eſſe paſſus ſum; cum non ignorarem, hoc corpuſculum, non ſuperare uelle grandis illius honorem; nec eſſe id eruditiſſimis deſtinatum uiris, ſed parari lectoribus aliis, quibus aut ſtomachus quaſi harum litterarum mouendus eſſet, aut hoc ipſum enarrandi genus cetera ſatis conueniret. Licebit igitur ſperare, benignam me impetraturum a lectoribus ueniam, cum et hoc conſilium, et meum hic modulum praetuli; addixeram certe mediocre tantum otium, quod ſubtrahere maius negotiis aliis, maxime Halae poſtea in me ſuſcipiendis, fas non erat. Illud omnino ita habet: maiora me mihi hic proponere, ſi quidem poteram, quod ipſum dubitabam, pluribus de cauſſis non licuiſſe. Neque uero omnino eſſe uidetur, quam ob rem plane me pudeat uel leuis illius operae, quam huc contuli; licet commemorandis iis, quae mea hic ſint, operam dare nolim. Illuſtrium certe perſonarum non obſcurus fauor, quem hoc inſtituto experti ſumus; atque non pauca nomina honeſtiorum hominum, iuuenumque bonae indolis clara ſtudia in hoc corpuſculum, facile tantum mihi ſuppeditant, quo a mea me opera conſoler. Cum uero his pluribus amatoribus fuerit danda opera: abſtinui, ut maxime aliter facile poteram facere, a notarum grandi mole; de rebus quibusdam utilioribus, aut rarioribus, indicaui ſcriptorum meliorum, qui et aliis facilius poſſint haberi, nomina: quorum qui in conſuetudinem uoluerint uenire, facillime haurire ampliora illa poterunt, quae aliorum parum interfuerint. Id praecipue mihi poſtea uidendum fuit, ne epitomen non minimam iſtis acceſſionibus mole improba augerem. Fuerat ad id aliud propoſitum, de quo antea faciebam mentionem, auctore Perilluſtri *Ebnero* ſuſcipiendum: ut ſupplementa quaſi aliquando conſcriberentur; qua eadem opera de quibusdam olim agere copioſus, meo certe uti in meis conſilio, conſtituebam. In idem illud tempus differebam, quod quorundam intererit, dicere breuiter, ſed utili ratione, de commentariis, armariiſque et theſauris, ex quibus *Montfauconius* aeneas imagines prodire iuſſit: uidebatur enim optime res illa eo remitti; ſi quidem in nouo etiam illo opuſculo plures excutiendae erunt antiquarii ſupellectilis quaſi apothecae, de quibus, librisque et adiumentis ad rem cognoſcendam antiquariam aliis dicere, locus ibi opportunus erit. Iſte breuis ſed accuratus catalogus ita tamen conficietur, ut poſſit etiam ſeparatim haberi, ſine nouo illo corpuſculo; ne uideatur illi aliquid adiungi, quod praecipue cum hoc coniunctum eſſe debuerat. Inſtitutum illud differet a Fabricii *bibliographia* antiquaria; a me autem deſtinatum fuit appendicis utilis loco, ad nouam editionem, cuius curandae ſpes inter Batauos eſt, *artis criticae* Clerici, obſeruationibus et additamentis augendae; pars ſcilicet *bibliothecae criticae ſelectae.*

Liberaliter interea indulgere licet gaudio, quod intelligimus, a fautoribus quibusdam huius epitomes ultro expeti ſupplementa, quae inter etiam a quibusdam appendix quaedam illarum rerum poſtulatur, quarum eſt ad libros ſacros illuſtrandas

propria

propria utilitas. Id ego ita interpretor: hoc ipſo nomine eos iubere, doctos quosdem uiros in ſocietatem aut adminiſtrationem huius prouinciae addi, a quibus plus beneficii, quam a me, expectare certo poſſint. Gratiſſimum certe mihi accidit, quod *Lichtenſtegerus* nuper et de publica iſta in hoc opus voluntate, et de ſociis, aut adminiſtris nouae operae certiorem me fecit; deſignans et Celeb. *Nagelium*, Altdorfenſem Profeſſorem meritiſſimum, et clar. *Schwebelium*, Aegidiani Gymnaſii Profeſſorem, Rectoremque digniſſimum: Viros elegantiſſimos, harumque peritia rerum, ſtudiisque inclytos, mihi vero, quod eximie laetari ſoleo, amiciſſimos. Exſtabit propediem de nouae huius collectionis conſilio indicium luculentius; quam non dubito fore plures, qui fauore continuo et prolixa voluntate adiutam velint.

Duo omnino ſupereſſe videntur; alterum, ut typorum menda, non pauca illa, et generis varii, excuſatum eam, quorum, ut fieri aſſolet, fuit vis quaſi liberior, quo aberam ipſe interuallo longiori; alterum illud eſt: ut honeſtiſſimum *Lichtenſtegerum*, a quibusdam ſuſpicionibus, iniquis defendam. Huic viro patrocinium parum neceſſarium eſſe videtur; licet fuerint, qui publice, conſilio dedito eum fraudi et lucro ſtuduiſſe inhoneſte, prodere auſi ſint: quod, qua ratione iuſta arbitrari aut ſuſpicari poſſint, rogo, ipſi viderint. Si paulo tardius uniuerſum opusculum confectum eſt, partesque aequaliter grandes non exierunt: lucri profecto exinde ſpes nulla eſſe potuit; uituperio autem uir honeſtus minus, quam ipſe ego dignus eram; licet nullo meo deſtinato conſilio id ita acciderit. Illud facile intelligi poterit, nihil temere honeſtum virum promiſiſſe, quod fraudulenter ab ipſo poſtea fuerit immutatum.

Iam gratias ago, habeoque magnas, imo ingentes, ſi qui paulo aequius et benignius de me arbitrari uoluerint; cuius ſatis mediocris hic exſtitit opera. Quo pauciora uel in meam ipſius cauſſam hic dixi, qui uerboſiſſime et iuſtiſſime poteram: eo certius ſpero et confido, aequos habiturum me geſti a me, ut licuit, negotii arbitros: etſi nullis me aliis meritis ſtudiisque publicis meis conſolari, atque iſtorum præſidio huius rei hanc uariam cauſſam tutari poſſum. Scrib. Halae in Regia Fridericiana d. XXI. Mart. MDCCLVII.

D. IOH. SALOMON SEMLER.

PRAEFATIO.

L. B. S.

Tandem aliquando huic operi, ante lustri, et quod excurrit, spatium haud infelicibus auspiciis coepto, et nunc, iuuante Deo, ad finem perducto, ultimam admouere manum licet. Studium Antiquitatis et, quibus illud nititur, variae monumentorum reliquiae non litteratis tantum, sed etiam illitteratis vario sese nomine commendant. Quam praeclaram illa Historiae atque Iurisprudentiae facem praeferant, apud omnes illos, qui his studiis dediti sunt, in confesso est. Quantum porro multifaria, quae passim conspiciuntur, monumenta, si quidem illa peritissimi alicuius artificis manu fabrefacta si nt, arti pictoriae et sculptoriae, nec non chalcographiae promouendae iam olim profuerint, et adhuc prodesse credantur, uel ex eo intelligi potest, quod omnes ii, qui has artes exercent, optimorum eiusmodi monumentorum exempla magno sumtu undique corradunt, eaque imitari non minori studio laborant.

Insignem itaque laudem illi merentur, qui certissima istiusmodi canae Antiquitatis et variae eruditionis documenta per totum ferme orbem habitatum colligere, eaque commentariis suis illustrare studuerunt; in quo Graeuii inprimis atque Gronouii labores, nec non Thesauri Italici opus splendidissimum immortalem auctoribus suis famam conciliarunt. Iure suo his iungi meretur maxime reuerendus P. Bernhardus de Montfaucon, quem magnum Antiquitatis apparatum pretiosissimis pulcherrimisque monumentorum apographis, quae uere regiis impensis aeri incidi curauit, adornatum, et decem uoluminibus comprehensum, nobis reliquisse constat. Haud exiguam quoque laudem illi promeruerunt, qui praecipua huius doctrinae capita in compendium redegerunt, eoque ipso iis potissimum consuluerunt, quibus maiora ista opera, uel ob sui raritatem, uel pretii quantitatem, euoluere non ubiuis contingit; in quo Rosini inprimis, Cellarii, Hildebrandi, Neuporti, Heineccii, aliorumque operae prae multis aliis commendari merentur.

Sed ne hi quidem omnium desiderio satisfecerunt. In studio scilicet Antiquitatis quum multa passim occurrant, quae, nisi uiuis quasi figurarum aenearum imaginibus Lectorum oculis clarius subiiciantur, uix ac ne uix quidem intelligi possunt; haec uero compendia istiusmodi schematibus plane destituantur: minime mirum est, si multa multis obscura maneant, quae adminiculis modo laudatis illustrari melius possent. Gratissimum itaque nos laborem iis omnibus praestitisse autumamus, qui maiorum rariorumque commentariorum usu exclusi, in compendiis istis quam quaerunt illustrationem non inueniunt; dum elegantissimo doctissimi Montfauconii opere una cum figuris illius aeneis in compendium redacto defectui isti, quoad fieri potuit, mederi laborauimus.

Minime negamus, multo magis plerisque consultum fuisse, si huius operis Montfauconiani loco ex omnibus, saltem praecipuis Antiquitatum Graecarum Romanarumque collectionibus paullo ampliorem aliquem epitomen concinnare licuisset. Sed praegnantiores *in promtu* fuere caussae, ob quas hoc tempore solis Montfauconii commentariis insistere magis placuit. Etenim lubentes quidem fatemur, Doctissimum hunc diligentissimumque uariae Antiquitatis custodem, si ipsam huius studii materiam atque complexum respiciamus, multa uel plane omisisse, uel non dilucide satis explicasse; ita quidem, ut ex uberioribus aliorum commentariis permulta hic suppleri potuissent et certe debuissent, nisi et sumtibus et tempori quodam modo parcendum fuisset. Quum etiam perspiceremus, saepius laudati Montfauconii nostri operas, tum ob accommodatissimum, quo in tradenda hac institutione usus

est,

eſt, ordinem, tum ob ſingularem plane ſchematum, quibus commentarios ſuos illuſtrauit, elegantiam atque multitudinem plerisque aliis certo modo praeferendas eſſe: minime culpandi nobis uidemur, ſi concinnum aliquod uariae antiquitatis compendium, praecipuis monumentorum typis inſtructum, edituri illum cumprimis Ducem nobis ſequendum eſſe putauimus.

Vt autem totius inſtituti ratio Lectoribus noſtris clarius innoteſcat, ſequentia nobis monuiſſe ſufficiat. Prima nobis cura fuit, ut Montfauconium noſtrum per ſingula capita preſſo pede ſequentes, ſummeque neceſſaria, et quae prae ceteris notari merentur, excerpentes, tironibus in hoc ſtudio, qua fieri potuit, ſtili breuitate, ea omnia ob oculos poneremus, quae ignorari ab illis non facile poſſunt. In inferendis figuris aeneis magno quoque ſelectu, nec minori cautione uſi ſumus. Primo quidem non alias hic exhibendas eſſe duximus, quam quae uel firmiori Antiquitatis teſtimonio, uel artificio ſuo atque elegantia ſua prae ceteris ſeſe commendare, et ad ipſam, quam proponendam nobis ſumſimus materiam uberius illuſtrandam, haud parum facere nobis uiſae ſunt; qua ratione adhibita nullus facile iis locus concedebatur, quae nec antiquitatis fidem, nec artificii praeſtantiam prae ſe ferebant, nec maiorem aliquam in doctrina hac utilitatem habere putabantur. Nulli tamen dubitauimus, quin ſtatuas et figuras bene multas, quamuis unam eandemque rem atque perſonam, ſed diuerſo habitu atque poſitu repraeſentarent, pluribus exemplis exhiberemus; eo quod non tantum multae Deorum Dearumque ſtatuae atque imagines paſſim conſpiciuntur, quae non omnibus, quibus alias ſolent, ſignis atque ſymbolis ſatis diſtinguuntur, et ab aliis dignoſcuntur; qua de cauſa in pluribus monſtrandum erat, quod in una alteraue deprehendere non ſemper licuit. Immo ingenue fatemur, nos uaria quoque huic compendio inſeruiſſe anaglypha, quibus litterati huius ſtudii amatores carere facile potuiſſent, niſi ſculptorum quoque, pictorum atque chalcographorum aliquam habere rationem animus nobis fuiſſet. Etenim minime diffitemur, quod, primarius licet in edenda hac epitome ſcopus nobis hic fuerit, ut ſtudioſae potiſſimum iuuentuti conſuleremus, iis ſimul ſeruire annixi ſimus, qui artibus paullo ante laudatis operam dantes in ſola fere figurarum contemplatione et admiratione acquieſcunt, ipſum uero textum uel uberiorem materiae explicationem parum curant, ſed ſatis edoctos et felices ſeſe putant, ſi elegantioris alicuius ſtatuae uel anaglyphi protypum, quem ad imitandum ſibi proponant, paſſim deprehendant; quo plurium commodis ſeruiendi ſtudio inducti, idem hoc compendium eodem tempore lingua etiam uernacula in uulgus edi curauimus; ut illiterati quoque aliquem ex labore noſtro fructum capere poſſint.

Alia eaque maior difficultas in eo ſeſe offerebat, quod verebamur, ne figurae in ipſo Montfauconii opere maiori exhibitae, ſi eadem, qua ibidem conſpiciuntur formae magnitudine deſcriberentur, compendii noſtri complexum atque pretium nimium quantum adaugerent. Sed huic quoque incommodo feliciſſimo conatu ita prouidebatur, ut, figuris iſtis coarctatis et in minorem formam redactis, in una epitomes noſtrae tabula longe plura ſaepius deprehendere liceat, quam quae decem pluresue Operis maioris tabulas continere uidemus; quumque iuſtam ſchematum illorum proportionem atque elegantiam Chalcographus noſter, in arte ſua peritiſſimus, ſummo ſtudio ſeruauerit, minime uereamur, ne notabilis haec figurarum coarctatio atque diminutio ipſi formae quicquam detraxerit.

Haec ferme ea ſunt, quae ſub initium laboris noſtri nos praeſtituros eſſe peculiari indicio publice promiſimus, certiſſima ſpe freti, neminem facile futurum, qui, ſi quidem propoſiti noſtri rationem atque finem accuratius perſpexerit, a nobis plura deſideraturus ſit. Verum enim uero uix in uulgus emanauit publicus iſte inſtituti noſtri interpres, quum uaria hincinde litteratorum uota tanta animorum conten-

tione confluerent, ut ſi morem iis omnibus gerere uoluiſſemus, compendii loco ſpiſſius aliquod uolumen, multis obſeruationibus criticis refertum compilandum nobis fuiſſet. Minimum in deſideriis iſtis hoc erat, ut ſingulis figuris muſei uel poſſeſſoris nomen adſcriberetur, quò ſchematum illorum archetypos oblata forte occaſione propius contemplari liceat; cuius uoti ut lectores noſtros compotes faceremus, eo facilius et lubentius induci nos paſſi ſumus, quod ipſe Montfauconius fere ubique idem ſignificauit.

Maioris uero difficultatis et altioris prorſus indaginis illud nobis uiſum eſt, quum nonnulli hoc quoque a nobis peterent, ut non tantum Montfauconii naeuos ubique notaremus, ſed et ea paſſim ſupplere niteremur, quae is intacta reliquit. Haec autem quum ſcopo noſtro plane repugnare nobis uiſa ſint: nemo nobis uitio uertat, ſi, quod quidem non ſine ratione petitum eſt, uel modeſte declinare, uel in tempus aliud idque commodius differre maluimus.

Minime negandum eſt, Doctiſſimum noſtrum Montfauconium uariis in locis aliquid humani paſſum eſſe, dum uel in coordinandis ſchematibus ſuis non ubiuis ſatis fuerit attentus, uel in explicandis iis, coniectura ſua nimium nonnunquam praecipitata confiſus, multa paſſim aſſeruerit, quibus pauciſſimi ſubſcripturi forent. Sicut enim nonnullas figuras alieno *iniuſto* plane loco collocauit, ita memoriae lapſu alias praeter omnem neceſſitatem bis nobis exhibet. Haec autem et eiusmodi alia quum in minimis iure ponantur: tantum abeſt, ut tanti Viri diligentiam atque famam aliqua cauillatione obfuſcare audeamus, ut potius ſummam illius in colligendis praecipuorum monumentorum protypis induſtriam atque ſolertiam uehementer etiam atque etiam collaudemus; quodque ſumma illius et primaria cura in eo potius conſiſteret, ut pleniorem, quam ab aliis factum monumentorum collectionem nobis offerret, quam cetera omnia, quae ad antiquitatem tum Graecam tum Romanam pertinent, penitus exhauriret: minime certe culpandus eſt, ſi multa ſilentio praeteriit, quae tamen plane negligi uel ignorari minime poſſunt. Nos autem cur ea ſupplere hoc tempore noluerimus, eius rei iam ſupra rationem reddidimus, quum cauſam indicaremus, de qua ſolis Montfauconii uoluminibus nobis inhaerendum eſſe duximus.

Ne tamen iuſta doctiſſimorum Virorum deſideria plane contemnere et negligere uideremur, Vir Maxime uenerandus atque Doctiſſimus Dn. IOHANNES SALOMON SEMLER, nuper in Academia Altorfina Hiſtoriarum et Poeſeos Profeſſor meritiſſimus, nunc autem in Fridericiana SS. Theologiae Doctor & Prof. Publ. Ord. celeberrimus, nec non in hoc etiam ſtudiorum genere conſummatiſſimus, pro humanitate ſua hoc a nobis ſibi perſuaderi paſſus eſt, ut textui noſtro notas aliquas criticas adiiceret, et eruditorum voto aliquo ſaltem modo ſatisfaceret; donec nouum aliquod ſupplementorum uolumen (Montfauconiana quippe ſupplementa ſuo quodque loco inſeruimus) et huic compendio addere liceat; cuius inſtituti rationem peculiari programmate ſuo tempore clarius et uberius explicabimus.

Denique ſilentio minime praetereundum eſt nouum aliquod inſtitutum ab eodem Semlero et eiusdem Collega Dn. Iohanne Simone, Hiſtoriae S. et Antiquitatis in eadem Vniuerſitate, Profeſſore digniſſimo, haud ita pridem fuiſſe promulgatum; quo ſcilicet Viri hi Doctiſſimi, Antiquitates quoque Iudaicas et Chriſtianas temporibus ſucceſſiuis eadem forma edituri ſunt; quo ipſo haud incongrue pro ſecundo & tertio Compendii noſtri Tomo in poſterum haberi poterunt. Quae in operam noſtram forte irrepſere ſphalmata, illa B. L. pro humanitate ſua aequi bonique conſulat, aque homine nihil plane perfecti unquam exſpectari poſſe in mentem ſuam reuocet, enixe rogamus. Argentorati d. 2. Maii A. O. R. CIↃ IↃ CC LVII.

CONSPE-

CONSPECTVS TOTIVS OPERIS.

Disquisitio praeuia de Origine Idololatriae, et quae ueterum paganorum de Numinibus ipsorum fuerit opinio pag. 1. sqq.

TOMI PRIMI.

Pars I. de diuersis Deorum Classibus agens tribus libris absoluitur, eorumque

primus primam Deorum Classem exhibens de Cybele, Saturno, Coelo et Terra, Titanibus, Oceano, Prometheo et Iano, notanda notat. Agitur quippe

Cap. I. de Dea Cybele, uariis illius nominibus, cultu et Sacerdotibus, nec non comite illius Attide. 3. sq.
— II. de Saturno et tempore 6
— III. de Coelo et Tellure, Oceano, Titanibus et Iano 14

secundus de Ioue eiusque fratribus et sororibus, Iunone, Vesta, Neptuno, Plutone et Cerere, quae notari merentur, exhibet. Nam

Cap. I. agit de Ioue 16
— II. de Iunone et Vesta 18
— III. de Neptuno, Nereidibus et Tritonibus 21
— IV. de Plutone et Proserpina 23
— V. de Cerere, Triptolemo et Aristaeo 24

tertius de Iouis filiis et filiabus, Vulcano, Apolline et Musis, Sole, Marte, Mercurio, Minerua seu Pallade, Medusa, Palladio et Perseo, Diana, Venere, Gratiis, Cupidine et Psyche notatu digniora commemorans agit

Cap. I. de Vulcano 26
— II. de Apolline 27
— III de Musis 30
— IV. de Sole 32
— V. de Marte 33
— VI. de Mercurio 34
— VII. de Minerua seu Pallade 35
— VIII. de Medusa, Palladio et Perseo 37
— IX. de Diana 38
— X. de Venere 43
— XI. de Gratiis 46
— XII de Cupidine et Psyche 47

Pars II. de Heroibus in Deos relatis, Diisque Graecorum et Romanorum ceteris omnibus agens in quatuor libros dispescitur, eorumque

Primus de Hercule et Baccho, deque coetus Bacchici Diis reliquis uerba faciens

Cap. I. Herculem eiusque labores describit 52
— II. de Baccho, aliisque Diis, qui ipsum comitari solebant, agit 57
— III. Satyrorum, Silenorum, Faunorum, Panum et Siluanorum mentionem iniicit 61
— IV. quae de Priapo, Vertumno, Flora et Pomona notari merentur, refert 65

Secundus Aesculapium, Deam Romam, Dioscuros, Fortunam, Penates, aliosque Graecorum Romanorumque Deos exhibens agit

Cap. I. de Aesculapio, Hygieia et Telesphoro 66
— II. de Dea Roma 68
— III. de Dioscuris 70
— IV. de Fortuna Dea 71
— V. de Geniis, Laribus, Penatibus aliisque Diis tutelaribus 72

Tertius complectitur dona muneraque coelestia, item res malas et perniciosas, itemque uitia et uirtutes in numerum Deorum relatas; sic

Cap. I. agit de uariis donis ac beneficiis coelestibus Deorum loco habitis 75
— II. de Virtutibus Diis ibid.

Quartus de Nocte, Diisque nocturnis, Mithra, Nymphis, deque multis aliis Graecorum Romanorumque Diis notatu digniora complectens, agit

Cap. I. de Nocte et Diis nocturnis 80
— II. de Mithra 82
— III. de Nymphis, ibid.
— IV. de Figuris Pantheis 83
— V. de Sirenibus, Harpyis et Stymphalidibus, ibid.

Iungitur his Appendix fabularum quarundam apud Poetas celebriorum, de Scylla scilicet p. 84. de Phoenice, Centauris et Orpheo p. 85. de Laconte 86

TOMI SECVNDI.

Pars I. Cultum diuinum Graecorum et Romanorum explicans in quatuor libros diuiditur; quorum

Primus de Sacerdotibus et Ministris sacrorum apud Graecos et Romanos scitu necessaria tradit. Agit enim

Cap. I. de Sacerdotibus Graecorum, deque iis, qui sacrificandi ius habebant, item de administris, Parasitis et Cerycibus 87
— II. de Neoceris, Rege et Regina Sacrorum, Hierophantis, nec non aliis Sacerdotum nominibus, itemque Pythia Delphica 89
— III. de Sacerdotibus Cybeles, tum maribus tum feminis, apud Romanos et Graecos 91
— IV. de Sacerdotibus Mithrae 92
— V. de Sacerdotibus Romanis, Pontifice maximo et Flaminibus, ibid.
— IV. de Officio Augurum et Haruspicum 94
— VII. de Sibyllis earumque libris 95
— VIII. de Vestalibus earumque Officio, praerogatiuis et supplicio 96
— IX. de Saliis Fecialibus, Patrepatrato, Fratribus Arualibus, Lupercis, Pinariis et Potitiis,

Potitiis, nec non Rege Sacrificulo et Septemuiris Epulonum p. 97
Cap. X. de uestibus Sacerdotum 99
Secundus de Templis multa referens agit
Cap. I. de Templorum Origine, uariis nominibus, partibus atque loco 101
— II. de eorum uariis figuris, situ uersus Orientem et Pantheis quibusdam 102
— III. de templorum ornamentis et diuitiis, eorundem consecratione et iure asyli 105
— IV. de singulorum Deorum Dearumque templis 106
— V. de Templis Bacchi, Fauni, Panis, Siluani, Florae &c. 112
— VI. de Templis uirtutum in numero Deorum positarum, aliisque plurimis 116
Tertius de aris, instrumentis sacris et sacrificiis agens
Cap. I. Aras in specie contemplatur 118
— II. Tripodes 121
— III. Instrumenta Sacra 122
— IV. Ipsa sacrificia 125. sqq.
Quartus praecipua Graecorum Romanorumque festa, Supplicationes, Deuotiones et uota, Oracula, Fanaticos, Sortilegos, Praestigias et omina commemorans agit
Cap. I. de Festis Graecorum 144
— II. — Romanorum 148
— III. de Supplicationibus tum publicis, tum priuatis, Lectisterniis et Puluinaribus, nec non Euocatione Deorum 151
— IV. de Deuotionibus et Votis 152
— V. de Oraculis 155
— VI. de Fanaticis, Sortilegis, Praestigiis et Ominibus 156
Pars II. Religionem Aegyptiorum, Figuras Abraxeas, et religionem Arabum, Syrorum, Persarum, Scytharum, Germanorum, Gallorum, Hispanorum et Carthaginiensium exhibet. Huius autem
Liber primus de religione Aegyptioruuı agens
Cap. I. Originem Idololatriae apud Aegyptios illorumque Deum Cneph explicat 159
— II. de Iside notanda refert 160
— III. de Osiride 164
— IV. de Serapide 165
— V. de Harpocrate 167
— VI. de Fele seu Aeluro ibid.
— VII. de Apide, Tauro, Aegyptiorum Deo 168
— VIII. de Anubi et Cynocephalo 170
— IX. de Sphingibus et quibusdam aliis animalibus, quae ab Aegyptiis pro Diis habebantur 171
— X. de Canopis, Scarabaeo, aliisque monstris Aegyptiacis 172
— XI. de manibus aliisque corporis humani membris, quae ab Aegyptiis diuino honore colebantur 173
Liber Secundus de mensa Isiaca, Sacerdotibus Aegyptiorum et ceteris rebus sacris huius populi notabiliora complectens agit
Cap. I. de Mensa s. Tabula Isiaca 174
— II. de Sacerdotibus et Sacrificiis Aegyptiorum 175
— III. de Templis et Obeliscis eorum 177
Liber Tertius de figuris Abraxeis agit 178
Liber Quartus Deos Arabum, Aethiopum, Phoenicum, Syrorum, Persarum, Scytharum et Germanorum explicans agit
Cap. I. de Diis Arabum ante Mahomedem et Diis Aethiopum 180
— II. de Diis Phoenicum et Syrorum 181
— III. de Diis Persarum et Medorum 183
— IV. de Diis Scytharum 184
— V. de Diis Germanorum 185
— VI. de religione Gallorum 186
— VII. de religione Hispanorum et Carthaginiensium 192

TOMI TERTII.

Pars I. quae de uestibus, uaria supellectili et aliis uasis, nummis, ponderibus atque mensuris notari merentur explicat.
Liber Primus uestes Graecorum et Romanorum aliarumque gentium, nec non uaria ornamenta alia refert, agitque
Cap. I. de tunica, calasiride, chlamyde, chlaena s. laena et pallio 194
— II. de Toga Rom. et lato clauo. 198
— III. de Trabea, Lacerna, Birrho, ueste pullata, Caracalla, aliisque 200
— IV. de Toga praetexta aliisque 201
— V. de tegminibus capitis 203
— VI. de uestibus mulierum 204
— VII. de muliebri cultu capitis 205
Liber Secundus fibulas aliaque ornamenta, calceos item et uestes infantum, ceterarumque nationum uestimenta explicans agit
Cap. I. de Fibulis, Acubus discriminalibus, armillis, inauribus et torquibus 207
— II. de uariis calceamentorum generibus 208
— III. de Cunis et Bullis, uariisque amuletis quae puerorum collo appendebantur 211
— IV. de uestibus Hetruscorum, Aegyptiorum, Persarum, Parthorum, Scytharum, Phrygum et Dacorum 213
— V. de uestibus Gallorum, Hispanorum, Lusitanorum, Maurorum, Numidarum, et Carthaginiensium 214
Liber Tertius domos, uariasque illarum partes, una cum aedium supellectili, Triclinia inprimis et mensas, nec non conuiuiorum modum et uillas complectens agit
Cap. I. de Domibus Graecorum et Romanorum in genere 216
— II. de partibus aedium 217

Cap.

Cap. III. de uaria aedium supellectili 220
— IV. de uaria conuiuiorum ratione ibid.
— V. de uillis et hortis campestribus 224
Liber Quartus uasa cuiusuis generis, mensuras, assem eiusque partes, monetas et pondera describens agit
Cap. I. de uariis uasorum generibus 225
— II. de mensuris 229
— III. de monetis, asse inprimis eiusque partibus et reductionibus 230
— IV. de ponderibus et talento 239
Liber Quintus septem mundi miracula, uaria aedificia publica et symbola tum totius mundi partium, tum singularum regionum, fluminum atque urbium designat. Hinc
Cap. I. agit de VII mundi miraculis 241
— II. de Aedificiis publicis 242
— III. de uariis symbolis 244
Pars II. de Balneis, Thermis, Connubiis, annulis, ludis publicis, pompis, uenatu, ludis minoribus et artibus tractat.
Liber Primus de balneis, thermis, connubiis annulis atque sigillis notatu digniora refert.
Cap. I. agit de balneis et thermis uariisque instrumentis in iis usitatis 246
— II. de connubiis 248
— III. de annulis et Sigillis 251
Liber Secundus Theatra et Amphitheatra describit. Agit autem
Cap. I. de Theatris et Actoribus scenicis 253
— II. de Amphitheatris uariisque ludis, qui in iis exhibebantur 255
Liber Tertius Ludos Graecorum maiores, circum et pompas describit.
Cap. I. de ludis Olympicis, Pythiis, Nemeis et Isthmicis agit 259
— II. de Circo 260
— III. de uariis ludis et decursionibus, quae in circo instituí solebant 262
— IV. de Graecorum et Romanorum Pompa 268
Liber Quartus uenatum et piscatum, nec non ludos quosdem minores explicat.
Cap. I. de uenatu agit 274
— II. de piscatu 275
— III. de ludis quibusdam minoribus 276
Liber Quintus uaria quarundum artium instrumenta ob oculos ponit. Nam
Cap. I. de usitatioribus Architectorum instrumentis agit 277
— II. de instrumentis Musicis 278
— III. de instrumentis ad scribendum usitatis 282
— IV. de arte textoria, instrumentis agriculturae et pistorum, nec non manu quadam symbolica 287

TOMI QVARTI.

Pars I. delectum militum, uestes militares, arma, signa militaria, horrea, uariaque militum opera, pugnas & machinas bellicas complectitur.
Liber Primus Delectum militum, uestes militares et arma peditum uariarum gentium describit. Hinc agitur
Cap. I. de Delectu militum apud Graecos 289
— II. de delectu militum apud Romanos 291
— III. de uariis militum Romanorum classibus atque ordinibus 292
— IV. de uestibus militaribus atque armis Graecorum et Romanorum 295
— V. de uestibus militaribus et armis aliarum gentium 29
Liber Secundus armaturam et singulas eius partes exhibet. Adeoque
Cap. I. de Galeis et Loricis agit 301
— II. de scutis et clypeis 302
— III. de Gladiis 304
— IV. de pilis uariisque hastis aliis, arcubus et sagittis, securibus et fundis in bello usitatis 305
Liber Tertius equitatum uariarum nationum signa et opera militaria describit.
Cap. I. agit de equitatu Graecorum et Romanorum 307
— II. de equitatu aliarum gentium 309
— III. de signis militaribus 312
— IV. de Operibus militaribus 313
Liber Quartus allocutiones Imperatorum, profectiones exercituum, pugnas et ordines militares commemorat.
Liber Quintus castrametationem et machinas bellicas explicat. In specie
Cap. I. de castra metandi modo agit 317
— II. de machinis Bellicis 319
Liber Sextus uaria uictoriae signa et columnas describit. Nam
Cap. I. agit de Tropaeis 321
— II. de Triumphis 323
— III. de uariis coronis et Arcubus triumphalibus 327
— IV. de Columna Traiana, Antonina et rostrata, deque columnis milliaribus 328
Pars II. Vias publicas, pontes, rem uehicularem et naualem, nec non aquaeductus refert.
Liber Primus uias publicas, pontes, rem uehicularem et aquaeductus describit. Agitur enim
Cap. I. de uiis publicis 329
— II. de Pontibus 331
— III. de re uehiculari 332
— IV. de aquaeductibus et Cloacis 333
Liber Secundus rem naualem explicat, eiusque
Cap. I. agit de diuersa nauium construendarum ratione 335
— II. de praecipuis nauium partibus 335
— III. de uariis nauium formis atque generibus 338

Cap. IV. de nauium Claſſicarum apparatu et ornamentis 341
— V. de nautis, militibuſque Claſſiariis, eorum armis, ſignis militaribus, exercitiis uariis, ominibus et ſacrificiis, item de pugnis naualibus 342
— VI. de Portibus et Pharis. 344

TOMI QVINTI.

PARS I. de funeribus et ſepulcris, inferno, Deſcenſu ad inferos, Campis Elyſeis et Apotheoſi ſiue conſecratione agit. In ſpecie
Liber Primus ea nobis exhibet, quae circa defunctos, priuſquam in ſepulcrum inferrentur obſeruari ſolebant.
Cap. I. loquitur de diuerſis circa moribundos et defunctos ritibus, unctione inprimis, uario cadauerum ornatu et collocatione in ueſtibulo 347
— II. de ipſis exſequiis ſeu pompa funebri 349
— III. de ipſa ſepultura et corpora comburendi conſuetudine 350
Liber Secundus Hypogaea, Columbaria et urnas cinerarias deſcribit. Agitur enim
Cap. I. de Hypogaeis 353
— II. de urnis cinerariis et columbariis 354
— III. de urnis ſepulcralibus rotundis 355
— IV. de urnis quadratis 356
Liber Tertius Sarçophagos, urnas lacrymatorias, cum monumentis quibuſdam Graecorum, Gallorum et Hetruſcorum, nec non Mauſolea uaria ſiſtit.
Cap. I. Vrnas maiores ſiue Sarcophagos deſcribit 361
— II. Vrnulas lacrymales 363
— III. Monumenta quaedam ſepulcralia ueterum Graecorum, Gallorum et Hetruſcorum 363
— IV. Mauſolea 365
Liber Quartus de Inferis, deſcenſu animarum ad Inferos, Campis Elyſeis et Apotheoſi tractat.
Cap. I. de Inferis agit 367
Cap. II. de Diis Inferis et manibus 368
— III. de tranſitu animarum ad inferos, Portis Inferni, ſuppliciis Infernalibus et Stvge 370
— IV. de Campis Elyſiis 371
— V. de Apotheoſi et parentalibus ibid.
PARS II. de barbararum gentium funeribus de Lucernis et ſuppliciis notatu digniora recenſet.
Liber Primus relationem de barbararum gentium funeribus complectitur. Sic
Cap. I. agit de ritu Aegyptiorum circa funera ſuorum 374
— II. de Pyramidibus Aegyptiorum et Sphinge 376
— III. de Campo Muniarum et auibus aromatibus conditis 377
— IV. de Funeribus Troglodytarum, Aethiopum Macrobiorum, Nabataeorum, Aſſyriorum, Perſarum, Derbicum, Caſpiorum et Scytharum 377
— V. de Funeribus Germanorum et populis quibuſdam Septentrionalibus 379
Liber Secundus Lucernas Veterum exhibens agit
Cap. I. de Lucernarum Origine uariiſque illarum ſpeciebus 379
— II. de Lucernis, quæ ex ſola artificum imaginatione profectae uidentur 381
— III. de Lucernis, quae ad Mythologiam reſpiciunt. ibid.
Liber Tertius ſupplicia ueterum recenſet; et quidem
Cap. I. Crucem 383
— II. Infixionem ſtipitis, furcam, catapultam, cataſtam, ſcalam, diaſphendoneſin et equuleum 386
— III. Rotam, Scapham, Suſpendium, Strangulationem et capitis abſciſſionem 385
— IV. Inſtrumenta uaria, quibus in excruciandis Martyribus Chriſtianis utebantur 386
Appendix tandem monumenta quaedam complectitur, quae in Calmucorum terra reperta fuerunt 387

DISQVI-

DISQVISITIO PRAEVIA
DE
ORIGINE IDOLOLATRIAE,
ET QVAE VETERVM PAGANORVM DE NVMINIBVS IPSORVM FVERIT OPINIO.

§. I.

Quonam omnino tempore ſimulacrorum uſus uariorumque apud gentiles Numinum cultus coeperit, certo definiri nequit. Sunt quidem nonnulli, qui idololatriam iam ante orbis inundationem ſubortam eſſe perhibent 1): uulgatior tamen illorum eſt opinio, qui cultum Idolorum demum poſt diluuium in orbem inuectum eſſe contendunt 2). Atque in his ſunt, qui *Nimrodum*, poſt obitum, omnium primum diuinis honoribus mactatum, atque a gentibus ad orientem ſitis paene omnibus, ſub *Beli* nomine cultum fuiſſe, putant. Sacrae quidem litterae Numinum ſimulacra in domo *Tharae* (Abrahami hic pater erat) prima nobis oſtendunt, quae inde ad *Labanem* peruenerunt. Quo uero pacto religioſus iſte ſimulacrorum cultus inter mortales inualuerit, & quomodo haec ſuperſtitio ad uarias gentes promanauerit, de eo nihil fere certi cognoſci poteſt. Illud notiſſimum eſt, antiquiſſimos Idololatras eo usque tandem in ſuperſtitione ſua fuiſſe progreſſos: ut non tantum eiusdem ipſorum naturae homines diuino honore proſequerentur, ſed et plantas, fluuios, montes, immo uero animalia quoque bruta, aues, piſces, et huius generis alia, in numerum Deorum referrent. Quibus uero gradibus per plura ſaecula haec impietas prouecta fuerit, id prorſus ignoramus.

§. 2. De numero Deorum, quos Graeci & Romani (nam de his in primis nobis ſermo erit) potiſſimum coluerunt, ſi quaeras, infinitus ille fuit. Quamuis enim in eo utrique conſenſerint, quod duodecim Deos praecipuos, quos *Ennius* 3) hoc ordine recenſet:

Iuno, Veſta, Minerua, Ceres, Diana, Venus, Mars,
Mercurius, Iouis', Neptunus, Vulcanus, Apollo,

A in

1) Conueniebat omnino idololatriam et ſiniſtram religionem diſtingui, quae hic miſceri uidentur. Nam, ſi qui iam ante inundationem terrae deſciuiſſe homines a uera religione putent, ii ideo ſimulacra diuino honore aucta non ſimul omnes credant. Iſta in ſententia Iudaeorum quosdam fuiſſe, ex Hieronymo, et targum 1 Moſ. 4, 26. ſcimus, licet chaldaicae editiones ibi diſſentiant. Altera ratio, quae quosdam mouit, eſt eadem, quae deum ſeuerum uindicem et illud ſupplicium flagitauit i. e. omne genus ſcelerum; ergo et hoc.

2) *Eberi* iam tempore quidam; *Struchi* plerique: patrum ſcita, uid. in *Fabricii* C. Pſeud. V. T. De cauſſis et inde probabili origine idololatriae, inferius §. 4. dicitur. Laban ſua ſimulacra ipſe *deos* appellat.

3) Excitat *Apuleius* de deo Socratis, ſtatim poſt initium; uid. fragmenta *Ennii*. Martianus Capella de nuptiis lib. 1. conſiſtorium iouis illuſtrat.

in honore habuerunt: ingentem tamen *Deorum Minorum* numerum admittebant. Graecia certe Numinibus plena fuit; quandoquidem montes fere omnes, flumina atque fontes 4), totidem illis Dii erant. Nec sufficiebat illis, quae à maioribus suis acceperant Numina, colere atque placare, sed noua quotidie prioribus adiiciebant. Ceterum communior ueterum paganorum opinio erat, Deos in coelis praecipue sedes suas habere, sed ex sedibus istis coelestibus in terras nonnunquam descendere; ut e. c. *Mercurius* e coelo a Ioue missus in hanc terram modo, modo in ipsum quoque infernum delatus legitur. Deos item singulos loca quaedam prae aliis adamare fingunt Poetae. Sic *Iupiter* in siluae *Dodonaeae* fago habitare credebatur; *Neptunus* in mari domicilium habebat; *Apollo* Delphis et in monte Parnasso, *Mars* in Thracia, *Vulcanus* in Lemno insula, aut ardente Siciliae monte Aetna; *Minerua* Athenis, *Diana* Ephesi &c. immo profanum uulgus ipsis, quas diuino cultu prosequebantur, statuis Numina ista inesse credebant. Inde factum, ut pro diuersitate locorum, in quibus Deos suos commorari putabant, *Coelestes* alios, alios *Terrestres*, nonnullos etiam *Inferos* 5) appellitarint.

§. 3. Romani duodecim maiores istos, quos supra ex *Ennii* carmine nominauimus, Deos *Consentes* 6) uocabant, quod idem ac *Consentientes* significare uolunt; eo, quod in consilium Iouis adhiberentur, eiusdemque deliberationibus consentirent. Alio nomine etiam *selecti*, 7) *Coelestes* et *Maiorum gentium* 8) Dii apellabantur, quum alii contra *Minorum gentium Dii*, *Semidei* et *Semones* dicantur. *Semones* nonnulli dicti, quasi *Semihomines*, qui mediae quasi conditionis inter maiores minoresque Deos essent, et ob meritorum paupertatem non digni iudicarentur, qui *Coelestibus* adscriberentur, *Terrestribus* tamen maiores reputati 9). Notari quoque merentur epitheta quaedam, quae Deorum nominibus a priscis addi nonnunquam solent. Sic *Auerruncos* 10) illos interdum cognominari notum est, quod mala auerruncent, prohibeant siue tollant; item *Indigetes* 11), quod uel ipsi nullius auxilio indigeant, uel nos ope ipsorum indigeamus; *Geniales* alii uocantur a *gerendo*, quod multa gerere posse putabantur; unde sequiori tempore etiam *Geruli* a nonnullis dicebantur 12). Poetae uero atque Mythologi innumera Diis epitheta tribuunt, quae uel ab ipsorum gestis et operibus, uel aliis caussis desumuntur.

§. 4. Inter praecipuas autem Idololatriae caussas 13) communi omnium consensu haec referatur: quod homines rerum diuinarum imperiti uiris quibusdam, qui uel rebus bene gestis quam maxime inclaruerunt, uel inuentis nonnullis ad uitam humanam opportunis nominis sui celebritatem commeruerunt, statuas erexerint, ut eorum memoriam ad posteritatem transmitterent. Romani tamen, *Varrone* teste apud *Augustinum* de Ciu. Dei V, 31. totos centum et septuaginta annos ab urbe condita sine ullis Idolis fuisse leguntur. Postea uero etiam aliunde aduecta est uesana religio, et eo creuit, ut Roma et omne illud imperium Romanum Deorum uariis simulacris, seque et alios illa impleuerit. Graeci uero aeque ac Romani depi-

4) Vid. libell. de *fluminibus*, *Plutarcho* tributus, a *Maussaco* et *Hudsono* inter *geogr. minores* editus.

5) Triplicis generis deorum sacra diuersa notat *Festus* uoce *Altaria*, et similiter scholiastes ad *Statii* Thebaid. lib. 5. *Varro* ap. *Augustinum* de Ciuit. Dei, 3, 12, praeter hos, *marinos*, *fluuiales* etc. nominat.

6) S. P. *Festus* seruauit nobis *consentia* sacra; *consere*, συμβυλευειν, uid. *Vossii* Etymolog. nisi idem sit, ac qui *una* et simul sunt, ut praesens, absens, ita consens. Homerus θεοι ἀνα δωμα Διος. *Consentes deos* nominat *Varro* de re rustica lib. 1. 1. idem de l. l. 7, c. 38, aedes *deum Consentum*. Hos *Plato* apud *Apuleium* de Deo Socrat. incorporeos et *animales* Deos existimat.

7) *Selecti* dii cum dicuntur, non *consentes* innuuntur soli, sed simul 8 alii, ut sint numero 20; ut *Varro* apud *Augustin.* de ciuit. Dei lib. 7, c. 2. Ianus, Saturnus, Genius, Sol, Orcus, Liber pater, Tellus, Luna.

8) *Cicero* Tuscul. 1. c. 13. *Coelestes*, ὀλυμπιοι, saepe appellantur. *Plautus* Deo *magnos*, *minutos* et *patellarios* dicit in Cistell. 2, 1.

9) Ita *Fulgentius* de prisco sermone, num. 11. *Semideos*, *Varro* apud *Augustin.* et alii nominant: *Hesiodus*: ἀνδρων ἡρωων θειον γενος, οἱ καλεονται ἡμιθεοι.

10) *Auerruncum*, Deum *unum* innuere uidetur *Varro* de lat. ling. 6, c. 5. post medium; graeci ἀποτροπαιυς etc. nominant.

11) *Virgil.* Georg. 1. ultimo: Dii patrii, *indigetes*, et ibi *Seruius*, qui etiam exponit, in diis agentes, Deos ex hominibus factos.

12) ex *Festo*, uoce *geniales*. *Martian. Capella* Philol. nuptiar. lib. 2. Melius, qui nos genuerint.

13) Vid. interpretes ad Sapient. 14, et in primis *Aug. Calmeti* dissertationem; *Fulgentii* mythol. lib. 1. c. 2. *Banier* mythol. expliquée par l'hist. tom. I. livre 1. qui tamen mythologiae caussas iusto plus auget. *Bertholdus* de ara, thes. *Graeuii* tom. 7. p. 373 seq. *Clasenius* in thes. *Gronouii* tom. 7. pag. 22, *Vossius* de theol. gentil lib. 1. *Herbert Cherbury*; et *Varro* apud *Augustinum* de ciuitate Dei lib. 6. et 7, qui theologiam fabulosam, naturalem et ciuilem, eiusque rationes distinguit Histor. uniuersalis, quae auspiciis S. V. *Baumgarten* prodit tom. 1. et 3.

depictis primum tabulis, ſtatuis, anaglyphis Deos eorumque fabuloſas hiſtorias conſeruarunt, nullum non criminis genus illis affingentes, raptus ſcilicet, adulteria, furta, παιδεραςίαν, homicidia &c. Haec uero ſpectacula, quae in templis atque aedibus eſſent, carere uix poterant peſſimo ad peius aberrandum exemplo. Imperita plebs et profanum uulgus inſignia iſta Deorum facinora, quia interprete deſtituebantur, ſiniſtre accipiebant; eorumque geſta ideo minus uidebantur turpia, quod a Diis ipſis perpetrarentur; quin imo admiratione et ſtupore digna habebantur. Philoſophi uero poſtea de natura Deorum diſſerentes 14), ubi hanc ſummam ineptiam tolerari ultra non poſſe intellexerunt: eiusmodi explicationibus operam dederunt, quae Numina iſta, eorumque facinora, ad res naturales referrent. Sed in iis explicandis tanta deprehenditur ſententiarum diuerſitas: ut uel hinc appareat, explicationes iſtas non ad rerum uera primordia pertinere, ſed poſtea demum eſſe adinuentas; ſpurciſſimas uero religiones ineptiſſima illa habuiſſe principia. Ceterum exploratum eſſe uidetur, cultum hunc impium in multis regionibus a *Sole* coepiſſe, nulla alia aduecta imagine; quum nulla etiam fuiſſe deprehendatur, quae ſenſus magis feriat ipſo *Sole*. *Perſae* nulla alia imagine adhibita *Solem* ipſum tanquam Deum colebant; ſequenti uero tempore hominis iuuenis, quem *Mithram* uocabant, illi imaginem affinxerunt. *Graeci* quoque *Solem*, diu ante in Deorum numerum retulerunt, radiato capite ipſum efformantes, ac ſaepius quoque quadrigis equorum uectum. Alii non *Solem* modo, ſed *Lunam* quoque et ſidera micantia omnia adorabant 15), eo quod corpora iſta coelitus ſplendentia, ad ipſorum cultum rudes homines facile allicerent.

14) Vid. *Plato* et diſcipuli; item *Stoici*; *Plutarchus* uariis libellis; ſcholiaſtae graec. et lat. poetarum, mythologi editi per *Gale*; *Cicero* de natur. deor. et plerisque libris philoſ. *Varro* ap. *Auguſtinum*, *Apuleius*; *Lucretius* lib. II. et alibi, et apologi noſtrae relig.

15) Antiquiſſimo errore, ut ex ſacris libris multis, et *Iobi* 31, 26. 27. conſtat. Adde *Voſſium*. *Platonem* in Cratylo.

LIBER PRIMVS.

DE

PRIMA DEORVM CLASSE, DE CYBELE, SATVRNO, COELO ET TERRA, TITANIBVS, OCEANO, PROMETHEO ET IANO.

CAPVT I.

De Dea Cybele, uariis illius nominibus, cultu, et Sacerdotibus, item de comite illius Attide.

§. I.

CYBELE, quod nomen a monte quodam, uel alio loco ueniſſe uidetur, uariis aliter nominibus nuncupari ſolet 1). Praeter enim id, quod plerumque *Magna Mater* ſiue *Mater Deûm* uocatur: ab *Ida* monte, in quo celebris illius cultus erat, *Idaea*, et a Berecyntho, Phrygiae loco, *Berecynthia* dicitur. *Rheae* quoque nomen illi tribuitur, quo *Saturni* uxor fuiſſe perhibetur; item *Ops*, quo nomine, teſte *Cicerone* Lib. III. de Natura Deorum, ueteres terram intellexerunt, eo quod opes omnes ex illa proueniant.

§. 2. Non minor autem in exponenda illius hiſtoria, quam in eiusdem nominibus, deprehenditur uarietas. *Diodoro* Siculo teſte, (Lib. III.) *Cybele* Maeonis, Phrygiae et Lydiae Regis, filia erat, quam ex uxore Dindyme ſuſceperat; quia uero recens nata ſtatim a parentibus in montem Cybelem expoſita fuit: montis illius nomen ipſi haeſit. Hic peculiari numine

1) Vide *Strabonem* lib. 10. *Voſſium* lib. 11. c. 52. Matrem tot deorum Attin amare, ridet *Lucian.* in ſacrificiis.

ne profpiciente pardales aliaeque ferae illam aluiffe dicuntur; donec a mulieribus paftoritiam agentibus inuenta et dein educata fuit. Annis et uiribus aucta, ceterisque uirginibus corporis forma et ingenii acumine praeftans, fyringem, fiue tibiam multis calamis concinnatam, cum tympanis, quibus ad lufum et choreas utebantur, inuenit. Pharmaca quoque, quibus infantium pecorumque morbi abigerentur, excogitauit. Frequens porro illi ufus erat cum *Marfya* Phryge, ob fiftulam, ad perfectiorem harmoniae modum ab eo compofitam, et quod caftitatis laude celebris fuit. Quum ad adultiorem aetatem perueniffet, adolefcentem quendam ex indigenis, nomine *Attin*, amauit. Ab hoc autem poftquam utero grauis facta eft: pater illius, re comperta, non nutrices tantum illius, fed etiam Attin e medio fuftulit, et cadauera illorum infepulta abiecit. Cybele uero hac re in furorem acta, paffis crinibus difcurrens, femineo ululatu tympanique fono omnia repleuit; cuius calamitatem miferatus *Marfyas*, illam adiit et confolandi gratia comitatus eft. Vtrique occurrit Apollo, cum quo Marfyas de praeftantia in arte Muficae certare *) aggreffus eft; cuius certaminis iudices Nifaei conftituebantur. Horum autem iudicio quum Apollo uictor abiret: indignam contentionem auerfatus, Marfyae pellem detraxit; paullo uero poft ultionis faeuitiam ipfe damnans, citharam, ruptis antea neruis, cum tibiis in antro Bacchi depofuit. Hinc Apollo ipfe Cybeles amore inflammatus ad Hyperboreos ufque cum ea aberraffe perhibetur. Quum uero Phryges interea morbus inuaderet, et terra fterilitate laboraret: oraculum de mali remedio confultum, refpondit, ut Phryges Attidis corpus fepelirent, et Cybelem pro Dea colerent. Phryges itaque Attidis cadauer fruftra quaerentes, tandem ftatuam adolefcentis fecere, quam multo honore profequebantur, et largis patratum a Maeone facinus lacrimis expiantes, a graffante lue liberati funt.

§. 3. Cybelem uero ab hoc tempore Deam coluerunt, ipfique templum *Peffinunte* conftruxerunt; opem ferente Mida rege. Ibi Cybeles ftatua pofita fuit, adftantibus pardis atque leonibus, ferarum beneficii memoriam conferuantibus. Haec omnia uero quum minime doceant; cur 2) *Mater Deûm* uocata fuerit, et *Rhea*, quae pro una eademque Dea cum Cybele plerumque haberi folet, alias Apollinis auia dicatur: narratio ifta non admodum uerofimilis effe uidetur. A ueri fpecie minus cedat illud, quod *Hefiodus* in Theogonia refert, qui Rheam Coeli et Terrae filiam effe contendit; qua de re aliis quoque conuenit. Vna etiam fere omnium eft fententia, Cybelem hanc ex Phrygia fuiffe oriundam. Amores quoque illius atque Attidis, paftoris, plurimi referunt. In hoc autem differunt, quod nonnulli Attin a Cybele 3) tandem caftratum fuiffe perhibent, eo quod Nympham aliam adamaffet; quamuis alii rem ita narrent, quod Attis Cybelae perpetuam continentiam pollicitus, clam cum alia quadam Nympha, contra datam fidem, rem habuerit, quo Cybele indignata, de Nympha poenas fumferit, Attis uero hac re in furorem actus, fe ipfum exfecuerit 4). Cybele autem tandem illius miferta, non uulnus modo curauit, fed etiam inde famulo & comite illo ufa fuit.

§. 4. De forma Cybeles, fi quaeras, pauca numina pluribus gaudent formis, quam ipfa haec Cybele. Confpicitur autem modo ftans, modo leoni uel currui infidens, comite plerumque Attide. Caput illius uel turre uel corona muros urbis referente ornari folet, unde *turrita* uulgo dicitur; quoniam tellus, quae ueterum fententia eadem cum Cybele, urbes ciuitatesque omnes et fuftineat, et fulciat 5). Tab. I. fig. 1. finiftro pede prorae nauis infiftens, dextro uero terrae innitens effingitur; quo illud innui creditur, quod utrique elemento imperet, eo quod orbis terrarum, fiue Tellus, quae, uti iam fupra diximus, eadem cum Cybele effe creditur, utrumque elementum, terram fcilicet et mare, complectitur. Dextra muralem monftrat coronam, quo fignificat, ipfam urbes fulcire et alere. Eodem ferme redit, *fig. 2.* finiftra uas aquarium geftans, dextra uero terram oftendens. Sic urbis cuiusuis fymbolum erat mulier muris turribusque coronata.

Tab. I.

§. 5. Cybelem adhuc ftantem uidimus, quae tamen frequentius fedens depingitur; eo quod terra, quam ueteres immobilem putabant, commodius fedens exhibetur. Sic *fig. 3.* leoni infidentem confpicimus, finiftra tympanum, quod inueniffe fupra iam dicebamus, dextra haftam tenentem, hinc folem, inde lunam; quo ipfo fignificari uidetur, quod fiderum iftorum ui atque motu foecunda terra annuos fructus proferat. Leoni infidet, quod indicat, quam familiariter olim cum leonibus, a quibus nutrita fuerat, uixerit 6).

§. 6.

*) de Marfya, *Fulgent* Mythol. lib. 3. *Apuleius* initio *Floridor.*

2) *Lucretius* lib. 2, 657.

3) *Lactantius* 1, c. 17. *Minutius Felix* Octauio.

4) *Ouidius* Faftor. 4, v. 237. *Catullus* Carm. 64.

5) *Lucretius*, lib. 4, 607. *Ouidius* minus apte Faftor. 2, 220. adde *Arnob.* lib. 5.

6) Aliter exponit *Varro* apud *Auguft.* de ciuit. D. lib. 7, c. 24 ibidem explicantur plura, *Tympanum*, quod rotunda terra.



1 et 2. Cybele Mater Deum; prior sinistro pede proræ navis, dextro terræ innititur, ut posterior sinistra vas aquarum tenet, dextra vero terram ostendit, quo imperium eius in utrumque hoc elementum innuitur. 3. Eadem leone vecta. 4. Eadem curru iunctis leonibus vecta, et coram illa Attis, quem adamabat, veste talari indutus. 5. Idem Attis vestitu virili, cum fistulis pastoritiis et pedo. 6. Cybele eadem cum Attide suo monstro insidens. 7 et 8. Capita Cybeles corona turrita ornata. 9. Tres mulieres corona murali instructæ, quæ nomine totidem civitatum ad peragendum sacrificium et vota pro salute vel Principis vel sua facienda pergere videntur.

§. 6. Eamdem Cybelem, fiue Magnam Matrem, in Phrygiae campis, uel aliis regionibus, magnifice incedentem exhibet *fig. 4*; quae pro more fuo turrita currui infidet, cui duo leones iuncti funt: altera manu tympanum, altera fpinas, uel pini forte ramum, geftat. E regione illius Attis uefte talari indutus fiftitur, altera manu inftrumentum quoddam non fatis notum, myfteriis Matris Deum forte deputatum, altera pedum paftorale tenens. A Rhea enim poftquam caftratus eft: uiri perfona exutus, ueftitum quoque muliebrem affectauit; non nifi raro uero hac uefte exhibetur. Pone Attin pinus 7) collocata eft, arbor Rheae facra, ex qua fyrinx fufpenfa confpicitur: fub pino aries, quo ad *Criobolia* Cybeles facrificia refpicitur. Loco arietis nonnumquam taurus eidem additur, quo Taurobolia innuuntur; de quibus myfteriis infra plura dicentur.

§. 7. Virili habitu Attin oftendit *fig. 5.* ubi anaxyridas, feu braccas habet fiffuris atque rimis arte diftinctas, paftoritias fiftulas manu dextra tenet, pedum finiftra. Erat autem ille adolefcens forma praeftans, genere Phryx, aut, fi *Luciano* 8) credendum, Lydus, qui primum paftorem egit, deinde uero Cybeles facerdos factus eft. Is ipfe cultum caerimoniasque eius inftituit, aliasque ex aliis regiones peragrauit, ut populis nationibusque fingulis colendam Magnam hanc Matrem perfuaderet; ipfe demum in numerum Deorum relatus eft.

§. 8. Quae uero in monumentis eiusmodi exhibentur Cybeles obambulationes, fiue peregrinationes, illae a Gallis et Miniftris huius Deae reipfa fiebant. Hi quippe Deam fuam uariis modis per urbes, uicos et regiones ducebant, ftipemque ubique 9) locorum colligebant Magnae, ut iactitabant, Matri: fed illius nomine quaeftum ipfis proprium paraturi. Variis autem modis illam geftabant. Saepe curru uecta eft, ut iam confpeximus, iunctisque etiam fubinde leonibus: frequens enim iis temporibus ufus erat, leones aliasque feras manfuetas curribus iungere. Galli quoque, aliique facerdotes, illius imaginem in pectore prominentem geftabant. Nonnumquam hanc Deam afini dorfo imponebant, addito tympanorum tibiarumque fono, quo ftipem cogentes populi liberalitatem et pietatem excitarent; cuius exemplum *Lucianus*, in fabula de homine in afinum mutato, refert. Sacerdotes huius Deae *Galli* 10) uocabantur, quorum Princeps *Archigallus* erat. Alio item nomine *Metragyrtae* 11) appellabantur, quia pro Magna Matre ftipem publice cogebant; item *Menagyrtae*, quoniam fingulis menfibus hoc minifterium obibant. Hi uero fcelefti fere atque impudentes homines erant, qui rudem populum uario aftu circumueniebant. Deprehenfos narrat *Lucianus* l. c. teterrima perpetrantes; quodque fingularis nequitiae argumentum fuit, cum Cybeles ftatuam in alterius numinis templo depofuiffent, ut ibi pernoctaret, phialam auream fuffurati in Deae finu abfconderunt; qua re comperta infames habiti et eiecti funt. Magnæ fe Matri contra omnem uirorum mulierumque uerecundiam confecrarunt, madidis capillis, facie dealbata, fluentibus membris, inceffu femineo per plateas uicosque decurrentes, et a populis, unde turpiter uiuerent, exigentes 12). Romae Deam hanc quotannis menfe Aprili ad Almonem fluuium ducebant, ibique abluebant 13).

§. 9. Aliud illius monumentum, idque pulcherrimum, exhibet *Figura 6.* Cybele quippe monftro cuidam humano partim, partim ferino 14), infidet, tamquam Mater DEVM, murali corona inftructa, Attin a dextris habens, tergo illius quafi inhaerentem, et caput tiara Phrygia tectum exerentem. Tympanum pro more tenet, fub quo ferpens arboris truncum flexuofis finibus amplectitur. Serpens folis alibi fymbolum eft; hic autem pro Medicinae potius fymbolo habendus. De cetero uiuidam hic naturam exhibitam effe cernis. Cornu copiae omnium fructuum genere, nominatimque ftrobilis, Magnae Matri facris, inftructum; quo ipfo fignificatur, Magnam Deorum Matrem non aliam effe, quam

B terram

7) *Martialis* lib. 13, ep. 25. *Poma fumus Cybeles.* Inftrumentum, quod *Montfauc. non fatis notum* dicit, putem crepitaculum effe, in his facris ufitatum.

8) de Dea Syria.

9) *Cic.* de legib. 2. 9. *Auguftin.* de ciuit. D. 7, 26. de cetera pompa *Dionyf. Halic.* 2 *Lucianus*, *Apuleius* lib. 8. et 11. *Lucret.* 2, 612. feqq.

10) a flumine *Gallo* Phrygiae, quem propter facra fiebant, *Herodian.* 1, 20, *Ouid.* Faft. 4, 361. aut a primo huius nominis facerdote, *Stephan.* de urbibus. *Archigallum* nominant *Plinius* maior, et *Gruteri* infcriptiones.

11) *Athenaeus* lib. 12, et Lexicographi. μητριαζειν, Pollux; μητριζοντες *Porphyr.* epiftola ad Aneb.

12) *Auguftini* fere verba, libro 7, 26. *Apuleius.*

13) *Ouidius* Faftorum 4, 340. *Cicero* legum 2, c. 16. paucos dies feftos illi concedit, quia etc.

14) *Montfauc.* ita defcribit, cetera nihil addit. Debuerat uero Sphingem haud dubie imitari, nifi fculptoris uitium effet, quemadmodum figura ap. *Boiffardum* ibi alia cum infcriptione, *magnae matri*, *Lucilla Aug.* in qua utrimque fphinx. Signum myfteriorum.

terram, ſiue naturam ipſam. Addimus huic monumento *Fig. 7.* & *8.* duo capita Cybeles perpulchra et turribus ornata.

§. 10. Tandem ob ſummam artis elegantiam hic locum meretur Anaglyphum Romanum marmoreum in uia *Appia* repertum, iam in aedibus *Borgheſianis*, tres mulieres exhibens murali corona inſtructas, quas *Fig. 9.* ſiſtimus. Monumentum ſane ſingulariſſimum eſt, ſed ſine inſcriptione, quae tanti ſpectaculi cauſſam hiſtoriamque nobis aperiat. Hoc certum fere eſſe uidetur, in hac imagine tres urbes exhiberi, forte Graecas, quae ſacrificatum eunt. Prima, uelo caput inde a corona murali obtexit, quod eſt ſingulare. Sacerdotis munere fungi uidetur. Sub corona murali ſingulae coronam aliam lauream geſtant; indicium, ſacrificium pro re quadam feliciter geſta perſolui. Eaedem mulieres inaures habent; ſecunda ramum tenet, tertia uas quoddam praefericulo ſimile. Ceterum cultus et ueſtes uenerabilem omnino harum mulierum ſpeciem efficiunt. Fortaſſe marmor illud quaedam Graeciae urbes pro ſalute et incolumitate *Auguſti*, qui tunc imperium tenebat, ſiue pro felici exitu belli cuiusdam, ſiue demum in gratiarum actionem pro accepto beneficio fieri curarunt; certe conſtat, Graecas urbes nonnumquam ejusmodi monumenta Romae et in Italia uoti aut gratiarum nomine poſuiſſe.

§. 11. Cybele praeterea *Dea Phrygia* nuncupari ſolebat, quia ex Phrygia orta eſſet. *Dea* item *Peſſinuntia*, quia eius imago quaedam de coelo delapſa ſit, cui loco are, ἀπὸ τοῦ πεσεῖν, Peſſinus deinceps nomen fuit; Peſſinunte uero Romam delata fuit bello Punico ſecundo. Oracula enim Sibyllina, Decemuiris interpretibus, hoſtem Italia pelli uincique poſſe promittebant, ſi Mater Idaea Peſſinunte Romam adueheretur. Senatus igitur legatos ad Regem *Attalum* in Aſiam miſit, a quo comiter accepti in Phrygiam deducti ſunt, et ſacrum lapidem, quem incolae Matris Deum eſſe dicebant, Romam deportarunt, ibique in templo Victoriae collocarunt; unde *megaleſia* feſtum celebratum. Nullum autem frequentius eſt illo nomine, *Dea Syria*, cuius origo inde petitur, quod magno illa in Syria honore afficiebatur. Graeci Matrem Deum 15) frequentius *Dindymene*, a monte, ſeu a matre, uocabant. *Pindarus* illi Thebis iuxta domum ſuam templum extrui curauit, quod *Pauſaniae* tempore adhuc ſuperſtes erat. Vid. eius lib. 9.

CAPVT II.

De Saturno et Tempore.

§. I.

SATVRNI pater Coelus, mater Veſta, ſiue Tellus, ut perhibent Mythologi. Is patrem exſecuiſſe 1) fertur, ne filios alios ſuſciperet. Vxorem habuit Rheam, quæ plurimos ipſi filios peperit: ueritus autem, ne filiorum aliquis imperium raperet 2), ſingulos ſtatim, ubi nati eſſent, deuorauit. Iouem enixa Rhea, quum ſeruare uellet, patri eius loco lapidem ſubſtituit, quem ille deglutiuit. Iupiter, poſtquam adoleuiſſet, patrem Saturnum bello perſecutus, deuicit, uinculis conſtrinxit, et cum commilitonibus eius 3) ad inferos praecipitauit. Habuerat Saturnus ex Rhea tres filios, *Iouem*, *Neptunum* et *Plutonem*, filiamque *Iunonem*, Iouis et ſororem et coniugem; addunt alii *Veſtam* et *Cererem.* Mythologia uero, Rheam eamdem Coeli et Terrae filiam inducit.

§. 2. Saturnum elapſum ex carcere, in Italia poſt Ianum regnaſſe, narrant Scriptores Romani: qui iidem eum adeo collaudant a iuſtitia, ut neque ſeruierit ſub eo quisquam, nec quidquam priuatae rei habuerit: ſed omnia communia et indiuiſa omnibus fuerint, quaſi unum cunctis patrimonium eſſet. Hinc cautum eſt, ut in *Saturnalibus*, exaequato tantiſper omnium iure, paſſim in conuiuiis ſerui cum Dominis accumberent; immo, ut alii perhibent, heri

15) dicitur etiam *mater Sipylenæ*, a monte Sipylo, in foedere Smyrnaeorum et Magnetum; uide Marmor. Oxon. Eadem, *Bona Dea*, *Iſis* (*Apuleius*) Veſta etc. quatenus *terra* eſſe creditur. Confer. *Menetreii* ſymbolica Dianae Epheſiae ſtatua expoſita, in *Gronouii* theſauro tom. 7. p. 359. ſeqq. *Bellorii* deae Syriae ſimulacri expoſ. ibid. p. 426. *Pignorii* magnae Deum matris idaeae et Attidis initia, ibid. p. 510. ſeq.

1) *Cicero* de nat. deor. 2, c. 24. *Lactant.* 1, 12.

2) *Ouid.* Faſt. 4, 200. *Heſiodus* Theogon. v. 459. ſeq.

3) *Aeſchylus* in Prometheo uincto.



1. Saturnus arboris trunco a serpente circumvoluto nixus, cum falce, proprio eius symbolo. 2. Saturnus aliger incurvato corpore falci innixus, cuius pedes vinculo singulari modo ligati. 3. idem in Hermæ formam desinens, et ambabus manibus globum tenens. 4. Idem dextra facem ardentem a serpente circumdatam, sinistra perpendiculum tenens; vestis humanis oculis consperso pedibusq; alæ affixæ. 5. operculum monumenti cujusdam, in quo quatuor anni tempestates repræsentantur, quas etiam nummus fig. 6. exhibet. 7. Imagines septem dierum hebdomadis in navi. 8. Imago crepusculi. 9. Imago auroræ. 10. Imago vesperæ.

heri ſeruis miniſtrarent. Hoc Saturni regnum aureum ſaeculum 4) nominatum eſt. Qui mons poſtea Capitolinus dicebatur, ille ex Saturno antea Saturnius cognominatus eſt. Immo tota Italia olim *Saturnia* 5) dicta. *Saturnus*, *Cicerone* teſte, Lib. II. de natura Deorum, ideo appellatus eſt, quod annis *ſaturetur*. Ex ſe autem natos comeſſe fingitur, quia aetas temporum ſpatia conſumit, annisque praeteritis inſaturabiliter expletur. Vinctus dicitur a Ioue, ne immoderatos curſus haberet, atque ut eum ſiderum uinculis alligaret. Graece κρόνος, ſeu χρόνος dicitur, quod nomen tempus denotat, eo, quod curſum et conuerſionem temporum continere credebatur.

§. 3. Hinc ſenex et curuus fingitur, falcem tenens, quo, ipſum agriculturae praeeſſe, ſubindicatur 6). Talis Tab. II. *Fig.* 1. exhibetur, ubi arboris trunco innititur, qui a ſerpente circumdatur; pedibus falx adiacet. Praeter filios ſupra nominatos ex Rhea, etiam *Chironem*, Medicinae patrem, ex *Philyra* 7) ſuſcepiſſe fertur. Vinctis nonnunquam pedibus pingitur, quo, ut refert *Apollodorus* 8), innuitur, terrae ſemina, quibus Saturnus praeeſt, uincta quaſi et inanimata eſſe ad Saturnalium uſque diem, quo creſcendi initium habent. Talem ſiſtit *Fig.* 2. ubi ſingulari modo alligatus conſpicitur. Vinculum ſcilicet inter tibias delapſum in faſcias duas diuiditur, quae utrinque ſuper malleolos annexae haerent. In poſteriore autem parte, quo loco uinculum annexum ſit, non apparet; quoniam altera tantum ſimulacri facies conſpici poteſt. Vincula, *Apollodoro* teſte, lanea erant, et ad diem ipſi feſtum ſoluebantur; unde prouerbium, *Deos laneos habere pedes* 9), i. e. lento et tacito gradu ad ſcelerum uindictam procedere, nec tamen inulta crimina ſinere, ſed tarditatem ſupplicii grauitate compenſare. Cur uero ſenex hic alatus duplici falce nitatur, non ſatis liquet: niſi forte iſta facta, quae Saturno uulgo tribuuntur, innuantur; quod Coelum patrem caſtraſſe dicitur, et quod meſſes frugesque ſecare docuit. Tab. II.

§. 4. In ueterum monumentis falx non ſemper cum Saturno, uel Tempore, comparet. In his nempe ſequentibus iconibus, quae arcanam quandam ſignificationem habere uidentur, nulla falx occurrit. Prima ſcilicet, *Fig.* 3. quae in Hermae morem deſinit, ſenem exhibet prolixa barba, lauro coronatum. Capiti illius imminet maior ſtella, qua ſol ſine dubio indicatur; id quod in aliis quoque imaginibus obſeruatur. Tempus alis inſtructum eſt, ambabusque manibus amplum tenet globum, quo haud dubie mundus ipſe ſignificatur, ſeu orbis terrae, quem tempus, ſeu ſpatium illud aethereum, quod et Saturnum et tempus appellabant, complectitur, coniunctimque cum Sole horarum dierumque ſpatia metitur. Non minus ſuſpiciendum eſt ſimulacrum ſequens *Fig.* 4. Senex itidem promiſſa barba, ut praecedens, tunicam humanis oculis undique diſtinctam, Zonaque praeinctam geſtans. Dextra facem magnam accenſam ſerpente circumdatam tenet. Serpens ille gyris plurimis faci adhaerens multis ſtellis decoratur. Ille ſerpens facem circumplicatus ſtellisque diſtinctus, Zodiacum, et ſidera illius, ſignificat. Tunica oculis humanis conſperſa forte ſubindicat, quod, quaecunque in ſaeculorum annorumque ſpatiis gerantur, ſub oculis Temporis, humana forma induti, fiant, ipſique praeterita, praeſentia et futura, pateant. Non ita facile eſt, dicere, cur ſenex ille Saturnus perpendiculum, quo architecti et latomi utuntur, teneat. Forte, architectorum uel latomorum quaedam familia, qui Saturnum praecipue coluerunt, hanc erexiſſe ſtatuam, atque in ejus manibus hoc inſtrumentum poſuiſſe credatur: quo artis ſuae Patronum tutelaremue Deum Saturnum eſſe indicarent; quemadmodum et piſtores Romani, ut Veſtam peculiarem ſibi eſſe Deam ſignificarent, eius ſtatuae ſpicas et molam addiderunt; de quo inferius. Saturnus hic alas quoque exiguas pedibus affixas habet, quales paſſim Mercurio uidemus. Hae forte ſignificent, quod haec imago non tempus uniuerſum exhibeat, ſed aliquam tantum eius partem, annum ſcilicet; id quod adhuc magis probabile erit, ſi ſerpentem illum ſtellatum faci circumplicatum pro Zodiaco accipere licet 10).

 §. 5.

4) *Ouid.* Metam. 1, 89. ſeqq. *Virgil.* Aeneid. 8, 319. Iuſtinus lib. 48. *Saturnalia*, etiam κρονια dicta. *Macrob.* 1, 7.

5) *Dionyſ.* Halic. lib. 1. *Ouid.* Faſtor. 1, 235.

6) *Macrob.* 1, 7. Alii monumentum facinoris in Vranum patrem admiſſi, dicunt; uid. quae de δρεπανη geographi ueteres perhibent.

7) *Apollon.* Rhod. argonaut. lib. 1. et 2. *Ouid.* metam. 6, 126.

8) ap. *Macrob.* 1, 8. ita et *Plutarch.* de Iſide, et alii; uide apologos chriſtianos.

9) *Macrob.* loco cit. *Eraſmi* adagia Chiliad. 1. centur. 10, num. 82. Leon. *Auguſtinus* part. 1, 105. Saturnalibus ſoluebantur Saturni compedes, *Statius* lib. 1. Siluarum carm. 6-

10) Praeſtat omnino exſpectare plus lucis, ut ipſe *Montfauc.* tandem ſperat, quam omnia ipſi hic accredere. Vbi talis anguis pro Zodiaco occurrit? Zodiacus facem ambit? Adeo non ſatis certum eſt, Saturnum innui. Plura alio tempore: Suſpicarer Mercurium hic fingi; iſtud inſtrumentum inuentorem geometriae deceret etc. ueſtis oculata, quia Argum occidit, μυριοφθαλμος.

§. 5. Quum uero Saturni nomen, quem Graeci χρόνον dixere, pro ipſo ſaepius tempore ſumatur: hic porro notandum, quod ueteres non modo tempus omne diuerſis formis atque figuris expreſſerint, ſed illius partibus quoque diuerſas formas atque figuras adſcripſerint. Sunt autem illae temporis partes Αἰών *aeuum*, γενεά *generatio*, et *ſaeculum*. Αἰών apud Graecos uariis modis accipitur. Saepius pro tota humana uita: aliquando etiam pro longo et non definito ſpatio; nonnumquam pro aeternitate. De uocibus γενεά ſiue *generatio*, et *ſaeculum*, ſatis diu diſputatum fuit, quantum ſcilicet temporis ſpatium cuique tribuendum ſit. Quidam utroque tempus 30. annorum comprehendi putarunt: tandem eo uentum eſt, ut omnium fere conſenſu ſaeculum 100. annos exprimeret; γενεά uero ſ. generatio, pro 30 annorum ſpatio, plerumque habebatur. Mos autem numerandi annos per generationes eſt antiquiſſimus. Sic *Herodotus* temporis et annorum ſpatia per γενεάς computat.

§. 6. Poſt maiores illas temporis partes hae minores numerantur: *Luſtrum*, πεντέτηρις a Graecis dictum, quia πέντε ἐτῶν, quinque annorum numerum complectitur; *Annus*, *Horae* ſiue *tempora tempeſtatesque anni*, *Menſes*, *Hebdomadae*, *Dies*, ſecundum illam rationem acceptus, qua ad Hebdomaden pertinet, *Crepuſculum matutinum*, *Aurora*, *Meridies*, *Veſper*, *Crepuſculum ueſpertinum*, *Nox*. Hae omnes temporis partes humana forma ipſis propria depingebantur.

§. 7. *Penteteris*, ſiue *Luſtrum*, a Graecis muliebri forma pingebatur, quia πεντέτηρις nomen, eſt generis femin. Nam a genere nominum humanam rebus adſcripſere formam; ita, ut, quod maſculinum genus haberet, uir; quod femininum, mulier fere fingeretur. In *Ptolemaei*, Philadelphi, pompa, haec Penteteris emicuit tamquam formoſiſſima mulier, procerae quatuor cubitorum ſtaturæ, ueſtitu ſplendidiſſimo, auroque fulgens; altera manu coronam tenebat ex foliis arboris, cui *Perſea* nomen, altera uero palmam. Sed quomodo haec ſymbola cum numero quinario conſpirent, ignoramus. *Annus* Graecis Ἐνιαυτὸς (quod nomen generis maſculini) in eadem pompa forma uiri exprimebatur, qui luſtrum, ſeu Penteterin illam praecedebat. Hic uir ſimiliter quatuor cubitorum erat, laruam geſtabat et tragico habitu incedebat, cornu copiae aureum geſtans. Larua illa et habitus tragicus hoc fortaſſe ſignificant, quod annus infortuniis, tragicisque rebus plerumque non careat. Cornu uero copiae idonea eſt figura anni, phyſice conſiderati, ſecundum quatuor illas anni tempeſtates, quibus omnia ad uictum neceſſaria proueniunt.

§. 8. *Tempora* ſiue *Tempeſtates anni* a Graecis ὧραι uocabantur, proque Iouis et Themidis filiabus habebantur. Graecorum maximam partem priſcis illis temporibus tres tantum anni tempeſtates admiſiſſe 11) exploratum eſt: Ver ſcilicet, Aeſtatem atque Hiemem. Nullum tamen monumentum ſupereſt, in quo tres tantum horae conſpiciantur. Quatuor anni tempeſtates, totidem mulieribus exprimuntur in operculo tumuli cuiusdam *fig.* 5. exhibito; quae mulieres tum coronarum uarietate, ueſtitu, fructuumque, quos gerunt, genere, tum geniorum puerorumque ipſas comitantium habitu, quam quaeque tempeſtatem exprimat, accurate adumbrant. Aeſtas Hiemsque oppoſitae et aduerſae tempeſtates, per extremas oppoſitasque figuras deſignantur. Altera nempe a dextra ad laeuam, altera a laeua ad dextram, recubat; inter utramque ſunt Ver et Autumnus, utpote Aeſtatis perinde atque Hiemis participes. Genii quatuor eumdem ordinem ſeruant. Prima mulier a dextra ad ſiniſtram iacens, *Aeſtatem* refert; hinc ſeminuda ſpicisque coronata conſpicitur, ſpicas alias in cornu copiae poſitas attingens; genius coram illa poſitus ſpicas itidem tangit, manuque meſſoriam falcem tenet, ſignum tempeſtatis metendarum frugum. Altero extremo latere *Hiems*, a laeua ad dextram recubans, mulieris ueſtimentis undique tectae forma conſpicitur, cuius caput ueſtimenti aliqua parte obtegitur; manus illa porrigit ad fructus hibernos. Genius coram illa poſitus non alatus eſt, ſed ueſtitus; leporem tenet, quoniam uenatus hieme ſolum in agro eſt exercitium. *Autumnus* uerſus Aeſtatem conuertitur palmitibus et uuis coronatus, dextra palmites tangit; genius quoque uuas in cornu copiae concinnat. Autumnus partem illam corporis nudam exhibet, qua Aeſtatem reſpicit, illam uero, quae uerſus Hiemem ſpectat, operit. *Ver* dorſo haeret Autumni, mulierisque forma, floribus coronatae exhibetur; floribus quoque repletum eſt cornu copiae, quod Genius eius ſuſtinet. Pes autem illius, quem aduerſus Hiemem profert, calceo munitus eſt; ſinus ea tantum pars nudatur, quae Aeſtatem reſpicit.

§. 9.

11) uid. Hieron. *Aleandri* explic. tabulae heliacae, in theſ. *Graeuii* tom. 5. p. 735. et *Steph. Pighii* mythologia εἰς τὰς ὥρας in theſauro *Gronouii* uol. 9.

DVODECIM ANNI MENSES.

Tab. III



§. 9. Eaedem anni tempeſtates, in nummo regis Galliar maximo, pueri quatuor, clarius ſiſtuntur. *Fig. 4.* *Hiems* puellus exhibetur ueſtibus calceisque inſtructus, qui altera manu auem grandem tenet, altera ſarcinam baculo, quem humero geſtat, annexam geſtare uidetur. Tres reliqui pueruli ſunt nudi. *Ver* altera manu flores, altera capreolum geſtat. *Aeſtas* falcem, *Autumnus* caniſtrum fructibus plenum capite gerit. Inſcriptio eſt *Temporum felicitas*, id quod uel de felicitate temporum in genere, uel de felicitate illius anni, quo nummus hic ab Imperatore Commodo cuſus fuit, intelligi poteſt.

§. 10 Vtrum Graeci menſibus humanam formam adſcripſerint, non plane ſcimus. Sed quum Romani, quorum illi quaſi doctores fuerant in iis, quae uel ad religionem, uel ad artes ſpectant, hominum forma menſes quoque expreſſerint: probabile omnino eſt, Graecos in hoc etiam praeiuiſſe illis; Penteterida ſiue Luſtrum, Annum, Tempeſtates ſ. Horas anni, utrumque crepuſculum, auroram, diem, meridiem, ueſperam atque noctem, humana forma pingebant, Graeci; menſes autem pari modo quidni efformauerint? Etſi uero quos hic proferimus menſes, ii tempore *Conſtantii*, Imperatoris Chriſtiani, (anno fere 354.) depicti fuerint, profanae tamen religionis notae omnes hic comparent. Praeterquam enim, quod illis temporibus plurimi adhuc erant iſtis erroribus addicti: Chriſtiani quoque multa conſeruarunt, ſequentibus etiam ſaeculis, ex iis inuentis, quae profani maiores inuexerant; illaeſa tamen Chriſtiana religione. *Auſonius* certe ſaepius ritu profanorum loquitur, ita ut etiam damnatas illas religiones profiteri 12) multis uideatur. Sunt MSSta ſaeculi 10. & 11, quae *noctis* et crepuſculi ſimiles imagines oſtendunt. Neque tamen credendum, antiquos eadem ſemper forma menſes delineaſſe; cum uideamus eosdem et Tempus et anni Tempeſtates uariis modis pinxiſſe.

§. 11. *Menſium* figurae, quas hic *Tabula III.* ſiſtimus, ex Manuſcripto ueteri Bibliothecae Caeſareae *Lambecius* (13) protraxit, quibus Calendarium antiquum exornatum fuit, quod tamen hic omitti poſſe putauimus. Menſes a Ianuario incipiunt, qui olim undecimus erat, uti Februarius locum duodecimum obtinebat; quod inde palam eſſe uidetur, quod, qui Ianuarium praecedunt menſes, Quintilis, Sextilis, September, October, Nouember et December, nomine ſuo ſatis oſtendunt, non a Ianuario, ſed Martio potius, numerum eorum eſſe ineundum. *Plutarchi* quaeſt Rom. quaeſtio 19. Ceterum notum eſt, primis Romae temporibus decem tantum menſes, in quos annus diuidebatur, numeratos fuiſſe. Tab. III.

§. 12. *Ianuarius* hic imaginem Conſulis oſtendit, ut tempore imperatoris *Conſtantii* ornatus fuit. Veſtimentum obſeruatu digniſſimum eſt: quum ueſtis eius aeui Conſularis uix alibi occurrat. Conſul induitur primo tunica ad mediam usque tibiam defluente, cujus ora infima, ipſaque latiſſima, gemmis decorata apparet. Tunica manicata contra morem ueterum Romanorum fere ad manum usque protenſa eſt; quum illi manicis longe breuioribus uterentur. Ad humerum dextrum obſeruatur latus balteus gemmis 14) ornatus, qui in latus alterum deſcendebat, in ipſa ueſte contextus. Putatur autem ex transuerſo illo balteo amictui illi Romano, qui toga longe breuior erat, trabeae nomen inditum fuiſſe. At balteus ille; ſi ſic appellari poteſt, hic non trabeae, ſed tunicae annexus uidetur. Sed res ueſtiaria ueterum, temporum decurſu multis omnino mutationibus, quarum ſcriptores nusquam mentionem faciunt, obnoxia fuit. Pallium uero, quo tunica hic tecta uidetur, trabea eſſe poterit. Siniſtra hic Conſul tenet florem, trifolio ſimilem: qua quid denotetur, ignorare ingenue fatemur. Thura in focum arae iniicit in honorem Iani atque Larium, ut in tetraſticho *Auſonii* legitur. Ara 15) haec formâ ſingularis eſt, ſpeciem enim

C colu-

12) Addit uero *Montfauc.* ſed ualidiſſimis aliunde ſumtis argumentis chriſtianus fuiſſe probatur: quod examinare aut refellere uerboſius, hic iam non eſt locus. Vid. *Fabricii* bibl. lat. lib. 3. c. 10. nota b.

13. Exſtant in commentar. biblioth. Vindob. lib. 4. appendicis additamento 1. p. 271. ſeqq. unde *Graeuius* tom. 8. theſauri inſeruit; recudi curauit *Fabricius* in menologio, uerſus hos, pag. 111. qui pag. 95. ex *Euſtath.* lib. 4. de Ismeniae amoribus deſcriptiones aliarum imaginum exhibet. Prima tabula, quae hic omiſſa eſt, exhibet dedicationem *Valentino* cuidam factam, et monogramma, quod *Lambecius imperium in oriente* exponit, *Montfaucon* uero, (uaticinationem id dicens) *Valentino Frater*; quod omnino eſt ariolari. Ille, qui *titulaſſe* ſe dicit, forte id uoluit, *anno feliciter oriente*; oriente, clare exſtat, item anno, et F eſt feliciter.

14) Vid. Albert. *Rubenium* de re ueſtiar. lib. 1. c. 22. *Graeuii* theſ. tom. 6. p. 999. Octauius *Ferrarius*, tum alibi, tum lib. 2, c. 6. pag. 707, ibid. Trabea fuit toga, magiſtratuum propria, i. e. conſulis in officio reſerandi templi Iani. *Montfaucon* uidetur ſe ipſum impedire.

15. Tripodum uaria eſt figura. *Lambecius* iam excitauit acta S. Marcelli: Deferatur tripoda (tripus), thurificent maieſtatibus. Poeta *Montfauconio* impoſuit. Menſae certe genus eſt, non arae.

columellae cuiusdam in aedibus nostratium usitatissimae, quam *Gueridon*, siue mensulam imponendis candelabris potissimum destinatam, referre uidetur. Proxime aram gallus 16) est, quo forte indicatur, sacrificium horis matutinis primi Ianuarii diei peractum fuisse. In altero tabellae depictae latere ara alia conspicitur formae consuetae, cui uas magnum, quo liquidum 17) aliquod ad libandum contineri uidetur, impositum est. *Ausonii* tetrasticha, quae in edito *Lambecii* cuiusque mensis tabellae subiunctae leguntur, in editionibus *Ausonii*, quae quidem in manus inciderunt, non comparent 18): *Ausonii* tamen et aetatem et stilum redolent. Ad 19) mensem Ianuarium legimus sequentia,

Hic Iani mensis sacer est: en aspice ut aris
Thura micent, sumant ut pia thura Lares.
Annorum seclique caput, natalis honorum,
Purpureos fastis qui numerat Proceres.

Obseruandum porro, hunc Consulem calceos habere, quorum pars superna excisa non totum pedem, sed dimidium tantum et illius articulos tegit.

§. 13. *Februarius* mensis solus, muliebri forma 20) depictus est. Ornatus capitis non uulgaris est. Tunicata mulier Zona praecincta anatem manibus tenet, quod mensem pluuiis atque imbribus obnoxium esse significat; quod ipsum ex urna inuersa, quae in aere suspensa copiosissimam aquam emittit, colligi quoque potest. Ad latera mulieris hinc ardea, aquatilis auis et palustris, inde piscis apparet; quae omnia id ipsum significant, mensem multis imbribus madidum, qualis hic est, praecipue in Italia, ubi hiems remissior est et breuior, quam in his regionibus; quorsum etiam hoc Ausonii respicit,

At quem caeruleus nodo constringit amictus,
Quique paludicolam prendere gaudet auem;
Daedala quem iactu pluuio circumuenit Iris 21)
Romuleo ritu Februa mensis habet.

Hoc scilicet mense *Februa* siue expiationes fieri solebant, unde Februario nomen haesit. Hoc item mense *Feralia*, siue sacrificia pro defunctis, celebrabantur.

§. 14. *Martium* mensem exhibet uir lupae pelle obtectus et Zona praecinctus. Lupa quippe Marti sacra erat, quod Remum Romulumque, filios eius, lactauerat; id quod sequens *Ausonii* tetrastichon innuere uidetur,

Cinctum pelle lupae promtum est cognoscere mensem,
Mars illi nomen; Mars dedit exuuias.
Tempus Ver, hoedus petulans et garrula hirundo
Indicat et sinus lactis et herba uirens.

Mense enim Martio initium Veris erat.

§. 15. *Aprilis* singularissimus est, si uestem, si gestus, si figuram spectaueris. Vir tunica praecincta indutus, superne globulis attracta, saltantis tripudiantisque speciem prae se fert; manibus instrumenta tractat, quae crotala forte dixeris. Sex fistulas coniunctas, quae Panos Syringa referunt et instrumentum, quod pedibus pulsandum exprimere uidetur, pede premit. Ante Veneris autem statuam, cuius basis lineis geometricam figuram prae se ferentibus instructa est, tripudiat. Venus haec strue quadam myrtea tegitur, cuius rami ex ara exoriri uidentur, atque in suprema parte reducti portae quandam speciem praebent. Ante

16) *Lambec.* symbolum larium et uigilantiae exponit. *Pausanias* lib. 5. gallum soli sacrum dicit.

17) *Lambec.* melius dicit pyxidem thurariam; hic libationi nullus locus.

18) *Lambecius* pag. 297. Eliae *Vineti* editionem operum *Ausonii* 1580. Burdigalae nominat, in qua isti uersus leguntur; et Syntagma epigrammatum et poematiorum ueterum Parisiis 1590. in 12. editum excitat. Adeo non opus erat argumentum a stilo deriuare tantum, sed poterat prouocare ad eruditorum sententiam, *Lambecii* certe et *Graeuii*. Ille pag. 276. et p. 294. *MStum Ausonii* appellat, quo *Vinetus* usus sit. *Fabricius* in menologio pag. 111. dicit . . ex *Ausonio*.

19) Non uero in MSto, sed quia *Lambecius* ipse imaginibus subiecit; qui pag. 276. id clare dicit, imaginibus maioris auctoritatis gratia *adiecti* tetrasticha illa, quibus *Ausonius* easdem ornare ac illustrare dignatus est. Videtur *Fabricius* biblioth. latina pag. 587. id neglexisse: *in uetustissimo calendario romano, imaginibus mensium subiecta sunt*; quod facile alios in errorem induceret. Ergo *Lambecius* primus ista tetrasticha pro commentariis harum imaginum habuit; et sunt, sed non per omnia.

20) *Lambecius* similiter miratur feminam; *Montfauc.* negat se caussam scire. Arbitrer ex *Festo*, *Iunonem februam* in mente fuisse pictori; aut quia in Calendario *Virgo Vesta parentat*, Purgationes olim et feralia ideo mense Februario fiebant, quod esset ultimus mensis.

21) Hic uersus parum quadrat; Iridem nullam uidemus, et mulieris personam poeta non ob oculos habuit, *qui*, *quem*; idem piscem et ardeam negligit.

Ante Venerem candelabrum eſt cum cereo accenſo, in cuius flammam thura coniiciebantur. En *Auſonii* tetraſtichon:

Contectam myrto Venerem ueneratur Aprilis. 22)
Lumen thuris habet, quo nitet alma Ceres.
Cereus a dextra flammas diffundit odoras;
Balſama nec deſunt, queis redolet Paphie.

Romae autem olim *ara uetus erat*, inquit *Plinius* lib. 15, 29. *Veneri Myrteae, quam nunc Murtiam uocant.* Myrtea porro uocabatur, quod myrtus ipſi ſacra fuit.

§. 16. *Maius* admodum lata tunica, quae omnium latiſſimis ornata eſt manicis, indutus conſpicitur. Corbem geſtat profundam, pomis fructibusque plenam; et altera manu florem, quem naribus admouet. Id autem forte ad ludos Florales referatur, qui tertia huius menſis die celebrabantur. Pauo ad pedes eius poſitus cauda ſua alteram menſis Maii quaſi imaginem oſtentat, usque adeo uariis floribus diſtincta eſt, matre depingente naturâ. *Auſonii* tetraſtichon hoc eſt,

Cunctas Veris opes et picta roſaria gemmis
Liniger in calathis, aſpice, Maius habet.
Menſis Atlantigenae dictus cognomine Maiae, 23)
Quem merito multum diligit Vranie.

§. 17. *Iunius* nudus ſolare horologium digito monſtrat, ut ſignificet, menſe illo ſolem iter ſuum flectere. Facem flammas emittentem geſtat, quo aeſtatis ardores indicantur, *) quibus maturitatem fructibus impertiri conſtat. A tergo falcula conſpicitur, ut innuatur, iam omnia ad meſſem apparari. Corbis etiam adeſt, fructibus uernis plena, qui in aeſtuoſis regionibus citius matureſcunt. In uerſibus *Auſonii* pars tantum ſymbolorum explicatur. Sic autem ſeſe habent:

Nudus membra dehinc ſolares reſpicit horas
Iunius, ac Phoebum flectere monſtrat iter.
Idem maturas Cereris deſignat ariſtas;
Floralesque fugas lilia fuſſa docent.

Solare hoc horologium ideo obſeruandum eſt; quod neſcio, 24) an usquam alibi ſimile quodpiam inueniatur in monumentis, quae ſuperſunt.

§. 18. *Iulius* dextra marſupium magnum tenet, ſub quo in quodam ueluti antro effuſa numorum multitudo cernitur. An ut ſignificetur; hoc menſe ſtipendia 25) plurima ſolui ſolitum fuiſſe? Ibidem conſpiciuntur duo caniſtra magna cum operculo pene in conum deſinente. Partem tantum rerum in imagine hac comparentium *Auſonius* ita exprimit,

Ecce coloratos oſtendit Iulius artus,
Crines cui rutilos ſpicea ſerta ligant.
Morus ſanguineos praebet grauidata racemos,
Quae medio cancri ſidere laeta uiret.

§. 19. *Auguſtum* his uerſibus deſcribit *Auſonius*:

22) *Habet*, intelligo Aprilis, quod hoc menſe erant *Cerealia*. Verſus ſecundus uariat in MStiis et editis, *iuris*, *ruris*, *ueris*, pro turis; ſed iſta oculorum uitio uenerunt. Pro Ceres, *Themis*, ſcil. quia *iuris* legerunt; unde uenit denuo, *Thetis*. Cerei flammae odorae, explicantur per *Ouid.* Faſtor. 4. v. 411. Et ſi tura aberunt, *unctas* accendite *taedas*. Parua bonae Cereri, ſint modo caſta, placent. *Montjaucon.* *Lambecium* nude exſcripſit; *accendere* enim ibi, neſcio quo errore, erat. *Balſama*, quibus nuda inuncta Venus. *Veneralia* ipſis kal. aprilis, et ludi cerealici 3 idus; in hoc ipſo calendario ſignantur. Veneris myrtum *Ouid.* Faſtor 4. 139. ſeqq. illuſtrat. Crepitacula et ſyringes ad magnam matrem pertinent; *megaleſiaci* ludi, eius feſtum, 5 idus.

23) Tertium hunc uerſum excitat *Aleander* ad tabulam heliacam, theſ. *Graeuii* tom. 5. p. 740, nomine *ueteris poetae.* Muſa *Vrania* amat hunc menſem merito; haud dubie quia idibus Maii Mercurii natalis.

*) Melius referas ad *Veſtae* feſtum, quod hoc menſe in calendario deſignatur.

24) Poterat tamen *Montjauc.* ex *Lambecii* notis p. 294. ſcire, in his biblioth. Caeſar. commentariis lib. 3. p. 10. exhiberi figuram fere ſimilem talis horologii. Nec forte negligendum eſt, horologium impoſitum eſſe coloſſo, ſeu ſtelae, cuius *coronatio* in diem 6. incidit ex calendario.

25) Arbitrer hominem innuere, profunti iam ſumtus, in tot ludos et dies publicos agendos; ſi quidem hic menſis ex calendario ludis fere peragitur. Aut reſpicitur ad equitum romanorum *probationem et transuectionem* ab aede Honoris ad Capitolium, quam idibus deſignat calendar. Poeta minus exprimit; unde apparet, eum ſimiles, ſed non has, picturas illuſtraſſe.

Fontanos latices et lacida pocula uitro
Cerne, ut demerso torridus ore bibat.
Aeterno regni signatus nomine mensis,
Latona genitam quo perhibent Hecaten.

Nomen regni aeterni Augustus est. Hecaten, Latonae filiam, quod hoc mense natam dicit, Dianam 26) intelligit Latonae filiam, Apollinis sororem. Mensem autem Augustum hic exhibet uir nudus passis crinibus, qui sub mento tenet amplum craterem aqua plenum, mox labra immissurus; largeque hausturus. Coram illo quaedam quasi scopa conspicitur, ex cauda pauonis confecta. Flabellum esse facile crederem ad aestum mitigandum. Humi sparsi sunt pepones tres aquatiles. Ad alterum uero latus uas est magnum utrinque ansatum, cui inscriptae sunt duae litterae Graecae ΞΟ, quae significant *ὀξόβαθον Oxobathon*, perquam minima liquidi mensuram. 27)

§. 20. *September*, uir nudus, qui humero palliolum gestat uentis actum. Dextra tenet lacertam, crure funiculo ligatam atque suspensam, quae sese expedire conatur; quo leuissimo spectaculo illis temporibus delectabantur. Ad pedes utrimque duo dolia 28) uisuntur ad uindemiam parata. Id quod in tetrasticho *Ausonii* ita exprimitur,

Surgentes acinos uarios 29) et praesecat uuas
September, sub quo mitia poma iacent.
Captiuam filo gaudens religasse lacertam,
Quae suspensa manu nobile ludit opus.

§. 21. *October* item nudus est, palio retro uolitante. Dextra leporem tenet, laeuam in canistrum immittit 30) magnum et oblongum uimine textum, formaeque singularis, inter crura positum, cuius operculum fune ligatum humi iacet. Prope uiri caput cernitur fasciculus panno opertus, cui auis insidet. Ad pedes uas fructibus plenum conspicitur. En *Ausonii* tetrastichon:

Dat prensum leporem, cumque ipso palmite foetus
October, pingues dat tibi ruris aues.
Iam bromios spumare lacus et musta sonare
Apparet; uino uas calet ecce nouo.

§. 22. *Nouembris* imago, uirum uestibus amictum, et caluum fingit, qui tabellam rotundam 31) tenet, cui serpens uariis gyris conuolutus insidet. In tabella multa sunt foramina et duo folia, quae sine dubio arcani quid indicant. Altera manu sistrum tenet, instrumentum in Isiacis sacris adhiberi solitum. Vir enim, qui hic Nouembrem exhibet, Sacerdos est Isiacus, nixus ara, cui impositum est caput capreoli, quod animal Isidi immolabatur. Notum est 32) porro, Sacerdotes Aegyptios raso fuisse capite. Serpentem, credibile est, Serapin significare. In altero latere anser conspicitur sacetdotem respiciens. *Ausonius* haec addit:

Carba-

26) Cuius natalem idibus notat Calendarium.

27) Melius scribitur ὀξυβαφον, nec est semper perquam minima mensura, (licet si inter mensuras numeratur, satis parua sit), sed uas qualecunque, quod potum continet; accedit ingenium pictoris. Videtur tamen aliud innui, quam quod uult *Montf.* in tanto aestu minima uasa in maiora esse mutanda. ὀξοβαθον peioribus saeculis inualuit.

28) Vasa dicerem. *Vindemia* nonis notatur in calendario. Lacertam uenenatam, putem, ad *natalem Aesculapii*, respicere, qui quarto idus in calendar. ponitur.

29) *Varias* . . uuas, leg. nam MSto usus non est *Montfauc.* sed a *Lambecio* sumsit, qui ipse *uarias Scaligeri* et *Bucherii* auctoritate praefert; uarios (acinos) est in *Vineti* edit. *Nobile* uers. ultimo, cum *Vinetus* legat, praefert idem *mobile* ab eadem caussa. Hic clarissime patet, MStum Caesar. hos uersus non habere, aliter ad eius lectionem prouocarat *Lambecius*.

30) Manum non tam immittit, quam imponit; corbis iste hodie piscibus paratur, forsitan olim uenationi inseruiit. Auis insidet retium generi, quod perticis longioribus tenditur. Versus postremi ad hanc imaginem non pertinent.

31) Patinam oblongam, orbem, dicerem.

32) *Martial.* 12. epigr. 19. *Linigeri* fugiunt *calui* etc. Ceterum non facile intelligitur uersus iste ultimus; *Montfauc.* negat se scire, et ultra nihil addit. Occasionem pictor desumsit, a sacris Isidis. *Isia* in calendar. inde ab ultimis diebus Octobris etiam calendis Nouembris notantur. In patina non tam *foramina*, quam *folia*, et grana seminum, quae anser *auide* appetit. Varietates editionum hic enumerare et de iis iudicare, locus non patitur. Certum est, uersum corruptum esse, et inde non intelligi. Tentem, *deuotisque fatis, ubera fert humeris.* Sacerdos, ubi semina terrae ex religione mandauit, abundantia certo inde surgit, ut fruges humeros olim onerent; aut, speratam ubertatem, cuius symbolum Serapis & serpens est, humeris fert. Serpens enim humero adhaeret. Alibi plura. De *sistro* uid. *Graeuii* thes. tom. 5. pag. 318. Eiusd. tom. 6. p. 411. 415. *Gronou.* tom. 7. pag. 426. *Sallengrii* thes. uol. 2. siue *Bossii Isiacus*.

Carbaseo surgens post hunc indutus amictu
Mensis, ab antiquis sacra Deamque colit;
A quo uix auidus sistro compescitur anser,
Deuotusque satis ubera fert humeris.

§. 23. *December* perinde fere ueſtitus atque peregrini illi, qui uoti et religionis ergo ad S. Iacobum peregrinantur. Humerale geſtat uarie decoratum, et facem tenet, flammas emittentem. Tunica admodum breuis, zona alte ſuccincta eſt, ne ulterius effluat. Calcei nonniſi partem pedis ſuperne obtegunt. Ante illum menſa poſita eſt rotunda, in qua teſſerae comparent. Haec omnia ad quatuor *Auſonii* uerſus referuntur 33), in quibus dicitur, hiemem ſemina ſub terra fouere, imbres manare, Decembrem aurea feſta reuocare, quando ſeruus cum hero ſuo ludit. Saturnalia quippe d. 17. Decembris celebrabantur; quibus heri cum ſeruis ludebant; et ſeruis ad menſam miniſtrabant; qua re fauſta Saturni tempora in mentem reuocabantur. Aues etiam aliquot pedibus ſuſpenſae, quarum magna copia hoc menſe capi ſolet, cernuntur. Humi iacent poma 34) duo, cor hummanum referentia. *Auſonii* uerſus ſunt,

Annua 35) *ſalcatae coniecta et ſemina terrae*
Paſcit hiems, pluuio de Ioue cuncta madent.
Aurea nunc reuocat Saturni feſta December;
Nunc tibi cum Domino ludere uerna licet.

§. 24. Ad reliquas temporis partes quod attinet, Romani aeque ac aliae gentes rationem dies per hebdomadas computandi ab Aegyptiis mutuati ſunt, atque, uti uidetur, a Saturno hebdomadam inchoarunt; Deûm nempe patrem ordine filios nepoteſque praecedere, iuſtum uidebatur. Supereſt aeneum monumentum, quod ſingulos hebdomadis dies totidem Diis, a quibus nomina ſua acceperunt, in nauicula exhibet; *Tab. II. Fig. 7.* Primum ſcilicet locum tenet *Saturnus*, ſenis uultum praeferens. Proximus illi *Sol* eſt, qui poſtea Apollo habebatur; cuius ſignum eſt, corona radiis ornata. Diem autem hanc Solis, Chriſtiani poſtea in memoriam ſuſcitati Seruatoris noſtri Ieſu Chriſti, quem uerum Iuſtitiae Solem ueneramur, Diem *Dominicam* uocare conſultum iudicarunt. *Lunae* dies, per Dianam, Lunam, exhibetur, quae Lunam creſcentem, ſolitum Dianae documentum, capite geſtat. *Mars* in medio Deorum conſiſtit, quem uix pro Marte haberemus, ſi alibi tali cultu appareret. Eius quippe galeam pileum potius eſſe crederes, cuius ſummitas in contortum acumen deſinit, quod criſtae et iubae locum tenet. *Mercurium* petaſus facile diſtinguit. Sequitur *Iupiter*, et *Venus* agmen claudit. Praeter haſce imagines, quibus ueteres ſingulos dies exprimebant, peculiarem etiam aliam hebebant, qua diem omnem, nulla hebdomadis ratione habita, depingebant; quam uero formam illi adſcripſerint, ignoramus; ſine dubio humanam, et quidem muliebrem, quia uox Ἡμέρα, feminina. 36)

§. 25. Non autem dies modo, ſed etiam partes illius, ſecundum genera nominum perſonae more pictas fuiſſe certum eſt. Sic *Tab. II. Fig. 8. Crepuſculum*, quod Graecis ὄρθρος dictum, pueruli forma effingebatur, facem tenentis, cuius caput adumbratur uelo grandi, ſed in poſteriores capitis partes reiecto. *Tab. II. Fig. 9. Aurora* conſpicitur amplo uelo adumbrata, curruque duobus equis iuncto, uecta. Velum capiti imminens iam in poſteriores capitis partes reductum eſt. *Veſper*, Graecis ἕσπερος, depictus erat uiri forma, expanſo uelo caput adumbrantis, 37) qualem uidemus *Tab. II. Fig. 10.*

§. 26. Sic omnes recenſuimus temporis partes, adhibitis quantum fieri potuit, imaginibus, quibus illae exprimi ſolent. Iam quaerendum ſupereſt, an ueteres horis etiam diurnis nocturniſque figuram aliquam tribuerint. Horae autem diuerſis in regionibus di-

 uerſe

33) Rectius: haec ab *Auſonio* illuſtrantur; Pictor ſecutus eſt argumentum calendarii, et conſuetudinem. *Auſonius* non has omnino, ſed ſimiles menſium imagines illuſtrat: ubi enim pluuia hic? aut ibi aues? ubi ſeminum ueſtigia? Praeter teſſeras comparet etiam fritillum, turricula teſſeris iaciendis adhibita. *Martial.* lib. 11. epigr. 7.

34) Non tam poma, quam fructus alii, fraga aut eius generis; reſpici, putem ad fabulam, aureo Saturni aeuo ſine labore uixiſſe homines. *Ouid.* Metam. 1, 101. ſeqq.

35) *Montfauc.* uitio typographi *aurea.* *Fax*, forte, uim frigoris igne pelli, aut diei breuitatem.

36) Vt dierum praeſides, ita et menſium ſunt, licet cunctis ſimul Iuno praeſit. Ita in uetuſto calendar. inter inſcriptiones, et in *Graeuii* theſauro tom. 5. p. 1039. ordine menſibus a Ianuario inumeratis tribuuntur Iuno. Neptunus. Minerua. Venus. Apollo. Mercurius. Iupiter. Ceres. Vulcanus. Mars Diana. Veſta.

37) Plane eadem imagine Zephyrus ſolet exhiberi, uid. Leonard. *Auguſtinus* 1, 133.

uerſe computabantur 38). Alii quippe ineunte nocte horas numerare incipiebant, et uiginti quatuor horas inde ad initium noctis diei ſequentis computabant; qui mos Romae et in tota ferme Italia hodieque uiget. Alii a media nocte ad meridiem, et a meridie ad mediam noctem, horas metiebantur, quod in Germania, et plerisque Europae regionibus, obſeruatur. Erant quoque, qui horas diurnas a prima luce ad ueſperam, et a ueſpera ad ſummum mane computabant; quae horae, tempeſtatum habita ratione, inaequales erant, hieme ſcilicet breuiores, aeſtate longiores; quae conſuetudo apud Orientales maxime uigebat. Vero autem ſimile eſt, horas quoque diurnas nocturnasque, quocunque tandem accipiantur modo, a ueteribus forma humana fuiſſe confictas; etiamſi nullum eius rei monumentum hucusque deprehenſum fuerit.

CAPVT III.

De Coelo et Tellure, Oceano, Titanibus et Iano.

§. 1.

COELVM Saturni parentem dicunt Mythologi, matrem uero *Tellurem*, quae ſaepius pro Veſta accipitur. Sed et multae aliae Dearum pro Terra uel Tellure habitae, ut Cybele, Iuno, Ceres, Iſis, Diana, Venus.

§. 2. OCEANVS uxorque eius Thetys, 1) aliquando pro ipſo mari accipiuntur, Coeli terraeque, liberi erant. Oceanum monumenta quaedam ſub imagine ſenis, qui undis marinis inſidet, et altera manu haſtam, ſeu contum tenet, cuius ad latus monſtrum marinum Tab. IV. conſpicitur, fingere ſolent; qualis *Tab. IV. Fig. 1.* exhibetur.

§. 3. TITAN quoque Coeli filius perhibetur, mater Veſta ſ. Tellus. Ipſe Titan ſex ſuſcepit filios, totidemque filias, qui omnes a Patre Titanum 2) nomen conſecuti ſunt. Mythologi quidam narrant Titanem, Saturno fratre natu maiorem, quum cerneret, matrem & ſororem erga Saturnum, minorem, amore magis ferri, Saturno primas hac lege conceſſiſſe: ut quoscunque e prole ſua ſuſcepiſſet mares, illos ſtatim ab ortu extingueret, ut tandem coeli imperium maioris fratris proli cederet: Sed quum comperiſſet poſtea, Opem ſiue Rheam, tres Saturni filios, Iouem, Neptunum Plutonemque iſti fato aſtu ſurripuiſſe, eoque pocto filios ſuos a iure ſuccedendi depulſos; bellum, aiunt, opitulantibus filiis Titanibus, mouit aduerſus Saturnum, quem deuictum cum uxore et filiis cepit, uinctosque tenuit; donec adoleſcentiam praetergreſſus Iupiter Titanes profligauit, patremque cum matre et fratribus a uinculis ſoluit. Pluribus hanc fabulam narrat *Diodorus* Siculus, lib. 3.

§. 4. In Titanum numero praecipue hic commemorari merentur Hyperion, Coeus, Iapetus, Mnemoſyne et Themis. *Hyperion* Solis, Lunae aliorumque ſiderum motus et temporum uices, quae ab iis perficiuntur, obſeruandi inſigni induſtria, primus deprehendiſſe, et aliis deinde tradidiſſe creditur; unde et pater eorum uocatur 3). Secundum Homerum Hyperion ipſe Sol eſt, ſecundum alios pater Solis. Ex *Coeo* et Phoebe, Latonam; et ex *Iapeto*, *Prometheum* natos eſſe fabulantur. *Prometheus* ignem Diis ſubreptum hominibus impertiuit. Si ueritatem in fabula quaeras, is eſt, qui inſtrumenta inuenit, quibus ignis eliciatur. *Mnemoſyne* ratiocinandi artem inuenit, ſingulisque rebus nomina impoſuit, quo unumquodque ſignificare et colloqui poſſimus; cuius rei auctorem nonnulli Mercurium faciunt. Huic Deae etiam tribuitur, quod res hominum geſtae, memoria repetantur. *Themin* fabulantur uaticinandi artem, ſacrificia et ritus colendorum Deorum primam inueniſſe et ea oſtendiſſe, quae ad rectam reipublicae conſtitutionem pacemque ſpectarent. Hinc Thesmophylaces et Thesmothetae uocantur ii, qui Deorum ſacris hominumque legibus tuendis ac conſeruandis dant operam. Hinc etiam Apollinem, cum Oracula editurus erat, Themidis munus obrie dicitur, quia Themis oraculorum inuentrix credebatur. 4)

§. 5. *Iapetus* in Theſſalia uir praepotens, moribus inſociabilis, et filiorum magis, quam ſua uirtute ſpectabilis, perhibetur. Is Aſiam Nympham duxit uxorem, et quatuor ex illa filios

38) *Montfauc.* ablegat ad praefationem 4to tomo *Chryſoſtomi* a ſe praefixam. Vid. *Plutarchi* quaeſt. roman. n. 83. *Gellius*, 3, 2. *Macrob.* Saturn 1, 3.

1) *Hyginus* fab. 177. *Heſiodus* theogon. 133. ſeq. *Ouid.* faſtor. 5.

2) *Apollodorus*, 1, 19. 3.

3) *Apollodor.* lib. 1. c. 2. Scholia ad *Pindari* Iſthm. 5. initio.

4) Exſtant haec apud *Diodor. Sic.* I. c. *Heſiod.* Theogon. Phornut. c. 14.

Tab IV.



1. Oceanus undis marinis insidens. 2. Janus bifrons. 3. Janus quadrifrons cum prora navis. 4. Jupiter palliatus cum fulmine. 5. Jupiter ferme nudus cum aquila, utraque manu fulmina vibrans. 6. Jupiter aquilae insidens, et dextra fulmen sinistra vero hastam tenens. 7. Jupiter consuetis symbolis, scilicet aquila, fulmine et hasta sive sceptro munitus, et Sellae insidens. 8. Caput Jovis Hammonis cornutum. 9. Columba capiti arietino insidens, quo Oraculum Jovis Hammonis significatur. 10. Jupiter Fulgurator. 11. Simulacrum Jovis singulare plane apud Brixienses.

filios suscepit, Hesperum Atlantem Epimetheum et Prometheum. Iapetum, ut primum parentem Graeci habebant, ita neminem illo antiquiorem putabant; indeque factum est, ut senes decrepiti, qui delirarent, Iapeti uocarentur. Narrant alii Atlantem, 5) filium Iouis et Clymenes, Mauritaniae Regem fuisse, monitumque ab oraculo, ut sibi caueret a quodam Iouis filio, neminem hospitio excepisse. Persseum uero immanem istam inhumanitatem indignatum, caput ipsi Gorgonis ostendisse, quo conspecto in montem ille mutatus est, qui nomine eius Atlas dictus. Tantae uero altitudinis mons ille erat, ut ad cacumen oculi pertingere non ualerent, utque coelum ipsum sustineret. Atlantidas ille filias suscepit, quas Hyadas et Pleiadas fuisse narrant. Hinc autem fabulam ortam uolunt, quod Atlas primus ista sidera cognouerit.

§. 6. Hyadum Pleiadumque fabulae *Oriomem* una serie connectimus. Orionem, fabula perhibet, omnes, quotquot celebrantur, heroas, proceritate corporis 6) et robore superantem, uenationisque studiosissimum; cumque is uiribus polleret, gloriaeque cupidissimus esset, res maximas perpetrasse. Inter celebriora eius facta decantatur Messanae portus, quem rogatu *Zancli* regis construxit; nomen uero portui *Acte* fuit. Si Hesiodo fides habenda, iactis in mare ingentibus molibus, promontorium Pelori fecit, Neptunoque templum aedificauit, ab insularibus summo in honore habitum.

§. 7 *Epimetheus*, Iapeti filiorum tertius, uir magni ingenii, artis plasticae et statuariae primus auctor fuit. Is autem quum ex limo statuam effecisset: Iupiter indignatus ipsum in simiam mutatum in Insulas relegauit, nomine Pithecusas, i. e. simiarum Insulas. *Prometheus* a *Luciano* Titan 7) uocatus, uti iam diximus, Iapeti et Clymenes filius erat. Hic ex limo terrae hominem formauit, et in tanto opere quatuor elementa miscuit, quae uires et robur ipsi praestarent. Minerua, docet *Lucianus*, flando, huic corpori spiritum animamque indidit. Aliter rem poetae canunt. A Promethei opere, fingunt, admiratione capta Minerua, ex coelesti regione, quicquid ad operis praestantiam conducere posset, ipsi obtulit. Respondit *Prometheus*, e re fore, ut ipse, quae in illa regione essent, oculis dispiceret, deligeretque id, quod maxime homini ab se formato conueniret. Hinc ille, a Minerua confestim in coelum abreptus, uidit, coelestia corpora igne animata esse; ignis itaque partem abstulit atque in terram deportauit. *Promethei* furtum indigne ferens Iupiter, Vulcano praecepit ut e limo feminam efformaret, cui nomen inditum, *Pandorae*. Huic mulieri Iupiter pyxidem infortuniis miseriisque plenam tradit, *Prometheo* dandam, quasi munus humano generi conferendum. Pandora pyxidem *Epimetheo* defert, qui, Pandora in uxorem ducta, pyxidem accipit, ipsamque aperit; hinc miseriae et mala multa in genus humanum effusa. Re animaduersa, *Epimetheus* pyxidem, etsi tardius, occlusit, quum sola spes intus reclusa superesset. Iupiter ingenti in *Prometheum* ira accensus, siue quod ignem suffuratus esset, siue quod hominem, ut dictitant, mulierem efformasset; siue quod, ut alii fabulantur, Mineruae uirgini stuprum inferre conatus esset: cum ad montem Caucasum aligari, uincirique praecepit, ubi perpetuo aquila iecur eius rostro uellicaret et adederet; quia uero noctu iecori tantumdem adcrescebat, quantum interdiu ablatum fuerat: nullus cruciatus finis erat, donec tandem Hercules adueniens, aquilam interfecit.

§. 8. IANI origo prorsus obscura est, ut et aliorum Deorum fere omnium. In Italiam 8) ille ante Saturnum appulit, aduentantemque postea Saturnum benigne excepit. Hic autem non ex illo Deorum numero fuit, quos *Consentes* Romani appellabant, neque etiam ille in duodecim Deorum numero ab *Ennio* positus est, ex quo numero Saturnus quoque exulat; conferantur quae de eo pluribus refert *Macrobius* I. 6. seq. Monumenta, quae frequentius occurrunt, Ianum bifrontem ostendunt, ita, ut iunctis a tergo capitibus, uultus hinc, uultus inde, promineat, et quidem utrumque caput barbatum: qualis exhibetur *Tab. IV. Fig. 2.* Ita autem pingitur, ut *Plutarchus* ait, quia quum Graecus Perrhaebi natus esset in Italiam uenit, inter barbaros sedem posuit, linguamque et uitae genus mutauit; uel quia Italis tunc ferocibus agrestibusque persuasit, ut, mutatis moribus, agriculturae incumberent, et politio-

5) *Ouid.* Metam. 4, 630. seqq. *Apollod.* lib. 3. Scholia *Pindari* Nem. 2. *Cicero* Tuscul. 5, c. 3.

6) *Virgil.* 10. Aeneid. uersus finem.

7) In Prometheo, fine. Vid. eiusdem *Prometheus in uerbis*; *Hesiodi* Theogonia; *Phurnutus*, c. 15. *Fulgent.* lib. 2. c. 10. *Epimetheus* parum laudatur, ἁμαρτίνοος *Hesiodo*, ὀψίνοος *Pindaro*, stultus aliis dictus. *Prometheus* ipse laudat sua inuenta ap. *Aeschylum*. *Cicero* loc. cit. et alii fabulam istam de Caucaso exponunt, quod de coelo diligenter seruarit.

8) Inde *Ianiculum*. *Virgil.* Aeneid. 8, 3, 7.

rem uiuendi rationem paterentur. Alii duplici facie duplicem notitiam, praeteriti ſcilicet et futuri ſignificare autumant. Qui pro Sole ipſum habuerunt, bina capita, orientem et occidentem, denotare putant. Nonnulli duplici ipſum uultu effingi ideo credunt, quod ſuperior aeque atque inferior Ianus eſſet. Nec deſunt, quia arbitrantur, Ianum, qui ſemper annum inciperet, altero uultu uertentem, altero ſequentem reſpicere; quae ſententia prae ceteris plerisque arridet. Sunt etiam, qui credunt alterum caput Ianum, alterum Saturnum, collegam ejus, referre. Quum uero capita quatuor ſimul coniuncta apparent, ut *Tab. IV. Fig.* 3. tunc Ianum, Saturnum, Picum, et Faunum, primos illius ditionis reges intelligi arbitrantur. Alii, ueroſimilius forte, per Ianum quadrifrontem, quatuor anni tempeſtates denotari contendunt 9). Ianus igitur frequentiori uſu biceps conſpicitur, cui nonnumquam prora nauis additur; quod naues et ſcaphas primus excogitaſſe fertur. Coronarum quoque primus inuentor dicitur, nummosque aeneos primus cudiſſe. Hinc factum eſſe nonnulli uolunt, ut in Graeciae, Italiae, et Siciliae ciuitatibus nummi duplici capite inſignirentur, qui in poſtica parte uel coronam, uel ſcapham, uel nauem referunt.

LIBER SECVNDVS.

DE IOVE EIVSQVE FRATRIBVS ET SORORIBVS IVNONE, VESTA, NEPTVNO, PLVTONE ET CERERE.

CAPVT I.

De Ioue.

§. I.

IVPITER Saturni et Rheae filius, ſecundum Mythologos, in hanc lucem commodum editus, haud dubie a patre deuoratus fuiſſet, niſi pro puero lapidem 1) ipſi Rhea obtuliſſet, quem ſtatim deglutiuit. Qua de cauſſa Saturnus tanta in prolem ſaeuitia uſus fuerit, ſupra iam indicatum eſt. Rhea uero, quum Iouem utero adhuc geſtaret, prolis ſeruandae cauſſa in Cretam ſe contulit, et in antro, cui nomen Dicte, enixa, puerum, curetibus atque Nymphis, Adraſtea et Idae, Meliſſarum filiabus, alendum tradidit. Hae itaque Amaltheae lacte puerum nutriebant: Curetes uero in antro armati infantem cuſtodientes, ne uagientis pueri uocem Saturnus audiret, haſtis ſcuta concutiebant. Iupiter adoleſcentiam praetergreſſus Metin, Oceani filiam, ſociam adhibet. Haec Saturno pharmacum bibendum propinauit, cuius iſta uirtus fuit, ut lapidem prius, deinde, quos ante deglutierat, filios euomuerit. Erant porro liberi, Veſta, Ceres, Iuno, Pluto, Neptunus. Iupiter, fratres nactus belli ſocios, aduerſus Saturnum, Patrem, et Titanes, bellum geſſit. Decimo anno poſt ſuſceptum bellum Tellus uictoriam Ioui, ſi in Tartarum deiectos in ſocietatem belli ſibi deligeret, uaticinata eſt. Tum is, Campe cuſtode interfecta illos e uinculis liberauit. Cyclopes autem Ioui dederunt tonitru, fulgur et fulmen; Plutoni galeam; Neptuno tridentem, quibus telis Titanos ſubigunt, atque in Tartarum detruſos Hecatonchiris ſiue Centimanis cuſtodiendos tradunt; quo peracto iidem imperium ita inter ſe diuiſerunt, ut Ioui coelum, Neptuno mare, Plutoni infernus, obtingeret 2). Plures uero a ueteribus numerantur Ioues 3). At *Homerus* et Poetae, qui Iouem pro Deo, et omnium Deorum Patre, habebant, Cretenſem hunc Saturni filium intelligunt, cui uni raptus, adulteria, et plura alia, adſcripſerunt.

§ 2. Innumera fere ſunt, quae auctores tam Eccleſiaſtici, quam profani, de Ioue et rebus eius geſtis referunt; quae ſingula, ſi perſequi uelimus, in nimiam molem opus excreſceret.

9) *Seruius* in *Virgil.* Aen. 7.

1) Βαίτυλος hic lapis dictus; vide *Selden.* de diis Syris: etiam *Abbadir*, gloſſis *Iſidori* et *Priſciano.*

2) Omnia iſta ex *Apollodori* lib. I. c. I. 2.

3) Vid. *Lactant.* lib. I.

ſceret. Quamobrem ea tantum recenſere animus eſt, quae uulgaris fert opinio, quaeque ad plurima monumenta ſpectant. Barbatus Iupiter fere ſemper efformatur, nudus aut ſeminudo corpore; ſymbolum eius fulmen eſt, quod dextra manu tractat, quodue potentiae et maieſtatis, qua Diis hominibusque imperat, indicium eſt. Fulmen hoc duplici ratione in nummis marmoribusque fingitur. Nam aut torrem titionemue refert, utrimque flammam magis minusue emittentem, ita, ut in quibusdam imaginibus flamma ſola conſpiciatur; aut inſtrumentum quodpiam ex utraque parte acutum, et ſagittis ſpiculisue munitum; quam notam legio illa fulminatrix in clypeis ſculptam habebat. Lauro nonnumquam cinctus pingitur. Iouem aliud quoque ſymbolum ſaepius comitari ſolet; aquila ſcilicet ad pedes illius. Eidem capra 4) quoque conſecrata fuit, quia hoc eum animal nutriuerat.

§. 3. *Tab. IV. Fig. 4.* ſeminudus et palliatus exhibetur, dextra fulmen tenens; nudus conſpicitur *Fig. 5.* ubi fulmen utraque manu uibrans, et ad pedes eius aquila apparet. Nonnumquam ipſi aquilae inſidens pingitur, dextra fulmen, ſiniſtra ſceptrum, tenens, ut *Fig. 6.* Idem *Fig. 7.* ſellae inſidet, fulmine et ſceptro munitus, aquila comite. Si porro Iupiter fulmine uibrato Gigantes obruens narratur, ad bellum gigantum, contra Deos ſuſceptum, ſiue Gigantomachiam reſpicitur. Gigantes autem illi ex ſanguine Coeli geniti, quibus pedum loco ſerpentes erant, conſcenſis altiſſimis montibus, ſiue (ut *Homerus* ait,) Oſſa ſupra Olympum, poſito et ſuperiecto in Oſſam Pelio, immanes rupium moles et in coelum et in Deos iaculabantur; quae ſaxa in mare decidebant, in inſulas conuertebantur; quae in terram, montes ſubinde fiebant. Dii igitur immani Gigantum ſpecie perterriti, in Aegyptum aufugiſſe dicuntur, ubi tamen, ut *Lucianus* refert 5), ſe non ſatis tutos putantes, uariorum animalium formas ſuſceperint. Iupiter nimirum in arietem mutatus dicitur, Mercurius in canem, Pan in hircum, alii in ibides, crocodilos et ſimios, et Iuno denique in uaccam. Hinc eſſe, quod Aegyptii Deos animalium forma uenerarentur. Mineruae demum conſilio, Herculisque ope, Diis reſtitutum eſt imperium, Gigantes uero profligati ſunt. In his *Enceladus* 6) ſub Aetna monte iacet, ubi eum aeternis flammis excruciari perhibent Mythologi. Tota quoque Sicilia deuictum Typhonem obruere et operire uix potuit. Gigantes ceteri omnes uariis plagis affecti, multi etiam Iouis fulmine deleti ſunt.

§. 4. Indidem occaſionem quaerunt quidem 7) Iouis denominationi, qua graeca uoce *ἄμμος*, *arena*, *Hammon* dicitur, (quoniam Libya, ubi templum eius fuit, admodum arenoſa eſt). Fingitur autem cum cornibus arietinis, qualem *Fig. 8.* exhibet, quia inter oues et arietes repertus eſt, poſtquam a Gigantibus de coelo deiectus erat, uel quia in arietem ſe ipſe commutauit. *Herodotus* uero, rem ab Aegyptiis edoctus, aliam cauſam interſerit; Iupiter (ita narrat), quum ab Hercule, contueri ipſum cupiente, cerni nollet, tandem exoratus hoc commentus eſt, ut amputato arietis capite pelleque uilloſa, quam illi detraxerat, indutus, ita ſe Herculi oſtenderet; ea cauſſa fuit, cur Aegyptii Iouis ſimulacro caput arietinum impoſuerunt; et hanc conſuetudinem Ammonii ab Aegyptiis acceperunt, qui Aegyptiorum et Aethiopum coloni ſunt. Hinc ſequens imago exorta (*Fig. 9.*): baſi rotundae inſidet caput arietinum, capiti uero columba 8) quod oraculum Iouis Hammonis apte indicat; ſiquidem columba Dodonaea eius reddebat oracula.

§. 5. Quem *Figura 10.* exhibet, Iouem fulmen quaſi uibraturum, ille idem eſſe uidetur, quem ueteres *Fulgeratorem* uocabant, qui in graecis nummis *Ζεὺς καταιβάτης* deſignatur 9). *Figura 11.* ſingulare plane Iouis ſimulacrum ſiſtit, quod Brixiae, Italiae in urbe, conſpicitur, quodque ab aliis eiusdem imaginibus multum differt. Eſt uero uir barbatus ſat prolixae comae, coronam geſtans, cuius radii totidem flammulae eſſe uidentur. Pallio tegitur ſtellis undique conſperſo. Manu dextra gladium tenet, quem ſerpens circumuoluit,

E atque

4) *Αἰξ νυμφη*, *Anton.* Liberalis metam. c. 36. inter ſidera relata. In aquilae forma, Iupiter Ganymeden, deorum pincernam, rapuit. *Apollodor.* lib. 3. c. 11. *Lucian.* dial. Iouis et Ganymedis, et poetae.

5) de Sacrificiis, ad finem. *Apollodor.* lib. 1. c. 6. §. 3. Typhonis metu deos exulaſſe. Ita et *Ouid.* metam. 5, 321. ſeq. De Oſſa, Pelio, *Virgil.* Georg. 1.

6) *Virgil.* Aen. 3. de Typhone id narrat *Apollodor.* loc. cit.

7) Vide interpretes ad *Arati* Phaenom. *Aries*, *Hygini* poet. Aſtron. 2. *aries*, qui paululum abeunt. *Propertius*, 4, eleg. 1. *Curtius* lib. 4. *Plutarch.* de Iſide.

8) *Sil. Italicus* lib. 3. *Herodotus* lib. 2. c. 54. ſeqq. Vide fragmentum *Stephani* de urbibus, tom. 7. theſ. *Gronouii*, ſatis uerboſe illuſtratum.

9) Singulari diſſertat. de eo expoſuit P. *Burmannus*, Traiecti 1700. in 4. uide etiam in theſauro *Sallengrii* uol. 2. *Aſtorii* diſſertat. de monumento, *Deo Brotonti*. Iul. Caeſar. *Bulengeri* de fulminibus, in theſ. *Graeuii* tom. 5. p. 424. ſeq.

atque palmam. Veroſimile eſt, hic *Iouem Vindicem* repraeſentari, qui igni ferroque omnia inuadit hominum ſcelera ulturus. Palma indicare uidetur, uindictam illius nihil effugere, hacque ratione illum ſemper uictorem eſſe. Gladius ſerpente circumplicatus indicat, eum tanta prudentia uindictam ſumere, ut numquam cum ſontibus inſontes quoque corripiat 10).

Tab. V. §. 6. Iupiter ille, qui *Tab. V. Fig. 1.* conſpicitur, iſte Coloſſeus eſt, qui in hortis Verſallianis uiſitur in extremo ſubdiali ambulacro, ad laeuam deſcendentibus ad theatrum, ut uocant, aquarum. Haec ſtatua elegantiſſimam antiquitatem redolet, nec inferior eſt eximiis illis artis ſculptoriae monumentis, quae huiusmodi rerum peritos in admirationem fere rapiunt. Id ipſum uero illi, quod aliis excellentiſſimis ſtatuis ſolet, quae diu neglectae fuere, accidit; quod ſcilicet brachiis mutila compareat. Statua haec olim Veſontione fuit in hortis Cardinalis *Granvellae*, quo illam 1546. Româ deportari iuſſit. Quum autem *Ludouicus* XIV. Rex Galliae, urbem illam expugnauiſſet: ſtatuam ciues primarii regi dono dederunt, qui illam Verſallias uehi iuſſit. Iam olim brachia, inferioresque partes ab umbilico, exciderant; cetera uero nihil detrimenti paſſa erat. Vt porro commodius collocari poſſet, inferius in Hermae formam immutata eſt. Quod negotium Druillio ſculptori (Drouilli) demandatum fuit; qui de ſuo quamdam amictus laciniam addidit, et aquilam ſupra baſin exſculpſit.

§. 7. Hoc loco addi merentur duae gemmae (*Fig. 2. et 3.*) elegantiſſimae formae. In priore Iupiter cum Iunone, Minerua, Apolline et Mercurio, conſpicitur. Religioſo aliquis erga haec numina affectu ductus, hos una Deos exſculpi curauit. Vulgari autem hic modo exhibentur, ſinguli quidem cum ſolitis ſymbolis; Mercurius marſupium habet et caduceum, Minerua noctuam, Iupiter aquilam, Iuno pauonem, Apollo lyram. Quod autem obſeruandum, Iupiter, Iuno et Minerua, haſtam puram tenent, globo ſuperne terminatam. Poſterius ſchema Iouem exhibet in ſella ſimplici ſedentem; manu altera ſceptrum tenet, ſiue baculum globo impoſito, altera pateram offert Hygieiae coram ipſo ſtanti, et ſerpentem tenenti. Hygieiam inter et Iouem aquila apparet, lauream coronam roſtro tenens. Pone Iouem Aeſculapius ſtat, baculo nixus, quem ſerpens amplectitur.

§. 8. Iupiter aliter etiam *Stator* uocatur, cuius templum Romae erat. Sic uocabatur, quia Romanis contra Sabinos pugnantibus, et terga iam uertentibus, ipſe pugnam reſtituiſſe putabatur 11). Dicitur etiam *Feretrius*, a *ferendo*, quia ſpolia ipſi Ioui ferebantur 12); quod tamen alii a *feriendo* deriuant, quod ope illius hoſtes ferirentur; ideoque factum eſt, ut ſi Romanorum dux, hoſtium ducem manu ſua trucidaſſet, ſpolia eius Ioui Feretrio conſecrarit. *Romulus* primus eiusmodi ſpolia opima Ioui obtulit, quum Acronem Ceninenſium ducem interfeciſſet. Idem Romulus templum Ioui Feretrio in monte Capitolino erexit. *Iupiter Olympius* inter eos, qui in Graecia a locis denominationem habebant, celeberrimus erat. Alia Iouis epitheta hic in medium proferre, nihil attinet. De *Veioue* 13) reſtat monendum, quod ille fulmini inſideat, aut fulmen transuerſum habeat; ſic enim Iupiter iratus exprimitur.

CAPVT II.

De Iunone et Veſta.

§. I.

IVNO Saturni et Rheae filia, Iouis ſoror erat, quam Graeci Ἥραν uocant. Samii apud ſe natam fabulantur eumdem uero honorem Argiui quoque ſibi adſcribunt; unde Samia modo, modo Argolica, nominatur; quae nomina inter illa, quae a locis peti ſolent, inſigniora ſunt. Secundum *Homerum* ab Oceano et Thetye educata fuit. Aliorum alia eſt opinio. Iupiter frater illius, poſt adamauit eam, et ſub cuculi 1) forma decepit, uxoremque demum duxit, atque ex illa Vulcanum ſuſcepit (cui alii Martem addunt) et tres filias. Minus

10) Incerta omnino eſſe uidetur explicatio. Cum *ſtellata* ueſte utatur, Deum *Summanum* iratum exhiberi putem, cui *Plinius* et *Feſtus* nocturna fulmina tribuunt. Niſi ſtellae *Olympium* innuant.

11) *Liuius* lib. 1. c. 12. fugamque foedam *ſiſte*, Romulus precatur, et inde monumentum Ioui *Statori* nuncupat.

12) Ita *Liuius* lib. 1. c. 10. alterum ueriuerbium dat Pomp. *Sabinus* in lib. 6. *Aeneid.* et alii.

13) *Gellius* noct. attic. 4, 12. narrat de ſimulacro Veiouis, quem dicit ſagittas tenere, et malum Iouem eſſe, a multis pro Apolline habitum.

1) Scholia *Theocriti* in Syracuſ.

Versallus. 1



2 Gemma



4 Maffei



3 Gemma



in Villa 5 Borghesiana



memoriæ Brixenses. 8



Foucaultius. 6



Boissardus. 7



1. Jupiter Colossæus. 2. Jupiter cum Junone, Minerva Mercurio et Apolline. 3. Idem cum Hygiea et Aesculapio. 4. Juno, Jovis uxor. 5. Juno regina. 6. Juno Lucina, parientium Præses. 7. Juno cum Vesta. 8. Junonis Schema Brixianum plane singulare.

nus autem pacatum fuit hoc coniugium, quod irae et rixae perpetuo inter illos intercedebant. Iupiter enim Iunonem non uerbis modo, ſed etiam uerberibus impetebat. Atque aliquando quidem illi ſuſpenſae ad utrumque pedem incudem alligauit 2). Par pari ut referret Iuno, cum Neptuno et Minerua conſpirauit, ut ipſum uinculis onerarent. Verum Thetis Nereis, ut Ioui periclitanti opem ferret, Briareum Centimanum, formidabilem Gigantem adduxit, cuius conſpectu Iuno ſociique territi a conſilio deſtiterunt 3). Coniugii fidem Iupiter unus omnium maxime uiolauit. Hae cauſſae irarum, hi ſaeui Iunonis dolores in Iouem pariter et concubinas atque ſcorta; inde eſt, quod deinde Numa Pompilius omnes eiusmodi mulierculas a templo Iunonis abeſſe uoluit. Opinio ueterum eſt, Iunonem ueſtimentorum uſum, et corporis ornatum primam inueniſſe 4). Multas alias de Iunone fabellas referunt Mythologi, quae tamen in multis ſibi aduerſantur.

§. 2. Imagines Iunonis ſaepe occurrunt in ſtatuis, quae olim cupreſſinae 5) efficiebantur. Icones non ita facile internoſcuntur. Plerumque ut matrona depingitur, maieſtatis decorisque plena; modo ſceptrum manu geſtans, licet infrequenter; modo uelata; aliquando anteriore capitis ornatu in acumen deſinente. Haſtam 6) eadem tenens fingitur, et aliquando pateram quaſi ad libandum. Haec ſymbola ſeparatim accepta, ad dignoſcendam Iunonem non ſemper ſufficiunt; quandoquidem Veſta quoque cum iisdem ſignis non raro occurrit, ut facile aliam pro alia accipias. Proprium illius ſymbolum pauo eſt, pedibus illius aſſidens; interdum etiam Palladium manu geſtat. Primum, *Tab. V. Fig. 4.* quod offertur, ſchema, eſt ſtatua Iunonis Romanae, ut antiquarii putant: Sequens (*Fig. 5.*) matronae uenerabili ſimilis, coronam geſtat, quod Iunonem reginam indicat. Tertium ſchema (*Fig. 6.*) Iunonem praefert, cuius ornatus capitis in acumen deſinit, haſtamque tenet; *Iuno* autem *Lucina* eſſe deprehenditur, quae in catino 7) puerulum geſtat; parientium mulierum praeſes uulgo credita. Schema aliud (*Fig. 7.*) Iunonem exhibet in ſella ſedentem, quae formae ſingularis eſt. Iuno uelata ſceptrum tenet, ad pedes uero illius pauo 8) conſpicitur; a ſiniſtris illius Veſta uelata facem tenet.

§. 3. Iuno *Lucina*, nonnumquam cum flagello conſpicitur, altera manu ſceptrum tenens. Flagellum enim felicem mulierum partum ſignificat; nam cum Lupercales 9) flagellis inſtructi, ceu furibundi per urbem currerent: praegnantes mulieres ipſis ultro occurrebant, ut flagellorum ictum exciperent, putantes, ictibus hiſce ad feliciorem partum ſeſe praeparari. Iuno *conſeruatrix*, ceruo deſignatur in nummo quodam Saloninae Auguſtae, quia, ex quinque ceruis, quae cornibus aureis, taurisque maiores, erant, quasque Diana in Theſſalia uenatu inſequebatur, quatuor tantum a Dea captae ſunt, curruique ipſius iunctae, quintam uero Iuno ſeruauit: atque hinc Iunonis conſeruatricis ſymbolum cerua fuit. Quod porro Samos inſula Iunonis quaſi patria erat, Samii illam ſingulari honore proſequebantur 10). Iuno monetae quoque praeeſſe putabatur, unde Iuno *Moneta* 11) aliquando dicta. Iuno *ſoſpita*, capite pellem caprae 12): capiti detractam cum cornibus geſtat, dextra haſtam, ſiniſtra clypeum, tenet. *Iuno pronuba*, ut nomen ipſum indicat, nuptiis praeeſt.

§. 4. Spectaculum ſingulare offertur Iunonis ſchema *Brixianum* (*Fig. 8.*), cui ſimile nusquam uiſum. Inſidet illa tumulo foliis coronata; altera manu tenet cor humanum, altera uero ex mammis ſuis lac emulget, ut in coronas duas e floribus et foliis concinnatas defluat. Coronae illae in extremo baculo, qui arcus formam habet, utrimque inſertae ſunt. Lactis ſtillae etiam decidunt in pauonem lateri adſtantem. Atque pauo quidem Iu-

E 2 nonis

2) *Homerus* Iliad. 17, v. 18. ſeqq. *Fulgentii* Mythol. I. Saturnus.

3) *Homer.* Iliad. A. 399. ſeq.

4) *Athanaſ.* I. aduerſ. gentes.

5) *Liuius* 27, 37. de duobus ſimulacris cupr. narrat: ſed inde non omnes, nec unius Iunonis imagines tales erant.

6) Iuno Quiritis. *Quiris* haſta Sabinis. *Plutarchi* quaeſt. rom. 86.

7) Puerulus in *catino* uix perſuadeatur, et quidem *ſtans*; inuolutum alibi, aut manibus tenet. Nec opus erat *incertas* imagines, pro Iunone exhiberi. Veſta palladium ita tenet.

8) auis Iunonia *Ouid.* art. am. 1, 627.

9) *Boxhornii* quaeſt. rom. 36. *Ouid.* Faſt. 2, 445. ſcholiaſtes ad *Iuuenal.* Sat. 2.

10) *Lactantius* lib. I. c. 17. Ioui ibi nupſiſſe credita eſt, non *nata*.

11) *Cic.* diuin. 1, 45. melius a monendo. Ad aedem Iunonis monetae, officina monetae uidetur poſtea acceſſiſſe. *Liuius* ſaepius libros linteos (qui monebant) in Iunonis monetae aede ſeruatos fuiſſe dicit.

12) Eſt eadem ac Lanuuina; *Siſpita*, ut *Silius* lib. 13, 364. Vtraque ſcriptura occurrit; ſed numi et lapides ſaepius *ſiſpitam*; libri, fere ſoſpitam.

nonis documentum uidetur ; nusquam enim pauo aliis numinibus additur. Haec uero omnia allegorice explicanda ſunt, et meris coniecturis nituntur 13).

§. 5. Quemadmodum Iouis, ita et Iunonis Epitheta et agnomina ſunt uaria, alia a locis cultu eius celebrioribus, alia a uariis Deae uirtutibus et honoribus. Sic *Ammonia* dicitur, quia in arenoſis Libyae locis ara illius erat, ut Iouis Ammonii ; *Argiua* item et *Argolica*, ob templum Argolicum ; *Albana*, quia Albae colebatur. *Lacedaemonia*, *Olympica*, *Pelasgia* &c. *Aegophagos*, quod caprae illi mactabantur ; *Aëria*, quoniam pro aëre habita. *Cinxia*, quia Zonam, qua cinctae nouae nuptae erant, ea ſoluere credebatur 14). Triplex denique Iunonis ſtatus putabatur. παρθένος i. e. uirgo ; τελεία h. e. adulta, quo tempore Ioui nupſit ; χήρα uidua, ob perpetuas cum Ioue rixas.

§. 6. Iunoni iungimus VESTAM, tum quod ſoror illius a multis dicta eſt, tum, quia, quae ſuperſunt eius ſchemata, quibusdam Iunonis imaginibus ita ſunt ſimilia, ut ſæpius uix internoſci poſſint. Veterum quidam, quos inter eſt *Euripides*, Veſtam habuerunt pro Tellure 15), Saturni matre. *Dionyſius* item *Halicarnaſſeus* Lib I. Veſtam dicit eſſe Tellurem, ignemque ipſi conſecratum eſſe, quoniam cum terra mediam mundi partem occupet, ignem illa ſupra aëris regionem exſiſtentem fouet ; alii ſororem dicunt Iouis atque Iunonis, ac Saturni Rheaeque filiam. Hanc autem Veſtam eamdem eſſe putabant atque ignem ſiue focum; proprie enim focus in aedibus ἑστία eſt, quod nomen Graeci etiam Veſtae tribuerunt. A uoce graeca ἑστία Veſta latine deriuatur ; alii aliam etymologiam ſequuntur. Ignis in Graecia a uiduis ſeruabatur, Romae a uirginibus. Antiquis temporibus nec Graeci nec Itali aliam Veſtae imaginem, uel aliud ſymbolum habebant, quam ignem, tanta religione ſeruatum. Si uero poſtea eius ſtatuae efformatae ſunt, eae potius Veſtam Tellurem, quam Veſtam ignem exprimebant. Sed ueroſimile eſt, utramque deinceps ſine diſcrimine habitas fuiſſe. *Diodoro Siculo* teſte, Veſta aedes conſtruendi artem inuenit, tantique beneficii gratia in omnibus fere domibus Veſta conſpiciebatur, ubi ſacrificia ipſi offerebantur. Ideoque fortaſſe tot imagines et Veſtae occurrunt, et Veſtalium, quae non ita facile a Veſta diſtinguuntur.

§. 7. In Iunonis tabula ſupra (*Tab. V. Fig.* 7.) uidimus Veſtam matronae ueſtitu dextra facem praeferentem, quo habitu frequenter comparet in uetuſtis ſchematibus. Matrona quaedam a *Brunio* (*le Brun*) celeberrimo pictore Gallo, Romae delineata ueloque magno
Tab. VI. operta, Veſta an Veſtalis ſit, ambigitur, quam *Tab. VI. Fig. I.* exhibemus. Quae (*Fig.* 2.) ſequitur Veſtae Sacerdotem uirginem ſ. Veſtalem refert, quae uas igne plenum, ex quo flammae erumpunt, ambabus tenet. Ignis ipſa Veſta eſt, auctoribus antiquiſſimis omnium ſcriptoribus. Veſta ſeu Veſtalis ſequens *Fig.* 3. monacham hodiernam fere refert ; manu autem dextra acerram tenere uidetur, qua ueteres utebantur in ſacris. Veſta ſeu Veſtalis illa (*Fig.* 4.) quae Verſalliis exſtat, inde agnoſcitur, quod iuxta aram ſtet flammas emittentem.

§. 8. *Tucciae*, uirginis Veſtalis, hiſtoriam (*Figura* 5.) deſignamus. Rem narrat *Plinius* Lib. 28. cap. 2. Pluribus uero *Valerius Maximus* Lib. 8. cap. 2. Inceſti criminis rea acta Tuccia conſcientia integritatis ſuae, ſalutem omnem ancipiti argumento commiſit. Arrepto enim cribro, Veſta, inquit, ſi ſacris tuis, caſtas ſemper admoui manus, effice, ut hoc hauriam e Tiberi aquam, et in aedem tuam perferam. Audacter et temere prouocanti ſacerdoti rerum ipſa natura ceſſit. Hinc turpitudo infamiaque in accuſatores conuerſa. Signum quoque illud Veſtae (*Fig.* 6. *et* 7.) quod in Eminentiſſimi Cardinalis *Gualterii* muſeo Romae conſpicitur, hic locum habere par eſt. Tutulus ille, quo caput eius ornatur, uelum, quo Dea utrinque operitur, baculus ſeu ſceptrum, quod manu tenet, ueſtis illa, quae ſupra tunicam ad femora usque tantum effluit, haec, inquam, omnia ſunt obſeruatione digna. Ex ſingulis Veſtae imaginibus, quas ſupra dedimus, aliquid peculiare in hac obſeruatur. Haec autem in Archetypo, quatuordecim quindecimue pollicibus alta, quia non uulgaris eſt, ſecundum anticam poſticamque partem hic repraeſentatur, ut melius explorari

13) Non tam allegorias ſecutus uidetur ſculptor, quam fabulam, quatenus hiſtoriam imitabatur. Magno conatu nugas agere nolim : ſed occurrit in *Hygini* poet. aſtron. circulus lacteus, quo ablego ; ſi qui uelint. Ad iſtas fabulas auctor monumenti duplicem originem circuli lactei innuerit. 1) a Iunone, cuius indicium pauo. 2) ab *Ope*, quae *lapidem* tenet, et cetero habitu naturam refert. Alii meliora uiderint.

14) Sunt uero multo plura, ſed quae hic congerere, nihil attineat.

15) *Ouid.* Faſtor. 6, v. 267. 285. 299. uide *Lipſii* Syntagma de Veſta et Veſtalibus c. 1. Ezech. *Spanhemii* diatriba de Veſta et prytanibus ; libellus uterque exſtat in *Graeuii* theſauro tom. 5.

Tab. VI.



1. Vesta. 2. Virgo Vestalis s. Vestæ Sacerdos, vas igne plenum tenens. 3. Alia Vestalis, acerram tenens. 4. Vesta vel Vestalis ad aram flammigeram. 5. Tuccia Vestalis, aquam cribro hauriens. 6 et 7. Vesta secundum anticam et posticam faciem expressa. 8. Vesta, altera sceptrum, altera Palladium tenens. 9. Vesta, a corpore pistorum Romæ erecta. 10. Novem ellychniorum lucerna, qua in Vestæ sacris utebantur.



1. Neptunus, Deus maris, cum Delphino et tridente. 2. Idem monstro marino insistens. 3. Idem curru vectus. 4. Idem, inter cuius crura monstrum marinum conspicitur. 5. Idem Nympham rapiens. 6. 7. Idem antrorsum et a dorso, cum duobus equis marinis. 8. Equus marinus in piscem desinens. 9. Triton.

plorari possit. Pes seu basis statuae antiqua est et spectabilis; ideo supposita signo Vestae, uti uidetur, quo commodius potuerit in larario collocari.

§. 9. Notatu dignum etiam illud monumentum est, quo Vesta (*Fig. 8.*) sedens exprimitur, altera manu sceptrum, altera Palladium 16) tenens, s. paruam Palladis statuam, quae olim Troia ablata fuit, et Romae tandem in templo Vestae collocata. Quam *Fig. 9.* exhibemus Vestam, illa tam forma quam symbolis plane singularis est. Erecta et consecrata fuit Romae a societate pistorum, qui huius Deae festum celebrabant V. Idus Iunii, eoque molas floribus coronatas Vestae exhibuerunt. Ad Deae illius latus hic mola exsculpta est, innixa modio, ex quo prominent spicae frumentariae. Sedet autem illa hoc in schemate; uelo caput tectum est; laeua sceptrum tenet, dextra uero pateram, in quam serpens caput immittit ad comedendum, quod symbolum est Hygieiae siue salutis. In sincipite Vestae eminent tres pinnulae murorum, quae nota est Cybeles s. Telluris, pro qua etiam Vesta accipiebatur.

§. 10. Nouem ellychniorum lucernam, quae praeterea duo ellychnia in circulo minore habet, ad Vestam et ad Vestales pertinuisse, fidem facit inscriptio repetita VESTA, VESTA. An haec omnino forma fuerit uasis, in quo sacer ignis seruabatur, quaeri posset: licet nemo satis certo affirmare queat. Mira narrat *Polybius* L. 16. de Vestae statua lassi in ora maritima Asiae posita, quae licet sub dio esset, numquam tamen niuis aut pluuiae experta sit intemperiem. Quod idem de simulacro Dianae Cindiadis refert idem scriptor. Pluribus agetur de Vestalibus infra, ubi de Sacerdotibus, deque Sacerdotum Collegiis, sermo erit.

CAPVT III.

De Neptuno, Nereidibus et Tritonibus.

§. I.

NEPTVNVS, Graecis Ποσειδῶν, filius Saturni et Rheae, fraterque Iouis erat, quem pater statim, ubi editus fuit, deglutiuit, pharmaci autem cuiusdam uirtute postea cum fratribus et sororibus euomuit 1). Alii narrant Rheam, ut Saturnum falleret, Neptunumque seruaret, Saturno dixisse, equinum pullum se enixam esse, quem adeo Saturnus statim deuorauerit: Neptunum uero clam pastoribus educandum tradidisse. Infinita prope Neptuni referuntur gesta, raptus, plurima stupra, eaque temporibus adeo diuersis, ut qui in fabulis ueritatem quaerunt, plures huius nominis 2) uariis fuisse temporibus statuant; quorum tandem omnium res gestae uni numini sint adscripta. Innumerae Neptuni fuerunt amicae; item urbes maritimae bene multae, quae originem suam in Neptunum, et Nympham Nereidemue quamdam retulerunt.

§. 2. Neptunus in monumentis pluribus conspicitur barbatus, et plerumque nudus, tridentem tenens, quod uulgare illius symbolum est, sine quo raro occurrit. Is, quem *Tab. VII. Fig. 1.* primum proferimus, dextra delphinum gestat, sinistra tridentem tenet. Tab. VII.
Non uulgari ratione depingitur Neptunus *Fig. 2.* ubi pedem alterum terra, alterum marino monstro imponit, in cuius os manu dextra palum satis crassum defigit, laeua tridentis acumina in caudam monstri marini immittere uidetur. Idem Deus iunctis equis saepe curru uehitur in undis. Equi hi aliquando forma equorum uulgari sunt, nonnumquam marini, qui caput, collum et pedes anteriores equinos habent, reliquo corpore in piscem desinente, ut *Fig. 8.* Primo modo conspicitur *Fig. 3.* ubi per agitatos fluctus iter sibi parat Neptunus, curru uectus duobus equis iuncto. In extrema currus parte Sphinx cernitur; Cupidines saepe seu equis marinis, seu nauibus insidentes infra uidebimus, sphinges numquam; forte ergo in exigua gemma, ubi figurae sunt minutissimae, Cupido pro sphinge habitus sit? Sed quum uir rei antiquariae peritissimus (*la Chausse*) qui hanc gemmam protulit, pro sphinge habuerit, nec gemmam oculis facile usurpare liceat, fide eius utique standum. Schema sequens (*Fig. 4.*) est ex Museo Illustrissimi Domini *Foucault.* Piscis ille seu marinum monstrum inter crura pedesque uiri barbati, et nudi, cuius a tergo pallium reductum est, Neptunum fere persuadeat.

F §. 3.

16) Vide *Lipsium* l. c. cap. 9. Vestales seruabant palladium.

1) *Apollodor.* 1, 2.

2) Quod idem de Ioue et aliis ualet. De Neptuno uid. Hygin. *Luciani* dialog. mar. et Philopatris.

§. 3. Elegans omnino ſchema eſt, quod *Fig. 5.* ſubiicimus, Neptunum Nymphae raptorem exhibens. Cupido rei auctor et princeps, cui Neptunus tridentem commiſit, marinos equos ducit et agitat, equorum alter delphini caudam ore tenet. Duae aliae Nymphae ad oram maris Neptunum rogant, puellam ut dimittat; ille uero ne auditis quidem precibus cum praeda aufugit. *Fig. 6. et 7.* ſiſtitur Neptunus equis marinis, ſed ritu admodum inſolito uectus. Equi illi marini in undis nantes alati ſunt; Neptunus altero pede caput delphini premit, qui delphinus inter ambos equos caput erigit; altero pede alterius equi dorſum calcat. Inuſitato modo Deus hic ſedere uidetur. Equi ſcilicet duo marini caudas mutuo circumplicant, ita ut columellam quaſi tortilem efficiant; extrema uero cuiusque cauda in uitis folium latum deſinit; hinc ſedes efficitur Neptuno. Manu aliquid olim tenebat, tridentem ſine dubio, qui temporum iniuria periit.

§. 4. Praeter Neptunum alios quoque Deos marinos agnoſcunt Mythologi, e quorum numero *Glaucus.* Hic, auctore 3) *Seruio*, in Virgilii Lib. 1. Georg. piſcator fuit de Anthedone ciuitate, qui cum captos piſces ſuper herbam poſuiſſet in littore, et illi recepto ſpiritu rurſus mare petiiſſent, ſenſit quarumdam herbarum potentiam, quibus conuerſus eſt in numen marinum. Quibus parentibus ortus ſit, non conuenit inter auctores. Ceterum humida candidaque barba, coma ſpiſſa et in humeros usque defluente, repraeſentatur, cuius ſupercilia denſa ſe ita inuicem contingunt, ut unum efficiant; brachia natationi apta, pectora herbis marinis operta, uenter minuitur, reliquum corpus in piſcem deſinit, cauda ad lumbum usque reflexa; et circumuolant ipſum halcyones. Tritonis ergo formam Glaucus habet. *Phorcys* Neptuni et Thooſae 4) Nymphae filius, etiam Deus marinus erat, Corſicae olim et Sardiniae Rex, qui cum in commiſſa cum Atlante nauali pugna periiſſet, ſocii eius in Deum marinum conuerſum illum eſſe fabulati ſunt. *Heſiodus* Ponti Terraeque filium dicit. Narrant etiam illum patrem fuiſſe ſerpentis ſeu draconis, qui Heſperidum poma ſeruabat. *Proteus* ille celeberrimus, cuius nomen in prouerbium tranſiit, Deus quoque marinus erat, quem *Virgilius*, *Homerus* 5) et alii egregie celebrarunt. Is in uarias mutabatur formas. A Menelao captus in leonem primo ſeſe commutauit, hinc in pantheram, porro in aprum et aquam. Menelaus ab Eidothea Protei filia edoctus, uarias ſuſcipientem formas, correptum ſemper tenuit, ab eoque edoctus eſt, quae uolebat. Pluribus haec refert *Homerus*. *Portunus* ſiue *Portumnus* alius Deus marinus a quibusdam etiam pro Neptuno habitus, portubus praeerat; cuius etiam templa Romae erant. Hiſtoriam eius Mythologi ſic referunt. Athamas a Iunone in furorem actus, Learchum filium occidit, et Melicertem alterum filium Inunque, coniugem illius, pariter interfecturus inſequebatur; qui ambo, ut mortem effugerent, in mare ſeſe praecipites dederunt. Melicertes Deus Portunus 6) euaſit, quem Graeci Palaemonem uocant, Ino uero Dea facta eſt Matuta, quam Graeci Leucotheam uocant.

§. 5. *Nereides* Nymphae marinae erant, filiae Nerei et Doridis 7). Nereus uero Deus marinus, Neptuno antiquior, filius erat maris et Terrae. Nereides eius filiae ad quinquaginta usque numerantur, quorum nomina pleraque Marina ſunt 8), et fluctus, undas, tempeſtatem, tranquillum mare, uadoſas oras, inſulas, portus etc. exprimunt. Has Deas Tritonibus aut equis marinis uectas, mareque permeantes, in monumentis frequenter conſpicimus. *Tritones* uero humana forma ſunt usque ad umbilicum, reliquum corporis in piſcem abit. Triton in ſingulari numero accipitur pro Deo marino, Neptuni Amphitritesque filio 9), uocabaturque Neptuni buccina, quod buccina caneret ante Neptunum. Tritones etiam nonnumquam pluraliter accipiuntur, pluresque ſimul in undis repraeſentantur in ueterum monumentis. Hic (*Tab. VII. Fig. 9.*) Tritonem apponimus formae ſingulariſſimae, cuius crura ambo in longam piſcis caudam deſinunt; brachio laeuo pallium geſtat, dextra manu cochleam tenet.

Tab. VIII. §. 6. *Tab. VIII. Fig. 1.* Nereis duobus equis marinis uehitur, quorum habenas tenet. Quum nullius generis currus hic appareat, utrique equo inſidet. *Fig. 2.* itidem Nereidem a Tritone uectam exhibemus, quam alii clypeum, quem laeua tenet, reſpicientes, pro Pallade marina habere malunt. Sed Cupido marinus hic adnatans Venerem fortaſſe marinam indicat;

3) Adde *Palaephat.* de incredibil.
4) *Varro* apud *Seruium* in lib. Aeneid. 5. Latine Phorcus, graece Φορκυς. *Apollodor.* Φορκος.
5) *Odyſſ.* 4, 385. ſeq. *Virgil* Georg. 4.
6) *Cic.* de nat. deor. 2, c. 26. *Ouid.* metam. 4, 541. *Hygin.* fab. 2.
7) *Heſiod.* Theogon.
8) Nominat *Homerus* Iliad. 18. v. 39. ſeq. aliter *Heſiod.* uid. et *Apollod.* 1, c. 2.
9) *Apollodor.* 1, 4. fine, ex *Heſiod.* Buccinam inflat, *Ouid.* Metam. 1. v. 333. ſeq.



1. Nereis equis marinis vecta 2. Nereis a Tritone vecta 3. Amphitrite, Neptuni uxor a Tritone vecta 4. Nereis monstro marino insidens. 5. Nereis hemipiscis. 6 Venus marina. 7. Neptunus a Victoria, palmam tenente coronatus, quod ad victoriam navalem respicit. 8. Dœdalus, alas cereas construens. 9. Icarus Dœdali filius alis cereis aerem dividens.

cat; quod eruditorum examini permittitur. Ita frequentiſſime Nereides forma omnino humana cernuntur, at nonnumquam mediae tantum feminae, dimidiam piſcis formam inferius oſtendentes, quo pertinet illud: *Deſinit in piſcem mulier formoſa ſuperne* 10); qualem conſpicere licet *Fig. 5.* Amphitriten, Neptuni uxorem a Tritone uectam exhibet *Figura 3.* Triton hic omnium, qui alibi uidentur maximus eſt, cuius caudae gyri ſtupendam efferunt longitudinem. Amphitrite tridentem tenet, quo ſigno Neptuni uxor eſſe deprehenditur. Caput eius galea munitur; quod in marinis numinibus nusquam occurit. *Figura 4.* alia Nereis equo marino inſidet, qui freno et habenis regitur. Hic equus ſquammis eſt opertus; Nereis illa flores manu tenet, aquaticos. Schema ſequens *Fig. 6.* aliis Venus marina eſt, aliis ex Nereidibus una. Statua eſt elegantiſſime ſculpta nymphae ſedentis, quae cochlea aquam haurit ex mari. Addimus (*Fig. 7.*) Neptunum a uictoria palmam tenente coronatum, qui in memoriam uictoriae cuiusdam naualis ſculptus fuiſſe uidetur; id certe uerofimillimum uidetur.

§. 7. Quia denique Neptunus occaſionem ſuppeditauit, ut celeberrima illa in fabulis opera Daedalus conſtrueret; hic quoque hiſtoria eius locum habeat. Secundum *Diodorum Siculum* Daedalus Athenienſis erat. Is ingenii ſolertia ceteros omnes ſupergreſſus architecturae operam dedit, ac ſtatuarius ſculptor egregius euaſit, multis etiam ſcite inuentis artes illas amplificauit, et mira paſſim opera edidit. Primus ille ſtatuis uitam actionemque indidit, et totum orbem ad admirationem artis rapuit. Huius inſtitutione uſus ex ſorore nepos, nomine Talos 11), ingenio praeſtans, tantam arti operam dedit, ut tornum etiam inuenerit, multaque alia egregie perfecerit; ut etiam ipſum doctorem antecellere uideretur. Hoc Daedalo inuidiae cauſſa in puerum fuit, quae cum iſtius laude ita creuit, ut eum clam occiderit. Vulgato facinore uitandi ſupplicii cauſſa in Cretam inſulam ad Minoen Regem confugit, ubi cum propter artis gloriam in admiratione eſſet, in Minois etiam amicitiam uenit. Solebat autem Minos taurum, ex armento ſuo omnium pulcherrimum, Neptuno uictimam offerre. Quum aliquando ſolitum huic Deo officium praeſtare uellet: inter armenta deſignatus eſt taurus tam ſpectabili forma, ut Minos eius ſeruandi cupidus, alium inferiorem immolandum proferret. Vnde indignatus Neptunus, Paſiphaen, Minois uxorem in ſeruati tauri inſanum amorem concitauit. Haec itaque cum Daedalo egit, ut machina bouis feminae inſtar conſtructa, libidinem illa expleret. Ita Minotaurum poſtea peperit, monſtrum humana taurinaque conſtans forma; quod ut ſtabularetur, Daedalus iuſſu Minois celeberrimum Labyrinthum conſtruxit. Metu tandem poenae Daedalus, iuuante Paſiphae, aufugit, nauique deportatus in quamdam appulit inſulam, ubi Icarus temere alis utens in mare delapſus interiit, nomenque inſulae marisque tractui dedit. Aliter res ab aliis narratur. Daedalus, tradunt, Paſiphaes ope diu latuit, dum Minos illum ad ſupplicium quaereret, magnasque indicanti opes promitteret. Idem uero ueritus, ne tandem in manus eius incideret, et ſibi et Icaro filio alas cereas concinnauit, quarum ope ambo auolarunt; quum uero Icarus, monitis parentis non obtemperans, altiorem uolatum tentauiſſet, et ſoli propius acceſſiſſet, liquefactis aeſtu alis, in mare delapſus eſt, nomenque ipſi indidit; Daedalus uolatu feliciter in Siciliam peruenit. Daedalum alas cereas parantem exhibet *Fig. 8.* Icarum per aera uolantem *Fig. 9.*

Capvt IV.

De Plutone et Proſerpina.

§ I.

PLVTO Saturni et Opis ſeu Rheae tertius filius, poſt uictoriam a Titanibus reportatam, quum imperium inter tres fratres uictores diuideretur, in ſortem habuit inferos; quod quidam exponunt Hiſpanias 1) adiacentesque regiones. Multis nominibus inſignitur. Graecis

10) *Horatii* ars poet. v. 4.

11) Ταλως, uarie uel ſcribitur, uel corrumpitur hominis nomen, ut et hiſtoria Daedali uaria eſt. Vid. *Diod. Sicul.* edit. *Weſſelingii*; *Tzezes* Chiliad. 1, 19. quarto caſu ſcribit Α'ττᾶλα, ita etiam MStum bonae notae, quod eſt erudtiſſ. noſtro *Nagelio.* Error antiquus fuerit, quia in *Tzeze* metri ratio, demi primam ſyllabam non ſinit. Καλω *Pauſanias. Voſſii* lib. 2. inſtit orator. *Ouid* Metam. 8. poſt initium. Scholiaſtae ad Iliad β. *Apollodor.* lib. 3. initio. *Seruius* in Aen. 6.

1) Vid. *Strabonem.*

cis ᾅδης *Hades* ſiue ἀΐδης *Aides* uocatur; Latinis *Pluto*, *Diſpater* uel *Dieſpiter*, *Infernus Iupiter* 2), perinde ac Proſerpina eius coniux *Iuno inferna* nominatur. Ille etiam *Aidoneus* et *Orcus* nuncupatur. Cyclopes ipſi galeam dono dederant, qua tectus oculis aliorum non percipiebatur. Haec illa celeberrima galea eſt, quam ueteres *orci galeam* 3) dictitabant: quae tamen galea in Plutonis ſchematibus non reperitur. Proſerpinam Cereris filiam in Sicilia rapuit, quum illa flores colligeret, eamque in regnum ſuum ad inferos deportauit. Quum forma ipſe non amabilis, quam duceret, non reperiret, dolo uſus ui rapuit illam, quam uolentem arbitrioque ſuo relictam numquam flectere potuiſſet. Pluto uocatur etiam *Summanus* 4), quae uox, *Macrobio* teſte, ſummum Manium denotat. Manes autem, defunctorum ſunt animae.

Tab. IX. §. 2. Quae (*Tab. IX. Fig. 1.*) prima profertur Plutonis imago, ipſum in ſella ſedentem exhibet, ſceptrumque ſeu haſtam tenentem ſiniſtra, dextra cibum offerentem Cerbero cani infernali. Calathum perinde atque Serapis capite geſtat. Ex Scriptoribus ueteribus enim plures Serapidem Plutonemque pro eodem numine habuerunt 5) ſequens imago (*Fig. 2.*) egregia, Plutonem in ſolio regio prodit, Proſerpina a ſiniſtra ſedente; Mercurium porro, caduceo petaſoque alato inſtructum, offerentemque ipſi iuuenculae animam. Hoc enim erat quotidianum Mercurii officium. Matrona a tergo puellae, mater illius eſſe putatur. Eumdem Plutonem cum Proſerpina ſellae infidentem ſiſtit *Fig.* 3. Proſerpina uelo obtecta eſt, ut ipſum uultum abſcondat. *Cerberus* ſub throno.

§. 3. Raptus Proſerpinae *Fig.* 4. repraeſentatur. Pluto in quadrigis comprehenſam illam reluctantemque deportat. Ipſe ſceptrum laeua tenet; dextra raptam, quadrigarumque habenas Cupidini, facinoris auctori, relinquit. Enceladus Aetnae monti a Diis ſubiectus, nouum onus aegre ſuſtinet, utqote iam feſſus onere Siciliae totius; ungulae equorum coſtas eius calcant; rotae membra ſulcant, ſeſe mouere tentat, inquit *Claudianus* (de raptu Proſerpinae), ſerpenteſque immittit, qui rotas impediant. Hinc ſerpens ſub pedibus equorum quid ſibi uelit, intelligitur.

CAPVT V.

De Cerere, Triptolemo et Ariſtaeo.

§. 1.

CERES filia, quod iam diximus Saturni et Rheae, agriculturae inuentrix, ac meſſium fructuumque Dea habebatur. Nomen eius apud Graecos eſt Δημήτηρ; Etymologici primam mutantes 1) ſyllabam, ac γῆς μήτηρ legentes, nomen eius *Terrae Matrem* ſignificare perhibent. *Sito* eadem, ſeu *Dea frumenti* appellabatur 2). Ex fratre Ioue filiam peperit Proſerpinam, de qua paullo ante plura diximus. Fabulantur quidam 3), Cererem ex concubitu Neptuni, fratris, filiam peperiſſe, cuius nomen ſoli myſteriis eius initiati ſcirent, eodemque partu equum; indeque eſſe uidetur, quod oraculum ipſam ἱππολεχῆ ſiue *equi concubinam* appellet.

§. 2. Quum raptus Proſerpinae et ea, quae raptum conſecuta ſunt, maiorem hiſtoriarum Cereris partem conſtituant, frequentius haec depingitur uel in bigis anguium alitum, facem tenens, ut filiam adeo in remotiſſimis obſcuriſſimisque locis perquirat, uel cum face aut facibus tantum, ſine curru 4). Aliud illius ſymbolum frequens ſpicae ſunt, quibus aut coronatur, aut manum plenam oſtentat. Aliquando etiam papauera 5) ſpicis admixta manibus

2) Iupiter ſtygius, *Virgil.* Aen. 4. *Dispater*, *Cic.* 2. nat. deor. c. 26. Αιδωνευς, poetae graeci.

3) Αιδος ſeu πλυτωνος κυνεη, *Homer.* Iliad. 5, v. 845. *Apollodor.* 1. et 3. uid. *Heſychii* edit. haec Cel. *Alberti*.

4) Nominat *Cicero* de diuin. 1, c. 10. *Martian. Capella* lib. 2. Philol. *Ouid.* 6. faſt. v. 733, *quisquis is eſt*, *Summano*; ignorare ſe dicit; unde et *Auguſtinus* irridet romanos, de ciuit. Dei lib. 4. c. 23.

5) Vide *Plutarchi* de Iſide libellum. *Euſebii* Euang. praepar. l. 4, c. 12.

1) Non poſſunt dici *mutare*, quod linguae antiqua ratio fuit. Memini legere, ὦ δα, o terra.

2) *Aelian.* uar. hiſtor. lib. 1, c. 27. uid. ibi notas doctorum uirorum.

3) *Pauſanias* in arcadicis. ἱππολεχης, transferendum, quae equinum pullum (cum infante) enixa eſt.

4) *Apollodor.* 1, 5. Scholiaſtes in *Euripid.* Oreſt. v. 962. *Cicero* Verrina ſexta, locum deſcribit, unde rapta. *Euſeb* Praepar. Euangel. lib. 3.

5) Papauer fertilitatis non ineptum eſt ſymbolum. Mythicam hiſtoriam papaueris illuſtrat Mich. Frid.



1. Pluto Cerbero cibum offerens. 2. Pluto cum Proserpina, cui Mercurius animam puellæ offerre videtur. 3. Pluto cum Proserpina et Cerbero. 4. Raptus Proserpinæ. 5. Ceres cum uva. 6. Eadem spicis coronata ad alveare. 7. Eadem cum spicis et papavere. 8. Eadem globo cœlesti insidens. 9. Eadem utraq; spicas et papavera tenens. 10. Eadem spicis coronata, et dextra sceptrum, sinistra papavera tenens. 11. Eadem, galerum capite gestans.



1. Ceres cum pallio fimbriato. 2. Eadem cultu matronæ. 3. Eadem spicis coronata 4. Eadem cum poculo et manipulo spicarum. 5. Eadem coronata 6 Eadem cum cornu copiæ. 7. Eadem orbem terræ in gremio tenens. 8. et 9. Eadem cum face. 10. et 11. Canephora adversa et aversa. 12. et 13. Triptolemus.

manibus tenet Ceres; quia papaueribus pro cibo uſa eſt, quum fame premeretur, ſiue, quia adhibuit ea ad leuandum de rapta filia dolorem.

§. 3. Quae prima (*Tab. IX. Fig. 5.*) profertur imago, Cererem (*in uilla Iulii 3.*) exhibet dextra uuam uitisque folia tenentem, ſiniſtra ſpicas. In ſequenti (*Boiſſardi*) ſchemate (*Fig. 6*) ſpicis coronata eſt, manuque dextra ſpicas et papauera tenet, innixa alueari uimine texto. His ſubiacet aliud ſchema (*Fig. 7.* ubi Ceres ſiniſtra haſtam, dextra ſpicas tenet atque papauer. Globo inſidens coeleſti in alia (*Maffei*) imagine (*Fig. 8.*) dextra ſpicas, ſiniſtra cornu copiae, abundantiae documentum, tenet. Globo coeleſti ſubindicari uidetur, ex coelo 6) foecunditatem uenire. Iam quaedam proferimus ſchemata a *Brunio*, celeberrimo pictore, dum Romae uerſaretur, ad fidem ſtatuarum ueterum accuratiſſime delineata. Prima (*Fig. 9.*) ſpicas pro more atque papauera tenet. Secunda (*Fig. 10.*) ſpicis coronatur, aliisque ornamentis decoratur. Tertia (*Fig. 11.*) galerum ſingularem capite geſtat, alteraque manu diſcum ſeu pateram tenet, altera uero papauera. Quarta (*Tab. X. Fig. 1.*) fimbriato pallio ſuper tunicam operta ambabus manibus ſpicas tenet. Tab. X.

§. 4. *Fig. 2.* (Verſaliis, tres hae quae ſequuntur), cultu et ueſtitu matronae ſiſtitur. Sub uelo aliud uiſitur capitis ornamentum a uulgaribus non recedens ornatibus. Altera manu tenet papauer et ſpicas; altera digito commonſtrat. Hanc (*Fig. 3.*) alia Ceres ſequitur ſpicis coronata, et ſpicas habens. Ceres etiam creditur mulier illa nuda (*Fig. 4.*) ſpicis coronata, quae ſiniſtra manipulum ſpicarum, dextra poculum tenet; niſi forte Nympha eſt ex coetu Bacchi et Cereris. *Fig. 5.* Ceres exhibetur coronata, dextra ſceptrum tenens; quae ſequitur (*Fig. 6.*) ſimiliter pro Cerere habetur, altera manu cornu copiae, altera papauera, ſigna ipſi ſollemnia, tenens. Mulier nuda, quae (*Fig. 7.*) orbem terrae in gremio tenet, paſſis longiſſimis capillis et in circuitum defluentibus, pro naturae potius imagine, quam Cerere, habeatur. Lac enim mulget in orbem terrae, ſtillis lacteis guttatim defluentibus; id quod naturam matrem, orbem totum alentem, fructusque in alimentum hominum pecudumque ubertim emittentem, ſignificat. Caput eius ceu magna ſtella corona cingitur, radiorumque gyro circumdatur. Ad dextram eius genius eſt, uel Cupido, qui in genu Cereris brachium immittit. Lauri ramum dextra tenet, eiusque capiti impoſitus ſol radios emittit. Quid haec denotent, non ſatis certum eſt. Poſterioris aeui inuentum eſſe uidetur. Quae ſequuntur duo ſchemata (*Fig. 8. et 9.*) Cererem cum face repraeſentant; qua forma tum praecipue exhibetur, ſi Proſerpinam quaerit; pro una face nonnumquam duas geſtat. Si porca illi additur, eo reſpicitur, quod in ludis Cerealibus porca mactari ſolebat.

§. 5. *Canephorae* 7), quas Cereri iure ſuo hic iungimus, uirgines erant, quae Cereri conſecratae caniſtra fructibus onuſta capite geſtabant. Harum unam *Fig. 10. et 11.* ab utraque parte, aduerſa ſcilicet et auerſa (ex muſeo Sangerm.) ſiſtimus. *Triptolemi* imaginem *Fig. 12. et 13.* exhibemus. Priori ſchemate ſpicis coronatus eſt, dextra catinum fructibus plenum, ſiniſtra uero papauera aliosque fructus tenens. Poſteriori, ſeminudo corpore eſt, lauroque coronatus, altera manu papauer, altera inſtrumentum quoddam ignotum geſtat. Vt autem innoteſcat, quisnam hic Triptolemus fuerit, haec per compendium tradimus 8). Ceres Proſerpinae filiae raptum aegre ferens, quod maxime res Deorum conſenſu peracta fuiſſet, in animum induxit, humana forma pererrando uitam mortalem ducere. Vagando autem ad portam Eleuſinis peruenit, in petraque conſedit. *Celeus*, Eleuſiniorum Rex, perhumaniter illam hoſpitio excepit. Huius filius *Triptolemus* adhuc tenellus inſomni morbo laborabat, inque extremum uitae periculum deductus erat. Puerum Ceres ueniens exoſculatur, unoque oſculo ad incolumitatem reuocat; nec ſatis habens curauiſſe morbum, etiam educandum ſuſcepit, atque eum immortalitate donare in propoſito habuit. Hoc conſilio interdiu puerum lacte diuino alebat, noctu uero ſub ardentibus carbonibus collocat, ut quicquid mortale inerat, abſumeretur. Puer ualetudine florens in dies creſcebat, idque ſingulari modo, ita, ut parentes eius, quid filio fieret, explorare decernerent. Mater Triptolemi

Meta-

Frid. *Lochner* in μηκωνοπαιγνιον, Noriberg. 1713. 4. Verboſe omnia fingit *Ouid.* Faſtor. 4, 445. ſeqq. Papauer *Phornutus* de nat. deor. terrae imaginem facit.

6) Niſi eo reſpiciat, quod in numero deorum conſentium eſt; aut quod *orbem* terrarum peragraſſe dicebatur, et nutrire.

7) Duas aeneas Caneph. imagines deſcribit *Cicero* Verrina 4ta.

8) Excerpta ſunt ex diſſertatione *Bozii*, Secretarii academiae litterariae Regiae, qua ſarcophagum e graecia aduectum, in illuſtriſſ. *Foucault* muſeo, illuſtrauit. Quae a Cerere Triptolemo facta narrantur, Iſidi *Plutarchus* paucis mutatis tribuit, in libro de Iſide.

Metanira, puerum a Cerere in ignem coniici uidens, clamorem ciet. Clamore interpellata Ceres a coepto destitit, quae esset declarauit, Triptolemo currum dedit, duobus draconibus iunctum, eumque in orbem terrae misit, agriculturam instituturum, ad eamque rem frumentum ipsi tradidit. Eleusinii, qui primi hoc beneficio ornati sunt, in rei memoriam diem festum instituerunt; cuius ritum cerimoniasque ipsa Ceres ordinauit 9), quatuorque conspicuos in urbe uiros delegit, qui sollemnitati huic praeessent. Haec autem Cereris mysteria euulgare licitum non erat. Inter crimina quippe Alcibiadi oblata, quorum causa patria eiectus est, hoc ferebatur, quod arcana initiorum Cereris reuelasset, quae profundo silentio tegi conuenisset. Quanta religione erga haec mysteria *Augustus* duceretur, inde manifestum fuit, quod quum, *Suetonio* teste, Romae pro tribunali de priuilegiis Sacerdotum Atticae Cereris cognosceret, et quaedam secretiora proponerentur, dimisso concilio et corona circumstantium, solus audiuit disceptantes. Athenis capitis poena indicta erat iis, qui festis mysteriorum diebus in templum Cereris non initiati ingrederentur.

§. 6. ARISTAEVS quoque inter illos numeratur, qui agriculturam uel inuenisse, uel diligenter adiuuisse feruntur. Filius erat Apollinis 10) et Cyrenes, educatus a Nymphis 11), triplici ab iisdem nomine *Nomius*, *Aristaeus* atque *Agreus* uocatus. Ab iisdem ille artes edidicit lactis coagulandi, aluearia parandi conficiendo melli, oleasque colendi; quibus et diuinos promeruit honores. Vxorem duxit Autonoen 12), Cadmi filiam, ex qua suscepit Actaeonem illum, qui postea a suis canibus dilaniatus est, ut infra narrabitur, et ex schemate ueteri exprimetur. Aristaeus comperto Actaeonis filii interitu, in insulam Co se recepit, ubi et genus propagauit. Hinc in Sardiniam transiuit, quam insulam primus excoluit, terramque adhuc incultam, euulsis spinis tribulisque, arauit. Porro in Siciliam transfretauit, quam similiter donis atque inuentis suis exornauit. Hic postea tamquam Deus cultus honoratusque fuit, ab iis maxime, qui oliuas colligere solebant. Demum in Thraciam concessit, ubi Bacchus eum Orgiorum socium adsciuit, multaque ad humanam uitam opportuna eum docuit. Inde in Haemo monte sedes posuit, et ibi derepente aliquando euanuit, alio transportatus. Eius statua Syracusis erat in templo Bacchi, et is a nonnullis, *Cicerone* teste (Verrina 4ta), Bacchi filius dicebatur.

LIBER TERTIVS.

DE IOVIS FILIIS ET FILIABVS, VVLCANO, APOLLINE ET MVSIS, SOLE, MARTE, MERCVRIO, MINERVA SEV PALLADE, MEDVSA, PALLADIO ET PERSEO, DIANA, VENERE, GRATIIS ET CVPIDINE, ATQVE PSYCHE.

CAPVT I.

De Vulcano.

§. 1.

Secundam Deorum generationem, iam Iouis filii filiaeque excipiunt, qui plerique inter maiorum gentium Deos referuntur. Primum sese offert VVLCANVS, Iouis Iunonisque filius, licet non pauci ueterum perhibeant, illum ex Iunone sola 1), nulla uiri opera

9) Atque id exprimit marmoreum illud (8) monumentum. De *Festo* uide *Meursii*, *Eleusinia*, thesaur. *Gronouii* tom. 7. pag. 118. seqq. Ioh. *Fasuldum* de festis graecor. *ibidem*, p. 546. seq. P. *Castellanum* ibid. p. 652. seqq. *Ionstonum de festis Cereris* ibid. p. 890. seq.

10) *Hygin.* fab. 161. *Arati* phaenom. *aquario*.

11) Scholiastes Theocriti.

12) *Apollodor.* lib. 3, c. 4. *Pausanias* phocicis; plura in *Cluueri* Sardinia antiqua; thesaur. *Graeuio-Burmann.* uol. 15. Ioh. Franciscus *Fara*, ibidem pag. 3. 4. Saluator *Vitalis*, ibid. p. 63. seqq.

8) *Lucian.* de Sacrific. adde varias expositiones ap. *Eustathium* tom. 1. p. 114. edit. *Basil.* et cl. *Iablonskii* pantheon aegypt. parte 1. p. 29. seqq.



1. Vulcanus cum malleo et forcipe. 2. Idem, cui instrumenta decidisse videntur. 3. Idem cassidem fabricans. 4. Idem solio insidens. 5. Pan Apollinem Syringem docens. 6. Apollo sinistra trunco innitens. 7. Idem capiti manum imponens. 8. Idem cum arcu et lyra ad columnam. 9. Idem cum arcu trunco innitens. 10. Idem cum corvo illi sacro. 11. Idem cum tripode et lyra.

ra natum esse. Vulcanos plures agnoscit *Cicero* 2): primum Coeli filium, secundum Nili, tertium Iouis & Iunonis, quartum Menalii. Atque ista uarietas et multitudo, ad plerosque Deos Deasque pertinet Ex coelo ab Ioue praecipitatus in Lemnum insulam decidit; sed a Lemniis in aere exceptus, crure tantum fracto, claudus mansit 3). Graece uocatur Ἥφαιστος, Deusque fabrorum est, faber et ipse. *Mulciber* seu *Mulcifer*, uocatur, quod ferrum 4) igne mulceret ad cudendum. Per metonymiam ignis aliquando Vulcanus appellatur. Monumenta ueterum illum plerumque fere eadem ratione referunt; barbatum passis capillis, seminudum, ueste ne ad genua quidem usque defluente, galerum, seu pileum in capite rotundum, ac pene in acumen desinentem; dextra malleum tenet, sinistra forcipem.

§. 2. Licet mythologi ad unum omnes Vulcanum claudum esse dicant, tamen quae adhuc uidere licuit, schemata, talem non exhibent. Veteres sculptores pictoresque corporis hoc uitium aut non expresserunt, aut ita certe, ut uix percipi potuerit. Duo priora, quae (*Tab. XI. Fig. 1. et 2.*) proferimus, Vulcani schemata, similia prorsus sunt, nisi quod Tab. XI. alteri arma s. instrumenta exciderint. Sedens conspicitur *Fig. 3.* cassidemque tenens uel Achillis, ut in *Homero* 5) describitur, uel Aeneae, ut in *Virgilio* 6). Eximium ceterisque praestantius Vulcani monumentum ex *Boissardi* manuscripto codice (*Fig. 4.*) mutuamur. Sedet Vulcanus oblongo pallio tectus, ita ut pectus tantum conspiciatur nudum. Manum alteram, cui insidet solio, imponit. altera uero temporis iniquitate periit, qua uel forcipes, uel malleum tenuisse, admodum est uerosimile. Ex ista parte incudes duae magnae positae sunt, ex hac follis; praecipua officinae illius ferrariae instrumenta. Sine pileo hic apparet, quum in aliis monumentis pileo tectus exhibeatur. Forte, quia Dei numen ad quod publicum monumentum spectat, opificis istum habitum non pati uidebatur.

§. 3. In gestis Vulcani praecipue refertur adulterium Martis et Veneris, artificio illius detectum 7). Nam ubi Vulcanus comperit Martem cum Venere uxore sua rem habere, occultos laqueos et uincula parauit, et captos ita adulteros deorum oculis subiecit. Ceterum Vulcanus Deus ignis, in puluinari ponebatur cum Vesta pariter ignis Dea, quod *Liuius* testatur Decad. 3. l. 2. ut Iupiter cum Iunone, Neptunus cum Minerua, Mars cum Venere, Apollo cum Diana, Mercurius cum Cerere. Vulgus existimabat montes illos uoraginesque, qui ignem euomunt, ut mons Aetna in Sicilia, et Hiera insula, esse officinas Vulcani 8); quam opinionem sagaciores ridebant.

CAPVT II.

De Apolline.

§. 1.

Nullius numinis cultus celebrior erat apud Veteres, quam Apollinis. Permultae illius statuae ubiuis occurrebant, in quibus mira uarietas obseruabatur. Erat autem filius Iouis & Latonae, quae gemellos peperit, Dianam scilicet atque Apollinem. Cicero 1) quatuor eiusdem nominis commemorat; primum et antiquissimum Vulcani filium, qui custos Athenarum uocatus est; secundum Corybantis filium in Creta natum; tertium Iouis & Latonae filium, et quartum in Arcadia genitum, quem Nomion Arcades uocabant. *Clemens Alexandrinus* sex numerat Apollines; primum Vulcani & Mineruae filium; secundum Cretensem Corybantis filium; tertium Iouis; quartum Arcadem Sileni, *Nomion*; quintum Libyen, filium Ammonis; sextum filium Magnetis. Ille autem Apollo, qui a Poetis et in monumentis Veterum celebratur, Iouis et Latonae filius est. Quatuor praesertim rerum inuentor et auctor habetur, citharae lyraeque, medicinae, usus sagittarum et arcus, atque Oraculorum 2).

§. 2. Vt iuuenis formosus uulgo depingitur, saepiusque addito aliquo, uel pluribus, symbolo, artium paullo ante commemoratarum; nullum enim istorum symbolorum est, quod

2) de nat. deor. 3, 22.
3) *Homer.* Ilias 1. v. 590. *Lucian.* Sacrific.
4) ita fere *Festus*; atque antiquiores similiter aberrasse credibile est: sic *Varro Vulcanum* lusit, a violentia ignis. Sed, vt cele*ber*, salu*ber*, ita mulci*ber*, sine *ferro*.
5) Iliad. 18, fine.
6) Aeneid. 8. paullo ante finem.
7) *Homer.* Odyss. θ. v. 296. seqq.
8) *Virgil.* aeneid. 8.
1) de natur, deor. lib. 3, c. 23. adde *Eustathii* expos. tom. 1. p. 17.
2) uid. *Hier. Aleandri* tabulae heliacae exposit. in thes. *Graeuii* tom. 5. p. 728. seq.

non in aliquo ipſius monumento reperiatur. Saepe cum lyra uel cithara conſpicitur, utpote pater illorum, qui his operam dant; nonnumquam cum ſerpente, ut medicinae auctor, cuius ſerpens nota eſt; aut cum arcu et pharetra, tamquam pater eorum, qui arcu iaculantur; uel propter tripodem, in quo oracula emittebat; aut demum cum Muſis; utpote totius coetus earum dux atque princeps. In omnibus, quae adhuc uidimus monumentis imberbis eſt, quod ipſi cum Baccho commune erat. Vt tamen Bacchus aliquando barbatus occurrit, ſic et Apollo quibusdam in regionibus barbatus erat; teſte *Luciano* de Dea Syria.

§. 3. Quod primum *Tab. XI. Fig. 5.* proferimus ſchema, exhibet, ut uulgo creditur, Deum Pana, qui Apollinem adoleſcentem ad ſyringis, ſeu paſtoritiae tibiae, multis ex fiſtulis compactae, uſum inſtituit. *Apollodoro* 3) teſte, Pan Apollinis doctor fuit, diuinationemque ipſum docuit. Et licet nulla hic fiſtula exſtet, hinc tamen recte coniicitur, quod ipſum etiam fiſtulae 4) uſum docuerit, quia ipſe Pan huius inſtrumenti inuentor, tantum autem in hac arte Apollo profeciſſe perhibetur, ut cum Marſya decertauerit. Alius ille Apollo (*Fig. 6.*) ex Vaticanis aedibus, elegantiſſimo artificio, ſeminudus eſt, licet pallium humero geſtet; brachium dextrum extendit, quo, uti uidetur, arcum tenuit; ſed manus iniuria temporum excidit, quae iam noua addita eſt. Siniſtra manu arboris trunco innititur, cui ſerpens, medicinae ſymbolum inhaeret. Iſte Apollo (*Fig. 7.*) capiti manum imponens, eſt Eminentiſſimi Cardinalis Ottoboni; crus ſiniſtrum, quod deerat, et quaedam alia minuſcula ornamenta, a manu recenti ſunt. Lauro coronatus Apollo ſchemate ſequenti (*Fig. 8*) columna innititur. Arcum ille manu tenet, lyra uero ad pedes iacet; coronam, ut uidetur, geſtat, quia arcus et lyrae peritia omnes ſuperabat. Qui ſequentem figuram edidit uir rei antiquariae peritus, exiſtimat iuuenem hunc (*Fig. 9.*) trunco innixum, et ſiniſtra arcum tenentem ab altera parte in terra poſitum, ueroſimiliter Apollinem dici poſſe; ſed Meleagrum etiam Adonidemque poſſe referre. Apollo alius (*Fig. 10.*) columnæ, uti uidetur, innixus, ſiniſtra lyram tenet, et coruum reſpicit, arboris trunco inſidentem; qui coruus Apollini ſacratus erat, quemadmodum et cygnus 5), et accipiter. Sequens Apollinis imago (*Fig. 11*) duo eius ſymbola praefert, lyram nempe et tripodem; lauri folia tripodi circumdata eo reſpiciunt, quod laurus Apollini ſacra fuit.

Tab.XII. §. 4. Apollo lyram tenens prope cippum quadratum, (*Tab. XII. Fig. 1.*) ſpectabilis tantum eſt ab inſcriptione, quam hic reponimus. In cippo nempe haec uerba leguntur: EX PRAECEPTO I. O. M. D. (*id eſt Iouis Optimi Maximi dedicatum*) PER ACACIVM NOTARIVM ET OLYMPIVM PATREM. In baſi autem ANTONII MARIANI PATER ET FILIVS SIMVLACRVM APOLLINIS STATVERVNT. Pulcrior ſequitur Apollo (*Fig. 2.*) columnae innixus, quam a ſummo uertice ad imum usque pallio ſuo operit, lyram ſeu citharam utraque manu tenens. Ad columnae pedem baſi inſidet cygnus, Apollini ſacrata auis. Apollo (*Fig. 3.*) altera manu lyram tenet columellae nixam, dextramque capiti imponit; plectrum autem pulſando inſtrumento eadem manu tenet; arcus enim loco plectrum Veteres adhibebant. Apollinem autem manum capiti imponentem non raro uidemus, qualis ille Verſalienſis eſt (*Fig. 4.*) qui arcum tenet. In monumentis autem Romanis, qui manum capiti imponit 6), eum aut ſecuritatem nactum eſſe, aut eamdem petere coniicio. Securitas quippe a Romanis ſaepe exprimebatur per mulierem manum capiti imponentem. Sequens Apollo, qui (*Fig. 5.*) lyram arboris trunco imponit, coma ſpectabilis eſt, plectrum etiam dextra tenet, quemadmodum et alius, quem iam uidimus. Alius (*Fig. 6.*) prope arboris truncum ſerpente circumplicatum conſiſtit. Pharetram humero geſtat, et manu dextra, neſcio quod inſtrumentum tenet. Serpens truncum arboris circumdans non raro cum Apolline occurrit, eſtque medicinae ſymbolum, quod etiam Aeſculapius, Apollinis filius, perpetuo ſecum habet. Neque enim creditur, hoc ſerpente Pythonem, draconem ab Apolline occiſum, ſignificari. De quo iam aliquid dicendum eſt, ne uideamur rem in Mythologia celeberrimam praetermiſiſſe. Serpentis huius fabula uarie 7) narratur. In monumentis rariſſime occurrit. Deſcribimus iam, ut exſtat in diſco argenteo, inter κειμήλια uiri nobilis D. *du Tillot*, Diuionenſis. Apollo, uir armis munitus, nec thorace modo, ſed etiam chlamyde opertus, caligas, uel campagum, more bellatorum pedes indutus. Pharetra catenae, quam transuerſam gerit, annexa eſt. Serpens alatus Python ſagittis transfixus ignem flammasque euomit.

3) lib. 1. c. 4.

4) Fiſtulam et lyram Mercurius inueniſſe et Apollini dediſſe dicitur. Apollod. lib. 3. c. 10. §. 2.

5) *Plato* in Phaedone, et *Cicero* uid. lexic. *Ciceron.* H. Stephani p. 121. adde *Potteri* et aliorum notas ad Lycophr. v. 416. aues alii, augurii et diuinationis ſymbolum.

6) hoc etiam faciunt lugentes; caput ſcabunt, qui meditantur. Securitas uix fuerit.

7) Apollod. 1, 4.

Tab. XII



1. Apollo cum lyra prope cippum. 2. Idem cum lyra et cygno. 3. Idem sinistra lyram, dextra plectrum tenens. 4. Idem capiti manum imponens. 5. Idem coma præcipue spectabilis. 6. Idem prope arboris truncum serpente circumplicatum. 7. Apollo et Daphne, in laurum mutans. 8. Idem cum præciso Marsyæ capite. 9. Marsyas ab Apolline excoriandus. 10. Marsyas colligatus et arbori adstrictus. 11. Apollo cum novem Musarum choro.

euomit. Ab alio latere Cupido 7) rudi admodum manu caelatus pharetram, ut Apollo, gestat, ipsique manum tendere uidetur. A serpente hoc Apollo Pythius saepe uocatur. Mulier uero, quae eius oracula fundebat, Pythia dicebatur, et ludi in Apollinis honorem instituti, Pythici dicti sunt. Alii tamen nominis aliter reddunt rationem.

§. 5. Daphnes 8) porro fabula non incelebris est. Haec Nympha, quam Apollo corrupturus insequebatur, Ladonis fluuii, patris, opem implorauit; qui ipsam in laurum mutauit. Haec (*Fig. 7.*) in schemate exhibentur, per *Maffeium* equitem publicato. Daphne, quam amplectitur Apollo, radices ramosque emittit. Haec fere de Daphne Mythologi omnes; sed *Io. Chrysostomus*, in oratione de S. Babyla, Antiochenorum opinionem tradit, Daphnen, quae Apollinem fugiebat, a terra hiscente absorptam, eiusque loco laurum prodiisse, eiusdem nominis, δάφνη. Antiochena plebs rem gestam esse putabat in suburbio, quod inde Daphne nomen habuerit.

§. 6. *Marsyae* fabula, de qua iam in Cybele diximus, perinde in monumentis Veterum marmoribusque, atque a Poetis Mythologisque celebratur. Phryx ille erat filius Hyagnidis 9), qui Musicam canendis Deorum laudibus inuenit. Cum cauda nonnumquam, Sileni s. Fauni 10) more, depingitur, et Mythologi quoque, inter quos *Philostratus*, Marsyam Satyrum seu Faunum faciunt. Tibiae cantu praecellebat, et cum Apolline de palma contendere ausus est. Certantium conditio illa fuit, narrante *Pausania*, ut, qui uinceret, cum uicto pro arbitrio suo ageret. Apollo uictor, sed dolo, ut nonnulli tradunt, riuali arbori alligato Marsyae, pellem detraxit; cuius immanitatis tamen postea ipsum poenituit. Elegantissima statua Romana (*Fig. 10.*) colligatum constrictumque Marsyam exhibet, ubi doctam artificis manum nemo non miratur. Aliam subiungimus (*Fig. 9.*) ubi Marsyas Faunorum et Satyrorum aures habet; (*Fig. 8.*) Apollo praecisum Marsyae caput tenet. Erant, qui Marsyam fluuium, cuius aquae sanguineum colorem referebant, excoriati Marsyae sanguine tinctum fuisse crederent. Apollo demum, dicit *Xenophon*, Marsyae pellem in antro suspendit *).

§. 7. *Niobes* Historia inter Apollinis fabulas locum habeat oportet; illa enim Apollinis indignationem experta est. Nioben narrat *Diodorus* Siculus filiam fuisse Tantali, sororemque Pelopis; alii filiam dicunt Pelopis et Taygetes; nonnulli Phoronei et Laodices 11). Nec minus de Niobes coniuge ambigitur, alii Amphionem dicunt, alii Zethum, quidam Alcamenem. Eadem uarietas obtinet in numero filiorum. *Homerus* 12) duodecim fuisse ait, sex mares et totidem feminas; *Diodorus Siculus* septem filios, septemque filias 13). *Apollodorus* ex *Hesiodo*, decem fuisse filios totidemque filias tradit; *Herodotus* filios duos tresque filias solummodo. Niobe tot liberorum mater, qui omnes forma spectabiles erant, de prole gloriabatur, Latonamque duos tantum enixam contemnebat, id illi in opprobrium uertere ausa. Latona uero liberorum suorum manu Nioben ulta est, qui prolem eius sagittis confoderunt; Apollo mares, Diana feminas 14).

§. 8. Ceterum innumeris 15) paene nominibus insignitur Apollo, quae partim ex locis urbibusque, ubi colebatur, partim ex ipsius numinis dotibus artibusue indita sunt. In iis, quae ex locis uariis nactus est, eminent nomen *Cumaei*, *Cynthii*, *Daphnaei*, *Delphici*, *Larissaei*, *Leucadii*, *Sminthii*, *Thymbraei*. Ex ceteris uulgatiora sunt, *Loxias*, *Lycogenes*, *Musagetes* s. ductor Musarum, quod nomen etiam Herculi tribuitur; *Phoebus*, ob splendorem. *Lycogenes*, teste *Aeliano*, ideo uocatur, quia, quum Latona peperit, in lupam sese transformauit; ideoque in Delphico templo lupus erat aeneus; huius tamen lupi Delphis seruati aliam alii caussam referunt. Templi thesauros quidam suffurati, in terram defoderunt; lupus uero in templum ingressus prophetarum aliquem a uestimenti ora correptum ad locum, ubi thesauri reconditi erant, deduxit, et unguibus effodit.

7) Imitatus est ex *Ouidio* artifex: *Metam.* 1. v. 454.

8) *Ouid. Metamor.* 1. 490. seqq. Schol. in *Lycophron.* v. 6.

9) *Apollod.* 1, 4. Olympi filium dicit.

10) *Herodotus* libro 7. *Silenum* appellat. Vide pluribus *Plutarchum* de musica, & *Apuleii* florida.

*) de pelle uide *Aelian.* uar. hist. 13, c. 21.

11) *Apollodor.* lib. 1. et 3. *Eustath.* in Iliad. ω. pag. 1506. Scholia minora in Iliada pag. 405.

12) ultimo Iliad. ω. 602. seqq. uide *Euripid. Barnesii* p. 520. pars 2.

13) ita et *Ouid.* metam. 6, 270. seqq. et *Tzetes*, qui nomina prodit *chil.* 4. hist. 141. uide *Aeliani* uar. histor. lib. 12, c. 36. *Apollodor.* lib. 3, c. 5, §. 6.

14) *Plutarch.* de superstitione.

15) uide indicem *Gronouii* thes. tomo 12, additum. et indices ad Lycophr. edit. *Potteri.* Insolitum πυθαεὺς habet *Pausanias* lib. 2. cor. cap. 35. De Apolline, Horo, uide *Iablonski* panthea aegypt. pars I. pag. 201. seqq.

CAPVT III.

De Musis.

§. 1.

De Musarum origine, deque huius chori numero, tam diuersa narrantur, ut sine taedio lectorum uix proferri collecta possint. *Cicero* 1), et plurimi alii Scriptores statuunt, ab initio pauciores tantum fuisse Musas, quae postea multiplicatae fuerint. Nec desunt, qui nouem illas Musas in stellarum plagas quasdam referunt. De his omnibus multa congessit *Lilius Gyraldus*, qui de Musis librum integrum 2) edidit. Vt communis fert opinio, nouem fuere Musae, a Ioue et Mnemosyne procreatae. *Alcman*, poeta, e Coelo Terraque progenitas, dicit, referente *Diodoro Siculo*. *Aelianus*, Iouis filias esse, perhibet. Nonnulli Virgines illas fuisse putant, sed nulla fere Musa est, cui non a uariis Auctoribus proles, aliqua tribuatur 3). Tres certe illarum, a diuersis auctoribus, Sirenum matres fuisse, perhibentur.

§. 2. Dux Musarum (Μουσηγέτης) Apollo fuit; et quoniam hoc nomine in choro illarum suum quoque locum habet, non desunt, qui Apollinem iis accensentes, decem Musas numerant. Variis porro nominibus insigniebantur. *Camenae* scilicet, cuius nominis etymon 4) ignoramus; *Heliconiades* uel *Heliconides*, ab Helicone Boeotiae monte; *Parnassides*, a Parnasso; *Aonides*, ab Aoniis montibus in Boeotia; *Libethrides*, a Libethra; *Pierides*, a Pierio; *Pegasides*, ab equo Pegaso, uel a fontis cognomine 5); *Thespiades*, a Thespiis, Boeotiae oppido etc. Praeter istas, aliae occurrunt denominationes, sed rarius.

§. 3. Elegans Musarum chori delineatio (*Tab. XII. Fig. 11.*) ex xysto Iustinianeo desumt est. Qui in medio choro sedet ueste talari indutus, Apollo esse videtur, ceu Choragus uolumen manu tenens. Musarum prima, tibiam seu fistulam tenens, est Terpsichore; secunda cum globo, Vrania; tertia, quae quoddam quasi sceptrum tenet, est fortasse Clio; quarta uulneribus foedata, quae laruam manu tangit, erit Euterpe; quinta barbiton citharamque tenens, ut coniicitur, Polyhymnia est; sexta, cuius solum caput conspicitur, est forte Erato; septima uolumen tenens, Calliope; octaua, quae altera manu laruam habet, alteram uero masto imponit, est Thalia, comoediae inuentrix; nona, quae globum tenet, uel Vrania est, uel Melpomene.

§. 4. Iam ad Musas singulas, earumque nomina, dotes, munera, ueniendum. Eo hic ordine illas describemus, quo antiqui Musas nominare solent. 1) *Clio* Musarum prima, a fama gloriaque nomen nacta, altera manu plectrum, altera citharam tenet; quod Citharae inuentrix perhibetur. 2) *Euterpe* ab ea, quam affert delectatione sic nuncupata, laruam a latere sinistro habet, clauamque dextra tenet. Haec tragoediam *) inuenit, quod larua significatur. Clauam Herculis gestat, quia tragoedia heroas celebrat, quorum princeps Hercules habetur. 3) *Thalia* seu florida, quae Comoediam instituit, laruam dextra tenet; in nummis columnae innixa exhibetur. 4) *Melpomene*, seu quae pellicit, per barbiton distinguitur. 5) *Terpsichore*, quae uoluptatem parit, tibiis, quas manu tenet, internoscitur. 6) *Erato* f. amabilis, uix distingui ab aliis potest, tam in nummis, quam in aliis monumentis. 7) Polyhymnia dicta ab hymnorum seu cantilenarum multitudine, non autem a felicitate memoriae, ut quidam uoluere; cum lyra uulgo pingitur, utpote harmoniae inuentrix. *Horatius* illi barbiton adscribit. 8) *Vrania* f. coelestis, Astronomiae inuentrix perhibetur, globumque manu tenet. In nummis globus hic tripodi imponitur. 9) *Calliope* a uocis suauitate nomen habet; uolumen manu tenet, utpote heroici carminis mater et inuentrix.

§. 5. Musarum statuae ex Cimeliarchio Suecorum Reginae Christinae expressae, quas
Tab.XIII. *Tab. XIII. Fig. 1 — 9.* exhibemus, a praecedentibus parum differunt. Iis porro nominibus illas appellabimus, quae doctissimus *Maffeius* iis indidit. Quarumdam certe symbola superioribus non omnino similia sunt; quia tamen illa in statuis ueteribus antiquitus non obseruabantur, sed posterioribus demum saeculis adiuncta sunt, non tanta iis fides habenda. CLIO (*Fig. 1.*) lauro coronata, altera manu uolumina tenet, quae illi, gesta clarorum hominum celebranti, conueniunt, altera tibiam uel tubam. EVTERPE (*Fig. 2.*) floribus coronata, tibiam

1) de natur. deor. lib. 3. c. 21.
2) uid. eius *Opera omnia*, *Basil.* 1580. f. et recentius cura *Io. Ienfii* 1696. *Lugd. Bat.* f.
3) uide Schol. ad *Lycophr.* v. 831. p. 92. edit. *Potteri.*
4) *Varro*, *Macrob.* *Festus*, *Seruius*, a canendo; *Viues* in *Augustin.* de ciuit. Dei, putat *carmenae*, *casmenae*, *camenae*, successisse.
5) *Strabo* lib. 10.
*) Tragica Camena, *Hor.* in arte poët. v. 275. et *Suidas* in μοῦσα.

1 – 9. Reginæ Sueciæ.



Musæ, quales fuerunt. 1. Clio. 2. Euterpe. 3. Melpomene. 4. Terpsichore. 5. Erato. 6. Polyhymnia 7. Calliope. 8. Urania. 9. Thalia. 10. Eadem. 11. Musa sedens, forte Urania. 12. 13. 14. Tres Musæ non satis certæ.

biam duplicem utraque manu tenet: ante illam Cupido, poſito ad pedes arcu, tibias manibus geſtat. MELPOMENE (*Fig. 3.*) floribus itidem coronata, uolumen ſiniſtra tenet, dextramque capiti Herculis imponit, quod laruae inſtar clauae innititur. TERPSICHORE (*Fig. 4.*) lauro coronata Citharam tenet. ERATO (*Fig. 5.*) floribus coronata id ipſum inſtrumentum tractat, comitemque habet Cupidinem, qui, ut in praecedenti imagine, arcum cum pharetra ad pedes poſuit; quo ſignificatur, cupidinem in ſocietatem Muſarum admiſſam arcum ponere, neque in muſas umquam ſagittas mittere *). POLYHYMNIA, (*Fig. 6.*) pretioſo capitis cultu, gemmis margaritisque diſtincto, nitet; dextram illa manum erigit, atque oratoris more geſtum componere uidetur. CALLIOPE (*Fig. 7.*) cultu capitis ſingulari, calamum manu tenet, quaſi heroicum carmen calamo conſignatura. VRANIA (*Fig. 8.*) inter omnes facillime diſtinguenda, ſtellis coronatur, coelumque contemplatur, globum ſiniſtra, circinum dextra tenens. THALIA (*Fig. 9.*) tibiam et laruam tenet, utpote comoediae inuentrix. Verum haec inſtrumenta, ut monet *Maffeius*, recenti manu adiecta fuere 6).

§. 6. Ex iis, quae hactenus dicta ſunt, liquet, admodum difficile eſſe, nouem Muſas internoſcere, quod de earum inſtrumentis atque cultu Scriptores non perhibent. Separatim etiam exhibitas Muſas haud imfrequenter offendas, ut eſt, quae (*Fig. 10.*) laruam tenet, quam ex larua, quae in ſiniſtra eſt, Thaliam eſſe conieceris. Sic (*Fig. 11.*) Muſa ſedens exhibetur, dextrae digito quiddpiam monſtrans, ſiniſtraque globum tenens; ex quo fere colligimus, Vraniam eſſe. Addiimus tres Muſas non ſatis certas (*Fig. 12, 13, 14.*) Prima Verſaliis extat, et ad fidem antiquae ſtatuae ſculpta fuit, a multis credita Vrania, quamuis nullum habeat globum; nam Corona ſtellis ornata, et oculi coelum intuentes, ita putare ſuadeant. Dextra uero uolumen tenet, quod Calliopes ſolitum eſt ſymbolum. Alia Muſa (*Fig. 13.*) dextra item uolumen tenet, ſiniſtra tibias. Illud ſymbolum Calliopae, hoc Terpſichorae conuenit: hinc non ſatis certum eſt dicere, quod omnino nomen illi ſit tribuendum. Quae ſequitur (*Fig. 14.*) in Italia extat. Manu ſiniſtra Citharam tenet ſ. barbiton ſtylobate nixum, dextra plectrum, ad inſtrumenta haec pulſanda accommodatum.

§. 7. A Muſarum coetu non ante diſcedendum, quam de Bellerophonte et Pegaſo pauca dicta fuerint. Bellerophontis hiſtoria ex uariis Mythologis, praecipue uero *Homero* 7), deſumenda. Filius is erat Glauci, Ephyrae regis, inter formoſiſſimos et ſtrenuiſſimos Graeciae iuuenes computatus. Hic quum Deliadem fratrem imprudens occidiſſet, Argos transfugit, ubi a Proeto Rege perhumaniter acceptus fuit. Proeti uxor Antea, (Sthenoboeam 8) alii uocant) iuuenem deperiens, de concubitu ipſum compellauit. Huius uero libidini quum non obtemperaſſet Belllerophon: Antea iuuenem accuſauit, quod ipſam ad flagitium ſollicitaſſet. Indignatus Proetus de Bellerophonte poenas ſumere decreuit. Sed quum hoſpitalitatis iura uiolare nollet, ad Iobatem Lyciae regem, ſocerum ſuum, miſit eum cum litteris, Iobatem rogans, ut iuuenem occideret. Iobates quanta potuit benignitate magnificentiaque iuuenem excepit, et ad decimum usque diem litterarum lectionem diſtulit, et taurum quotidie in gratiam noui hoſpitis immolauit. Decimo autem die lectis generi litteris necem Bellerophonti machinatur, ſtatimque praecepit, ut cum Chimaera, horribili monſtro, ignes flammasque emittente, cuius anteriora leonis, media caprae, extrema draconis erant, pugnaret. Deorum ope fultus Bellerophon cum Chimaera pugnauit, ipſamque deuicit. Deinde Iobates eumdem Bellerophontem aduerſus Solymos, nationem bellicoſam, miſit, cum qua feliciter item et ſtrenue pugnauit. Tertium certamen iuſſu regis contra Amazonas iniit; reque bene geſta quum rediret, in inſidias, quas ipſe Iobates illi parauerat, incidit; qui Lyciorum fortiſſimos aduerſus illum emiſerat. Bellerophon uero acriter pugnauit, et obuios Lycios ad unum omnes occidit. Iuuenis uirtutem miratus Iobates Philonoen filiam ipſi uxorem dedit.

§. 8. Haec fere omnia ex *Homero* deſumta ſunt, et ex *Apollodoro.* Chimaera uero, ut fingit *Heſiodus* 9), Typhonis et Echidnae filia, monſtrum erat horrendum, fortitudine et curſus uelocitate incredibili, ignem flammasque euomens. Tria capita habet, leonis, caprae et draconis. Leonis quidem caput in anteriore corporis parte, caprae in medio, draconis a tergo. Cum monſtro hoc bellaturus Bellerophon, opitulante Minerua, Pegaſum equum, e Pirene fonte bibentem, apprehendit. Equus hic alis erat inſtructus, et, ut quidam fabulantur, Neptuni et Meduſae filius; ab aliis uero ex ſtillis ſanguinis Meduſae natus, cum Per-

*) *Lucianus* dialog. ueneris et cupid.

6) Ceterum nemo fictor uel pictor muſſas armatas exhibuit umquam, ut iam *Aelianus* notauit, uar. hiſt. 12, 2. *Suidas* μουσας πτερα σειρηνων εις στεφανους.

7) Iliad. 6, v. 155. ſeqq. adde Scholia ad *Lycophr. Potteri* pag. 3. 4 ſeq.

8) *Apollod.* lib. 2, c. 2, §. 1. et Schol. *Lycoph.*

9) *Theogon.* v. 319.

ſeus ipſi caput abſcidi, dicitur. Captum Pegaſum Bellerophon domuit, ut in pugnis et expeditionibus uſui ſibi eſſe poſſet. Bellerophontem equum hunc domantem exhibet (*Tab. XIV. Fig. 1.*) Tab. XIV. Bellerophontem tandem ſeſſorem paſſus eſt, qui per aëra, Chimaeram debellaturus profectus eſt, et telum in illam uibrauit. Expeditionem hanc ſiſtit pulcherrima et ſingulariſſima Pegaſi et Chimaerae imago (*Fig. 2.*) ubi Bellerophon per aëra Pegaſo uectus, eleganti manu ſculptus telum mittit in Chimaeram ſubiectam. Primum caput leonis eſt, caput uero caprae e dorſo erumpit, cauda in praegrande anguis caput definit.

CAPVT IV.

De Sole.

§. 1.

Poſt Apollinem et Muſas, Solis quoque mentio facienda eſt, quoniam plurimi Veterum Apollinem pro Sole, Solemque pro Apolline, uerſa uice, habuerunt. Attamen non poetae tantum, ſed etiam uulgus Graecorum Romanorumque Solem et Apollinem, tamquam duo diuerſa numina, coluerunt, quae utrumque templa et ſacrificia ſeparatim haberent. Apollo Iouis filius erat, Sol uero Hyperionis 1); quamquam alii putant Solem ipſum eſſe Hyperionem. Marmora quoque, nummi, ceteraque monumenta haec numina plerumque diſtinguunt; at philoſophi et phyſici, qui rerum naturam ſcrutabantur, Apollinem pro Sole habuerunt, ut Iouem pro aëre, Neptunum pro mari, Cererem pro frugibus terrae, Dianam pro luna etc. Vulgo Sol depingitur ut iuuenis, capite radios emittente, pallium geſtans, quo tamen nihil fere tegitur. Interdum faces manu tenet. Veterum monumenta Solem ſaepe quadrigis uectum repraeſentant.

§. 2. Caput Solis (*Fig. 4.*) expreſſum hodieque lapideum, uidere eſt in caſtello Poliniacum (de Polignac en Veſai) dicto in Velaunis. Lapis eſt caeruleus, quatuor uel quinque pedum, rotundus rudi opere ſculptus, unde etiam uetuſtas eius comprobatur, radios undique fingens. Si lapidem Sol illuſtraret, deprehendebatur, radios olim fuiſſe deauratos. Caput hoc apertum os habet, quod olim, ut uolunt, oracula edidit. Ex ſchemate praecedente (*Fig. 3.*) apparet, quod licet priſcis temporibus Apollo alius a Sole eſſe putaretur, poſterioribus tamen ſaeculis multi Apollinem et Solem unum numen putarint. Tales ſine dubio erant, qui hunc ſculpi lapidem curarunt. Apollinem nempe ilic nobis offert radiato capite, pulſantem lyram. Ad pedes Apollinis Luna ſ. Diana conſpicitur humi ſedens, praegrandi innixa uaſi; malogranatum manu tenet, creſcentem lunam capite geſtat, ut ſolet Diana. Schemate ſequente (*Fig. 5.*) ſol et luna ſimul exhibentur: Sol quidem radiali corona exprimitur pro more, Luna uero cornibus lunaribus.

§. 3. Non alienum erit hic fabulam inſerere de Phaethonte, Solis et Clymenes filio, fulmine proſtrato, quem elegantiſſimum ſchema (*Fig. 6.*) nobis ob oculos ponit. Phaethon 3) plurimis ab Epapho iniuriis laceſſitus, ut ortus ſui nobilitatem per totum orbem patefaceret: Solem patrem eo adegit, ut iuramento polliceretur, gratiam ſe filio, quam maxime uellet, conceſſurum, patremque iuratum obſecrat, ut currum ſolarem ſibi ad unam diem committeret, quo totum per orbem lucem ſuam emittere poſſet. Sol diu reluctabatur, et temeritatem filio ob oculos ponebat. Ille contra nulla re motus, quod ſtulte optauerat, infelix impetrauit. Sed accidit, quod pater praeuiderat. Phaethon enim ad Scorpionis aſpectum perterrefactus a uia ſolita aberrauit; hinc praeceps actus, quum ad aliquas terrae partes propius accederet, aeſtum ibi concitauit intolerabilem, parique modo, quum ab aliis mundi climatibus procul remoueretur, extremum hinc frigus in iis partibus exortum. Videns autem Iupiter, quantam orbi perturbationem inferret Phaethon, eum fulmine tactum in terram mortuum decuſſit. Tres dein Phaethontis ſorores, inſolitam fratris mortem lugentes, fletuque omnia replentes, in populos arbores a Diis commutatae ſunt. Cygnus quoque, Ligurum princeps, de morte Phaethontis ita indoluiſſe fertur, ut Dii miſericordia moti ipſum in cygnum, auem cognominem, mutauerint. Quam paullo ante citauimus imaginem (*Fig. 6.*) ea in Burgundia reperta fuit. In aëre turbo conſpicitur, unde profectum fulmen uidetur; currus pariter et equi praecipitati ſunt; Phaethon extinctus iacet; Cygnus quoque Ligurum

1) *Apollod.* 1. 2. §. 2. adde *Euſtathium* in *Homer.*
2) *Cicero* de natura deor. lib. 2. c. 23. 24.
3) *Hyginus* fab. 152. 154. Scholia minora in *Odyſſ.* pag. 200.

Maffei.
1.



memoriæ Brixienses.
3.



Maffei.
2.



Gabriel Simeoni.
4.



MStum Charleti.
6.



Maffei.
5



memor. Brixienses.
9.



Maffei.
8.



Maffei.
10.



Maffei.
7.



1. Bellerophon Pegasum domans. 2. Idem telum in Chimæram vibrans. 3. Apollo s. Sol cum Luna ad pedes illius sedente. 4. Caput Solis. 5. Sol et Luna. 6. Phaeton fulmine prostratus. 7. Mars dextra scipionem gestans, sinistra telum quodpiam, quod ipsi forte excidit, tenuisse videtur. 8. Idem rupi insidens. 9. Idem cum lupo. 10. Bellonarius cum Bellona.

rum princeps in cygnum auem mutatus adeſt, imo loco unius cygni duo apparent, quod ſculptoris arbitrio factum, qui cygno eiusdem generis comitem dare uoluit: alioquin Philoſtratus de Phaethontis caſu loquens cygnorum luctum exprimit in plurali. Non nihil ambigas, qui fiat, quod hae duae aues prominentem plumarum particulam in occipite habeant, quod in cygnis uix deprehendas.

CAPVT V.

De Marte.

§. 1.

MARS 1), a Graecis Ἄρης dictus, non tot controuerſiis obnoxiam habet originem. Quamquam enim nonnulli Iunonis tantum filium ipſum eſſe dicunt, alii Iouis et Enyus: *Homerus* tamen et *Heſiodus* et ueterum plerique, Iouem atque Iunonem parentes illius perhibent. Nutrix illius Thero 2) uocatur. Deus autem pugnarum, certaminum, rixarumque quarumuis, putatur. Ob caeſum Halirrhothium, Neptuni filium 3), eo neceſſitatis deductus dicitur, ut in duodecim Deorum iudicio ſiſteretur; ubi tamen cauſam ſuam ita defendit, ut liber abſolutusque abierit. Iudicii illius locus Ἄρειος πάγος dictus fuit. Ad Martis hiſtoriam pertinet uulnus 4) a Diomede acceptum, et adulterium cum Venere, cuius iam ſupra, quum de Vulcano ageremus, mentionem fecimus.

§. 2. Vetuſta monumenta Martem uulgo exhibent ſatis procerum, caſſide, haſta clypeoque armatum, interdum nudum, nonnumquam cum militari ueſte, tam barbatum, quam imberbem. Quem primum proferimus (*Tab. XIV. Fig. 7.*) is nudus eſt, et caſſide armatus; dextra manu ſcipionem geſtat, ſiniſtra uero telum quodpiam tenuiſſe uidetur, quod iam excidit. *Gradiuus* 5) dicitur, quando *gradiens* repraeſentatur, qualis in hac imagine cernitur. Aliquando iuuenis et imberbis depingitur, talisque nudus conſpicitur ac ſedens (*Fig. 8.*) pallio ad femora demiſſo: enſem manu tenuit, cuius lamina periit; clypeum rotundum peramplum a latere habet. In ſacrificiis Mars ſimiliter occurrit. Sequens Martis ſchema (*Fig. 9.*) Brixianum, inſolitum praebet ſpectaculum. Hic enim Mars haſtam nullo ferro acuminatam geſtat, gladium ad latus poſitum effert, ex faſcia transuerſim ex humero pendentem, extremum capuli in caput leonis deſinere uidetur; ad pedes illius animal conſpicitur non ſatis notum, utrum lupus *) an canis ſit, uel forte uulpes.

§. 3. *Homerus* Marti epitheton tribuere 6) ſolet ἀλλοπρόσαλλος, quod aut inconſtantem, aut rixarum amantem ſignificat. *Camulus* 7) apud Sabinos; *Enyalius* frequenter Graecis dicitur, ab *Enyo* ſeu Bellona; quo nomine bellicoſus ſignificatur. *Thurius*, aliud Martis nomen, ſignificat impetu ipſum ferri. Alia mittimus epitheta, a Poetis praecipue inuenta. Romani Martem ſub haſtae forma adorabant, antequam deos humana fingerent forma. Hunc enim Deum Romuli 8) ſui patrem eſſe putabant. Hiſtoriam *Plutarchus* ita refert. Amulius, Rex Albae, fratris Numitoris filium Aenitum inter uenandum interfecit; filiam uero Rheam Siluiam, Iunonis, (alii Veſtae dicunt) Sacerdotem fecit. Haec praegnans facta, Remumque et Romulum enixa, patruo declarauit eorum patrem eſſe Martem. Amulius metuens, ne ab ipſis aliquando regno pelleretur, utrumque in Tiberim coniici iuſſit. Illos ad oram fluuii ab alueo delatos, lupa, quae ibi catulis lac praebebat, ſtatim lactauit. Re comperta, Fauſtulus (paſtor) puerulos ſuſcepit atque aluit. *Plutarchus, in iisdem parallelis*, rem aliam huic prorſus ſimilem ſubiungit in Arcadia geſtam. Philonome, Nyctimi filia, Dianae uenanti ut plurimum aderat; Mars paſtoris ſimulata forma cum Philonome rem habuit, quae ex congreſſu illo gemellos peperit, iramque uero patris metuens, puerulos in Erymanthum fluuium praecipitauit, qui in quercum intus uacuam ceciderunt, quo loco lupa catulos nutriebat: illa pueros lactare

1) *Mauors*, et *Mamers*, *Mamertus*; nempe, eadem ratione, qua Minerua, belli Dea, *Lycophroni* v. 1417. Μαμέρτας nomen habet.

2) *Pauſanias* in laconicis. 3) *Apollodor.* lib. 3, c. 13, §. 2. adde *marmor Parium.*

4) *Homer.* iliad. 5. v. 855. ſeqq.

5) uel a κραδαίνειν, a *uibrata haſta*; utrumque etymon dat *Feſtus* Paulli, et *Seruius* in 3. aeneid.

*) uide ſupra de *Martio* menſe pag. 10. §. 14.

6) rarius. Exſtat enim Iliad. 5, v. 831. & 889. adde *Euſtathium.*

7) Ita ſtatuit *Montfauc.* quia tom. 1. tab. 17. in quodam marmore *Sabino* 5. deorum ſimulacra et nomina occurrunt, *Arduinne*, *Camulo*, *Ioui*, *Mercurio*, *Herculi*. Si quidem recte habet.

8) *Liuius* lib. 1, c. 3. 4. *Conon* narratione 48. Scholia in *Lycophron*, v. 1233.

coepit: qua re deprehensa Tyliphus pastor eos sustulit, alterique Lycasti, alteri uero Parrhasii nomen indidit. Illi postea auo in regno Arcadiae successerunt.

§. 4. *Bellona*, Graecis Ἐνυώ, Enyo, a quibusdam mater Martis, ab aliis soror, ab *Augustino* uero soror et uxor dicitur. Non desunt, qui Martis filiam dicunt, nec qui nutricem. Mars ipse hinc nonnumquam Enyalius uocatur, quod fortasse illis faueat, qui Bellonam, matrem esse, contendunt. Est autem illa bellorum Dea, sicut et Minerua; officium eius est equos currumque Martis praeparare, quum is ad bellum accingitur. Infrequenter illius imago occurrit, nec facile a Mineruae imagine distinguitur. Sacerdotes illius *Bellonarii* uocantur: ipsius uero Bellonae statua ante sacerdotem exhibetur *Fig. 10.* Pluribus de illis agemus suo loco.

CAPVT VI.

De Mercurio.

§. I.

MERCVRIVS, 1) de cuius origine uariae sunt, poetarum praecipue, sententiae; uulgo Iouis et Maiae 2) filius habetur; nec alii numini tot adscribuntur, diurna nocturnaque ministeria, quam Mercurio. Mercatorum, furumque 3) Deus, marsupium manu tenet. Nuntius 4) et interpres Deorum caduceum gestat, pacis symbolum; est autem uirga, quam duo inuoluunt serpentes, qui summa capita aduersa 5) reducunt. Alas petaso additas habet, nonnumquam et pedibus, interdum etiam caduceo. Alae cursus uelocitatem denotant. Ipsius erat, uita functorum animas 6) in inferos aut Elysios campos deducere. Quia uero ad officia haec summa uigilantia opus erat, ideo gallus gallinaceus ipsi symbolum additus. Pastorum etiam Deus esse putatur, ideoque, haud infrequenter cum ariete pingitur. Alii eum praeterea litterarum 7) inuentorem perhibent; alii praestigiarum, Astronomiae 8), Medicinae, testudinisque, musicae; ideoque in multis schematibus cum testudine conspicitur.

§. 2. Iuuenis plerumque formosusque repraesentatur, modo omnino nudus, modo pallio ab humeris dependente. Interdum clauam illi addunt, quod fortitudinis et uirtutis ad negotia necessariae symbolum est. Raro cum cornu copiae apparet; ipsi tamen competere aliquo modo uidetur, tum quia Deus mercatorum et lucri est, tum quia eius antrum
Tab.XV. omni bonorum genere redundabat. Quem primum proferimus (*Tab. XV. Fig. 1.*) alas habet capiti annexas, et marsupium in uola manus repositum. Duo sequentes (*Fig. 2. 3.*) non marsupio tantum, sed etiam caduceo instructi sunt; prior illorum arietem quoque et gallum iuxta se comitem habet. Elegantissimae quoque formae est ille Mercurius, qui (*Fig. 4.*) claua, Herculis symbolo, innititur et sinistra uolumen tenet. Schemate sequente (*Fig. 5.*) Mercurius cum Hercule prodit, uterque cum symbolis: hinc claua fortitudinem exprimit, inde caduceus rerum agendarum caussam. Qui clauam tenet, spolia gestat; qui caduceum, altera manu marsupium tenet. Rupi insidet *Fig. 6.* atque insolentius uideatur, Mercurium sedere, quem noctu dieque distinebant negotia, ad coelum, terram, inferos, spectantia. Quamuis nec petasus nec caduceus adsit, alae tamen ad pedes affixae et marsupium, Mercurium produnt. *Fig. 7.* puerum Mercurius brachio tenet, qui puer uel Bacchus est modo natus, siue forte anima pueri cuiusdam, quam Mercurius ad inferos seu ad campos Elysios deducit. *Fig. 8.* Mercurius et Minerua, ille Deus eloquentiae, haec sapientiae Dea, sese amplectuntur: utriusque enim numinis dotes iure coeunt. *Fig. 9.* Mercurius et fortuna simul conspiciuntur; quid autem Deus mercatorum cum Dea fortunae commune habeat, facile intelligitur. Qui *Fig. 10.* exhibetur Mercurius, elegantis est artificii; in rupe sedet cum petaso, cui ut et pedibus alae pro more adhaerent. Hic quietem capere uidetur post tot susceptos labores, post tot itinera, per coelum et terram atque inferos. Chlamydem gestat in

1) *Cicero* nat. Deor. 3, c. 22. quinque nominat. Nomen quidam a *cura mercium* deriuant.

2) *Apollod.* lib. 3, c. 10. §. 2. ibi etiam de inuentis ab illo; *Hygin.* fab. 251. 277. 143. et poet. astr. lib. 2, 7. adde *Iablonskium* libro 5, c. 1. et 6.

3) Fur ipse eximius. *Lucian.* dial. Apoll. et Vulcani. *Homero* in hymn. ὄρχος φηλητέων.

4) Mercurius de se ap. *Plautum* prolog. Amphitr. *nunciis* praesum et lucro.

5) occurrunt etiam *auersa.* uid. *Alexandri* explic. tab. heliac. pag. 718. *Graeuii* thes. tom. 5.

6) *Homer.* odyss. ultima ipso initio describit pompam.

7) *Diod. Sic.* lib. 1. *Euseb.* praep. lib. 1, c. 6.

8) *Manilius* astron. lib. 1.



1. Mercurius cum petaso et Marsupio. 2. Idem cum caduceo, ariete et gallo. 3. Idem cum caduceo et Marsupio. 4. Idem clava Herculis innitens. 5. Idem cum Hercule ad altare flammigerum. 6. Idem sedens. 7. Idem Bachum tenens. 8. Idem cum Minerva. 9. Idem cum Fortuna. 10. Idem rupi insidens. 11. Idem Argi caput præcidens. 12. 13. 14. 15. hermæ varii.

in posteriores partes reiectam, et quatuor globulis ad humerum dextrum annexam. Ante pedem eius dextrum testudo comparet lacertae occurrens. Inter rarissimos ille Mercurius putatur, qui (*Fig. 11.*) Argi caput abscindit. Marmor illud antiquum Versaliis uisitur. Argus demissus contractusque est, ut caedem passurus; Mercurius uero haud ita magnum gladium erigit, quasi ualide percussurus, quodue mireris, sinistra caedem peragit. *Ius* et *Argi* fabulam nemo ignorat. Io a Iunone in uaccam mutata 9) sub Argi, centum oculis instructi custodia, ab eadem Dea relicta est. Praecepit Mercurio Iupiter ut Iün liberaret, illata etiam Argo nece, si aliter non posset: ictu lapidis Mercurius Argum extinxit, atque Io sic liberata est. Argus hic expressus, etiam in occipite multis oculis instructus uidetur; alibi toto corpore 10) oculatus legitur. Antequam Argum Mercurius occideret, instrumenti sui sono et suauitate in somnum induxit 11).

§. 3. Hermarum, quum a graeco Ερμης, s. Mercurio, nominentur, etiam mentio facienda est. Describit uetus interpres ad *Iuuenal.* Sat. 8. v. 53: *Hermae, effigies aeneae, aut marmoreae sine manibus, quales uidemus in circo. Hermas Athenienses ante ianuas pro religione positos habuere.* *Suidas in* Ερμων. Ερμαι ἠσαν ἐν τη των Αθηναιων πολει λιθινοι, ἐν προθυροις και ἐν ἱεροις. ἐπειδη Φασι τον Ἑρμην λογε και ἀληθειας ἐΦορον εἰναι. Δια τετο και τας εἰκονας ἀυτε τετραγωνες και κυβοειδεις κατεσκευαζον, ἀινιττομενον το τοιετον σχημα, ἐφ᾽ ἁ μερη πεσῃ, πανταχοθεν βασιμον και ὀρθιον εἰναι. Alii caussas formae hermarum alias tradunt. *Vlpian.* in orat *Demosth.* in Leptin. describit: ξυλα ἡ λιθοι τετραγωνοι, ἐχοντες ὀψιν Ερμε ἐπανω, κατω δε, ἀυτῳ πλατει, τα ἐπιγραμματα. *Herodotus* Euterpe c. 51. scribit, τε Ερμεω ἀγαλματα ὀρθα ἐχειν τα αἰδοια, quo forte referatur (*Fig. 12*). Mercurium ipsum referunt hermae, (*Fig. 12. 13.*) Si aliam personam gerunt, a capite imposito nominantur; ita, qui caput seu habitum Mineruae, Αθηνης, Hermathena; qui Apollinis, Hermapollo; qui Herculis, Hermeracles, ut *Cicero* lib. I. epist. 8. ad Atticum, imponi iubet; eius exemplum est *Fig. 14.* ubi claua et exuuiae leonis Herculem impositum indicant. Idem *Cicero* epistola ad Atticum Ima, de Hermathena scribit; quem refert *Fig. 15.* Et quia Mercurius uiarum praeses, unde ἐνοδιος, *Hesychio* uocibus, ἑρμαιος; λοφος et in inscriptionibus *Viacus*, *Redux* etc. dicitur: ideo ἑρμαιοι λοφοι, ἑρμακες, λιθινοι σωροι, lapidum aceerui in uiis publicis Mercurio sacri; uid. *Seldenus* de Diis Syris syntagm. 2. c. 15. *Aleander* in explic. tabulae heliacae p. 722. tom. 5. *Graeuii* Figura quadrata quibusdam inde desumta uidetur, quod Mercurius limitum ponendorum rationem inuenerit, *Kircheri* Oedip. P. I. pag. 351. et p. 389. seqq.

CAPVT VII.

De Minerua siue Pallade.

§. I.

Veteres PALLADI siue MINERVAE (Graecis Παλλας Αθηνη, παλλειν est uibrare, sc. hastam, uocatur), uariam originem tribuunt, seu potius complures eiusdem nominis, sed uariae originis 1) esse putarunt. Quae uulgo celebrabatur apud Graecos et Romanos, ex Iouis cerebro nata dicitur. Armata uero Minerua ex capite patris exiit, atque obstetricis loco, si *Luciano* 2) credendum, Vulcanus securis ictu eam in lucem eduxit. Belli autem inuentrix haec Dea dicebatur, et in bello contra Gigantes egregiam dedisse operam perhibetur. Construendarum aedium in magistram faciunt; nendi quoque texendique telas, et pannos usus eidem tribuitur 3); ut et oliuae colendae rationem tradidisse dicitur.

9) *Hygin.* fab. 145. 10) *Apollod.* lib. 2. c. 1. §. 2.
11) Mercurii uaria cognomina uide in indicibus notarum *Canteri* et *Potteri* in Lycophronem; et thesauri Gronouiani.
1) *Cicero* de nat. Deor. lib. 3. c. 23. Αθηναια olim dicta, non Αθηνη, *Eustathius* in odyss. pag. 112. in Iliad. p. 63
2) in dial. Vulcani et Iouis.
3) *Ouid.* lib. 6. Metam. initio; fastorum 3. v. 815. *Lucian.* Hermotimo. *Proclus* in Cratylum, c. 54. adde *Iablonski* lib. 1. c. 3. p. 73.

§. 2. Vulgo repraeſentatur cum galea in capite, haſtam altera, altera manu clypeum tenens. Aegide pectus tegit: erat autem Aegis, ut nominis etymon docet, pellis caprina, quae thoracis loco habebatur: qua in Aegide uulgo caput Meduſae exprimebatur. Mineruae imagines ſaepe uiſuntur cum lorica ſquamata, quales erant loricae Imperatorum Romanorum, maxime exeunte ſaeculo tertio. Haec omnia non raro ſimul in Minerua occurrunt; nonnumquam partem tantum illorum obſeruamus. In ſtatuis iniuria temporum haſta et clypeus ſaepius exciderunt.

Tab. XVI. §. 3. Mineruae ſtatuae olim frequentius ſedentes, *Strabone* Auctore, effingebantur. Hic Minerua (*Tab. XVI. Fig. 1.*) ſedet; ſtatua eſt Romae, quam clypeus cum Meduſae capite Mineruam eſſe prodit. Baculum porro breuem ſeu ſceptrum tenet, & caſſis eius galero ſimilis eſt. Minerua alia (*Fig. 2.*) pateram dextra tenet, ſiniſtra uero haſtam tenuiſſe uidetur, quae temporum excidit iniuria. Tertia (*Fig. 3.*) (ex Muſeo reginae Sueciae), galea admodum ſingulari ornatur, quadrigis impoſitis; has autem Mineruam inueniſſe, perhibet *Cicero.* (uid. n 1.) Minerua alia (*Fig. 4.*) haſtam erigit, ferro uerſus terram directo. Quae (*Fig. 5.*) ſequitur obſeruatu digna eſt, quod caſſis eius prominentibus figuris onuſta eſt; cernitur ibi homo, aliudque animal, cuius ſpecies non ſatis nota; in collo et pectore eius ſerpentes decurrunt, quod in aliis quoque ſchematibus conſpicitur.

§. 4. Minerua (*Fig. 6.*) graeco more efficta, quae duo brachia amiſit, ex balteo ſquamato, inſolito ſcilicet ornatu, qui Aegidis locum obtinet, ſuſpicitur. Galea, et inſcriptio graeca ΑΘΗΝΑ, Mineruam eſſe indicant. Quae (*Fig. 7.*) telum manu uibrat, praeter Meduſae caput in Aegide poſitum, caput leonis oſtentat in medio clypeo. Quae (*Fig. 8.*) ſequitur caſſide, haſta et clypeo, notabilis eſt.

§. 5. Praeter plures, quas adhuc exhibuimus, Mineruae ſtatuas, quae *Fig. 9.* oculis noſtris ſubiicitur, ab aliis in eo praeſertim differt, quod nudo ſit pectore, nudis humeris et brachii . Galea criſtam magnam minacemque praeſefert; ſiniſtra haſtam, dextra clypeum tenet, Meduſae capite pro more ornatum. Ipſa Minerua globo inſiſtit, forte ideo, ut ſignificetur prudentiam, et fortitudinem orbi imperare. Illa uero, quae (*Fig. 10.*) illi adſtat, ueſtimentorum uarietate ad ſui ſpectaculum euocat. Primum enim oblonga induitur tunica, quae ad terram uſque defluit; huic ſuperaddita alia ad malleolos usque deſcendens; tertia ad femora pertingit. Demum pallio amicitur, cuius latera in pectore nectuntur fibula, cuius forma in uiri caput deſinit. Pallium utrinque a tergo reiicit; dextra haſtam, ſiniſtra clypeum tenet. *Fig. 11.* exhibet *Mineruam Poliada*, ſiue illam Mineruam, quae in rupe et arce Athenarum colebatur, cuius *templum* cuſtodiebatur a dracone 4) ſiue ſerpente. Peplum etiam ſ. palla ueterum graecarum mulierum ſingularis eſt nota ſiue teſſera, hanc Mineruam eſſe graecam. Hoc enim Mineruae Poliadi perquam celebre. Mineruae ſequentes (*Fig. 12. et 13.*) obſeruatu dignae ſunt. Altera quippe ſedet uolumenque 5) tenet, in quo fortaſſe deſcriptae erant praecepta artium, quae ipſa inueniſſe dicebatur: altera ſcipionem imperantis more erigit, tamquam belli princeps atque Dea, altera uero manu clypeum, Meduſae caput oſtentantem. Quae *Fig. 14.* exhibetur Minerua, ad poſtrema profanae ſuperſtitionis ſaecula pertinere uidetur: quibus temporibus multas in Deorum ſchematibus inductas eſſe mutationes ſcimus. Signum Archetypum, ex quo haec Minerua expreſſa eſt, nouemdecim pollices exaequat. Thorace ſeu ueſte militari Dea contegitur, tunicamque habet talarem; lata praecingitur Zona, et acinacem ad latus ſiniſtrum geſtat. (*Fig. 15.*) Minerua fulmen uibrat; eius exempla multa occurrunt. *Seruius* in lib. 1. Aeneidos ex libris Etruſcorum refert, iactus fulminis manubias dici, et tria numina poſſidere fulmen, Iouem, Vulcanum, Mineruam; nec aliis tribui.

Tab. XVII. §. 6. Varias easque integras Mineruae ſtatuas poſtquam contemplati ſumus, ad eiusdem protomas, ſ. icones medias ueniendum eſt. Prima (*Tab. XVII. Fig. 1.*) inauribus, minus ſolitis Mineruae ornamentis 6), ſpectabilis eſt. Secunda (*Fig. 2.*) thoracem offert ſerpentibus repletum. Monſtra eiusmodi Veteres galeis imponebant, ut cernentibus terrorem incuterent; ſic leonum et draconum capita. Tertia (*Fig. 3.*) criſtae loco draconem habet, et in caſſide alas*), quod etiam alibi occurrit: caput monſtri 7) geſtat in humeris. (*Fig. 4*)

4) *Apollodorus* lib. 3. *Euſtath.* odyſſ. p. 64. templum minus intellige, non *Parthenion.* Diſtinguenda etiam haec Dea, a Spartanorum, quae χαλκιοικος, et πολιουχος, ſimiliter dicebatur. De peplo *Rubenio* et *Ferrario* non conuenit; ſed uerius ſit, quod hic uult, peplum non fuiſſe ex pallio et tunica mixtum.

5) Haud nihil ambigi poſſit, ſitne id, *uolumen*, an imperii inſtar. *Sedens* dea ſaepe exhibetur; uid. theſ. *Gronouii* tom. 6. p. 3724. et tom. 7. p. 467. tom. 4. p. 933. 6) adde et, *Sphinge*, ſub criſta.

*) *Alatis* pedibus eam inducit *Homer.* odyſſ. α.

7) Sculptores enim Aegidis imaginem uarie expreſſerunt.

Tab. XVI.



1. Minerva sedens cum sceptro et clypeo in quo caput Medusæ. 2. Eadem pateram dextra tenens. 3. Eadem galea prorsus singulari ornata. 4. Eadem hastam erigens. 5. Eadem cum casside prominentibus figuris onusta. 6. Eadem Græco more efficta. 7. Eadem telum manu vibrans. 8. Eadem cum hasta et clypeo. 9. Eadem globo insistens. 10. Eadem multis vestibus præter consuetudinem tecta. 11. Eadem cum dracone. 12. Eadem sedens et volumen manu tenens. 13. Eadem altera scipionem, altera clypeum tenens. 14. Eadem thorace militari induta. 15. Eadem cum fulmine.



1–9. Capita Minervæ variis ornamentis distincta. 10. Caput Medusæ. 11. Medusa rupi insidens. 12. Minerva cum Venere. 13. Aiax cum Cassandra ad Statuam Minervæ. 14. Vir Palladium tenens. 15.16. Perseus cum armis a Diis acceptis et capite Medusæ præciso. 17. Idem Andromedam liberans.

(*Fig. 4.*), Tritonem in galea ostentat; quo Minerua Tritonia, a Tritonia palude, prope quam educata fuit, cognominata, exprimitur. Quintae (*Fig. 5.*) Pegaso galea ornata est, et quidem apposite; illa namque hunc equum Bellerophonti dedit. Duae sequentes (*Fig. 6. et 7.*) Aegidis loco loricam squamatam habent; posterior illarum maxima galeae crista distinguitur. In sequente (*Fig. 8.*) draco cristae locum obtinet. Ceteras longe relinquit galea Mineruae (*Fig. 9.*), in qua capita *Socratis* et *Platonis* uisuntur; quod sane indicat, eam esse Deam sapientiae perinde atque belli: lauro autem coronatur, ut in utraque re illam uincere scias.

§. 7. Schemate his protomis subiuncto (*Fig. 13.*) celebrem historiam expressam uidemus; Aiax, Oilei filius, Cassandrae uim stuprumque inferre tentauit, eamque ad Mineruae statuam confugientem comprehendit 8), et sine ulla Mineruae reuerentia inde abstraxit. Palladis statua columnae ceu arae insidet; Aiax crinibus Cassandram, Mineruae genua complectentem protrahit; Cupido Aiacis humeris insistens, ad hoc facinus concitare uidetur. Aiacem ex asylo protractam Cassandram deinde uiolasse, et Mineruam ideo totam Graecorum classem exussisse, nemo fere ignorat. Minerua etiam cum Venere (*Fig. 12.*) in eadem imagine exhibetur. Illa casside tecta, altera manu hastam tenet, altera clypeo innititur, galeamque aliam columnae impositam respicit. Seminuda Venus alteri innixa, columnae manu dextra malum, sinistra facem tenet, quam, quasi extinguere uellet, uersus terram protendit. Hic arcana 9) multa et allegorias proferre liceret, maxime si pro uirtute, Palladem, proque uitio, Venerem, habeamus.

§. 8. Praeter uulgata nomina *Pallas*, *Minerua*, *Athena*, adhuc alia inueniuntur 10), quorum alia ex dotibus eius, alia ex locis, quibus colebatur, petuntur *Gigantophontis*, quod Gigantes occidisset. *Musica* etiam occurrit, quod statuam Mineruae Demetrius quidam ita effecerat, ut serpentes Medusae percussi, instar citharae, resonarent. Vulgare est, *Tritonia*, siue *Tritogenia*, ex flumine seu palude Tritone.

CAPUT VIII.

De Medusa, Palladio et Perseo.

§. 1.

Capitis *Medusae* aliquoties mentio facta, et tam frequenter id non in aegide et clypeis tantum Mineruae, sed et aliorum, conspicimus, ut operae quoque pretium sit, fabulae illius partem referre. Nymphae multae hoc nomine gaudebant; inter Priami filias una Medusae nomen habuit; alia quoque Medusa Stheneli filia fuit. Illa uero, quae apud Poetas celebris, ex Phorcynis filiabus, quae Gorgonum nomine insigniebantur, fuit. Nomina trium Gorgonum erant, Medusa, Stheno et Euryale. Medusa praecellentis erat formae, sed non integrae famae. Neptunus eius amore flagrans, cum illa in templo Mineruae concubuit 1). Haec ob profanatum templum indignata, pulcherrimae Medusae comas in serpentes commutauit, eiusque oculis illam uim indidit, ut quoscunque adspiceret, in petras mutaret. Dii itaque, quum ab hac peste terram liberare cuperent, Perseum miserunt, Iouis et Danaes filium, qui Medusam 2) trucidaret. Ad expeditionem istam Mercurius ipsi pinnas suas dedit, ensemque recuruum, quasi falcem messoriam; Minerua clypeum commodauit. Perseus caput Medusae praecidit, quod postea Minerua gestauit, tum in aegide, tum, licet rarius, in clypeo.

§. 2. Caput Medusae horrendum saepe repraesentatur; nonnumquam uero uulgarem mulieris faciem prae se fert. Interdum forma praestantem Medusam cernimus, tam in aegide Mineruae, quam in aliis monumentis. Elegantem eius imaginem exhibet *Tab. XVII. Fig.* 10. in-

serunt. Alae saepe occurrunt; siue quia *Homerus* ita finxit, Odyss. 1. v. 96. siue quia ad *Itoniam* Mineruam respexerunt, quae occisi impudici patris alas pedibus suis addidit; ea est *Cic.* de nat. D. 3, 23. quinta. Nec impedit, quod caput alae ornent, cum pedes protomis absint.

8) *Hygin.* fab. 116. Virgil. *Aen.* 1, 43. seq.

9) Istis quidem facile caremus. Galeam columnae impositam, ausim *orci galeam* putare, qua Minerua usa esse ab *Homero* fingitur. Istam aliam Proserpinae, Plutonis uxoris, imaginem suspicari liceat; quae malo punico et cetero habitu tam hanc, quam Venerem simulet. Si uero Plutonia sit, et galea Plutonis inde cognoscatur.

10) uide plurima in indicibus *Potteri* ad Lycophr. et indice Gronouiani thesauri. Αδηναια, *Eustath.* *Il.* et *Odyss.*

1) unde *Chrysaor* et *Pegasus* nati *Hygin.* fab. 151.

2) quae sola mortalis dicebatur, *Apollod.* lib. 2, c. 4.

10. in qua, ſi ſerpentes demas, nil niſi gratum conſpicitur. Dubium etiam eſt, an quidpiam pulcrius factum ſit, Meduſa illa, quam ex muſeo Illuſtriſſimi Domini *Foucault* damus *Fig. 11.* Meduſa rupibus inſidens repraeſentatur, moerens, quod non ſolum coma eius in ſerpentes mutetur, ſed et, quod ſerpentes undique irruant, quorum bini brachia ipſius amplectuntur. Caput illa in ſiniſtram reclinat dolore obruta; cuius formae tanta gratia eſt, ut, quamuis inepta fabulae ratio, ſpectatorem non commouere uix poſſit.

§. 3. *Palladium*, quod frequenter a Scriptoribus commemoratur, erat ſignum Palladis tripedale, ligneum. Quum Troiae in honorem Palladis arx conſtrueretur, templumque eidem numini excitaretur, haec ſtatua de coelo lapſa eſt. Oraculum Apollinis reſpondit, inexpugnabilem fore urbem, quamdiu ſtatua haec in illa eſſet; ſed expugnatum iri, ſimulac illa alio transportaretur. Palladium uero hoc ab Vlyſſe et Diomede ablatum poſtea fuit; inde urbs a Graecis exciſa. Statua eadem Romam translata, in templo Veſtae ſeruabatur 3). Narrant alii non unum, ſed plura fuiſſe Palladia, aliudque non Troianum, Romam translatum. Palladii ſchema hic damus, quod (*Fig. 14.*) uir, quem pro Diomede habent, manibus geſtat.

§. 4. De *Perſeo* modo locuti ſumus, nec commodior fuerit locus hiſtoriae illius, quae non ſpernendam Mythologiae partem conſtituit. Perſeus, Iouis et Danaes filius erat. Nemo quippe ignorat, Iouem in pluuiam auream conuerſum, in ſinum Danaes incidiſſe; ipſam uero praegnantem cum pater Acriſius deprehendiſſet, cui Iouem foetus patrem, perſuadere filia non poterat: in arcam incluſam fuiſſe et in mare deiectam. Inde cum in Seriphum inſulam, uel alio, arca appuliſſet, Perſeum peperiſſe qui a Polydecte educatus fuit 4). Perſeus quum adoleuiſſet, et expeditione contra Meduſam, ut modo narrauimus, feliciter defunctus eſſet: Meduſae capite munitus ad Atlantem in Heſperidum regionibus imperantem, profectus eſt. Atlas uero, quum Perſeo hoſpitium negaret, ab eo caput Meduſae obuertente, in montem mutatus eſt. Deinde Andromedam liberatum profectus eſt, quae ad rupem uinculis conſtricta fuit, hanc, occiſis aut in lapidem uerſis omnibus iis, qui obſiſterent, a uinculis ſoluit, et deinde uxorem duxit; tandem auum Acriſium diſco imprudens occidit. Diſci huius inuentum Perſei eſſe dicunt. Atque haec breuiter. Duo hic Perſei ſchemata exhibemus (*Fig. 15. et 16.*) Priori, ex Muſeo laudatiſſimi D. *Foucault*, et eleganter ſculpto, manus dextra cum parte brachii periit: ueroſimile autem eſt, ipſum hac manu caput Meduſae tenuiſſe, ut in ſequente. Pede hic calcat Mercurii petaſum, cui pinnae ſunt affixae, clypeus arbori alligatus eſt, et lorica illius a latere poſita. In poſteriori, dextra caput Meduſae geſtat. Poſtremo (*Fig 17.*) Andromedam 5) ex rupe reducens Perſeus exhibetur, pinnas talares geſtans, ut Mercurius: ad pedes illius adeſt monſtrum marinum, uti uidetur, quod cetum ſimulat, a quo Andromeda deuoranda erat.

CAPVT IX.

De Diana.

§. 1.

DIANA, Graecis Ἄρτεμις, filia erat Iouis et Latonae, adeoque Apollinis ſoror gemella. Poetae certe ac ſcriptores plerique omnes, Iouis et Latonae filiam celebrant. Huic etiam diuini honores attributi, templa conſtructa et arae erectae. Fabulantur autem 1), quum Latona peperit, priorem Dianam egreſſam matri obſtetricatam eſſe, ut Apollinem ederet; quumque illa uidiſſet, quantis doloribus mater enixa ſit, hinc adeo nuptias et concubitum auerſatam, ut a patre Ioue hanc gratiam impetrarit, ut uirginitatem perpetuam ipſi colere liceret, quam uitam ſimili modo Minerua ſoror agebat.

§. 2. Repraeſentatur plerumque cum arcu et pharetra, breui tunica et ſuccincta, ut uenatricem decet. Aliquando canem ad pedes habet: Venatui enim praecipue dedita fuit, et uirgines uenationis comites ſecum habuit. Ceruina pelle nonnumquam amictam fuiſſe

3) *Dionyſius* Halicarn. *Herodot.* plura uide in *Gronouii* theſauro tom. 7. p. 307. quomodo ablatum ſit, tom. 4. p. 190. 1114. tom. 5. p. 1888. ſeq. *Lipſium* de Veſtalibus, c. 9. *Canterum* et *Meurſium* ad Lycophr.

4) *Apollod.* l. 2. c. 4. *Grev.* theſaur. tom. 6. p. 3573 et 3618.

5) *Apollod.* lib. 2. c. 4. §. 3.

1) *Apollod.* lib. 1. c. 4.



1. Diana veste talari induta. 2. 4. 5. et 13. Eadem ad venatum currens et feras persequens. 3. Eadem vestitu venatico induta. 6 Eadem cum hinnulo. 7. Eadem cervum manu tenens. 8. Eadem ad arborem sedens. 9. et 10. Eiusdem facies adversa et aversa. 11. Eadem cum cane ad pedes. 12. Eadem cervum cornibus tenens. 14. Actæon a Diana in cervum mutatus.

Tab. XIX.



Actœon a Diana in cervum mutatus. 2. Diana Lucifera. 3. Eadem globo insistens. 4. 5. 6. Hecate iplex. 7. 8. 9. 10. Diana Ephesina mammosa, variis figuris symbolicis ornata.

fuiſſe, narrat *Pauſanias*; creſcentem lunam ſaepius in fronte habet. Raro ſedens pingitur, ſed plerumque ſtans, uel feras uenando inſequens. Aliquando bigis ceruorum uehitur. Prima, quam proferimus, Diana (*Tab. XVIII. Fig. 1.*) ueſte talari induta eſt, quod minus frequenter occurrit; lunae cornua in fronte geſtat, manuque dextra ſagittam educit ex pharetra, quam humero geſtat. Quae (*Fig. 2.*) feras perſequi uidetur, breui ueſte induta eſt, ſicque uulgo occurrit, ita ut tunica genua non attingat; haec nec arcum nec ſagittas amplius habet, quae iniuria temporum ſine dubio perierunt. Ornatu capitis gaudet plane ſingulari Duae ſequentes (*Fig. 3. et 4.*) uenantium habitu comparent, et parum inter ſe differunt. Prior arcum manu dextra tenet, et canem adpedes habet; poſterior feras uenatur, cane comitante. *Fig. 5.* Dianam denuo ueſte talari indutam conſpicimus, arcum manu ſiniſtra tenentem. Sequens Diana (*Fig. 6.*) cuius calceamentum plane ſingulare eſt, hinnulo blanditur, et arcum laeua tenet. Narrant Mythologi, Dianam primo nudam proceſſiſſe, ut illam hic cernimus ceruum et arcum tenentem (*Fig. 7.*) Verum Iupiter id non decere uirginem ratus, Mercurium illi ueſtem apparare iuſſit; hic uero plurimas illi ueſtes dedit. Adeo tamen inſolitum eſt, Dianam nudam offendere, ut non deſint, qui hanc putant Atalantam eſſe. Raro ſedens repraeſentatur Diana; ſedentem tamen conſpicimus (*Fig. 8*) ad pedem arboris, pharetram humero geſtantem, ſiniſtra manu nixam arcu, terram contingente, dextra uero faſciam tenente, ſeu taeniam ad caput canis adſtantis defluentem. Putabant ueteres Dianam Idibus Auguſti a uenatu abſtinuiſſe, eoque tempore canes ſuos uenandi officio egregie functos coronauiſſe; ideoque illo ipſo die in honorem Dianae a uenando ceſſabatur, canes uenatione probe functi coronabantur, et faces accenſae geſtabantur, ut in magna celebritate. Tab. XVIII.

§. 3. En (*Fig. 9. et 10.*) Dianam aliam a parte antica et poſtica, praecipue ſpectabilem. Ornatum capitis geſtat, numquam alibi uiſum, et creſcens luna fronti inſidet; manum alteram lateri immittit, altera baculum tenet; tunica illius, quae ad terram defluit, ab utraque parte diffiſſa eſt, ut expeditius iter carpere poſſit. Ocreas etiam geſtat; ad pedes illius canis ſedet. Quae ſequitur (*Fig. 11.*) et manum lateri innixam habet, eſt Muſei Iuſtiniani. Haec pharetram humero geſtat, canemque ad pedes habet. Diana Verſalienſis (*Fig. 12.*) ceruum cornibus tenet, ſiniſtraque ſagittam ex pharetra educit. Altera Diana Verſalienſis (*Fig. 13.*) uenatum currens exhibetur; arcum illa erigit, et ſagittam altera tenere uidetur.

§ 4. Praeter Dianae nomina iam memorata, aliis quoque illa nominibus 2) gaudebat. *Agrotera* ſcilicet uocabatur, i. e campeſtris et uenatrix; *Arduinna* aut *Ardoinna*, quo nomine a Sabinis appellabatur; *Cyndias* apud Polybium; *Dictynna* in Creta inſula; *Omniuaga* apud *Ciceronem*, non quidem a uenando, ſed quod in ſeptem ſtellis, tamquam uagantibus, (Luna, ſ. Diana) numeretur; *Taurica*, quia in Cherſoneſo Taurica colebatur. A poetis aliisque ſcriptoribus innumera paene Dianae epitheta nominaque confinguntur, quae nos breuitatis cauſa omittimus.

§. 5. Non alienum eſt hic referre fabulam, de Actaeone a Diana in ceruum mutato, cuius imaginem *Fig. 14.* exhibet. Actaeon Ariſtaei et Autonoes filius 3), quum in agro Megarenſi uenaretur, Dianam et ſocias Nymphas inuenit in fonte ſeſe abluentes. Nouitate ſpectaculi motus propius acceſſit, quo curioſius rem obſeruaret. Temeritatem punitura, Diana ipſum in ceruum mutauit: quo facto a canibus ipſe ſuis deuoratus eſt. Fabula haec in ſchemate (*Tab. XIX. Fig. 1.*) ita exhibetur, ut ſingulatim omnia exprimantur. Diana lunae cornibus ab aliis diſtincta Nymphis, in fonte nuda cum illis abluitur, ſpectantem Actaeona aqua aſpergit, et in ceruum transmutat. Cupido, qui tegendae Dianae ueſtes affert, ſculptoris inuentum eſſe uidetur. Actaeon hic ueſte militari indutus repraeſentatur, quae tamen ueſtis uenatoribus non in uſu erat: uerum Imperatores et principes uiri aliquando in ueſte militari uenabantur. Tab. XIX.

§. 6. Dianae porro non ſemper ueſtem uenatoriam cernimus: ſaepe bicornem geſtat lunam, immo etiam ſine luna, magno obtegitur uelo. In priori ſchemate, quo (*Fig. 2.*) Diana talis exhibetur, uelum eiusmodi ſtellis undique ornatur. Haec autem Diana *Lucifera* ſ. *Diana Luna* uocatur. Atque haec modo facem geſtat, ut *Fig. 3.* quae ſimul globo inſiſtit; modo eam uerſus terram inclinat, quaſi extinguendam.

§. 7. Dianae Luciferae Tergeminam ſubiungimus *Hecaten.* Hanc Iupiter, auctore *Theocriti* Scholiaſte, ex Cerere ſuſcepit, robore et proceritate ſpectabilem, eamque pater in terram ad quaerendam Proſerpinam miſiſſe perhibetur. Ceterum ea *Artemis* modo ſeu *Diana*, modo *Phylax* ſeu cuſtos uocatur; item *Taedifera*, *Lucifera* et *Infera.* Alii dicunt

 Heca-

2) uide Indicem in uniuerſum theſ. *Gronouii.*

3) *Apollod.* lib. 3. c. 4. §. 4.

Hecaten et Proſerpinam eamdem eſſe, et Dianam, in quantum pro Luna accipitur, non aliam eſſe, quam Hecaten atque Proſerpinam 4). Triplex autem illa repraeſentari ſolet, ita, ut tres perſonae dorſo mutuo iungantur, et ora exterius exhibeant. *Apuleius* (lib. 11. aſini) eam uocat *Proſerpinam* ſpecie triformem; *Triuia* 5) quoque dicitur, quoniam, *Varrone* teſte, in iis locis ponebatur, in quibus tres uiae concurrebant, uel quia eadem eſt atque Luna, quae tres currendo uias ſequitur, in altitudinem, latitudinem et longitudinem. Tribus pingebatur faciebus, narrat *Cleomenes*, quia Veteres tres in luna figuras obſeruabant, bicornis ſcilicet lunae, mediae et plenae. At ſecundum *Seruium*, *Virgilii* interpretem, Hecate habet tres facies, quia praeeſt natali, ſanitati et morti. Atque hinc, ait *Voſſius*, aliqui tres Parcas ſtatui iudicarunt, unam ortus, alteram uitae, tertiam mortis, praeſidem.

§. 8. Tria hic, *Tab. XIX. Fig. 4, 5, 6.* Hecates ſchemata proferimus, quorum ſingula triformia ſunt, et unam eamdemque ſtatuam ex omni parte repraeſentant. Prima (*Fig. 6.*) bicornem lunam capite praefert, et ſuper cornibus florem, quae nota Iſidis eſſe uidetur; Iſis autem etiam luna eſſe cenſebatur. Vtraque manu facem tenet, ut Diana Lucifera, unde etiam Taedifera dicitur. Secunda, quam *Fig. 5.* diſtinctius uidemus, biretum ſeu galerum Phrygium geſtat, ex cuius infima ora radii erumpunt, atque coronam quaſi radiantem efficiunt; altera manu gladium, altera ſerpentem 6) geſtat, fortaſſe quia ualetudini praeeſt, ut ait *Seruius*, cuius ſymbolum ſerpens eſt. Tertia *Fig. 4.* lauro coronatur, dextraque manu clauem, ſiniſtra uero funes geſtat. Clauis huic Deae optime conuenit, quae Phylax ſ. Cuſtos 7) ſupra dicebatur; quoniam inferorum cuſtos eſt, ibidemque cum Plutone regnat. Funes etiam inferorum cuſtodi conuenire poſſunt.

§. 9. In Italia Diana quaedam erat, quae *Ardoinne*, *Ardoinna* et *Arduinna* uocabatur. Nomen illius triplici hac ratione ſcriptum, occurrit in duobus Romanis marmoribus. Hanc autem Dianam Arduinnam, ex Arduenna ſilua, nomen accepiſſe, ueroſimile eſt, quia ibi Diana ſummo honore colebatur; quod uidere eſt apud *Gregorium Turonenſem* L. 8. c. 15. ex cuius uerbis patet, ad usque tempus illud, Dianae illius cultum, iſtis in regionibus admodum fuiſſe celebrem, nec non in Dioeceſi Treuirenſi. Ipſe *Gregorius* narrat, quod, opitulantibus uicinis, ingentem Dianae ſtatuam deiecerit, quam plebs impio cultu proſequebatur. Cultus porro Dianae, qui in multis Galliae partibus frequens fuiſſe uidetur, longiori, quam uulgo putatur, tempore, in multis Galliae partibus haeſit; etiam a quo tempore Chriſtianiſmus totam Galliam occupauerat. Chriſtiani quippe non pauci erant, qui cultum Dianae cum uera religione miſcebant, et Chriſtianam profeſſi religionem multos ſeruabant ritus, ad profanum cultum et Deos illos ueteres ſpectantes. Certe ad finem usque ſaeculi XIII. eiusmodi exempla deprehendimus.

§. 10. Frequentiſſima fere ſunt ſchemata, quae Dianam Epheſiam, ſeu mammoſam, referunt. Etſi uero omnes eiusmodi ſtatuae in hoc inter ſe ſunt ſimiles, quod mammas plurimas oſtendunt, aliquando ad latera uſque: ſemper tamen aliquid diſcriminis adeſt, tum in ſymbolorum numero et conditione, tum in aliis ornamentis; nec facile duo eiusmodi ſimulacra deprehendas, quae in omnibus plane conueniant. Iſis Aegyptiaca Dianae Epheſiae in multis ſimilis eſt, ſed numero mammarum inferior, quo praecipue ab illa differt. Speciminis loco aliquot eiusmodi ſtatuas deſcribere iuuat. Statua prior Dianae Epheſiae in admirando illo templo Epheſino collocata, ex ebeno erat, ut *Plinius*; ut *Vitruuius*, ex cedro, ut alii, ex ligno uitis, fuit. Haec, quam *Tab. XIX. Fig. 7.* proferimus, inter elegantiſſimas computari debet. Caput illius turrim geſtat duplici contignatione excitatam; baſis illius utrinque extenditur, ita, ut ex utraque uultus parte tabulae in ſemicirculum ſeſe extendentes conſpiciantur, in quibus gryphes alati apparent. Gratus eſt Deae uultus, capilli tonſi, et ex humeris eius encarpus ad medium usque pectus deſcendit, in cuius medio cancer exprimitur; manus illa extendit, utrique leo inſidet. Infra Deae ſinum inter priores duas faſcias mammarum copia maxima uiſitur. Inter ſecundam et tertiam faſciam aues exhibentur; tertiam inter et quartam caput humanum cum alis, et capita hominis hinc et inde; inter quartam

4) Ita *Euſtathius* in Iliad. pag. 439. ἄρτεμιν, ἑκάτην, σελήνην, eamdem eſſe dicit. *Virgilius* lib. 4. Aeneid. v. 511. Tergeminamque Hecaten, tria uirginis ora Dianae.

5) Ενοδιαν περσεφονην, ἐν ταῖς τριοδοις [illegible], dicit *Scholiaſt.* ad Sophoclis Antigonen. Vide *Potteri* notam ad Lycophr. v. 1176. ἐντριοδοις ἐτιμων, *Scholiaſtes Ariſtoph. Pluto.* adde *Faſoldum* de feſtis graec. tom. 7. *Gronou.* p. 575.

6) Proſerpinam reginam, Plutonis, cui *ſerpens* addi ſolet, coniugem, ſignificare, credi poſſit.

7) ἔφορος παντων καὶ κυροτροφος dicitur *Scholiaſt.* ad Ariſtoph. Veſpas. Melius tamen, quia orcum quaſi claudit, nec reditus inde eſt. Funes, pro flagello ad poenas.

tam et quintam duo capita boum. *Fig. 8.* alia exhibetur pluribus ornamentis et ſymbolis inſtructa. Capite turrim geſtat trium tabulatorum; ſub turri uelum, quo teguntut humeri; encarpus pectoris magnam partem occupans, aculeis undique munitus eſt; intra hunc duae comparent Victoriae coronam cancro infra poſito imminentem tenentes; duo leones utrique brachio inſident. Pars inferior per faſcias in quatuor partes diſtinguitur. In prima parte mammae; in ſecunda tria ceruina capita non affabre ſculpta, et ex utraque parte duae humanae figurae; in tertia et quarta boum capita prominent; a lateribus quoque ſtatuae animalia quaedam et monſtra prorumpunt.

§. 11. Plura in aliis, in aliis pauciora talia ſymbola occurrunt, cancri uidelicet, boues ſeu tauri, leones, gryphi, cerui, ſphinges, inſecta, apes, rami, roſae, interdumque humanae quoque figurae; ita ut omnes illae imagines eodem abeant. Eruditi autem plerique omnes in eo conſentiunt, quod rerum natura ſeu hoc uniuerſum, et uis generandi, omnium rerum mater, ſymbolis iſtis ſignificetur. Hoc uero non ſimplicis coniecturae loco habendum; cuius rei inſcriptiones duabus ſequentibus (*Fig. 9. et 10.*) ſubiunctae fidem faciunt. In una quippe legitur φύσις παναίολος πάντων μήτηρ i. e. Natura rerum uarietate plena, omnium mater; altera uero, φύσις παναίολος, Natura rerum uarietate plena. Prior imago apes fere et roſas tantum habet; ſecunda globum manu tenet, altera lunam bicornem. Inter faſcias animalia pro more exprimuntur; in medio ſacrificium, matri rerum naturae factum, conſpicitur. Inter omnes ferme conuenit, ſymbola haec ſimul collecta, ad plura numina referri; quae in una Dianae Epheſiae imagine coaluiſſe uidentur. Sic turris ſeu corona turrita ad Cybelem Matrem Deum pertinet, cui leones quoque ſacrati ſunt; fructus bouesque Cereri, Gryphes Apollini, ſeu Soli; cerui Dianae; quae, et Luna. Notabilis praeterea cancer 8) eſt, qui non tantum frequenter in ſchematibus Dianae Epheſiae occurrit, ſed etiam ſaepius a Geniis coronatur. Non deſunt, ex uiris antiquitatum peritis, qui dicunt, cancrum hic pro ſigno Zodiaci accipi, quia cum luna aliquid conſortii affinitatisque habet. Putant alii, cancrum regionem maritimam deſignare, qualis erat Epheſi ager; coronari uero illum ob uictoriam quandam ab incolis iſtius regionis reportatam. Facile uero intelligitur, Dianam ceu matrem rerum naturam, multas habere mammas, quia animalium plantarumque omnium nutrix eſt; conferatur de his rebus Claudii *Menetreii* liber in Dianam Epheſinam a. 1657. Romae 9) excuſus.

§. 12. Poſt Dianam, Meleagrum ideo conſtituimus, quod ille Dianae miniſtrum irae, Aprum Calydonium occidit. Oenei autem 10) et Althaeae filius erat. Cum natus eſſet, mater tres Parcas iuxta ignem ſtantes et titionem tenentes uidit, ſimulque affirmantes, quod, quamdiu titio ille duraret, filius uicturus, illo autem conſumto, ſtatim moriturus eſſet. Althaea itaque titionem extinxit, et magna cura ſeruauit. Quum uero Oeneus regionis feraciſſimae rex quotannis fructuum primitias diis offerret: accidit ut aliquando easdem Dianae offerre negligeret. Hac re Dea commota miſit aprum ſtupendae magnitudinis, qui toti regioni infinita damna inferebat, et Oenei in primis uineam deuaſtabat. Hanc uineam Ancaeus, Neptuni filius, plantauerat, eamque cum Oeneo aſſidue colebat. Ceterum Ancaeus hic admodum moroſus et ſeruis moleſtus erat; quorum unus ipſi uaticinabatur, ipſum ex uineae fructu numquam deguſtaturum. Vindemiae accedente tempore, uuae collectae ſunt, uinumque fuit expreſſum. Ancaeus arrepto poculo uinum infundit, uatemque ſeruum irridendo compellat. Seruus reſpondet: *Multa ſunt inter calicem et ſummum labrum;* quo dicto ſtatim adueniens nuncius Ancaeo ſignificat, aprum portentoſae magnitudinis uineam ipſius deuaſtare. Tunc Ancaeus, poſito poculo, antequam bibiſſet, ſecuri armatus accurrit; ſed ab apro occiditur. Inde qui fortiores in Graecia ferebantur aprum expugnatum uenerunt, et plurimi ab eo occiſi, donec a Meleagro tandem interemtus eſt, comitibus Theſeo, Pirithoo, Iaſo ſ. Iaſio Atalanta Nympha, multisque aliis. Atalanta haec aprum uulnerauit, Meleager uero confecit humero transfixum, aut capite, aut latere, ut uarie perhibetur. Aper hic tam uaſtae magnitudinis fuiſſe dicitur, ut dens illius aliquis, Romae in templo Bacchi ſeruatus, ſupra

L

8) Licuerit ambigere, ſitne *Scarabaeus*, quem in Deae Syriae ſimulacro *Bellorius* tom. 7. *Gronouii* p. 430. ſolis apud Aegypt. ſymbolum notat; an uero *teſtudo*, de qua *Pignorius*, ibid. p. 511. in matris Deum initiis breuibus agit. Cancrum certe ſi artifices uoluerunt, non nihil ars defecit. uide tamen de *cancro* in Dianae ſtatua ſymbolica *Menetreii* expoſ. tomo 7. *Gronouii* p. 373. ſeq. Id certum eſt, pleraque ab Aegyptiis eſſe petita.

9) Auctior. pluribusque numis et monumentis illuſtratus, exſtat in *Gronouii* theſauro tom. 7.

10) *Apollod.* lib. 1, c. 8. plura tom. 6. *Gronouii* pag. 3515. Μελέαγρος Φερώνυμος ὠνόμαστο, διὰ τὸ μέλειν ἄγρας, *Euſtath.* Iliad. p. 236.

pra pedem tres pollices aequauerit. Meleager Atalantae apri pellem obtulit ceu uirtutis praemium. Plexippus uero et Toxeus 11) Althaeae fratres, et Meleagri auunculi, pudendum arbitrantes, quod uirgini uictoriae palma daretur, ab ea pellem abstulerunt; qua re indignatus Meleager ambos interfecit, Atalantam duxit uxorem, ex eaque filium suscepit nomine Parthenopaeum. Comperta fratrum nece Althaea in furorem uersa est, et filium ut puniret, fatalem titionem in ignem immisit. Statim Meleager intestinorum flammam sentit, et cum titione exspirauit.

Tab.XX. §. 13. Huc pertinent schemata sequentia. *Tab. XX.* non modo elegantissimas Meleagri et Atalantae statuas, sed ipsam quoque Meleagri mortem, et qui eam praecesserat morbum repraesentat. *Fig. 1.* Meleager exhibetur, cum quo *Fig. 5. et 8.* quae eumdem Meleagrum sistunt, conferendae; singulae hae statuae elegantissimae sunt. Atalantam sistit *Fig. 2. et 6.* quae itidem a peritissimi sculptoris manu profectae. *Fig. 3.* decumbentem uidemus Meleagrum, quem duae mulieres sustentant; mater contum tenet, qui aduritur. In marmore Romano mors Meleagri exhibetur eo modo, quo illam (*Fig. 4.*) conspiciendam tradimus. Althaea Parcis comitibus titionem adurit; Meleager decumbit mox moriturus; ad puluinum mulieres duae uisuntur, forte sorores illius, quarum altera aegrotanti aliquod remedium offerre uidetur; Atalanta cubitu nixa coniugem luget. Meleager, quem *Fig. 5* exprimit, tanta industria elaboratus est, ut inter praecipua monumenta in primis numerandus sit; cornu etiam uenatorium, quod manu tenet, obseruatu dignum est, quod in monumentis uetustis uix simile quid occurrat. Atalantae quoque statua *Fig. 6.* quae Versaliis uisitur, omnium elegantissima perhibetur, quandoquidem is qui eam delineauit, tanta industria usus est, ut ipsum archetypum superare uideatur. Venatricis ea cultu repraesentatur et tunica eius uix ad genua pertingit; ferarum autem pellibus praecingitur. Hic obseruandum, quod Veterum quidam duas Atalantas distinguere uideantur, quarum alteram Schoenei, alteram Iasii et Clymenes filiam perhibent.

§. 14. Nec praetermittenda hoc loco fabula 12) est, de coniugio Atalantae (cuius parentem alii Schoeneum, alii Iasium, alii Maenalum dicunt) cum Hippomene s. Meilanione. Atalanta uirginitatem perpetuam seruare sibi proposuerat, sed usque adeo formosa fuit, ut innumeri illam deperirent. Vt autem tot procorum importunam turbam amoueret, conditionem posuit, ut si quis ipsam uxorem ducere uellet, de uelocitate cursus cum ipsa contenderet; ea quidem lege, ut qui certare cum ipsa uellet, inermis curreret, ipsa uero iaculum teneret, quo statim eum transfoderet, quem cursu attingere posset; eum uero, qui ipsa retro relicta prior ad scopum pertingeret, sponsum ipsius futurum. Conditionem accepere plurimi; quia uero illa pedibus celerrima omnes anteuertebat: quotquot periculum fecere, ab ea peremti sunt. Hippomenes, Macarei s. Megarei filius, Neptuni nepos, ab initio decursionis spectator fuit, summamque iuuenum temeritatem improbabat, qui cum Atalanta certando ad certissimam necem currebant. Vt uero Atalantam primum uidit, tanto illius amore exarsit, ut periculum rei et ipse facere, et cum ea decurrere decreuerit; licet admodum formidaret, ne parem cum aliis fortunam experiretur. Venerem ergo rogauit, opem ut ferret, et ipsum in tanto periculo iuuaret. Propitia Hippomeni Venus mala ipsi aurea tria dedit, cuique usui adhibenda essent docuit. Currit ergo Hippomenes cum Atalanta, cumque uideret, eam iam instare, et imminere currenti, malum unum proiecit, cuius pulchritudine abducta Atalanta, relicto Hippomene, ad illud tollendum properat, interimque Hippomenes uiae aliquod spatium emensus longe illam antecedit. Redit ad cursum Atalanta et Hippomenem attigisset, nisi secundo, et tertio malo ipsam auertisset et sic prior ad scopum peruenisset. Hoc modo Hippomenes, ut conditio ferebat, Atalantam duxit uxorem. Verum tanti sensu gaudii, Veneri gratiam pro tanto beneficio reddere, thusque ipsi offerre, immemor neglexit. Indignata Venus ingratum illius animum, tantum illi amoris erga Atalantam immisit, ut sui non compos cum illa in templo Cybeles coiret, adeoque Matris Deum iram in se concitaret; haec uero Hippomenem in leonem, et Atalantam in leaenam, conuertit. Paullo aliter hanc fabulam narrat *Apollodorus* Lib. III. Elegantissimum monumentum Hippomenis et Atalantae, qui iam ad scopum peruenerunt, exhibet *Fig. 7.* ubi tam Hippomenes, quam Atalanta pomum tenet.

CAPVT

11) Hic *Apollodoro Althaeae* ex Oeneo filius dicitur, lib. I. c. 8. Idem *Thestii* filios, quatuor, nominat c. 7. v. 10.

12) *Apollod.* l. 3. c. 9. *Aelianus* uar. hist. 13. 1. *Tzetzes* Chil. 12. histor. 453. *Ouid.* metam. 10, v. 565. seqq.



Meleager. 2. Atalanta. 3. Meleager decumbens. 4. Meleager moriturus. 5. Idem. 6. Atalanta.
Hippomenes et Atalanta. 8. Meleager columnæ innitens.

Tab. XXI.



1 et 2. Venus cœlestis 3. Venus marina ex spuma maris progenita 4. Venus marina a Tritone vecta 5. Eadem equis marinis vecta 6. Eadem capræ marinæ s. hirco insidens. 7. Venus contracto corpore. 8. Venus marina 9. Venus cum Cupidine Delphino insidente 10. Venus sculptura insignis. 11. Venus columnæ innixa et globum ad pedes habens. 12. Eadem vasi innixa.

CAPVT X.

De Venere.

§. I.

VENVS, Graecis Ἀφροδίτη dicta, uarietate originis, quae eius non una traditur, Deorum nulli cedit. *Venus prima*, numerat *Cicero* 1) *Coelo et Die nata, cuius Elide delubrum uidemus: altera ſpuma procreata, ex qua et Mercurio Cupidinem ſecundum natum accepimus: tertia Ioue nata et Diona, quae nupſit Vulcano; ſed ex ea et Marte natus Anteros dicitur: quarta Syria Tyroque concepta, quae ASTARTE uocatur, quam Adonidi nupſiſſe traditum eſt. Pauſanias* in Boeoticis lib. 9. refert, apud Thebanos tres fuiſſe ſtatuas ex lignis ipſis nauium Cadmi confectas; primam *Veneris coeleſtis*, quae purum amorem cupiditatibus corporeis liberum ſignificat; ſecundam *Veneris popularis*, amorem impudicum denotantis; tertiam *Veneris Apoſtrophiae*, ſic uocatae, quod affectum ab impuritate qualibet auertebat. Alibi idem *Pauſanias* duas tantum admittit Veneres, coeleſtem nempe et popularem. Narrandi finis non eſſet, ſi quicquid Veteres tum de origine, tum de geſtis dotibusque Veneris dixerunt, congereremus; hoc adiungimus, ſcriptores multos, in iisque *Clementem Alexandrinum* in Protrept. dixiſſe, Venerem originem ſumſiſſe ex partibus genitalibus Coeli et maris ſpuma.

§. 2. Ex his Veneribus ea, quae a Graecis paene omnibus & a Romanis culta potiſſimum fuit, Iouis et Diones filia eſt; quod tamen non impedit, quo minus monumenta quaedam Veneris coeleſtis, multoque plura Veneris marinae deprehendantur: uerum longe numero ſuperant ea, quae Venerem Iouis Dionesque filiam exhibent. Huic etiam multa ſunt tributa, quae ueteres aliis Veneribus adſcripſerunt. A Venere coeleſti ordiemur, hinc ad Venerem marinam, demum ad Venerem Iouis Dionesque filiam progrediemur; quae poſtrema nonnumquam πάνδημος, ſeu *popularis*, uocatur; ab eaque ad alia numina ipſi fere coniuncta, licet inferiora, procedemus.

§. 3. Duo ſchemata priora *Tab. XXI. Fig. 1. et 2.* Veneris coeleſtis 2) a Viro docto, equite *Maffeio*, in lucem edita ſunt. Ambae hae Veneres alites ſunt; prior ueſtibus induta globum coeleſtem contemplatur; papilio, animae ſymbolum, infra poſitus a face ſuppoſita declinare uelle uidetur, ne alas comburat, uideturque Venus animae huius horoſcopium quaerere, et diem mortis eius in globo coeleſti explorare. Poſterior *Fig. 2.* pallam a tergo pendentem ſeu uelum geſtat, nuda corporis nullo modo tegens; cupidini offert circulum ſiue armillam. Nulla Veneris coeleſtis effigies ſupereſt, qualem depinxerat *Eleis Phidias*, auctore *Pauſania* in Eliacis. Venus iſta teſtudinem calcabat, quod ſecundum *Plutarchum*, mulieribus documento eſſet, et officii eas admoneret, ut ſicut teſtudines domo non exirent, et domeſticis negotiis darent operam. Tab. XXI.

§. 4. Venus marina, quam etiam *Epipontiam* uocant, et πελαγίαν, ποντίαν, λιμενίαν, itemque *Tritoniam*, quia a Tritonibus ſaepe uehitur; item Anadyomenen quia ex mari emergere uidetur, et *Aphroditem*, quia ex ſpuma gignitur, naſcens conſpicitur figura huius *Tab. XXI, 3.* ubi ex mari emergens et in cochlea ſedens ſuſtentatur a duobus Tritonibus, qui natam Venerem uenerabundi intueri uidentur; longum illa capillitium ſtringit, ut ſpuma effluat. In alio ſchemate *Fig. 4.* Tritone uehitur, clypeumque geſtat, cui affixum caput, forte Meduſae. Equis porro marinis (*Fig. 5.*) uecta undas ſulcat, ueloque peramplo caput obtegit; adnatat quoque Cupido; remus ad Veneris pedem ſitus, nauigationis ſymbolum eſt. Cupido 3) fortaſſe ſignificat lucri cupidinem, qua negotiatores maris adeunt pericula. Caprae etiam marinae uel hirco, inſidentem *Fig. 6.* Venerem cernimus. Cupido pone capram flagellum tenet, quo illam concitet. Contracto poſtea corpore *Fig. 7.* Venus repraeſentatur, a peritiſſimo artifice effícta, et cochleae innixa. Conferri cum hoc meretur *Fig. 8.* quae quidem Nereidi admodum ſimilis eſt, dum aquam ex mari cochlea haurit; Nereis uix a Venere marina diſtingui poteſt, incertumque uidetur, an ipſi Veteres illi profani nota quadam ambas internoſcere potuerint. *Fig. 9.* Venus marina

 in

1) de nat. Deor. 3. c. 23. Varia Deae cognomina uide in indicibus *Lycophr.* et *Grononiani* theſauri.

2) *Pauſanias* quadrato lapidi, *Veneris Vraniae* nomen inſcriptum ſe uidiſſe, in *Atticis* narrat. Vide Platonis *Sympoſium* tom 1. op. edit. *Aldin.* p. 243.

3) Videtur tantum dignoſcendae matri inſeruire.

in mari ſtans exprimitur; Cupido autem in fluctibus Delphino inſidet, et Venus peramplum uelum tenet, quo Cupidinem obtegere uelle uidetur.

§. 5. De Venere iam amoris Dea, quam πάνδημον i. e. *popularem* ſiue *uulgariam*, uocarunt, agendum eſt. Haec apud *Athenaeum* Lib. 6. *Cypris* 4) uocatur. Saepe nuda, non raro tamen ueſtimentis tecta repraeſentatur. Praxiteles, (narrat *Plinius* 36, 5.) duas Veneris ſtatuas ſculpſit, ueſtitam aliam, quam Coi emerunt, alteram nudam, quam Cnidiis uendidit. Haec celebris admodum euaſit. *Nicomedes* Rex eam grandi aere emere uoluit, at Cnidii abnuerunt. Huius ſtatuae elegantia multos ad ſpectandum euocabat, artificii miraculo. Quidam frequentius illam inuiſens, eiusque amore captus, munera in dies magna afferebat; eo autem deuenit inſaniae, ut nuptias illius a Cnidiis expoſceret, maiora munera pollicitus. Cnidii conditionem quidem reiecerunt, nec tamen aegre tulere, rati hoc Deae ſuae pulchritudinem celebriorem reddere.

§. 6. Ex Veneris ſtatuis, quae ſuperſunt, elegantiſſima eſt magni Hetruriae Ducis, *Tab. XXI. Fig. 10.* qua nihil unquam praeſtantius oſtentaſſe ſculpturam, dicunt periti. Venus clariſſimi Domini *Boiſot*, in Veſontionenſi curia praeſidis, *Fig. 11.* columnae innititur globumque ad pedes habet, quo 5) eius in hominum corda imperium indicatur. Quae *Fig. 12.* ex uilla Burgheſia prodiit exquiſiti eſt artificii: induta tunica uaſi innititur, uti uerosimile
Tab. XXII. eſt, ad unguenta, quibus poſt balneum utebatur, deſtinato. Quae *Tab. XXII. Fig. 1.* ſequitur, eius altitudo eſt ſeptem octoue pollicum. Stat prope arborem, ex qua pendet pharetra; Cupido puer palmas tendit ad matrem pharetram petens, ad quam pertingere nequit; malum Venus ſiniſtra tenet aureum ſcilicet, quod ipſi pretium formae olim Paris tradidit. Venus ſequens *Fig. 2.* quam ideo *Arelatenſem* uocant, quod in urbe illa ex terra eruta fuit, inter elegantiſſimas ſtatuas referri poteſt; ſiniſtra malum tenet, dextra ſpeculum; ſtatua antiqua eſt ſine dubio, ſed ſpeculum et malum noſtro aeuo addita ſunt a Girardone, egregio ſculptore, qui ex ipſis uultus lineamentis, et ex oculorum ſitu, exiſtimauit, mulierem eſſe in ſpeculo formam ſpectantem; quodque manum et brachium erigebat, malum oſtendiſſe putabat. Haec ſtatua Arelate ex ruderibus eruta primum fuit, et diu diſputatum eſt, Diana ne an Venus eſſet; Arelatenſes porro illam *Ludouico XIV.* Regi ſuo obtulerunt, qui illam Verſalias transportari iuſſit, ubi *Girardon*, quod ipſe eſt profeſſus, haec duo ſymbola addidit. *Fig. 3.* conſpicitur Venus ex ſolo capitis cultu ſpectabilis et a coma cincinnisque decusſatim implexis. Venus ſequens, *Fig. 4.* quae *de Richelieu* uocatur, praelongam comam ſiniſtra manu reducit, cuius extremae in humerum defluunt. Quam *Fig. 5.* exhibemus, Venus hoc unum obſeruatu dignum praefert, quod ſit plus quam ſolet modeſta; manu altera malum tenet, quod Veneris indicium, alterum brachium coelum uerſus extendit; uultus eius ad religioſum quendam affectum compoſitus, oculi mentis exceſſum indicant; haec autem omnia uix Veneri competere uideantur 6).

§. 7. Venus alia *Fig. 6.* etiam ueſtibus modeſte ornata eſt, manu dextra facem tenet, ſiniſtra capiti Cupidinis innititur, qui et ipſe facem tenet. De illa, quam *Fig. 7.* exhibet Terentianum illud, *ſine Cerere et Baccho friget Venus*, commode praedicari poteſt; comitibus quippe duobus Cupidinibus thyrſum tenet, pampinis onuſtum et ſpicis coronatum; manu dextra tres ſagittas tenet, ut fortaſſe ſignificetur, ipſam tela opportunius infigere, Cerere et Baccho opitulantibus.

§. 8. Columba 7) auis Veneri ſacra fuit, ideoque auis Cythereia uocabatur; columbae etiam quatuor Veneris currui iungebantur; hinc columbae non raro in manibus Veneris cernuntur, cuius rei exemplum praebet *Fig. 8.* Icon ſequens *Fig. 9.* Venerem Cnidiam exprimit; illius uidelicet Veneris inter omnes ſtatuas celeberrimae ſchema, cuius ſtatuae ſculptor, inſignis ille Praxiteles, omnium ſtatuariorum facile princeps, erat, qui Veneris huius Cnidiae imaginem ad exemplar Phrynes, quam perdite amabat, feciſſe dicitur ab *Athenaeo* 8). At ſecundum Poſidippum, a *Clemente Alexandrino* in Protreptico excitatum, ad exemplar Amaſiae ſuae Cratines, Praxiteles Venerem Cnidiam ſculpſit, ut quotquot Venerem Cnidiam

4) *Cypriam* primus numine auxit Cinyras rex, ut *Clem. Alexandr.* admonit, ad gentes. adde *Euſtath. Odyſſ.* p. 314.

5) Niſi coeleſtem ſeu Vraniam Venerem innuit.

6) Sed oppido difficile eſt, ex ſtatua de mentis ſtatu iudicare. Poſſis etiam languentem cupidamque dicere.

7) *Alexis* apud *Euſtathium* in Odyſſ. p. 475. Ἀφροδίτης εἰμὶ περιστερός dixerat, ἀττικῶς ita efferre. Veneri etiam columbis ſacrificia peragi ſolita.

8) Lib. 13, 6.



. Venus popularis ad arborem cum cupidine 2. Venus sinistra malum dextra speculum ferens. 3. Venus capitis ultu spectabilis. 4. Venus comam prælongam sinistra reducens. 5. Venus dextra pomum tenens. 6. Eadem cum Cupidine dextra facem tenens. 7. Venus cum duobus Cupidinibus et thyrso pampinis onusto et spicis coronato. 8. Venus sinistra columbam tenens. 9. Venus Cnidia. 10. Venus Victrix. 11. Venus cum Cupidine galeam in capite ustinente. 12. Veneris triumphus. 13. Veneris et Adonidis amor.

diam colere ſe putarent, ab ipſo adamatam Cratinem colerent. Addit ibidem, pictores quosque, qui Venerem depingere uellent, ad exemplar Phrynes, meretricis illam depingere ſolitos fuiſſe; quemadmodum ſculptores, qui Hermas Athenis efformabant, exemplum ab Alcibiade ſumebant. *Lucianus* Venerem illam Cnidiam ita deſcribit: *ingredimur templum, cuius in medio Dea poſita eſt ex Pario lapide, artificium pulcherrimum, ex ore leniter diducto paullum ſubridens. Tota autem pulcritudo eius in aperto poſita eſt, atque omni circumiectae Veſtis inuolucro deſtituta, niſi quod manuum altera partes pudendas paullulum contegit. Tantum porro ualuit opificis ars efficere, ut adeo aſpera et dura lapidis natura ſingulis membris conueniret.* Hanc procul dubio Venerem Cnidiam exhibet nummus ille regis Galliarum, (*Fig. 9.*) Cnidi percuſſus. In his tamen omnibus, quos citauimus, ſcriptoribus nulla fit mentio linteaminis, quod ſiniſtra manu tenet, cuiusque imae partes in uas ſuppoſitum defluunt, quod uas plenum eſſe uidetur aromatibus uel unguentis, queis ex balneo ſurgens uel ex mari emergens ſeſe perungere ſolebat. Haec ſtatua, imperantibus Honorio et Arcadio, adhuc Cnidi uiſebatur.

§. 9. Lacedaemonii Venerem pingebant armatam, *) ut refert *Lactantius* Lib. I. c. 20. idque uxorum ſuarum occaſione, quae aliquando, prementibus hoſtibus, arma ſumſere, eosque terga dare compulere. Venerem ſaepe uictricem in nummis aliisque monumentis inuenimus. *Victrix* **) autem uocabatur, tum ratione uictoriae, quam de Iunone et Minerua retulerat, quum de pulchritudine contenderent; tum etiam ratione uictoriae, quam de Marte ad adulterium prouocato retulerat. Venerem uictricem duo ſchemata exhibent *Tab. XXII. Fig. 10. et 11.* Columna illa nititur ſchemate priori, dextra haſtam, ſiniſtra caſſidem tenens, clypeo ad pedes eius poſito; in altero ſchemate ſiniſtra gladium tenet, Cupido galeam capite ſuſtinet, interque ambos lorica uiſitur. Veneri uictrici Venerem, ob reportatas uictorias triumphantem, ſubiungimus *Fig. 12.* Hic Venus ceu in pompa bigis leonum curruque magnifico uehitur; magnum capiti uelum obtendit, manuque ſiniſtra telum tenet; Cupido ſublimis uolat ipſam coronaturus; lauri quaſi ſua ſponte in ipſam cadunt; uir nudus turmam praecedit, lyramque in celebritatis honorem pulſat; uiri duo a latere leonum facem humero geſtantes incedunt in praeſidium; Satyrus poſt currum tibia multis compacta fiſtulis ludens agmen claudit.

§. 10. Iam ad hiſtorias Veneris. De eius cum Marte adulterio ſupra iam occurrit, quum de Vulcano ageremus. Quum tandem talium flagitiorum puderet, omnia in allegorias ſenſusque morales uarie uerſa; quod ea facinora non Diis modo, ſed etiam hominibus uiliſſimis indigna uiderentur. Minime ſilentio hic praetereundi ſunt Veneris et Adonidis amores; Adonidis, quem Mythologi tantopere celebrant, cuiusque cultus poſt obitum ad remotiſſimas usque nationes peruaſit; imo ad populum usque 9) Dei pertinuit. Adonis, ut *Lycophron* 10) in Caſſandra tradit, filius erat Thyantis et Myrrhae, aut, ut refert *Ouidius* Metam. Lib. X. Cinyrae Regis Cypri et Myrrhae, quae quum, inſcio patre, praegnans facta eſſet, Deos precata eſt, ut ſe aliam in formam transmutarent, qua nec inter uiuos nec inter mortuos degeret. Dii ergo in arborem eiusdem nominis illam conuerterunt; ante metamorphoſin uero iſtam formoſiſſimum Myrrha filium peperit. Venus ab infantia puerum amauit, ſeque ei comitem aſſiduam praeſtitit, quumque uenandi ſtudioſum uideret, monita ſaepiſſime dabat, agreſtes illas uitaret feras, quas armaſſet natura, quaeque ipſi facile exitium afferre poſſent. Paſtorem ſimul Venatoremque Adonidem fuiſſe dicit *Theocritus*: his ille alternis exercitiis uitam agebat, praeſente ſemper Venere et monente. Hic Veneris erga Adonidem amor in ſchemate Illuſtriſſimi D. *Foucault* (*Fig. 13.*) repraeſentatur. Adonidem illa uenatoris habitu ſtantem amplectitur; adſtat et canis, aper uero mortuus ſiſtitur, ut Adonis agnoſcatur.

*) idem feciſſe uidentur Cyprii, Veneris certe nomen, Εγχειος, ab *haſta* deſumtum, Cypriis uſitatum fuiſſe tradit *Heſychius*.

**) raro in antiquis ſcriptoribus occurrit, nec tam ad Paridis iudicium, et Martis conſuetudinem ſpectat, quam aliorſum. *Pompeius* certe, qui *Veneris Victricis* aedes magnifice exſtruxit, eo non reſpexit; et non deſunt auctores, qui *Victoriae* erectas eſſe ab eo dicant; uid. *Nardini* Roma uetus lib. 6, c. 3.

9) uide ad *Ezechielis* c. 8. de *Thammuz*, praeter patres, *Kircheri* Oedip. tom. 1. p. 283. ſeqq. et hiſtoriam uniuerſam, ex anglico uerſam germanice, tom. 2. §. 256. ſeq. ibi etiam de Veneris nomine *Aſtarte*, §. 249. ſeq. *Thammuz* alii pro Baccho habent.

10) Γαυας ibi dicitur, v. 831, παρα Κυπριοις, ut Schol. exponit.

§. 11. Quantacunque uero fuit Veneris cura, ut Adonidem a nimio feras insequendi studio auerteret, ne funesti aliquid tandem ipsi accideret; fato tamen aliter euenit. Quadam enim die aprum uehementius insequens lethale ab illo uulnus in femore accepit. Narrant alii Martem, quod Adonidem uideret a Venere tantopere amari, inuidia motum hunc aprum immisisse. Ex isto uulnere breui occidit Adonis. Venus, quae in Cyprum contendebat, auditis Adonidis morituri eiulatibus, conuerso gradu bigis columbarum uecta ad Adonidem uenit, eiusque corpus exanime lugens complexa est, et in lactucis, ut aiunt, occultauit. Adonidis luctus multas apud gentes quotannis celebrabatur, praecipue in Syria atque Phoenicia, ubi Adonis quasi Dei loco colebatur; quandoquidem illi arae erectae et templa constructa fuerunt. Haec abominanda impietas, ut ex Ezechielis capite VIII. discimus, ad Iudaeas mulieres quoque transierat.

§. 12. Inter fabulas ad Venerem pertinentes celebratur etiam iudicium Paridis. Pelei cum Thetide, Nereide, nuptiis omnes interfuere Dii, Discordia solum Dea non admissa, ne rixas moueret. Indignata illa, iniuriam non tulit, sed eius ulciscendae modum excogitauit: quo etiam non praesens optatum assequeretur. Quum enim nuptiale Pelei Thetidisque conuiuium, in quo Dii omnes aderant, celebraretur: Discordia pomum in coetum Deorum coniecit, hanc ferens inscriptionem, *pulcrior accipiat.* Hinc de pulcritudine inter Iunonem, Mineruam et Venerem, lis orta est. Iupiter rei iudicium Paridi tradidit pastori, Priami Regis Troiae 11), filio. Mercurius, iubentis Iouis nuncius, pomum accepit, Deaeque abeuntem secutae sunt. Vnaquaeque illarum Paridem pollicitationibus ad suas allicere partes tentauit. Siue promissa Veneris Paridi maxime placerent, siue Paris Venerem pulchrio-
Tab. rem esse reuera existimaret, pomum ipsi dedit. Iudicium hoc Paridis *Tab. XXIII. Fig. 1.*
XXIII. exhibemus, ubi tres illae Deae coram Paride comparent, et Mercurius Paridi pomum distribuendum offert. In aliquot schematibus Deae illae cum uestimentis exstant; sed plerique narrant, Paridem, Dearum corpora ut nuda conspiceret, uestes ponere iussisse.

CAPVT XI.

De Gratiis.

§. 1.

Celebratissimae Veneris sociae et comites 1) erant GRATIAE, Iouis et Eurynomes filiae; aliorum alia circa originem illarum sententia est. Tres earum uulgo numerantur *Aglaia*, *Thalia* et *Euphrosyne*, ac si quis dicat *Splendida*, *Florens*, *Laetitia*; alii duas tantum perhibent, quas aliis etiam nominibus insignire solent; nec desunt, qui quatuor 2) numerent. Vulgo illæ uestitae, perhibet *Pausanias*, effingebantur, quales apud Eleos conspiciebantur. Vestis aurata erat, uultus, manus & pedes ex marmore albo; alia rosam tenebat, alia talos, alia myrti ramum. Verum ipsius *Pausaniae* tempore mos inualuerat, illas nudas depingendi; hodieque utroque ritu Gratias repraesentatas conspicimus in monumentis, sed frequentius nudas. Qui uero ad allegoriam et Ethicam omnia reuocant, dicunt, his significari ueras Gratias germanasque in ipsis hominibus reperiri oportere, non uero ab exterioribus peti ornatibus.

§. 2. Tabula XXIII, Fig. 2. nudas illas exhibemus, seseque mutuo amplectentes, ita ut duarum facies uideantur, altera dorsum ostendat; etiam flores manibus tenent.

CAPVT

11) Obseruauit iam *Macrobius* lib. 5, c. 17. de ea re nihil in *Homero* exstare. Varie explicari solet. uid. *Meursii* not. ad Alex. Lycophr. v. 93. Elegantissime finxit eam caussam *Coluthus Thebanus.*

1) ὀπαδοὶ αὐτῃ (χαριτες) τῃ Ἀφροδίτῃ πλωττονται, καὶ ὑπεργει &c. *Eustath.* Iliad. p. 419. adde *Hesiod.* theogon.

2) Si uel maxime in monumentis *quatuor* occurrere uideantur: tamen antiquissima fuit blandiendi ratio, tribus Gratiis addere amicam, aut charam animam. uid. *Fabretti* de aquaeductibus tomo 4. *Graeuii* p. 1733. Saepe etiam nymphas pro Gratiis haberi uideas, ut quae ternae omnino coli solebant. Vid. *Fabretti* p. 1731.

Tab XXIII



1. Paridis judicium de pulchritudine. 2. tres gratiæ. 3. Cupido alterum pedem altius tollens. 4. Idem Flores manibus tenens. 5. Idem Centauro vectus. 6. Idem dormiens. 7. Idem galeatus. 8. Idem Gallum vincens. 9. Idem arma sumens. 10. Idem larvatus. 11. Idem Baccho comite. 12. Leone cupidini pedem familiariter offerens. 13. Cupido leoni insidens. 14. Duo Cupidines, quorum alter alatum caput habet. 15. Cupido Delphino insidens. 16. Idem Delphino insidens. 17. Idem curru vectus duobus equis iunctis.

CAPUT XII.

De Cupidine.

§. 1.

Perpetuus et ferme proprius Veneris comes esse solet Cupido, de cuius origine nihil certi dici potest; quod omnes paene scriptores de parentibus eius dissentiunt 1). Vulgatiori sententia Veneris & Mercurii aut Veneris et Martis, aut demum Veneris et Vulcani filius dicitur. Multi quidem de matre, sed de patre non consentiunt. Saepius etiam unus tantum Cupido memoratur, nonnumquam plures; qui etiam in Scriptoribus ueteribusque monumentis 2) multiplicantur. Nec ullum facile exercitium nominaueris, cui Cupido non adesse uideatur; saltans, tripudians, ludens, in arbores conscendens; in aere pingitur, in terra, in mari. Animalium dorso gestatur, in curru aurigae uices obit, musica pulsat instrumenta &c.

§. 2. Pueri plerumque alati figuram habet, arcu et pharetra, quae sagittis repleta, instructi; arcus loco nonnumquam facem 3) tenet. Ex elegantioribus cupidinis schematibus conspiciendum damus primo Tab. XXIII. Fig. 3. Cupidinem docta manu sculptum, qui pedem alterum altius attollit, et aliquid meditari uidetur. Qui *Fig. 4.* exhibetur quandam praefert uultus grauitatem, floresque manibus tenet. Alius *Fig. 5.* Centauri dorso insidet, quo significatur, Cupidinem in monstra ipsa dominari 4); Centaurus enim manibus post terga uinctis comparet, quo significatur, quanta ille seruitute oppressus sit. Non solito modo alius (*Fig. 6.*) dormit, arcu et pharetra ad pedes depositis. Qui (*Fig. 7.*) galeatus hastam humero reclinatam gestat et clypeum, atque ut uictor incedit, is indicat, quo pacto Cupido Marti quoque arma auferat, quamque amor uel ferocissimos armis spoliare soleat. Quid *Fig. 8.* luctans cum gallo gallinaceo Cupido significet, id facile est intelligere 5). Gallum nempe uicit ille, ut cetera animalia omnia; imo et gallus magis ceteris animalibus amori deditus est. *Fig. 9.* arma cuiusque generis sumit, loricam induit, genu nititur galea, hasta terrae defixa est, et clypeus Mineruae, Medusae capite insignis. Amores, canit epigramma quoddam, arcum Phoebo auferunt, fulmen Ioui, arma cassidemque Marti, Herculi clauam, Mercurio pinnas talares, Dianae facem, Neptuno tridentem et Baccho thyrsum: ex hac imagine addi potest, Mineruae clypeum. *Fig. 10.* laruatus conspicitur; larua uero tam lato est ore, ut totum Cupidinis 6) uultum spectandum praebeat. *Fig. 11.* Cupido Bacchusque, ambo pueri simul incedunt; qui Dii adeo libenter 7) coeunt, ut non mirum sit, quod eorum concordia toties a poetis celebretur. In sequenti imagine *Fig. 12.* Leo pedem cupidini offert perquam familiariter. Subinde uero puerulus ille Veneris leone ceu equo utitur, et lyram pulsat, leone lentius gradiente; elaborauit *Plutarchus* quidam, quod inscriptio *Fig. 13.* docet. Non hoc loco praetereundum est schema duorum Cupidinum (*Fig. 14.*) prorsus aenigmaticum. Alter scilicet, ut Mercurius alas capiti affixas exhibet, quumque non alas humeris pro more haerentes habeat, posset aliquis putare, illum Mercurium esse puellum; idem altera manu cor humanum, altera flores et folia tenet; quodque obseruatu dignissimum est, alter Cupido fascia obligatos habet oculos, ita tamen, ut nihil obstante fascia al-

 ter

1) Graecis Ερως; uide *Hesiodi Theogon.* *Seruius* ad *Aeneid.* lib. 1. v. nate, meae uires. *Plato* in συμποσ. *Aristophanes* auibus, *Cic.* nat. deor. lib. 3. c. 23.

2) *Cicero* lib. 3. de nat. deor. *tres* numerat Cupidines; est etiam uerosimile, pictores et artifices *Iocos* nonnumquam addidisse, eodem fere habitu. uid. *Horatii* lib. 1. od. 2.

3) Non eadem semper symbola occurrunt. Rarissimum uidetur illud, quod *Montfauc.* supplem. tom. 1. tabul. 48. n. 3. exhibet, et pag. 130. explicat. *Murem* dicit esse; quod nos, *leporem*. *Eustathius* in Iliad. pag. 65. λαγῶος ἐρωτων ἀναθημα.

4) nisi ad ista mala spectet, quae amoris uis per *Centauros* excitauit, in nuptiis Pirithoi et Hippodamiae.

5) modo facile sit persuasu. Nisi δὶα ventia repraesentetur: forte ad Martis pusionem respicitur, Alectryonem; quem Mars, quia ineptus custos fuerat amantium Martis & Veneris, in gallum mutauit. uid. *Luciani Somnium.* Memini, alibi Harpocratem gallum premere.

6) Hanc imaginem *Ioci*, qui senem decrepitum lubens imitetur, quam Cupidinis, haberem.

7) Sed et *amor* et *Minerua* Atheniis in academia una locum habuerunt; uide *Laurentii* uar. sacra tom. 7. *Gronouii* pag. (177.) uide et p. 813.

ter oculus ad cernendum aptus ſit: alae illius oculis plenae 8) ſunt, humanis ſimilibus. Vulgo dicitur amorem eſſe caecum, ideoque fortaſſe hic oculos faſcia obtectos habet; ſed cur tot oculi? hoc ignoratur.

§. 3. Vt porro oſtendatur, Cupidinem non terrae tantum, ſed etiam maris imperium obtinere: en illum *Fig. 15.* Delphino, cuius caudam tenet, inſidentem; hic autem Delphinus alius Delphini dorſo imminet; Cupidines duo ad latera prioris adnatant in undis cum illo ludentis. Qui *Fig. 16.* Delphino inſiſtit ſine dubio etiam Cupido eſt. Alius item Cupido *Fig. 17.* inſolitae formae curru uehitur, duobus equis iuncto; currus ſcaphiformis eſt, quo ſumma in currendo uelocitas exprimitur, uel forte ut indicetur, ipſum pari celeritate et facilitate et terras et undas permeare.

§. 4. Subiungimus tandem fabulam de PSYCHE nulli facile ignotam, quamque arcana quadam ratione et ἀλληγορικῶς accipiendam eſſe plerique omnes fatentur; ſaltem ipſum ψυχῆς uel Pſyches nomen, quod animam 9) denotat, hoc ſuadet. En totam hiſtoriam ab *Apuleio* lib. IV, V et VI metam. allatam, et a *Fulgentio* mythologo in compendium redactam Lib. III cap. 7. Rex et regina quaedam tres forma praeſtantes filias habuerunt, quarum iunior ſorores pulcritudine longe antecellebat. Exhauſiſſe uires natura uidebatur, ut corpus efformaret, quo ſpecioſius numquam uiſum fuiſſet. Ad eius ſpectaculum undique concurrebatur. Venus ipſa cum hominibus uerſatum ueniſſe putabatur; hinc concurſus omnium eius, tamquam numinis, colendae cauſa. Hinc Paphos, Cnidus, Cithera, celebria olim ob cultum Veneris loca deſeri coepere; nouam omnes Venerem adibant cum mortalibus uiuentem.

§. 5. Inuida Venus uero, ſeque ſpretam cernens, indignata Cupidinem adit, ad ulciſcendam matrem concitat, hortatur puellam ſagittis ſuis impetat, illamque amore inflammet inopis cuiusdam uiri, qui cum illa in penuria aetatem ageret. Cupido autem, amore puellae ipſe captus fuit. Interea Pſyche, hoc enim nomen uirgini erat, pro more colebatur, pulcritudinemque eius nemo non mirabatur; nemo uero illam uel amare uel coniugem poſtulare audebat, quum contra, ſorores eius, quarum forma minus eximia erat, a regibus iam ductae fuiſſent. Adeunt oraculum parentes, quibus Apollo reſponſum, ut ſolebat, ambiguum obſcurumque dedit, his uerbis

Montis in excelſi ſcopulo deſiſte puellam,
Ornatam mundo funerei thalami:
Nec ſperes generum mortali ſtirpe creatum,
Sed ſaeuum atque ferum uipereumque malum;
Qui pennis uolitans ſuper aethera, cuncta fatigat,
Flammaque et ferro ſingula debilitat;
Quem tremit ipſe Iouis, quo Numina terrificantur,
Fluminaque horreſcunt et ſtygiae tenebrae.

§. 6. Pſyche igitur in alto ſcopulo collocata, mox a Zephyro in iucundam uallem deportata eſt: nemus illa, quod uidit, ingreſſa, in medio eius fontem limpidiſſimum uidit aedesque ſuperbas, auro argentoque micantes. Iſtic neminem uidebat, ſed uoces tantum audit ipſam inuitantium, ut ibi ſedes poneret, miniſteriumque ſuum offerentium. Libenter illa in tam ſplendidis aedibus domicilium poſuit, miniſtrantibus nymphis, quae non ad conſpectum ueniebant, ſymphonias audiebat, uoluptatibusque, quoad neminem conſpiciendo poterat, ſummis fruebatur. Adueniente nocte puella lectum petit; et mox uenit deſtinatus ſponſus, cumque illa concubuit; ſed ante lucis ortum propere diſceſſit, ne Pſyches oculis pateret: haec diuturna conſuetudo fuit, nec coniugem Pſyche uiderat, quamuis iam uterum geſtaret.

§. 7. Interea Pſyches parentes de ſorte filiae ſolliciti erant, et ſorores ſororem perquirere coeperant. Id monente marito Pſyche didicit, qui etiam adiecit, caueret ſibi a ſororum colloquio, quod infinita hinc emerſura ſint damna. His quidem monitis ſtatim acquieuit Pſyche: uerum poſtea conditionem rerum praeſente animo reuoluens, ſeſe infeliciſſimam putabat,

8) *Ouidius* ſaepius Cupidini *gemmatas* alas tribuit. Vide *amorum* 1. eleg. 2. v. 41. edit. *Heinſii* in 12. Remed. amoris v. 39. Atque id unice illuſtrat haec imago, ſi *gemma*, pro oculo, vt contra fieri ſolet, ſumatur. Gloſſae: ὀφθαλμος ἀμπελȣ, gemma. uid. *Plinii* hiſt. nat. lib. 17. c. 21. Tot oculos amori dederint, ob ζηλοτυπίαν. Hic *Eros* et *Anteros* ſiſtitur.

9) adde et, *papilionem*; unde frequentiſſimum eſt in monumentis uetuſtis ſymbolum; uide *Geſneri*, *celeb.* Gotting. Profeſſoris, programmata, in funus B. coniugis ſummae Ven. *Heumanni*, 1750. et *Rhodeni*, 1751. in fol.

bat, ceu carcere inclusam, cui ne sorores quidem alloqui liceret. Hinc illa moerens lacrymas fundere animumque despondere coepit. Qua re animaduersa coniux sorores eam alloqui, passus est: monuit tamen, ne consilium sororum audiret, quae, ut coniugem oculis conspicere conaretur, hortaturae essent. Qui in istas aedes Psychen deportauerat Zephyrus, sorores etiam illius eo detulit. Psyche gaudio perfusa ad sororum conspectum, omnia, quae secum agerentur, enarrauit, et coniugem suum iuuenem esse formosissimum iactitauit, ac si illum quotidie oculis uidisset; peracto tandem colloquio, sorores auro argentoque onustas remisit. Illae uero ob tantam sororis suae felicitatem, inuidia motae, eius perniciem machinabantur; quumque altero colloquio habito animaduertissent, eam eorum, quae de coniuge prius dixerat, oblitam, iam diuersa narrare, nondum conspectum a sorore sua coniugem suspicantur, ac se illius salutis incolumitatisque curam gerere simulantes, non alium coniugem esse dixerunt, quam monstrosum serpentem, et in memoriam reuocant Oraculum Apollinis, quidpiam simile effati; ex hoc autem monstro perniciem illi imminere dictitant. Coniugis monitorum immemor Psyche perterrita est, et uerosimilia se audire putans, quid sibi sit agendum postulat. Illae monent ingruente nocte lucernam et nouaculam occultaret, et dum serpentem illum dormientem aduerteret, ex cubili exsiliret, lucernamque admoueret, ut dormientis monstri caput nouacula praecideret.

§. 8. Sororibus ministrante Zephyro domum profectis, Psyche rem ex consilio sororum aggressa, lucernam et nouaculam occultat, atque ubi coniugem dormire sensit, ex lecto surgit, lucernam protrahit; uidetque, non serpentem, sed Cupidinem puerum a purpureo lacteoque genarum colore, a comae flauae decore, a pinnis candidis & uolitantibus amabilissimum. Quo conspecto Psyche eius necandi consilium exhorrescens, quod parauerat ferrum in sinum proprium configere uoluit, sed ferrum collapsum est. Cupidinem illa contuetur, conspectus ille commotum sedat animum; ad pedes autem lecti arcum Cupidinis uidet, pharetramque et sagittas: has manu tractat, sibique imprudens leue uulnus infligit, nec uulnere tam exiguo abstrahitur a spectaculo tam suaui. Interim ardens olei stilla ex lucerna decidit in Cupidinis humerum: dolore expergefactus ille auolat; Psyche pedem illius arripit, atque ita aufertur, sed non ultra suum ipsa onus sustinet; et in terram cadit. Cupido conscensa cupresso exprobrat uxori, quod dictis fidem non habuisset; et inde discessit. Psyche in desperationem acta in fluuium sese praecipitauit. At fluuius uxorem Cupidinis reueritus, illam ad littus eiicit. Panem Psyche postmodo inuenit, qui infelicem consolatus, auctor illi fuit, ut Cupidinem adiret, rogaretque pacem et malorum finem. Psyche terras hinc et inde peruadens, tandem aduenit in urbem, in qua alterius sororis coniux regnabat. Sorori narrat ea, quae ipsi contigissent consilio isti morem gerenti, callideque addit, Cupidinem iratum dixisse sibi, indignam tali coniuge se repudiare, unamque ex sororibus eius ducturum. Vana spe ducta Psyches soror quum regi marito suo ualedixisset, in rupem illam notam adscendit, rataque se a Zephyro pro more deportatum iri, praeceps iuit, contritoque corpore exspirauit. Alteram similiter sororem adiit, similique sermone decipiens, ambarum nequitiam ita ulta est. Inter haec auis quaedam Veneri nunciat, Cupidinem ardentis olei stilla in humero uulneratum, totamque rei historiam texit, amicaeque nomen aperit. Indignata Venus Cupidinem adiit, minisque additis obiurgat; hinc Psychen perquirit temeritatis poenas daturam. Animum eius sedare conantur Ceres atque Iuno, sed frustra; scelus ulcisci constituerat.

§ 9. Psyche alio atque alio concedebat, coniugem placatura. In templum quoddam quum uenisset, spicas, quas passim per agros collegerat, in manipulos concinnauit, hoc ministerio Cereris gratiam aucupatura, et Deam precata est. Ceres respondit, caussam illius ipsam dolere, sed non adiuuare posse, ne cognatam Venerem offenderet; adeo id beneficii loco haberet, quod ipsam non in eius manum traderet. Eadem ferme respondit etiam Iuno, quam in templo proxime posito adierat. Psyche animum non despondens, ipsam Venerem adire, et ad eius pedes procumbere decreuit, ut iratam placaret; ibi Cupidinem quoque sese inuenturam sperabat, eiusque praesidio reconciliatum iri; si placandi nulla superesset uia, a morte non abhorrere.

§. 10. Venus, quae Psychen supplicis more accedentem recipere nollebat: currum conscendit, iunctis columbarum quadrigis, et in coelum aduenieus Iouem rogauit, Mercurium ut mitteret, quaesitum Psychen ubicunque terrarum. Inops consilii Psyche, Veneris ancillam Consuetudinem inuenit, quae statim in capillos eius inuolauit, crinibusque pertractam ad Dominam suam Venerem deduxit. Venus Psychen obiurgauit, dicteriis lacessiuit,

N duas

duabusque aliis ancillis, Triftitiae atque Sollicitudini, excruciandam tradidit. Ipfa Venus ueftem eius difcidit, crines uellicauit, et caput percuffit. Inde temere congefto frumenti, hordei, milii, papauerum, cicerum, lenticularum, fabarumque aceruo: Pfychen iuffit, fingula grana feligere, et in aceruos minores, fecundum fpeciem cuiusque, ordinare, quod ante noctem peractum oportebat: Pfyche laboris magnitudine confternata immota manebat; at officiofae formicae id muneris exfecutae funt. Praecipit porro Venus, floccum fibi deferret ex uellere aureo quarumdam ouium furiofarum, quae ultra flumen in locis inacceffis pafcebant. Proficifcitur Pfyche non iuffa exfecutura, fed fefe in fluuium proiectura: at arundo, ut Midae tempore locuta, habendi flocci modum docuit, quem illa Deae attulit. Tertio mandat Pfychae Venus, afferri fibi uafculum aqua illa nigra plenum, quae ex fonte fub draconum cuftodia pofito manabat in Stygem et Cocytum. Impar rei exfequendae Pfyche, in conatu periiffet; uerum aquila acceptam urnulam aqua illa replens, Pfychae tradidit Veneri deferendam. Tot tantaque iuffa diligenter exfecutam Pfychen uidens Venus, aliud longe difficilius mandatum dedit, ad inferos ut defcenderet, fuoque nomine Proferpinam rogaret, particulam aliquam formofitatis fuae in pyxide a fe tradita reponeret, ut eam pulcritudinem, quam curando Cupidinis uulnere amififfet, reparare poffet; iuffitque Pfychen celeriter redire, quod in coetum Deorum celeriter itura, eo habitu, quo folita erat, eo concedere uellet. Putabat Pfyche, id in mandatis habere, ut mortem fibi confcifceret, quod nullum alium ad inferos defcendendi modum noffet. In turrim ergo praealtam confcendere uolebat, ut fe praecipitem daret: at turris ipfa uocem emifit, fi defcendat hac uia ad inferos, numquam illam redituram effe; fed in Taenarum iret propter Lacedaemonem, ibi uiam effe fubterraneam, qua ad inferos pergatur; duas offas polentae mulfae concretas manibus geftaret, duasque ftipes in ore; in medio itinere illam reperturam effe afinum claudum lignis onuftum, ductoremque pariter claudicantem, qui rogaturus fit, decidentia fibi ligna ut colligeret; fed nihil refpondens fua pergeret uia: ad infernalem fluuium et Charontem quum deuenerit, Charonti ad alteram ripam transuehenti ftipem daret alteram, ab ipfo ex ore excipiendam: mortuos poftea quum repererit opem implorantes, ne gradum fifteret, fed pergeret; quum ad canem magnum accederet, offam unam daret, et exinde Proferpinam adiret, a qua perhumaniter excipienda effet, ad opiparum uero prandium inuitanti morem non gereret, fed humi decumbens panem atrum ederet; poftea fufcepti itineris cauffam poffe narrare; tunc Proferpinam daturam id, quod Venus petebat. Reditu uero alteram offam cani, alteramque ftipem Charonti daret; fed caueret in primis, ne pyxidem aperiret uifura formofitatis particulam, quam Veneri Proferpina mitteret. Haec monita Pfyche fequuta eft, atque a Proferpina, quod poftulabat Venus, accepit.

§. 11. At ex inferis egreffam cupido inceffit afpiciendi pulcritudinis particulam, eiusque partem fibi fumendi; pyxidem itaque aperuit, nihilque aliud ibi reperit, quam uaporem infernalem et foporiferum, qui caput illius ftatim offudit, ita, ut fopita caderet, numquam experrectura, nifi Cupido a uulnere recreatus perque feneftram egreffus caram Pfychen quaefitum abiiffet. Dormientem ut offendit, fagitta punctam expergefecit. Tum uaporem illum foporiferum in pyxidem reduxit, et matri deferendum Pfychae tradidit; ipfe uero in coelum aduolauit et Iouem adiit, qui Deorum coetum conuocauit, praecepitque, ut Cupido Pfychen uxorem haberet, feruaretque, non ultra repugnante Venere; Mercurio etiam mandauit, ut Pfychen in coelum transferret. Pfyche itaque in coetum Deorum admiffa ambrofiam bibit, et immortalis euafit. In nuptiali conuiuio quisque Deorum partes fuas egit, Venusque ipfa choreas duxit. Sic, celebratis nuptiis, non multo elapfo tempore Pfyche filiam peperit, quae Voluptas appellata fuit.

§. 12. En Pfyches fabulam non illepidam, quae tota ἀλληγορικῶς concinnata fuit, et fignificat, quanta mala et damna inferat cupiditas, quae per Cupidinem innuitur, animae humanae, per Pfychen fignificatae. Allegoriam uero qui uelit ad fingulas fabulae partes applicare, is nihil ageret; pleraque ad ornatum inuenta funt. Id generatim folum intelligitur, eo fpectare fabulam, ut morum regulam documentumque prodat. In quibusdam fabulae partibus Ethices indicia funt manifefta, ut quum dicitur Confuetudinem Veneris ancillam inuolaffe in Pfyches capillos, eamque crinibus tractam ad Dominam adduxiffe, dominamque Triftitiae et Sollicitudini, aliis uidelicet ancillis, tradidiffe. Confuetudo faepe uel inuitos paene attrahit, uimque facit, ut Veneris f. amoris uetiti illecebras fequantur: etiam cum obfiftunt, capillis quafi captat; etfi libere malam fequeris propenfionem, cuius perniciem nofcis, et damna inde emergentia profpicis, quae et triftitiam et follicitudinem pariant,



1. Cupido et Psyche cum Gratiis. 2. Psyche a duobus Cupidinibus curru vecta. 3. Duo Cupidines papilionem s. Psychen manu tenentes. 4. Cupido Psychen sub forma papilionis excrucians. 5. 6. Cupido et Psyche sese mutuo complectentes. 7. Cupido face alas Psyches adurens. 8. Psyche in genubus. 9. Duo Cupidines cum Psyche arbori alliganda. 10. Eros et Anteros.

riant, ac te excrucient, neque tamen peccatum expient: nisi poenitentia et uitae emendatio sequatur; expiationem enim peccatorum profani etiam illi admittebant.

§. 13. Ceterum Psyches atque Cupidinis imagines frequenter occurrunt 10) in Veterum monumentis. Psyche fere semper cum alis papilionis conspicitur: hoc enim insectum animae symbolum esse, nemo facile ignorat. Primum, quod *Tab. XXIV. Fig. 1.* profertur, schema ex marmore desumtum est, ubi Cupido et Psyche bis cernuntur sese mutuo complectentes. Tabulae medium tres gratiae occupant; ex quibus duae binis Cupidinibus manus praebent. Duo alii Cupidines extremas tabulae oras utrimque claudunt. Tria uasa floribus plena hic ad ornatum posita sunt. Quae *Fig. 2.* sequitur imago, singularissima est. Psyche perquam minimo curru stans altera manu facem ardentem tenet et erigit, altera uero lora s. uinculum a media parte tenet; extrema uero eiusdem uinculi habent duo Cupidines ante Psychen uolitantes. Primo conspectu ambo Cupidines currui iuncti uidentur; uerum uni Psychae per uinculum haerent, cuius extrema tenent, ut Psychen, quo uelint ducant: currus uero sub Psyches pedibus quasi sua sponte procedit. Ambo Cupidines altera manu lauri ramum tenent. His moralem aliquam sententiam contineri nemo non uideat. Psyche, ut uox ipsa significat, anima est; facem tenet accensam et erectam, ut Cupidinibus rectum iter commonstret. Fax rationis lumen indicat, quo spreto et relicto Cupidines animam ducunt, quocumque uelint; etiamsi rectam uiam ratio commonstret, oppositam tenent Cupidines, deque ratione triumphant. Hinc docemur, rationem a Cupiditatibus superari. Cupidines uero in uictoriae signum lauri ramos tenent, quae ueritas hisce uerbis exprimitur: *Video meliora proboque, Deteriora sequor.* Eodem redit schema sequens *Fig. 3.* quo duo cupidines papilionem alis tenent, ipsumque excruciant; papilionem enim animam significare, iam ante monuimus. *Fig. 4.* papilionem arbori colligatum uidemus, ubi a Cupidine malleum et clauum tenente percutitur. In aliis duobus Schematibus *Fig. 5. et 6.* Cupido et Psyche se mutuo complectuntur: in primo autem eorum schemate Cupido palliatus facem accensam tenet. Alter Cupido *Fig. 7.* qui sinistra arcum tenet, dextra facem tenente alas papilionis adurit. Genibus innixa Psyche in imagine sequente, *Fig. 8.* manus a tergo uinctas habet: quo innuitur captiuum animum esse, qui prauorum affectuum motum impressionemque sequitur. Alio schemate *Fig. 9.* Cupido Psychen ad arborem alligat: alius Cupido uirgam extendit, quasi Psychen uerberaturus. Tab. XXIV.

§. 14. Denique Anterotos quoque hic mentio facienda. ANTEROS Martis et Veneris filius 11) perhibetur. Themis Veneri dixit, fore ut numquam cresceret Cupido, donec alium illa peperisset filium. Ex Marte itaque filium suscepit, quem Anterotem uocauit. Anteros autem uulgo accipitur pro amore mutuo uel reciproco. *Seruius*, interpres *Virgilii*, in *Aeneidos* lib. IV. uidetur eum quasi amori oppositum, aut contra amorem antidotum accipere. Athenienses ipsi aram extruxere statuamque, ubi nudus exhibebatur formosusque puer, qui duos in sinu gallos gallinaceos tenebat, quos incitabat, ut inuicem caput rostro impeterent. *Pausanias* in Atticis narrat, quo pacto haec ara structa fuerit. Eros & Anteros significant duos Cupidines duosue amores, hinc est, quod ab *Ouidio* Venus uocetur *geminorum mater amorum.* Idem *Pausanias* l. c. sculptos simul memorat Erotem et Anterotem. Eros palmam tenebat, quam auferre Anteros conabatur, uti *Fig. 10.* exhibetur.

10) uide, quas excitat Cl. *Grunerus* in contemplatione gemmae *Wildianae*, in actis societ. latinae Ienens. tom. 1. p. 100. seqq.

11) *Cicero* de nat. Deor. 3, c. 23.

ANTIQVITATIS
Explanatione et ſchematibus illuſtratae

TOMVS PRIMVS
DE
DIIS GRAECORVM ET ROMANORVM.

PARS SECVNDA
DE HEROIBVS IN DEOS RELATIS, DEQVE OMNIBVS ALIIS DIIS GRAECORVM ROMANORVMQVE.

LIBER PRIMVS.
DE
HERCVLE ET BACCHO, ET DE DIIS COETVS BACCHICI.

CAPVT I.

De Hercule eiusque laboribus.

§. I.

Plures in ſcriptoribus uetuſtis occurrere Hercules 1), notiſſimum eſt. Omnium uero celeberrimus, ad quem omnia fere monumenta referuntur, quique tum apud Graecos, tum apud Romanos, in ſummo honore habebatur, Iouis et Alcmenae, coniugis Amphitryonis, Thebarum Regis, filius erat. Vulgaris illa fabula eſt 2), qua Iupiter aſſumta Amphitryonis forma Alcmenam circumuenit, unde gemellos illa enixa eſt, Herculem ſcilicet Iouis, et Iphiclum *) Amphitryonis filium. Fabulantur alii, iuraſſe Iouem, ex duobus pueris, qui adhuc utero geſtabantur, quorum alter Stheneli, alter Iouis filius fuerit, eum, qui prior naſceretur, in alterum imperium habiturum eſſe, Iunonemque ortum Euryſthei, Stheneli filii, acceleraſſe, ita ut ſeptimeſtris natus ſit. Iuno non odiſſe pellicem et Iouis flagitium non poterat; eius tamen iram a Pallade ita mitigatam eſſe dicunt, ut mammam illi adeo praebuerit, et immortalem ipſum reddiderit. Vulgaris autem erat opinio, Iunonis in Herculem odium ſummum fuiſſe: cuius indicium manifeſtum fuerit, quod prima poſt Herculem natum nocte duos horrendos dracones in cunas, immiſerit, qui pueros occiderent. *Apollodorus* ex Pherecyde refert, Amphitryonem ſerpentes ipſum immiſiſſe, ut experiretur, quis

1) *Cicero* lib. 3. de nat. Deor. c. *ſex* numerat: alii, plures adhuc; ſed ita fere, ut numerent adnomina, *Libyus*, *Thebanus*, *Argiuus* &c. ita *Varro*, quod *Seruius* in lib. 8. *Aeneid.* tradit. 44. recenſuit; quia omnes fortes, Hercules nominarint antiqui. Eorum fabulas uarie miſceri, ſatis conſtat. Sed haec, et his ſimilia, quam uariae ſint interpretum opiniones, qui Hercules uel in ſacris noſtris libris, quaerunt, uel cetera ſibi, et quibus aliis poſſunt, explicant: ab huius inſtituti ratione fere aliena ſunt.

2) Quae argumentũ eſt *Plautinae* primae comoediae. Varie tamen illa fabula narratur. uid. *Apollodor.* lib. 2. c. 4. §. 8. ſeqq. *Homeri* Hymn. in Herculem. *Pauſan.* Boeot. *Antonin.* Liberal. num. 29. alii, et *Giraldus* ſingulari libello. Hercules ante *Alcaeus* et *Heraclides* dictus. uide *Aelian.* uar. hiſt. lib. 2. c. 32, et notas doctorum.

*) Ιφικλος et Ιφικλης ſcribunt.



1. Hercules puer, vel filius eius Aventinus. 2. Pugna Herculis cum Hydra Lernæa. 3. Hercules columnas Gadibus statuendas humeris gestans. 4. Idem poma aurea Hesperidum auferens. 5. Idem Gigantem clava trucidans. 6. Idem cum scypho, quem Africam peragrans a Sole acceperat. 7. Idem clava tauri capiti innixus. 8. Idem Antæum sublimem constringens et suffocans. 9. Idem Cerberum ex inferno deducens. 10. Idem eundem Cerberum laqueo constringens. 11. Idem cum pomis Hesperidum. 12. Idem clava innixus.

quis ex duobus filiis ſuus eſſet; Iphiclem autem aufugiſſe, Herculem ſerpentes ſtrangulaſſe, ſeque Ioue dignum commonſtraſſe.

§. 2. Hercules iuuenis magiſtris pluribus operam dedit. Arcum tractandi peritiam Teutarus **), Scytha paſtor, docuit; A Lino litteras didicit, Eumolpus Muſicam, Harpalycus luctam aliaque exercitia gymnica; Autolycus aurigandi, Amphitryo equitandi modum, Chiron Aſtronomiam, Caſtor armis uti docuit. *Aelianus* 3) refert inſtrumenti muſici uſum Linum ipſum docuiſſe, quod plectro pulſabatur; Herculem autem quum imperite pulſaret, obiurgatum fuiſſe a Lino, et ira percitum doctorem occidiſſe. Staturae fuiſſe dicitur enormis, roboriſque incredibilis; quidam eius ſtaturam fuiſſe dicit quatuor cubitorum 4); tresque dentium ordines habuit, ut alius fabulatur. De ſtatua *Tab. XXV. Fig. 1.* ab eruditis diſputatur, an Herculem iuniorem, an uero Auentinum, Herculis filium, repraeſentet; inuenta fuit in Auentino monte; uid. *Montfauconii* diarium italicum p. 166. Veteres enim qui omnibus fere rebus perſonarum formam induebant, humanam etiam ſpeciem Auentino monti indidiſſe, ipſumque filium Herculis finxiſſe 5) uero admodum ſimile eſt. Videtur autem tutius haberi Hercules puer, quam Auentinus 6). Eques *Maffeius* opinatur, hoc ſigno hiemis genium forte repraeſentari. Veteres enim, argumentatur, quatuor anni tempeſtates quatuor puerulis uel geniis exprimebant, cum uariis fructuum uel animalium ſymbolis; coronas itidem capitibus eorum imponebant, quae uel fructus ſingularum tempeſtatum exhibebant, uel huic ſimiles erant. Sic Ver Mercurio tribuebant, aeſtatem Soli, Autumnum Baccho, hiemem Herculi.

Tab. XXVI.

§. 3. Quum adoleuiſſet, in quendam locum ſe ſeorſim contulit, ut, quod uitae genus ſibi ſuſcipiendum eſſet, cogitaret. Hic duae ipſi mulieres 7) uiſae ſunt, quarum altera pulcherrima, quae Virtus erat, maieſtatem et dignitatem uultu praeferebat; oculis pudibunda, geſtu modeſta, albo ueſtitu: altera, quam alii felicitatem, alii uoluptatem uocant, pinguior coloreque uiuidior erat, aſpectus liberior, magnificae ueſtes, quae qualis eſſet, ſat indicabant. Vtraque illum ad partes ſuas transferre tentabat; ille uero uirtutis tandem partes amplexus eſt. Quoniam uero ex natalium ſorte, ut iam diximus, ſub Euryſthei, Mycenarum Regis, imperio futurus erat: hic a Iunone concitatus, res eum difficillimas duriſſimasque ſubire iuſſit. Cum claua uulgo exhibetur et exuuiis leonis Nemeaei tectus, quae pellis nullum admittebat uulnus, eique clypei nonnumquam loco erat; cum pharetra quoque et arcu interdum repraeſentatur, quamquam rarius.

§. 4. Labores Herculis, XII. 8) uulgo enumerantur, ſed numerus facile creſcat. Regio enim quaeuis ambiebat, ut alicuius ſaltem ſtrenui operis et laboris ab heroe illo ſuſcepti theatrum fuiſſe diceretur. Monumenta ueterum Herculem ſaepe exhibent eiusque labores repraeſentant. Ex iis tamen laboribus ſunt, qui, licet apud Mythologos quam maxime celebrentur, tamen uix in marmoribus et anaglyphis compareant. Saepe conſpicitur Hercules leonem ſtrangulans, Cerberum canem adducens, Antaeum in aëre conſtringens; alii uero eiusdem Agones aut rarius occurrunt, aut tam minute delineati offeruntur, ut uix internoſci poſſint.

§. 5. Vt autem ſuopte nutu et arbitrio Hercules uitam aſperam laboribusque plenam adiit: ſic in primis, Euryſtheo ita imperante, uaria ipſi certamina et pericula ſubeunda fuere. Primum certamen erat cum leone Nemeaeo, qui nullum uulnus admittebat, et agros uicinos deuaſtabat. Verum, ut fabulantur quidam, Hercules ſexdecim annos natus, ad gregum cuſtodiam miſſus, ab Amphitryone †), Leonem adortus eſt, totamque in eum effudit pharetram;

O

tram;

**) *Apollodorus Eurytum* nominat; et a pluribus diis arma accepiſſe tradit, quae interea *Minerua*, peltam, ſeu ſcutum: non *peplum* ut ſcripturae uitio plures, ineptiſſime crediderunt et alios, aeque imperitos, induxerunt.

3) Lib. 3. c. 32. *Apollodorus* l. c. §. 9.

4) *Apollodor.* l. c. Heracl. Pontic. addit, pedem unum. uid. et *Tzetzes* chil. 3. hiſt. 105. Quadratum magis, quam procerum fingunt.

5) Vid. *Virgil.* lib. 7. *Aeneid.* et *Seruium.*

6) *Montf.* *puerum* ſaepius, ſemel iuuenem appellat. Adoleſcentem optime dici putem, et reſpici eo, quod annorum 16 aut 18, ut alii, leonem Cithaeroneum late uaſtantem occidit, et pellem induit. *Apollod.* l. c. §. 10. *Auentinus* certe minus celebris eſt, quam ut ita fingi potuerit, nullo addito, quod utrumque diſtingueret, indicio.

7) *Xenophon* ex *Prodico* elegantiſſima colloquia fingit lib. 2. de dictis et factis *Socratis*; comparetur *Silius* lib. 15. poſt initium.

8) Vid. *Apollodorum*; *Lucretium*, qui ſeptem, *Cointum Smyrnaeum*, qui 10. numerat, lib 6. paralip. *Catalecta Virgilii*; *Martialem* lib. 9. epigr. 104. *Silium* lib. 3. Non defuerunt, qui hunc XII. numerum, ad ſigna caeleſtia transferrent. uid. *Aleandri* tabul. heliac. p. 715. tomo 5. *Graeuii.*

†) In Amphitruonis miniſterio Chaeroneum leonem occidiſſe aliis dicitur; nemeaeum autem, ex primo mandato Euryſthei.

tram; ſed fruſtra tela pellem petebant; clauam etiam, ſiue ferream, ſeu, ut alii uolunt, ferro opertam, incaſſum fregit, tandem uero leonem manibus arripuit, unguibusque diſcerpſit, pelleque eius ut clypeo poſtea uſus eſt. Fabulam illam praeterimus; qua Hercules quinquaginta filios una nocte ex totidem filiabus Theſpii, Boeotiae Regis, ſuſcepiſſe fertur 9). Poſt uaria cum hoſtibus aliis certamina nouum iniit contra hydram Lernaeam, cui alii ſeptem capita tribuunt, alii nouem, alii quinquaginta; quum unum praecidebatur, tot renaſcebantur, quot ſupererant alia, niſi uulneri ignis admoueretur. Hercules eam inuaſurus, currum conſcendit Iolao aurigante; ingens cancer hydrae auxilio ueniens, ab Hercule attritus eſt, hydra uero peremta. Hanc Herculis cum hydra Lernaea pugnam exhibet *Fig. 2.* Hydra hic ſeptem capita habet; Hercules clauam erigit, ut unum hydrae caput percutiat. Minerua pone Herculem poſita, altae columnae inſiſtit, atque opem ferre Herculi creditur. Cerua porro aeneis pedibus aureisque cornibus in monte Maenalo habere ſolebat, curſu adeo leui, ut nemo eam attingere poſſet. Hercules ut eam caperet miſſus, quum nollet eam, utpote Dianae ſacram, interficere: multo tempore eam inſecutus eſt: illa uero in montem Maenalum (Artemiſium) ſe recepit, quumque Ladonem fluuium tranſire uellet, ab Hercule capta et Mycenas humeris deportata eſt.

§. 6. Eo autem usque formidabilis Euryſtheo Hercules euaſerat, ut, etſi imperio in ipſum potitus, ne auderet quidem coram tanto heroe comparere; dolium potius aeneum parauerat, ut, urgente neceſſitate, ibi latere poſſet. Herculem in urbem ſuam ingredi non ſinebat. Quae monſtra ille in dies adferebat, extra urbis muros abiiciebantur, mandata uero Herculi per praeconem ferebantur. Hercules poſtea iuſſus eſt, aprum Erymanthium adducere. Quum ad eam expeditionem proficiſceretur, apud Pholum, Centaurum, diuerſatus eſt, a quo perquam humaniter exceptus, et optimo uino recreatus fuit. Vini odorem olfecere Centauri et accurrerunt, uaſa uini ablaturi. Alii arboribus armati, alii ingentibus ſaxis, ſecuribus alii. Cruenta pugna, ex Centauris multi occiſi. Pholus ipſis, utpote cognatis ſuis, funeralium officium exhibuit. Sagitta uero ex Centauri alicuius corpore educta, ipſius manum uulnerauerat, ex quo uulnere Pholus paucis poſt diebus obiit. Iam Hercules aprum Erymanthium niue obrutum cepit, et ad Euryſtheum adduxit. Mandatum porro Herculi fuit, ut Augiae, Elidis Regis, ſtabulum purgaret, unoque die fimum omne remoueret. Boum trium millium ſtabulum erat, nec poterat tantus labor, ut uidebatur, adeo breui tempore perfici. Herculi promiſit Augias, ſe partem decimam cornutarum pecudum ipſi daturum, ſi id perficeret; id uero per iocum pollicebatur, non putans, Herculem id una die effecturum; qui tamen abſoluto opere, ab Augia, ut fidem liberaret, petiit. Augias ſeſe promiſiſſe negat, Herculesque indignatus ſagittis ipſum confecit.

§. 7. Circa lacum Stymphalum in Arcadia aues immanes et uoraces uerſabantur, quae homines adeo impetebant ac deuorabant; inde Stymphalidum nomen accepere. Hercules ad profligandas has aues miſſus, ſagittis illas confecit, uel, ut alii narrant, crotali ſtrepitu abegit; quod crotalum aeneum, a Vulcano fabricatum Pallas, cum in finem Herculi dono dederat. Sunt autem, qui narrant Stymphalidas non aues fuiſſe; ſed filias cuiusdam Stymphali, quas Hercules ideo occidiſſe fertur, quod ipſi hoſpitium negauerint. Graecis uero Dii ſæpius infenſi, feras et monſtra uaria illis immittebant, quibus affligerentur. Eiusmodi erant Leones Parnaſſius et Nemaeus; tres apri, Calydonius, Erymanthius et Crommyonius; ita Neptunus taurum in Cretenſes miſerat, qui ignem naribus emittebat, damna plurima inferebat, multosque necabat. Hinc Hercules ab Euryſtheo miſſus, ut hunc quoque caperet; captum regi adduxit; quia uero ſacer erat, ipſum ſtatim dimiſit.

§. 8. Diomedes, Thraciae Rex, equos alebat immanes ac furibundos, humanasque carnes cibi loco iis praebebat, atque peregrinos omnes ipſis deuorandos obiiciebat. Hercules itaque ab Euryſtheo iuſſus, equos captos ad ipſum deduceret: Diomedem primo ipſum cepit, et equis deuorandum proiecit, equos deinde ad Euryſtheum deduxit. Hi uero in Olympum montem dimiſſi, poſtea a feris iugulati et deuorati ſunt. Mandauerat porro idem Euryſtheus Herculi, ut Hippolytae Amazonum reginae balteum, principatus in ceteras documentum, ſibi deferret. Naue itaque conſcenſa ad Amazonum regionem traiecit, et Hippolytae

9) Varie hae nugae, et quae ſequuntur, produntur, nec conueniunt ſcriptores, *Apollodorus*, *Pauſanias* in Boeoticis, alii; nec operae ſit, ea inter ſe conferre, quae conſtantis narrationis defectu, fingere quisque ſolebat, ut optime poterat.

polytae fratribus, qui aditum impediebant, occisis, ipsam quoque Hippolytam uicit, eiusque balteum Eurystheo retulit.

§. 9. Nouo mandato iussus boues Geryonis, Hispaniae Regis, captum ire; boues feroces, qui peregrinos quosuis deuorabant. Geryon hic triplex corpus habebat. Canis biceps et draco septem capitibus instructus, boues custodiebant. In Hispaniam itaque Hercules perueniens, Geryonem occidit, simulque canem et draconem, ibidemque duas columnas statuit, quae exinde Herculis columnae uocatae, in loco cui nomen Gades (Cadix). Herculem hunc columnas humero gestantem exhibet *Fig. 3.* Inter praecipuos porro labores eius numeratur expeditio eius in hortum Hesperidum, ubi serpentem uel draconem occidit, et mala aurea abstulit; quae fabula *Fig. 4.* repraesentatur. Hercules scilicet poma aurea ibi decerpit; serpens, qui arbori circumplicatur, caput demittit, adeoque claua iam percussus et extinctus uidetur. Serpens ille qui Hesperidum mala custodiebat, filius Typhonis a Mythologis dicitur, centum capitibus totidemque distinctis uocibus instructus. Hic unum tantum caput habet. Iam saepius autem monuimus, quod monumenta, raro cum Mythologis consentiant. Tres Nymphae Hesperides, quae propter arborem stare cernuntur, admodum dolere uidentur, tantum horti sui decus sibi auferri. Vna ex illis Herculem alloqui uidetur; duae aliae manus tendunt, uti uulgo fieri solet, si quispiam res suas diripi conspicit. Illae tres sorores, pro filiabus Hesperi, habentur. Supra de Ioue fabulam Gigantomachiae retulimus, ibidemque Herculem Diis auxilio fuisse contra Gigantes, diximus. Hic *Fig. 5.* horum aliquem claua trucidat, cuius crura serpentes sunt, ipsum uero laeua manu percutit, dextra serpentem strangulat.

§. 10. Qui *Fig. 6.* conspicitur Hercules, id peculiare habet, quod diademate redimiatur, et scyphum siue poculum sinistra teneat. Hoc eo respicere uidetur, quod quum contra Geryonem pergeret, et ardore solis admodum laboraret, contra solem ipsum ira incensus, arcum tetenderit, ut feriret; quam animi magnitudinem Sol miratus, aureum scyphum ipsi dedisse dicitur, quo ceu naue Hercules uectus ex Africa in Hispaniam traiecit, et inde redux cum praeda scyphum soli reddidit. Sed forte scyphus hic ad bibacitatem 10) huius herois alludit. Elegans plane eiusdem Herculis imago sistitur *Fig. 7.* cuius claua capiti tauri innititur, uictoriamque reportatam de tauro furioso, cuius supra mentio facta, denotare uidetur. Hercules, Pyrenaeis superatis, in Libyam profectus est, ubi Gigas quidam habitabat nomine Antaeus, filius Terrae, portentosae staturae, quae ad 64 cubitos attingebat, qui peregrinos omnes adigebat, ut secum luctarentur; uerum omnes sola corporis mole suffocabat. Hic Herculem quoque ad luctam prouocabat; ille uero Antaeum ter in terram proiecit, excussitque semiuiuum. Antaeus autem quamprimum terram attingebat, utpote matrem suam, recuperatis pristinis uiribus, ferocior quam ante surgebat. Re animaduersa, Hercules Antaeum sublimem 11) sustulit, et tanta ui constrinxit, ut animam efflaret; conferatur *Fig 8.* Post eam pugnam Pygmaei, Libyae populi, qui statura unius tantum cubiti erant, Herculem in arena prostratum et dormientem adoriebantur. Exercitus totus in phalanges diuisus erat. Phalanx una manum eius laeuam oppugnatura erat, duae dextram, utpote fortiorem; sagittarii funditoresque pedes aggressuri erant; Rex cum exercitus robore caput, ceu arcem inuasurus erat. Iam ignes, iam machinae obsidionales admouebantur, quum expergefactus Hercules surrexit, obsidentem se exercitum uidit, risitque, eumque totum in leonis pelle conclusit, et ad Eurystheum detulit.

§. 11. In Aegyptum contendens Hercules, offendit ibi Busiridem 12), tam immanem, ut peregrinos omnes uel Neptuno uel Ioui immolaret. Hic Herculi quoque insidias struxit. Is uero, ut pari par redderetur, ipsum cum filio in eadem, qua alios immolauerat, ara mactauit. In Caucasum ad Hyperboreos se conferens, sagittis aquilam occidit, quae iecur Promethei perpetuo deuorabat, uincula, quibus Prometheus stringebatur, rupit, ipsumque ex tristi captiuitate liberauit. Deianira, Oenei, Aeolorum Regis, filia, Acheloo fluuio primum, deinde Herculi desponsata fuerat. Hinc inter riuales contentio. Achelous tauri forma cum Hercule congressus est; hic autem manibus alterum illius cornu euulsit. Achelous altero

O 2 cornu

10) Clare *Macrobius* lib. 5. Satur. c. 21. Herculem fictores cum poculo fecerunt, - - quod is heros bibax fuisse perhibetur.

11) Quod immane dictu est, cum Herculem ipsum infra quinque cubitos fingunt.

12) *Busiris* fabulis magis, quam ueris monumentis celebratus est; unde negant eum inter Aegypti reges referendum esse, *Marsham, Neuton, Kircher* in oedip. Aegypt. tom. 1. p. 335. seq. uid. et p. 24. add. *Perizonii* orig. aegypt.

cornu priuatus ex pugna discessit, cornuque reuulsum ab Hercule repetiit, in cuius locum cornu Amaltheae offerebat. Accepit Hercules conditionem, et cornu fructibus plenum Ioui obtulit. Cum *) Caco etiam, Vulcani filio, contentio Herculi fuit. Is triceps erat latro insignis, qui in Italia praedas undique agebat. Hic ab Hercule in Auentino monte peremtus est, cum boues illius surripere conaretur. Eurypylum 13) quoque, Insulae Co regem, tyrannum ferocissimum cum tota familia deleuit, excepta filia illius Chalciope, ex qua filium suscepit Thessalum, qui Thessaliae dein nomen dedit. Quum in Atlantem montem pergeret, Albionem **) et Bergionem Gigantes ingentes, quum iam tela omnia exhausisset, lapidibus obruit, quos Iupiter, quem supplex rogauerat tamquam grandinem de coelo deiecerat. Multos quoque alios tyrannos feroces atque praedones extirpauit.

§. 12. Tot monstris ac tyrannis deuictis, ad expeditionem profectus est, aliis istis longe difficiliorem. Imperauit enim illi Eurystheus, ut ad inferos descenderet et Cerberum, canem horribilem tricipitem (alii 50. (14) illi capita tribuunt) adduceret. Antequam iter arriperet, Diis sacrificauit, et in antrum promontorii Taenari se contulit. Quum traiecisset Acherontem, ceterosque fluuios infernales, Theseum reperit petrae insidentem, Pirithoumque proxime, quos ambos comites itineris habuit. In ipso orco Menoetium, inferorum bubulcum, occidit, quod is Herculem depellere, et canem defendere conaretur; hunc autem Hercules tam uehementer constrinxit, ut ossa omnia comminueret. In limine inferorum Cerberum inuenit, ubi canis perterritus ad Plutonis thronum confugit. Sed Hercules illum adortus est, leonis tantum pelle et clypeo armatus, Cerberumque corripuit, illaesusque cepit; etsi tam uenenosus Cerberi morsus esset, ut statim ad ossa uenenum penetraret mortemque afferret. Cerberum per Troezenem adduxit ad Eurystheum, qui statim, ut quidam narrant, ipsum ad inferos reduci iussit, conferantur ad haec, *Fig. 9. et 10;* ubi in priori schemate hoc desideratur, quod Hercules sit imberbis, et pelle leonina clauaque ibidem careat; quum tamen haec expeditio in postremis Herculis laboribus numeretur, et pellis ista et claua ubique conspiciatur. Laboribus hisce Herculis multi alii addi possent; quandoquidem Mythologi, Poetae, immo ex Patribus nonnulli tot eius gesta tamque uariis modis referunt, ut si omnia colligere animus esset, nullus finis foret. Missis itaque ceteris, statuas nonnullas addere libet, quae prae ceteris arte sua spectabiles sunt.

§. 13. Quem *Figura 11.* sistit, Hercules poma Hesperidum gestat et imberbis conspicitur, clauam sinistra tenens. Longe frequentius barbatus exhibetur; *Farnesianus* ille *Fig. 12.* omnium elegantissimus eximiique artificii est. Statuarius est *Glycon* Atheniensis, qui immortalem sibi hoc opere laudem peperit, Hercules hic repraesentatur innixus clauae exuuiis seu pelle leonis superne opertae. His duae aliae subiungi merentur *Tab. XXVI. Fig. 1.* Tab. XXVI.
et 2. uterque Hercules hic altera manu clauam, altera poma Hesperidum gestat, ubi hoc iterum monendum, quod posterior imberbis compareat. *Fig. 3. et 4.* clauae innititur et pellem leonis sinistra gestat. *Fig. 5.* uero, loco clauae facem ardentem tenet, qua contra hydram usus fuit. *Fig. 6.* sedentem conspicimus, et quasi quiescentem. Non raro Hercules cum Satyris occurrit: Talis sistitur *Fig. 7.* cum Satyro cornuto clauam amplectente, qui Satyrus etiam alterius Satyri caput tenet, s. potius laruam; alia quoque larua a latere est. Haec omnia cum duobus cornubus copiae coniuncta, quorum unum Hercules manu tangit, nec non cum duobus arboris ramis fructibus onustis, et corona hederacea, quam Hercules gestat, referunt se ad Herculem Placidum, ut est inscriptio 15) Romae. Placidus scilicet perhibetur, quia Bacchico more ornatus, hedera coronatus, Satyris satyricisque notis stipatus. Nam Herculem poculis et compotationibus delectatum esse, iam supra monuimus.

§. 14. Quum porro Hercules Musarum nonnumquam Ductor dicatur, quod quietem iisdem conciliet, easdemque et tueatur et defendat, in choro quoque nouem Musarum saepius

*) *Io. Gorop. Becanus* tom. 2. opp. in *Vertumno* p. 93, et in *Hermath.* p. 119, haec a Noachi posteris seruata ad Christum pertinuisse, somniat: Κακον diabolum, Leonem Iudae &c. in subsidium aduocans. Idem in Hieroglyphicis omnia Herculis ad nostra sacra transfert.

13) Tres huius nominis tradit Pomp. *Sabinus* ad Aeneid. 2. v. 114. de Filio Herculis Eurypylo, cuius urbs *Co Homero* dicitur, uid. *Eustath.* in iliad. pag. 241. ed. *Basil.* confer. *Plutarchi* ἑλληνικα prope finem.

**) *Mela* lib. 2. c. 5. Sunt, qui ex lingua celtica, Berg, et Alb, Alp, Alpes, seu, ut *Seruius* exponit, *montes alti*, haec nomina illustrant.

14) Tria canis, 47 alia, et caudam draconis.

15) *Boxhorn.* in quaest. Romanis, aliam inscriptionem, qua *Tricosus* dicitur, illustrat, et idem significari monet, tom. 5. *Graeuii* p. 919. alii tricosus, exponunt, hirsutus. Sic *Sidonius: Tirynthius hirtus.*



1. et 2. Hercules poma, quæ Hesperidibus abstulerat, manu tenens. 3. et 4. Idem clavæ suæ innixus. 5. Idem cum face, qua vel hydræ Lernææ vel alius monstri caput adurit. 6. Idem sedens et a laboribus aliquantisper requiescens. 7. Hercules Placidus. 8. Hercules Musagetes. 9. Hercules Magusanus. 10. et 11. Hercules ab amore victus. 12. Omphale vel Iola Herculis arma gerens.

pius conſpicitur; ex hoc munere uulgo *Muſagetes* uocatur. Elegans ſtatua Muſagetae illa eſt, quam *Fig. 8.* exhibemus, ubi altera manu lyram tenet, altera uero inſtrumentum magno clauo ſimile; a tergo clauam habet cum pelle leonis, ante ſe ad arboris truncum laruam, ſymbolum aliquod Muſarum. Alium huc addimus Herculem *Fig. 9.* qui *Maguſanus* 16) ſ. *Macuſanus* cognomine uocatur. Hic magno obtegitur uelo, quod ad brachia uſque defluit, nec nuda illius obtegit; praegrandem ille furcam tenet in terra nixam, alteraque manu Delphinum. Ad latus illius ara uiſitur, unde praelonga folia acuminata erumpunt, forteque flammae fuerint, ſic male in Archetypo expreſſae, quamquam poſſint etiam eſſe iunci marini. Ad aliud latus Herculis piſcis, aut marinum monſtrum comparet. Veroſimile eſt Herculem hac forma ad littus poſitum, ut marinum numen habitum fuiſſe, quod huiusmodi piſcibus indicatur. Sunt, qui putent, denominationem illam Maguſani ortam ex urbe Africae, cui nomen Maguſum, cuius mentio apud *Plinium* 6, 29.; in qua urbe forte templum aliquod inſigne erat Herculi dicatum, uel ſaltem ſtatua quaedam celeberrima, cuius cultus ad longinquas etiam nationes peruaſerat; quemadmodum et cultus Dianae Epheſiae, Iouis Olympii, Veneris Erycinae &c. Alii arbitrantur fuiſſe nomen cuiuspiam loci a Scriptoribus et Geographis nusquam memorati 17).

§. 15. Quod autem ceteroquin uir hic formidabilis, quem nec monſtra, nec quaeuis unquam pericula terruerunt, ab amore uictus referatur, id multis ſchematibus repraeſentatur, in quibus prae ceteris notamus *Fig. 10. et 11.* In illo quidem ſchemate demiſſo capite, manibus a tergo reuinctis, Cupidinemque humeris geſtans, conſpicitur; quo in ſtatu clauam tamen adhuc ſub axillis tenet: in hoc ſupra leonis pellem recubans, ſecum habet Hylam (cui non dictus Hylas?) iuuenem, quem amabat; niſi forte ſit Cupido ſine alis, qui clauam abripit. Nihil ſc. uulgatius eſt in Mythologia amore Herculis, tum erga Omphalem, tum erga Iolam; utriusque enim imperio ita ſuberat, ut herae ancilla, dum penſa torquebat, alterutra iubente, illae uero clauam exuuiasque leonis geſtabant. Conferatur *Fig. 12.* ubi Omphale ſiue Iola haec arma geſtans ſiſtitur.

§. 16. Denique notandum, Herculi quoque uaria fuiſſe nomina, quorum alia ex parentibus natalibusque, alia ex geſtis et dotibus, petebantur, item ex locis; ſic *Iouius*, *Alcides*, *Alexicacus*, *Conopius*, *Cornopion*, *Aegyptius*, *Gaditanus*, *Olympius*, *Thebanus*, *Tyrinthius* &c. ſaepius uocatur.

CAPVT II.

De Baccho, aliisque Diis, qui ipſum comitari ſolebant.

§. I.

De Bacchi origine 1) non magis Mythologi conſentiunt, quam de ceterorum Deorum; hinc uarii eiusdem nominis Dii exorti ſunt, qui apud Veteres commemorantur. Quinque numerat *Cicero*, *Philoſtratus* tres. Dicitur alias *Lenaeus*, ex uoce ληνὸς 2), torcular, quo-

16) Hunc alii *Marcuſanum* legunt; quod defendit *Ioannes Gorop. Becanus*, qui in Gigantomachia p. 154. ſeq. Tom. 1. operum, inepte exponit, *Markhus*, domum marcae, ſeu limitum; aut, cuſtodem limitis. Agit de hac inſcriptione *Boxhornius* quaeſt. rom. 1. tomo V. *Graeuii* pag. 909. ſeqq. ſed id *Becani* ſomnium ignorauit: nec cetera uidetur aliquid proficere. *Ioh. Georg Keyſsler.* in antiq. ſeptentr. p. 200. exhibet hanc fig. 9. atque hunc Herculem ex germanorum diis exeſſe iubet, deriuat autem ab urbe *Maguſum.* Sed ita ſane mirum, quod non pluribus celebretur illa urbs, quae adeo in Europam, cultus partem transmiſerit. Viderint alii. Occurrit etiam in numis, quos *Becanus* et *Keyſslerus*, appellant; ratio nominandi uidetur omnino a loco ſumta eſſe. Id haereo adhuc, pertineat ne illa figura ad inſcriptionem, an diuerſa per errorem iungantur. Delphinus certe et bidens Neptuno potius conueniunt, qui in iſtis Europae maritimis frequentiſſime cultus eſt, ut uel Nehalenniae teſtantur monumenta. *Becanus* nullam imaginis mentionem iniicit; nec aliunde adhuc doceri potui.

17) Sed ita uix credibile, religionem inde et numen quoddam, ad alios celebrari potuiſſe; ſedem autem eius ignorari.

1) Ratio deriuandi nominis, non una eſt antiquis et hodiernis; ex graeca certe lingua uix ſatis tuto quaeratur. Parentes nominat *Cicero* de nat. Deor. lib. 3. *Ciceronis* iſtis, alii ex *Diodoro Siculo* lib. III. ſuperaddunt, Ammonis et Amaltheae, ac Iouis et Cereris, item alium Semeles ex Ioue filium, Bacchos.

2) Hinc ληναι, ληνιδες, numina muliebria, nymphae quaſi, quae torculari praeerant. uid. *Euſtath.* Iliad.

quoniam ipſe torcularis uſum, ad uinum exprimendum, primus intuliſſe fertur. Omnium celeberrimus Thebanus exiſtimatur, Iouis et Semeles filius. Vtero autem grauis quum Semele facta eſſet: Iuno zelotypia ardens, uetulae forma Semelem adiit, ipſique perſuaſit, ut prius a Ioue ſacramentum per aquas ſtygias exigeret, omnia ſe facturum eſſe, quae Semele poſtularet, poſteaque peteret, ut eadem forma ſe adiret, qua Iunonem adire ſoleat. Iupiter iuramento adſtrictus annuit, et fulminans tonansque acceſſit. Aſpectum illum Semele non tulit, et quem Iupiter emittebat, ignis illam exuſſit et enecauit. Iupiter uero puerum, quem illa utero gerebat, extraxit, femore diffiſſo intra fiſſuram puerum poſuit, et, donec efformatus eſſet, ſeruauit, et poſtea eduxit; hinc duarum matrum filius Bacchus nonnumquam nuncupatur. Alii ortum eius aliter narrant. Non minor opinionum diuerſitas circa educationem illius eſt. Plerique tamen in eo conſentiunt, quod Nymphis educandus traditus ſit, quae deinde Bacchantes nominatae fuerint, et in multis monumentis conſpiciuntur. Conferri hic, prae ceteris, merentur duae imagines, quae Bacchum puerum repraeſentant. Altera *Fig. 1.*
Tab. XXVII. *Tab. XXVII.* Bacchus puerulus in quodam marmore uiſitur, inter brachia Sileni cuiusdam pampinis coronati, nec non corymbis. Silenus hic trunco arboris pelle quadam operto innititur; Bacchus ipſe puerulus hedera coronatur. Mirum eſt huius ſtatuae artificium: altera imago (*Fig. 2.*) Bacchi, eſt pueri imberbis cuiusdam humeris inſidentis; coronatus autem Bacchus hedera uuas manu tenet, et qui puerulum geſtat ſimiliter. A latere truncus arboris uiſitur, in quo pellis quaedam et tibia Panis, multis compacta fiſtulis, conſpicitur; truncus uite cinctus eſt.

§. 2. Alia porro Bacchi pueri ſtatua *Fig. 3.* exhibetur, ubi lauro coronatus, transuerſam caprinam pellem geſtat, quam laeua manu paullum attollit, ut flores, fructus, papaueraque ſuſtineat; manu dextra uuam tenet. Alius puerulus Bacchus (*Fig. 4.*) pampinis coronatus, ſceptrum dextra, uuam ſiniſtra, tenet. Ludos Bacchi infantis non ita frequenter commemorant Mythologi. Monumenta uero ſaepius Bacchum infantem, cum infantibus ludentem, exhibent. Pulcherrima eſt imago (*Fig. 5.*) quae regiam gemmam imitatur, ubi Bacchus puer a duobus Satyris erigitur, qui illum ſub brachiis complectuntur et attollunt, et a duobus puerulis, qui tibias eius euehunt, ut capri dorſo imponant. Bacchus, qui dextro brachio unius ex Satyris collum complectitur, eadem manu craterem tenet. Bacchans mulier, quae praecedit turbam, cymbalum pulſat; alia duabus ſimul tibiis 3) ludit. Ex alio latere bacchans mulier uuam in aerem tollit, ac ſi Baccho uelit offerre. Qui *Figura 6.* ſequitur Bacchus, pampinis coronatur, aliquando etiam pendentibus uuis, quae corona ita uuis onuſta eſt, ut eae cum capillitio permixtim dependeant; dextra craterem, ſiniſtra uuas tenet; pellis 4), quam transuerſam geſtat, caprina eſt, caprae capite integro. *Fig. 7.* inter duos arboris truncos Bacchus alius bene capillatus, pampinis coronatus, transuerſam caprinam pellem geſtans, altera manu thyrſum tenet, altera uero uuas et pampinos. Panthera, quae ſaepe 5) Bacchum comitatur, hic erigitur, ut forte uuam accipiat, unamque uere abripit ac deuorat. Alius Bacchus *Fig. 8.* arboris trunco nixus, ſcyphum inuerſum tenet ſupra pilam quadratam ante poſitam. Qui *Fig. 9.* ſequitur, obſeruatu dignus eſt. Arboris ille trunco innititur, brachiumque dextrum Fauni brachio impoſitum tenet; hauſto mero ita perculſus et affectus uidetur, ut oculos paene inuertat. Panthera infra poſita dominum reſpicit ſuum, quaſi aliquid ab eo exſpectet.

§. 3. Alium Bacchum *Fig. 10.* ſiſtimus, manum capiti imponentem, quaſi coronam hederaceam firmet, ne cadat. Iuuenis admodum eſt, ut olim depingebatur Bacchus Boeotius; bene capillatus eſt, qualem fuiſſe teſtatur *Euripides* in Bacchis; transuerſam pellem aut cerui aut tigridis geſtat, uuam tenet, eodemque brachio arboris trunco innititur uite circumdato. Sequens Bacchus *Fig. 11.* uuis coronatus, culullum dextra tenet, et ſiniſtra uuam; tibiam autem eius Satyrus complectitur; ſatyri enim perſaepe Bacchi comites ſunt. His *Fig.*
Tab. XXVIII. *1, Tab. XXVIII.* aliam iungimus Bacchi ſtatuam, in hoc conſpicuum, quod itidem manum capiti

Iliad. p. 484. et alibi; de Baccho, Dionyſo etc. Pleraque, quae huc pertinent, colligi poſſint ex *I. Nicolai* commentatione de ritu Bacchanaliorum, Tomo 7. *Gronouii* p. 179. ſeq. et *Eggelingii* myſteriis Cereris et Bacchi, quae in uaſculo *Ferdinandi Alb.* Ducis Brunſuicenſis, repraeſentantur, ibidem p. 61. ſeqq.

3) *Phurnutus* de nat. Deor. *Bacchus*; rationem reddit, quia in uſu ſit apud plerosque, quando uuas colligunt, botrosque decerpunt. uid. *Eggeling.* tomo 7. *Gronou.* p. 69.

4) *Diodor. Sic.* lib. 1. νεβρίδα ſeu pellem hinnuleam Baccho tribuit, quia aſtrorum magna eſt uarietas, quam haec uaria pellis referat. Sol enim et Bacchus idem. Vid. *Voſſii* idolol. lib. 2. c. 14. *Aleander* ad tab. Heliac. tom. V. *Graeuii*, p. 712.

5) Vtpote ei ſacra; poetae nutrices Bacchi in pantheras uerſas fingunt.



1. Bacchus infans, quem Silenus aliquis brachiis sustinet. 2. Idem humeris Fauni insidens. 3. et 4. Bacchus puer. 5. Bacchus comitantibus Satyris et Bacchantibus hirco vectus. 6. Idem cum uva et Cratere. 7. Idem cum Panthera. 8. Idem cum scypho inverso ad columnam. 9. Idem cum Fauno et Panthera. 10. Idem ad truncum vite circumplicatum. 11. Idem cum Satyro genua illius amplectente.



1. Bacchus a Centauris curru vectus. 2. Bacchus cum Ariadne. 3. Bacchi cum Ariadne nuptiæ. 4. 5. 6. Capita Bacchi cornuta. 7. et 8. Capita Bacchi iugata, quorum alterum barbatum, alterum imberbe. 9. Protome mulieris Bacchantis. 10. et 11. Capita Bacchantium mulierum. 12. Bacchans vir vel Faunus cum tigride. 13. Bacchans mulier, singulari ornatu conspicua. 14. Bacchans utrem vino repletum humeris gestans. 15. et 16. Bacchantes cum doliis vino plenis.

capiti imponat, et arboris trunco nitatur cubito; coma hic ornatur muliebri capillitio simili, et transuersam gerit ferae pellem; id quod in Bacchicis figuris haud raro obseruatur. Truncus uite circumplicatus uuis onustus est. Qui *Fig. 2.* exhibetur Bacchus, Romae in hortis Mediceis est. Pampinis hic et corymbis coronatur; dextra uuam tenet, quam erigit et attentus respicit; e collo eius pendet pellis quaedam in sacci modum concinnata, cuius pedes in humero apparent; saccus ille arboris trunco nititur, quem uitis circumplicat multis uuis onusta. Tigris uero ad arboris pedem uuam mordet, et ore prehendit; duo quasi cornua, ex capite Bacchi erumpentia, forte suadere possent, non Bacchum, sed Satyrum uel Faunum esse, nisi forte dicatur Bacchum etiam esse cornutum 6). Bacchus sequens, *Fig. 3.* elegantissimae formae a thyrso spectabilis est; qui thyrsus a suprema parte more singulari, et numquam antea uiso, terminatur.

§. 4. In Baccho Brixiano, *Fig. 4,* omnia sunt singularia; neque est, quod stupeas, postquam tam insolitas figuras Brixianorum numinum iam uidisti. Hic Bacchi cultus et uestitus prorsus militaris est. Id autem cum aliis Bacchi figuris commune habet, quod sit pampinis coronatus; thyrsi pars suprema ita terminatur, ut facem potius, seu candelabrum, repraesentet; gladium ad sinistrum latus gestat supra femora; pede sinistro instrumentum quoddam premit, cui catena annexa. Haec omnia quid significent, diuinare admodum est difficile, longeque difficilius, quid unicorne 7) illud animal a tergo Bacchi significet. Imago Bacchi sequens *Fig. 5.* a praecedentibus parum differt; qui hunc excipit, *Fig. 6.* supra petram dormiens decumbit, et ob sculpturae elegantiam merito suspicitur. Mero quoque Bacchus nonnumquam ita obrutus est, ut quum ultro stare nequeat, Satyri eum undique fulciant, ne labatur. Talis est imago, *Fig. 7,* ubi Bacchus inter pocula uacillans a cornutis ministris, ne corruat, uix retinetur. Qui, *Fig. 8,* sequitur Bacchus asino uectus, usque adeo mero captus est et obrutus, ut ex Bacchantium turba uir mulierque uix eum sustineant. Bacchans thyrsum eius corripuit, et alia ex Bacchantibus cymbala pulsat in coetus et festi honorem.

§. 5. De tempore, quo Bacchus expeditionem fecit in Indiam, non certo constat. Collegit autem exercitum mulierum uirorumque, et postquam urbibus patriae suae Boeotiae libertatem concessisset, inque huius rei memoriam urbem Eleutheram nomine (i. e. liberam) condidisset, in Indiam profectus est, ubi uictoriis clarus fuit. Tres ibidem commoratus annos, multis ex illis regionibus spoliis onustus reuersus est. In memoriam huius expeditionis, Boeotii aliique Graeciae populi Thracesque, Trieterides 8) celebrabant tribus quibusque annis; quibus festis diebus credebant Bacchum uiuere, et cum hominibus uersari. Solennitas haec a mulieribus celebrabatur, et uirgines thyrsos gestabant. Matronae per turmas diuisae, furore Bacchico et ipsae percitae, Maenadum 9) officium gerebant. Quum praeterea Ariadne, cuius ope Theseus ex Labyrintho euaserat, ab ingrato uiro in Naxo insula relicta esset: Bacchus puchritudine eius captus, illam duxit uxorem; secundum alios uero Ariadne haec Theseo a Baccho rapta dicitur. Nuptiae hae Bacchi et Ariadnae 10) ex Gemma Musei regii elegantissima proferuntur, *Tab. XXIX. Fig. 3.* Hic autem Faunus coronam ex floribus tenet, quam erigit, quasi Ariadnae capiti imponere uellet. Huius Fauni alterum cornu iuuenis floribus coronatus tenet; proxime conspicitur Bacchus, qui thyrsi loco serpentem Tab. XXIX.

6) Vid. *Horat.* lib. 2, ode 19. fine, et *Lambinus*, qui ferocitatis, quam ebrietas secum ferat, facit symbolum. Adde *Potteri* not. ad *Lycophr.* v. 209. pag. 135. 136. alii a *Mose* ducunt, cuius facies *radiata*, aut ut sinistre quidam olim, cornuta. Vid. *Vossii* idolol. lib. 1. c. 30. alii solis imaginem inde faciunt. *Aleandri* tab. hel. *Graeuii* tom. 5. p. 714. Cornua in genere pro ubertate et copia ualere, non inepte monuit *Becanus* in hieroglyph. p. 207. Fabulae tradunt eum *cornutum* natum, et Iouis femur pupugisse; inde deriuant nomen *Dionysus*, quod nomen item ut *Bacchi*, et fabulam omnem, ineptissime tractat *Becanus*.

7) Hoc quidem facile quis diuinet, qui *Plinii* hist. natur. lib. 8. c. 21. legerit, qui *indicos* boues et equos *unicornes* describit. Respicitur ergo ad expeditionem *indicam*; ideo et armatus fingitur; ut illustrare possit *Horatii* od. 12, lib. 1. *Praeliis audax* neque te silebo, *Liber. Facem* tenet; quippe pro sole habitus, et λαμπτης dictus, eiusque festa λαμπτηρια, ut *Pausan.* tradit in Achaicis.

8) Sacra nocturna. uid. *Laurentii* uaria sacra c. 22. tom. 7. *Gronouii* p. (237) de Lenaeis, *Dionysiis*, *Castellanum*, ibid. pag. 638. *Meursii* librum singularem. *Ionstonum*, ibid. p. 877. *Nicolai*, ubi supra n. (2).

9) *Maenades*, a furore, Eleleides, Thyades, et aliter dictae.

10) Meminit et *Becanus* pag. 172. Gigantomachiae marmorum romanorum, in quibus Herculis et Omphalae, Bacchique et Ariadnae nuptiae; quod diuersum fuerit a fig. 2. tab. 29. de Ariadna uide *Lambinum* ad *Horat.* lib. 2. od. 19.

pentem tenet, ſinuoſis flexibus quaſi arcum efficientem. Laeua Fauno innixa tenet facem ardentem ad Hymenaeum uidelicet.

§. 6. In marmore quodam Romano Bacchus eleganter ſculptus, pampinisque coronatus, duabus ſuperne et inferne praecinctus Zonis, tunica induitur ad genua non pertingente, pellemque transuerſam geſtat, atque inſuper pallio amicitur. Calcei ſingulares ocreis ſunt ſimiles, ſiniſtra baculum tenet, foliis uitis circumdatum; ad latus eius paraſtatae inſiſtit puella, quae Ariadne fuiſſe putatur; ſchema hoc exhibemus l. c. *Fig. 2. Tab. XXVIII. Fig. 9*, Bacchus lauro coronatus, in curru ſedet, iunctos duos tigres habente, aut pantheras; coetus hilaris comitatur eum, tibicen coronatus agmen praecedit, a latere uir coronatus lituum tenet, poſtea alius cymbalum pulſans ſuccedit; tandem Bacchus in curru ſedens, a latere uirum habet, cornu copiae tenentem dextra, ſiniſtra uero uas magnum anſatum ſ. diotam. *Tab. XXVIII. Fig. 10.* et *Tab. XXIX. Fig. 1.* alias Bacchi bigis quadrigisque Centaurorum uecti imagines exhibent. In hac poſteriori alter Centaurorum duplici tibia ludit, alter alio inſtrumento, Bacchus currui inſidens, ſiniſtra caput operit, dextra thyrſum tenet. Nec mirum eſſe debet, Centauros ſaepe cum Baccho comparere; hi enim quum uini 11) ſint amantiſſimi, currui Bacchi merito iunguntur. Praeterea in hac imagine et pluribus aliis ex Centauris unus maſculus eſt, alter femina; quod etiam in imagine priori obſeruatur, ubi Centaurus femina clypeum geſtat.

§. 7. Quum etiam multi ueterum Bacchi cornuti 12) paſſim mentionem faciant, capita quaedam hanc figuram repraeſentantia exhibere iuuat. *Tab. XXIX. Fig. 4.* caput eiusmodi cornutum ex *Caninio* tradimus; ſecundus *Fig. 5.* a *Begero* publicatus eſt. Sub cornibus diadema 13) conſpicitur, et in capillitio hederae folia; ſupremo uertice duo quaſi globuli ſunt aut ſphaerulae, lineis diſtinctae, ita, ut lineae decuſſatae quadrata quaedam efficiant. *Begerus* hos globulos pro corymbis accipit; corymbi uero grana ſunt rotunda, quae ſimul conſerta in hedera naſcuntur, et ſaepius in coronis Bacchicis comparent; ſed haec non extra omne dubium poſita. Caput ſequens *Fig. 6.* globulos capite geſtat perinde atque ſupra uidimus, cum eo tamen diſcrimine, quod lineae non ſint decuſſatae, quae folia coronam efficiunt, hederacea eſſe, et Bacchum ſuadere, uidentur; barba Indicum eſſe arguit. Schema ſequens *Fig. 7.* duo capita iugata exhibet, ſed pampinis coronata. Sic *Fig. 8.* duplex quoque Bacchi caput apparet, quorum unum barbatum, alterum imberbe.

§. 8. Baccho iure ſuo Bacchantes 14) iungimus, quo nomine non Nymphae tantum, quae Bacchum educauerant, uel quae eundem in expeditione Indica ſecutae ſunt, ſed etiam eae, quae ab illis temporibus ſacerdotes eius numinis fuerunt. Appellabantur etiam Maenades ſ. furioſae, quod furibundis ſimiles in feſtis tripudiabant, ſparſis capillis diſcurrebant, membra contorquebant, eo furoris procedentes, ut etiam obuios occiderent, eorumque capita ſaltando geſtarent; hinc alio nomine Thyades quoque, i. e. impetu ruentes & feroces, uocabantur. Bacchantes aliquando ſolae uidentur, nonnumquam comitibus Bacchantibus uiris, cum Faunis, item Silenis, atque Satyris. Saepe eadem capitis ornamenta geſtant, quae Bacchus, coronas hederaceas aut pampineas.

§. 9. Qui *Fig. 9.* exhibetur Bacchus, artificii elegantia ſpectabilis eſt. Eae, quas *Fig. 10. et 11.* proferimus, hederaceam coronam habent admixtis corymbis; prior hinnuli pellem geſtat, quod ornamentum iis familiare eſt. *Fig. 12.* Schema Fauni uuas in pellem proiicientis potius, quam Bacchantis, ſpeciem perhibet. Quae *Fig. 13.* ſequitur Bacchans mulier, obſeruatu digna eſt, tum ornatu capitis, hedera corymbisque coronati, tum pelle caprina ſupra ueſtem talarem poſita, ſertis magnis oblique poſitis, ſeſeque ante pectus decuſſantibus; manu altera extremam thyrſi partem, altera uuam tenet. Schemata ſequentia No. 14, 15 et 16 Bacchantes exhibent, quorum primus utrem uini humeris geſtat, duo reliqui ſedentes decuſſatis cruribus, uas magnum dolio ſimile tenent, quorum alterum ex compactis laminis confectum, alterum figulinum, uidetur.

Tab. XXX. §. 10. *Tab. XXX. Fig. 1.* alium exhibemus Bacchantem forma admodum ſpectabilem, qui utraque manu cymbalis ludit. Haec autem cymbala ſcutellae uel diſci ſunt; ſuperiore autem

11) In nuptiis Pirithoi exemplum fabulae perhibent. Vnde *Homerus* Iliad. φ, Οἶνος καὶ κένταυρον &c. *Lambinus* ad *Horat.* lib. 1. od. 18. adde *Euſtath.* in *Odyſſ.* p. 760. ſeq. edit. Baſil.

12) Vide ſupra nota 6.

13) Apprime huc pertinent *Senecae* ex Hippol. v. 752. Tigres pampinea cuſpide territans, ac *mitra* cohibens cornigerum caput. Bacchum primum diadema inueniſſe dicunt; quod capitis dolores a nimio uino defenderet.

14) Pompam iſtam deſcribit *Catullus* eleg. 65.



Bacchans cum cymbalis s. scutellis et scabillo s. crupezia. 2. Bacchans ad truncum cum Syringe. . Bacchans taurum cornibus ligatum tenens. 4. 5. 6. Bacchantes variis corporis contorsionibus furo- em exprimentes. 7. Bacchans cum alio Bacchante et Pane. 8. Satyrus iuvenis ad aram ignitam. 9. Satyrus uvenis cum ave. 10. et 11. Protomæ Satyri maris et feminae. 12. Satyrus columnae nixus. 13. Satyrus arae nsidens. 14. Satyra cum infante Satyro.

autem uaſe inferius percutit, qua parte cauae ambae ſunt. Idem Bacchans pede quoque dextro alio inſtrumento ludit, quod ſcabillum 15) aut crupeziam uocant, quo non tantum cum cymbalis, ſed etiam cum tibiis, utebantur. Qui *Fig. 2.* ſequitur Bacchans, elegantiſſima forma eſt; transuerſam ille geſtat ouis pellem, minus Bacchantibus in uſu, quam hircinam, in utraque manu uolumen tenet, an pro cantu et Muſica? manu altera trunco arboris innititur, unde pendet tibia Panis, ſex compacta fiſtulis. *Fig. 3.* Bacchans mulier taurum cornibus ligatum tenet, et aufugere conantem magno niſu retinet. Peritiſſima manu haec Bacchans ſculpta eſt.

§. 11. Bacchantes illae, ſeu Thyades, aliquando Enthuſiaſmo, ſeu uero ſeu ſimulato, corripiebantur, quod ad furorem uſque atque inſaniam pellebantur; et nihilo minus a populo in honore habebantur. Hae autem ſaepius in ueterum monumentis occurrunt. Quas *Fig. 4. 5.* et *6.* proferimus, geſtibus contorſionibusque ſuis furorem Bacchicum exprimunt. Duae priores thyrſum geſtant, et inuerſum paene caput tenent; tertia prioribus illis ferocior paſſis capillis et uolitantibus, altera manu gladium, altera caput hominis iamiam a ſe occiſi, tenet. *Fig. 7.* alia furia eſſe uidetur, quae genu baſi rotundae innititur, ſeminudum corpus contorquet, caput uerſus coelum erigit, ſparſi neglectique capilli ultra humeros effluunt manu ſurſum erecta tibicinem paruum tenet, duplici tibia ludentem. Prope eam Pan Deus eſt Hermae forma, et ab altera parte Bacchans, qui thyrſum ad latus habet, et ex bouis cornu liquorem large haurire uidetur 16).

CAPVT III.

De Satyris, Silenis, Faunis, Panibus et Siluanis.

§. I.

Ex ſententia plurimorum Satyri 1) a Silenis ſola aetate 2) diſtinguuntur; ita quidem, ut, quum iuuenes ſint, Satyri uocentur, quum ſenes, Sileni. Alii contra Satyros, Silenos, Faunos, Panes et Siluanos, promiſcue accipiunt. Nullum autem horum genus eſt, cui ſcriptores uarii non cornua, non caprinas aures, non caudam, tibias pedesque caprinos tribuerint. Sculptores etiam multo diſcrimine illos exhibent. Plurimi ex his cum caprae membris, ſine exceptione, repraeſentantur; alii, exceptis cornibus, reliqua, quae diximus, habent. Saepius etiam occurrunt, qui, exceptis auribus et cauda, formam totam humanam retinent, et aliquando qui ſolam caudam habent. Hinc excipias Siluanos, praecipueque huius nominis Deum, qui cum tota humana forma nonnumquam prodit. Alii tamen Siluanis quoque caprinos pedes tribuunt, ut *Ouid. Faſt. 2.* cornua et caprinos pedes Faunis dat: cornua item caprinique pedes Panibus dabantur, quos plurimi eosdem apud Graecos eſſe putant, quos Faunos Latini uocabant. Satyri etiam cornibus caprinisque pedibus inſtructi erant.

§. 2. Ex his apparet, Satyros, Panes, Faunos et Siluanos, in ueterum monumentis non niſi difficulter internoſci, quum deſcriptio illorum, quae ex Poetis et Mythologis haurienda eſt, omnibus eadem tribuatur. Licet uero nulla nota certa habeatur, qua Fauni a Satyris diſtinguantur: uulgo tamen pro Faunis habentur ii, qui forma ſunt humana, auribus caprinis et cauda excepta: pro Satyris uero, qui praeter aures et caudam cornua inſuper, crura pedesque caprinos habent, aut nonnumquam cornua tantum; interdum non cornua, ſed pedes et crura caprina.

Q §. 3.

15) *Suetonius* calig. c. 54. magno tibiarum et ſcabellorum crepitu, adde ibi *Caſaubonum*; et *Ferrarium* de re ueſtiar. tom. 6. *Graeuii* pag. 1146.

16) *Bacchi* multa nomina tradidit *Ouidius* lib. 4. Metam. initio.

1) *Satyri*, poetarum ingenio debentur; neque enim quemquam mouerit auctor uitae *Pauli* Eremitae, fol. 16. b. edit. *Huguetani* 1515, qui ad uniuerſum mundum teſtem prouocat, *Antonium* uidiſſe grandem homunculum, aduncis naribus, fronte cornibus aſperata, cuius extrema pars corporis in caprarum pedes deſinebat, qui ſe inter faunos, ſatyros et incubos numerarit. Haec fideliter excerpta ſunt in *Iſidoro*, et *Salom. Conſtant.* gloſſario. Eſt etiam ſimiorum unus hoc nomine: inde locus his fabulis. uide *Diodor. Sicul.* c. 3. et *Plinium*. Bacchi comites finguntur. *Horat.* lib. 2. od. 19. v. 4. Vid. *Caſaubonus*, et qui de Satyrica poeſi ſcripſerunt alii.

2) *Voſſii* idolol. lib. 1. c. 21. et *Seruius*; adde *Suidam*.

§. 3. Hic Satyros deſcribimus illos, qui ſaepe in coetu 3) Bacchi uiſuntur, quiue frequenter occurrunt in marmoribus, aliisque monumentis antiquis. Iuuenis Satyrus *Tab. XXX. Fig. 8.* imberbis eſt, ac cornua auresque caprae habet; manu laeua tenet caniſtrum fructibus plenum, dextra aram ignitam monſtrat, cetera humana eſt forma. Qui *Fig. 9.* huic proximus eſt, cornua ſimiliter et aures, praetereaque corpus totum a clunibus ac deorſum caprinum habet, manuque dextra auem tenet. Plerique tamen Satyri ſunt barbati. Duo Satyri ſiſtuntur (*Fig. 10.* et *11.*), mas et femina: uterque cornibus inſtructi, auribusque dependentibus longitudine non uulgari; quales ſunt aures canum quorundam uenaticorum. Satyrus ille Romanus (*Fig. 12.*) elegantiſſimae manus, pellem fere oblique poſitam geſtat, capite uero pampinis et uuis plenum caniſtrum ſuſtinet. His *Fig. 13.* et 14. adduntur Satyrus et Satyra. Satyrus elegantis formae arae quadratae inſidet. Superioris corporis partes, ad zonam uſque, perfectam humanam formam exhibent, nec dehoneſtatam, uel cornibus uel auribus caprinis. Satyra huic uicina infantem Satyrum manibus geſtat.

§. 4. *Pauſanias* aliique ſcriptores perhibent, ſenes notabilioresque Satyros nominatos fuiſſe Silenos. Sed unus praecipue Silenus apud ueteres celebris erat, cui Mythologi et marmora functiones plures tribuunt. Hic ſcilicet ex Bacchi clientela fuit; uerum ſua ſibique propria forma gaudebat. Vna cum Baccho colebatur, ſed ſua ſibi templa habebat, quae templa Sileni appellabantur. Eiusmodi erat Eleorum templum, in quo Silenus depingebatur et Methe, ſeu Ebrietas, quae uinum ipſi infundebat, Methen ſ. ebrietatem ut mulierem 4) effinxerunt, quae tamen in nullis monumentis hodie exhibetur. Silenus ergo ut Deus 5) colebatur, et interdum cum Baccho, interdum ipſe ſolus cum peculiari turma erat. Is Bacchum puerum educauit, et Diis omnibus gratiſſimus erat; quandoquidem in eorum coetu ſaepiſſime uerſabatur. Breuis autem ſtaturae erat, ſed obeſus et pinguis, baculo uel thyrſo
Tab. XXXI. in ſuſtentaculum utens. Talem uidemus *Tab. XXXI. Fig. 1.* ubi thyrſo nititur, et Faunum uel Satyrum, paruulum uaſculum tenentem, alloquitur. Nonnumquam aſino uectus iter faciebat. Talis exhibetur *Fig. 2*, ubi aures caprinas habet, ut Satyri et Fauni; ante aſinum incedit puellus, inſtrumento ludens, quod utrem fiſtulatorium uocare liceat (Galli *Muſette* appellant). E latere Sileni mulier eſt, cornu copiae tenens, et manu iuuenem illum, qui praecedit, commonefaciens, quo eundum. Forſitan ſint, qui hanc pro Methe, ſ. ebrietate, habeant, quae Silenum comitetur. Satyrus, qui agmen cogit, coronam tenet pampineam. Semper fere ebrius et uino magis, quam annis onuſtus, ut plurimum, comitantibus Satyris, Silenus incedere fingitur; Satyri quippe in magno ipſum honore habebant, et patrem compellabant; et ebrium ſuſtentabant, ne collaberetur. Aliquando ad fontem, cui multum uini immixtum fuerat, captus eſt. Allectus enim odore et colore conſtitit tunc autem a Phrygibus captus, ad Regem Midam 6) adductus eſt; ceterum tibiae multis fiſtulis compactae inuentor dicitur. *Fig. 3.* utri uini pleno nixus recumbit, manu ſcyphum tangens, ſubſtrata pelle decumbit, corona ornatus Bacchica. Duae protomae ſequentes, *Fig. 4.* et *5.* ſimum Silenum pariter et caluum, caputque ornatum pampinis et corymbis, barbam uero longis cinnis diſtinctum exhibent.

§. 5. FAVNI 7) ruſtica ſunt numina, quae in agris et ſiluis uerſari credebantur, quorumue pater et originis auctor Faunus, antiquiſſimus Latinorum Rex fuiſſe perhibetur; hic enim cultum religionemque Deorum in Italiam primus induxiſſe dicitur. Si uero Fauni a poetis celebrati ab eo ortum ducebant, admodum degeneres 8) illi filii erant. Quantum ſcilicet ad formam, humana ille ſpecie praeditus erat, quum tamen Fauni, ut aiunt Poetae, caprina uel hircina cornua haberent, et a lumbis, quemadmodum Satyri, Panes Siluanique, hircorum formam prae ſe ferebant. Multi eruditorum ſub diuerſis hisce nominibus, unicam tantum numinis ſpeciem ſubintelligendam eſſe putant. Videtur autem uero admodum ſimile, Panes atque Faunos eosdem eſſe, ita quidem, ut, quem Graeci Pan ſiue Panem nominauere, eundem

3) *Aelianus* uar. hiſt. lib. 3. c. 40. οἱ συγχορευται Διονυσου Σατυροι ἠσαν.

4) Ita fere ſolebant, et uitia et uirtutes, forma muliebri fingi.

5) θεου μεν ἀφανεστερος, ἀνθρωπου δε κρειττων, ut *Aelianus.*

6) Vide colloquium Midae et Sileni in *Aeliani* hiſt. uar. lib. 3. c. 18. et doctorum uirorum notas. *Ouid.* met. 11. v. 90. Eſt etiam ſaltatio, Σιληνος, uid. *Meurſii* Orcheſtra.

7) Eſt etiam *Fauna* dea, *Fauni* ſoror et coniux. *Lact.* lib. 1. c. 22. antiquiſſimi Latinorum regis, *Dionyſius Halic.* lib. 1. *Suidas. Varro* lat. ling. *Seruius*; qui in 7. Aeneid. infernum Deum, ſeu terreſtrem, facit, et in 1, mori dicit, ita, ut Panes.

8) Maxime, ſi tum flagitioſi, ut *Auguſtinus* eos ſerio tradit, lib. 15. de ciu. Dei, c. 23. nam Fauna caſtiſſima et Bona Dea.



1. Silenus cum Fauno. 2. Silenus asino vectus. 3. Idem utri vino repleto nixus recumbens. 4. et 5. Duæ protomæ Sileni, simum ipsum exhibentes. 6. Faunus cum pedo. 7. Faunus cum crotalis. 8. Caput Satyriæ et Faunæ. 9. Caput Fauni profuse cachinnantis. 10. Faunus senex terræ insidens, et capram barba tenens. 11. Faunus capreolum humeris gestans.

Tab. XXXII.



1 et 2. Duo Bacchantes, quorum posterior ipse forte Bacchus est. 3. Pan cum Syringe sua.
4. Pan Bacchum hirco vectum ducens. 5. Pan cum cornu simplici et Syringe. 6. Panis lucta cum
Cupidine. 7 Silvanus. 8. Silvanus sub forma Panis cespiti insidens et dextram Nymphæ sub pi-
nu sedenti porrigens. 9. Silvanus duplici forma, Panis scilicet sedentis et Hermæ.

eundem Latini Phan 9) ſi Phanem appellarent, ex quo deinde nomen Faunorum exortum, Etſi uero, ut ueteres Scriptores affirmant, Fauni perinde atque Satyri cornua pedesque caprinos habebant: mos tamen apud recentiores praeualuit, ut ſub Faunorum nomine intelligerent eos, quos marmora et monumenta his deſtitutos exhibent, quibusue prorſus humanam formam, exceptis caprinis auribus et cauda, tribuunt; quamuis illi ipſi pro Satyris potius, quam Faunis habendi. Hoc itaque quum rei antiquariae peritiores animaduerterent, quoties talis figura occurrit, de uero nomine dubii illam inſcribunt *Faunus an Satyrus*, ut alterutrum eſſe doceant. Pan etiam cornua pedesque caprinos habebat, et tamen in monumentis nonnumquam totus humana forma pingitur. Siluanus itidem cornutus pedibusque caprinis erat, in plerisque tamen marmoribus homo perfectus exhibetur. Ceterum etſi Satyri, Fauni, Panes et Siluani 10) iidem eſſent, cultu tamen uulgari diſtinguebantur.

§. 6. Qui *Tab. XXXI. Fig. 6.* repraeſentatur Faunus, forma gaudet humana, auribus et cauda exceptis; brachium ſiniſtrum tigris uel pantherae pelle tectum extendit, altera manu pedum tenet. Alius *Fig. 7.* ſaltans crotala pulſat, inſtrumenta ſcilicet coetui Bacchico familiaria, quibus etiam in ſcenis theatricis utebantur. Caput Satyrae aut Faunae (*Fig. 8.*) a magnis auribus dignoſcitur, et pedes caprinos in nodum collectos ante collum habet *Fig. 9.* Faunus alius profuſis cachinnis ridens, iure Satyros ab *Horatio* riſores uocari probat. *Fig. 10.* Faunus ſenex capram barba tenet. Qui *Fig. 11.* exhibetur Faunus, egregia manu ſculptus eſt; humeris capreolum geſtat, cuius caput erectum e regione oculorum Fauni conſpicitur capreoli caput ipſe intentis reſpicit oculis, dexteraque tenet palum recuruum, qua forma plerumque geſtant ſodales eius; ſtat prope truncum arboris, cui annexum inſtrumentum uiſitur, Syringi ſ. Panis tibiae ſimile. Bacchicis hiſce imaginibus *Tab. XXXII. Fig. 1.* et *2.* Bacchantem, niſi hac Bacchum ipſum ſubiungimus; *Fig. 2.* altera manu uuam, altera poculum tenet, calicibus hodiernis non admodum abſimile, *Fig. 1.* trunco ſerpente 11) circumplicato innititur, uuamque laeua manu tenet. Tab. XXXII.

§ 7. PANES, ut paullo ante dictum, iidem reipſa ſunt, qui Fauni et Satyri. Pauci in marmoribus obſeruantur, certe non ſatis a Faunis Satyrisque diſtingui poſſunt. Verum non infrequenter occurrit Dux eorum, praecipuusque inter illos, Pan 12) ſcilicet paſtorum, uenatorum, ruſticorumque Deus. De origine illius tantus eſt ſcriptorum diſſenſus, ut nihil certi cognoſci poſſit. *Herodotus* in Euterpe Mercurii ipſum et Penelopes filium dicit. Fabulantur enim, quod quum Mercurius ad Penelopen accederet, hirci formam ſumſerit, ideoque Pana hircina cornua et pedes habere. *Epimenides* Panem et Arcadem fratres fuiſſe perhibet, Iouis atque Calliſthus filios. *Duris* uero Samius narrat, Penelopem matrem Panis fuiſſe, procosque omnes, qui, abſente Vlyſſe, aderant, rem cum illa habuiſſe, ideoque nomen Pan, quod Graecis idem eſt ac *Omne*, ipſi datum, quod nimirum omnium illorum filius eſſet. A Nymphis, in iisque in primis a Sinoe, educatus dicitur. Horridus uulgo repraeſentatur, capillis barbaque neglectis, hircinis cornibus, et a zona deorſum corpore ſimiliter hircino. A Satyro itaque et Fauno nullo modo differt: pedum ſeu baculum recuruum tenens cernitur, quod paſtorum Deus, tibiamque multis fiſtulis compactam, quae ideo Panis fiſtula dicitur. Hebetur etiam Deus uenatorum, qui per montes et ſaltus ire ſolebat cum Dryadibus et Hamadryadibus; id quod ad opinionem illorum accedit, qui putant. Panem eundem eſſe cum Siluano. Ceterum Pan cum ſociis Panibus 13) ad cateruam Bacchicam pertinet, perinde atque Satyri. Bacchum quoque in expeditione Indica ſecutus eſt.

§. 8. Narrant Mythologi, ipſum a principio Echus Nymphae amore captum fuiſſe, ex qua filiam Iyngem ſuſceperit. In Syringis poſtea amorem 14) incidit, quae in arundinem commutata fuit: id uero accidit, poſtquam ille cum Cupidine luctatus, ab eoque uictus, uictoris leges ſubiit. Syringe igitur in arundinem commutata, ex pluribus arundinibus Pan tibiam fecit, quam Syringem poſtea uocarunt, aut tibiam Panis. Pan autem plerumque cornutus repraeſentatur, auribus cruribusque caprinis, ubi a Satyro aegre diſtinguitur; aliquan-

 do

9) *Iſidorus*, quod a *Seruio* in 7. Aeneid. habet, deriuat a Φωνη; idem *Seruius* paullo ante a *fando* ducebat.

10) Iſtos ſimul nominat *Ouidius* metam. 1, v. 192. 93. adde *Horatii* od. 18. lib. 3; ad Faunum.

11) Serpens inter myſteria Bacchi. Vide *Eggelingium* pag. 70. tom. 7. *Gronouii*.

12. Vide *Macrob.* Saturnal. 1, c. 22. *Plutarchum* de *Iſide*; *Pauſaniam* in Arcadicis; *Scholiaſtes Lycophronis* ad v. 772. diſtinguit; et hunc noſtrum Iouis et ὕβρεως filium facit. Sic et quidam codices *Apollodori*; alibi autem Θυμβρεως, quod vix placeat.

13) *Cicero* lib. 3. de nat. Deor. c. 17. *Paniſcos* etiam dicit, ut Satyris iungit.

14) Vid. *Seruius*, fabulam et Pana pluribus deſcribit in Eclog. 2. *Virgil.*

lo etiam forma gaudet humana; qualis exhibetur *Tab. XXXII. Fig. 3*, quem uiri quidam eruditi habuerunt pro Pane, comite Syringe Nympha; tibia Panis e uicino arbore pendet, quae eius ſymbolum eſt; prope Syringem Faunus paruus caniſtrum uuis plenum geſtat, ſuper uuis uero eſt papilio, animae ſymbolum 15). Imago ſequens *Fig. 4.* Panis eſt formam Satyri totam habentis, qui bacchum hirco uectum ducit. Eadem forma exhibetur *Fig. 5* Hic autem cornu canit, Syringem uero ſuper femur dextrum geſtat. Syrinx hic fiſtulas tantum quinque habet, ſed plerumque maior illarum eſt numerus; ſaepius ſeptem, aut etiam plures, immo aliquando decem complectens. Cornu adhibet, quod paſtoribus non minus, quam Syrinx, conuenit.

§. 9. Monumentum ſequens (*Fig. 6.*) Panis cum Cupidine luctam 16), depingit. Pan hic proſtratus iacet; radiis autem fulgentibus, praeter morem, hic ornatus cernitur, unde *Pan Lucidus* ſaepe uocatur. Huius uentrem Cupido calcat, eiusque cor et uiſcera euellit. Cupido arcum proiecit, pharetramque geſtat. Panis tibia octo fiſtularum iacet etiam humi. Supra luctantes in aere corona grandis uiſitur, ex ramis foliisque oliuae adornata, et ſupra coronam ingens ſtella. Corona porro illa, ſeu ſertum in circulum adornatum concertantibus imminens, uictori ſtatim deſtinata uidetur. *Pan* uero hic *Lucidus* 17) commode referri poteſt ad ea, quae *Hyginus* de eo narrat, fab. 196. *Dii*, inquit, *in Aegypto quum Typhonis immanitatem metuerent, Pan ſuaſit, ut in feras beſtias ſe conuerterent, quo facilius eum deciperent, quem Iouis fulmine deinde interfecit.. Pan Deorum uoluntate, quod eius monitu uim Typhonis euitarant, in aſtrorum numerum relatus, et quod ſe in caprum eo tempore conuerterat, inde Aegocerus deinde dictus eſt, quem nos Capricornum dicimus.* Potuit ergo *Pan Lucidus* 18) uocari, quod in ſtellam mutatus fuiſſet; et haec fortaſſe ea ſtella eſt, quam ſupra caput Panos uidemus.

§. 10. SILVANI origo admodum eſt obſcura; alii Fauni, alii Saturni filium dicunt. Erat autem Deus montium ſiluarum, paſtorumque 19), ignotus paene Graecis 20), ſed apud Latinos admodum celebris; forte dicatur, Graecis ſub Panis nomine notus fuiſſe, quandoquidem Pan idem fere, qui Siluanus. Auctor originis populi Romani ait, plurimos putare, Siluanum eundem eſſe cum Fauno, et a ſiluis nomen mutuatum eſſe, in quas non trita uia ſeſe immittat, aliosque eum pro Pane habere. Aliquando occurrit Panis forma cum cornibus cruribusque caprinis, aliquando humana forma gaudet. Duplex autem illa forma non arbitrio ſculptorum illi tributa eſt; quum ex monumentis certum uideatur, ipſum duobus hiſce modis cultum fuiſſe. Tradunt ueteres, ipſum ſemper cupreſſi ramum 21) geſtaſſe, quod uidelicet adoleſcentem Cypariſſum adamaret, qui deinde in arborem huius nominis mutatus eſt. In plurimis tamen monumentis pini potius ramum eſſe patet. Humana figura ſiſtitur *Fig. 7*, ubi nudus eſt, et dextra falculam, ſiniſtra uero ramum arboris, tenet; canis adſtans cum ceteris, proprium Dei ſiluarum gregumque ſymbolum eſt. *Fig. 8.* et *9.* forma Panis repraeſentatur, i. e. cum cornibus, auribus et corpore caprino a zona ad pedes; *Fig 8..* Siluanus ſedens exhibetur Panis forma; hedera coronatur ita, ut cornua per coronam emineant; ſiniſtra manu ramum pini geſtat, cui ſtrobili haerent. Manum ille dextram Nymphae porrigit e regione ſub pino ſedenti; Cupido uero Nymphae genibus innititur. Altera imago Siluanum bis exhibet, primo Hermae forma, cuius caput ſolum, mediaque corporis pars ſine brachiis, apparet, reliquum uero corpus in pilam quadratam deſinit; aures caprinas habet; corona grandis, denſaque ex ramis pini, caput operit, ita, ut, ſi cornua deeſſent, conſpici nullo modo poſſent. Idem Siluanus in eadem imagine repraeſentatur contracto corpore ſub pino; cornua eminent, ſed breuiora; aures, crura, pedes, caprinae ſunt; Cupido humeris eius inſidens, illi adblandiri uidetur; a tergo Panis tibiam habet multis fiſtulis concinnatam, et ad pedes duas tibias

15) Vid. antea de *Pſyche* et *Cupidine* pag. 51.

16) Vid. *Seruium* in eclog. 2.

17) *Pan lucidus* in inſcriptione apud *Reineſium*; et in numis quibusdam Pan cum facibus uiſitur: quia ei ignis inextinctus, ſacratus erat; ideo etiam in Veſtae cella, *ara Panis* erat. *Pauſan.* Arcad. uid. *Ezech. Spanhemii* de Veſta p. 680. tom 5. *Graeuii.*

18) Panis omnem fabulam ineptiſſime ad Chriſtum Seruatorem noſtrum, transtulit *Becanus* hieroglyph. pag. 267.

19) Vid. *Seruium* in 8. Aen. v. 600, *Horatius*: Siluanum lacte piabant.

20) Antiquioribus certe. Exſtat tamen *Palladae* cuiusdam epigr. in Συλβανον.

21) *Virgil.* Georg. I. Et teneram ab radice ferens Siluane *cupreſſum*. *Auguſtinus* de ciu. Dei lib. 6. c. 9. ex *Varrone* tradit, tria numina mulierem fetam poſt partum a *Siluano* defendere ſolere. Emendanda ſunt quaedam lexica et gloſſaria, quae *Siluanos* pro lapidibus ſeu ſtatuis habent, ex quibus aqua ſaliat; quod non indoctis uiris impoſuit; correxit *Keuchenius* ad *Frontinum* de aquaeductibus lib. 1, *Silanos*, et expoſuit pluribus.

Tab. XXXIII.



1. et 2. Priapus sub forma Hermæ. 3. Vertumnus. 4. Idem varios fructus in sinu gerens. 5. Idem cum falce et cane. 6. Flora cum cornu copiæ. 7. Eadem cum Sphinge. 8. 10. et 11. Eadem cum corona floribus conserta. 9. Eadem cum floribus. 12 et 13. Pomona canistro variis frugibus referto insidens. 14. Pomona nuda ad truncum, cui canistrum inhæret.

tibias longas. Praeter Cupidinem Siluani humeris inhaerentem ad pedem Hermae alius eſt Cupido, qui Siluano contracto aliquid manu ſignificare uidetur. Siluanus ramum illi offert arboris ignotae.

CAPVT IV.

De Priapo, Vertumno, Flora et Pomona.

§. 1.

PRIAPVS, Bacchi et Nymphae Naiadis 1), filius erat. Alii matrem eius Chionem 2) uocant; alii Adonidis et Veneris filium dicunt. Iuno autem, zelotypia in Venerem mota, obſtetricem ſimulans, natum torſit et deformem reddidit. Mater et ipſa non ferens eius formam, expoſuit. Lampſaci inde educatus fuit, et porro a Lampſacenis expulſus 3), quoniam ipſorum uxoribus nimium placuit; nihilominus magna ipſum religione coluerunt. Deus ille hortorum 4) erat, eorumque cuſtos eſſe putabatur; fructuum quoque auctor et conſeruator credebatur; quapropter ſtatua eius ubique uidebatur, non in hortis olerum tantum, ſed etiam in areolis nihil fructuum habentibus, et ad ſolam uoluptatem concinnatis. Vt plurimum ſub figurae Hermae repraeſentatur, ut *Tab. XXXIII. Fig. 1.* et *2.* in priori ſchemate pampinis coronatus eſt, et caprinas aures habet; pallium quoque humeris geſtat: in ſchemate poſteriori, aures quoque caprinas habet, et nullam geſtat coronam, ſed torquem ex lauri foliis, et ſub torque catenam quaſi gemmarum. In Graecia quoque Priapi erant, qui greges et apum aluearia cuſtodire credebantur; Romae, et in aliis Muſeis, Priapi non pauci comparent. Quisque autem Priapum ea fere, qua uolebat, forma effingebat; ſeruatis tamen quibusdam notis et ſymbolis: quo pertinet falx, et palus ab inguine porrectus. Quod ſumma cum turpitudine uarie tradunt *Priapeia* carmina; ſi cui tanti ſit, conſcelerari. Tab. XXXIII.

§. 2. VERTVMNVS Deus Hetruſcus eſt, et templa hic ibi in Italia habebat. A quibusdam Ianus eſſe creditur, et Deus fructuum et meſſium habebatur. Fabulantur, eum, ut Dea Pomona potiretur, formam anus cepiſſe, et, quod optauerat, ita nactum eſſe. Diuerſis mutatum formis ipſum fingit *Ouidius Met. XIV.* (inde a v. 636.) Quem *Fig. 3.* exhibemus, Vertumnus herbis uariae ſpeciei coronatur, ueſte indutus ſeminudum corpus relinquente. *Fig. 4.* Vertumnus foliis coronatus barbatusque eſt; tunica induitur, cuius infimam partem reducit, et ueluti ſinum efficit, in quo fructus ſuſtinet; inſuper pallio amicitur, cuius latera in poſteriores corporis partes abiecit. Nullus autem elegantior Vertumnus illo uiſus eſt, quem in *Scellianis* hortis conſpicimus, quemue *Fig. 5.* exhibet. Statua marmorea eſt, pedum circiter trium. Caput eius tam accurate Iouem refert, ut, niſi ſymbola fere omnia, Vertumnum eſſe, arguerent, Iupiter haud dubie habitus fuiſſet. Corona ſpicea agrorum Deum haud dubie commonſtrat; ferina pellis, collo eius annexa, a Vertumno ipſo in brachio ſiniſtro replicatur, ut fructus atque folia continere poſſit; aceruus hic fructuum conſpicitur, quae Vertumni nota certiſſima eſt; caput ferae, cui pellis detracta fuit, ſub brachio ſiniſtro dependet; dextra recuruum cultrum tenet, quo ille ad emundandas arbores utebatur; calcei agreſtes agreſtem Deum indigitant; perones eſſe putauerim, quibus utebantur in agro, quiue undique pedem tegebant, hi uero articulos pedum nudos relinquunt. Ceteroquin hoc Vertumno peculiare fuit, quod in omnes formas ſe facile commutaret, ut alter Proteus; mercatorum quoque et negotiatorum Deus erat, quod plurimi Poetae docent.

§. 3. FLORA 5), *quum magnas opes ex arte meretricia quaeſiuiſſet*, inquit *Lactantius* I. 20. *populum Romanum heredem ſcripſit, certamque pecuniam reliquit, cuius ex annuo foenore ſuus natalis dies celebraretur editione ludorum, quos Floralia appellant. Quod quia Senatui flagitioſum uidebatur, ab ipſo nomine argumentum ſumi placuit, ut rei pudendae dignitas quaedam adderetur. Deam eſſe finxerunt, quae floribus praeſit, eamque oportere placari, ut fruges cum arboribus, aut uitibus, bene proſpereque floreſcerent. Eum colorem ſecutus Poeta*

R in

1) *Strabo* lib. 13.
2) Schol. *Theocriti* ad idyll. 1.
3) *Suidas* uoce. Πρίαπ. *Lactant.* lib. 1, 21. *Ouidii* Faſtor. 6, 321. ſeq.
4) *Horat.* lib. 1, Satyra 8, initio.
5) Vid. *Propert.* lib. 4. elegia 2, tota. *Aſconius* Deum *inuertendarum* rerum facit, ſeu mercaturae. Nomen ab *inuerſo* Tiberi deriuant *Propert.* et *Ouid:* uid. *Nardini* Roma uetus p. 1151. tom. 4. *Graeuii.*

in fastis, non ignobilem Nympham fuisse narrauit, quae sit Chloris uocitata, eamque Zephyro nuptam, quasi dotis loco id accepisse muneris a marito, ut haberet omnium florum potestatem. Quod uero *Lactantius* hic de Flora, deque institutione ludorum Floralium ait, apud neminem scriptorum ueterum 6) reperitur. Florae saltem cultus eiusdem fere atque Roma uetustatis erat. Ludorum Floralium Romae festum ab impudicitia celebre fuit. Huic enim nudae mulieres aderant, tantaque turpitudo, tamque obscoena flagitia admittebantur, ut, quum *Cato* forte in coetum intrasset, tam infame spectaculum non ferens, cito pedem retulerit. *Fig. 6.* integram illius imaginem refert. Coronatur autem floribus, sinistraque manu cornu copiae tenet, floribus cuiusque generis plenum; induitur primo tunica in terram usque defluente; hinc alia ueste superinduitur, ad imam fere defluente tibiam, insuperque pallio seu palla, quam a parte anteriore reducit. *Fig. 7.* alia Flora elegans repraesentatur, floribus et ipsa foliisque coronata. Ea longa tunica operitur, fimbriatoque pallio superinduitur; Sphinx ad eius pedes decumbens, ad Isidem forte respicit. Schema sequens *Fig. 8.* ex pulcherrima statua Romana eductum est, et manu sinistra coronam florum tenet. Quae sequitur *Fig. 9.* itidem statuam Romanam refert. Eandem ferme cum ea, quam Fig. 8. dedimus, Florae imaginem exhibet *Fig. 10.* quae a celeberrimo Viro *Brunio* delineata fuit. Vix autem elegantior Florae statua occurrit, quam Versaliensis, ex ueteri signo expressa, quamue *Fig. 11.* conspiciendam damus. Coronam illa floream manu tenet, quae proprium Florae symbolum est.

§. 4. POMONA 7) hortos custodiebat, eamque Dii campestres adamabant, et uxorem ducere praeoptabant. Ardentior aliis Vertumnus eius animi flectendi caussa nihil non agebat; tandem in anum transformatus, ut illam facilius adiret, et ad optatum finem deduceret; postea formam iuuenis sibi propriam resumsit, et uotum assecutus est. En *Fig. 12.* Pomonam magno canistro, floribus fructibus pleno, insidentem, manu sinistra poma tenentem, dextra uero ramum; genibus maiorem pomorum ramorumque aceruum sustinet 8). De schematis sequentis (*Fig. 13.*) antiquitate aliquantum dubitatur; at fortasse ad alius, in quam ista suspicio non cadit, imaginem concinnata est, ut saepe contigit, Primae saltem Pomonae in multis similis est; nam et haec et illa magnam globulorum seriem in manicis gestat, qui globuli pomorum speciem referunt. Quae *Fig. 14.* sequitur nuda est, et trunco arboris, cui canistrum fructibus plenum alligatum est, innixa. Duodecimo ab urbe Roma lapide templum erat, *Pomonal* dictum, quod eius numini erat consecratum.

LIBER SECVNDVS.

DE AESCVLAPIO, DEA ROMA, DIOSCVRIS, FORTVNA, PENATIBVS ALIISQVE GRAECORVM ROMANORVMQVE DIIS.

CAPVT I.

De Aesculapio, Hygieia et Telesphoro.

§. 1.

AESCVLAPIVM 1) Apollinis et Coronidis fuisse filium, uulgaris est opinio, quae diuersas alias Mythologorum de Aesculapii origine multum obscurauit. Illa ipsa uero de ortu huius

6) Ideo fere incerta illa sunt. Vide tamen *Nardini* l. c. pag. 1294. *Arnobius* libro 3. etiam Floram meretricem dicit. *Ouid.* lib. 5. Fastorum v. 195. seq. Chloris eram, quae *Flora* uocor &c. adde *Augustin.* de ciuit. Dei lib. 4, c. 8. *Varro* de re rustica lib. 1. cap. 1.

7) *Ouid.* unde, et illa desumta, lib. 14. metam. v. 623. seq. inter latinas Hamadryadas numerat, et sub rege *Proca* fuisse dicit. Inde est flamen *pomonalis*, *Varroni* de l. l. et *Pomonal* in *Festo*.

8) *Ouidius* indicato loco, paullo aliter eam describit, falce et alia diligentia arbores adiuuare.

1) Nomen unde sit, illustrat cum alia historia Podalirii, *Tzetzes* ad Lycophr. uid. editio *Potteri* p. 113.



1. 2. 3. 4. *Aesculapius baculo innixus, cui serpens implicatus inhæret.* 5. *Idem cum Telesphoro.* 6. *Hygiea cum patera et serpente.* 7. *Eadem rupi insidens et serpenti cibum præbens.* 8. *Eadem capitis ornatu imprimis conspicua.* 9. *Eadem cum cane vel lupo.* 10. *Telesphorus.* 11. *Protome Aesculapii.* 12. *Protome Hygieæ.* 13. *Aesculapius, Hygiea et Telesphorus.*

huius Dei ſentiendi diuerſitas, poſterioris aeui ſcriptores haud paucos eo perduxit, ut plures Aeſculapios ſtatuerint. Quum uero mater eius Coronis appellaretur, quod et Cornicis et Nymphae nomen proprium eſt: denominationis ambiguitas nonnullos eo deduxit, ut Aeſculapium ex cornicis ouo productum, ex eoque ſub ſerpentis forma in hanc lucem editum eſſe putarent; quae fabula pluribus narratur a *Luciano* in Dialogis. Ad locum natiuitatis quod attinet, plerique in eo conſentiunt, quod Epidauri natus ſit, et dein educatus, a Chirone Centauro Medicinam edoctus fuerit, quam artem 2) deinde ſumma cum laude exercuit. Vxor eius Epione uocabatur, ex qua Machaonem, qui bello Troiano interfuit, et Podalirium cum quatuor filiabus, Hygieia ſcilicet, Aegle, Panacea et Iaſo, ſuſcepit.

§. 2. Diuerſis autem modis hic Aeſculapius repraeſentatur. Vulgaria eius ſymbola 3) ſunt baculus et ſerpens, ſanitatis teſſera; quoniam, ut *Plinius* ait, ſerpens multis remediis utilis, ſiue quod Medicum uigilem eſſe oporteat, ſignificet; (quo reſpectu etiam Gallus, uigilantiae ſymbolum 4), Aeſculapio addi nonnumquam ſolet,) uel denique, quia, ſicut ſerpens pellem mutando ſeſe renouat, homo quoque per medicinam 5) renouetur, nouumque quaſi corpus recipiat. Licet etiam nonnumquam ſine barba 6) conſpiciatur: ſtatuae tamen omnes, marmora, nummi, uno uerbo monumenta omnia, quae ad noſtram aetatem magno numero peruenere, egregie barbatum 7) exhibent, Ioui uſque adeo ſimilem, ut duo haec numina perſaepe non niſi ſymbolis a ſe inuicem dignoſci poſſint. Statua Aeſculapii Epidaurenſis aurea barba ornabatur, quam uero *Dionyſius*, Siciliae tyrannus, abſtulit 8), non decere, iocans, filium barbatum eſſe, quum pater Apollo imberbis eſſet. Quae hic *Tab. XXXIV. Fig. 1, 2, 3, 4, 5.* proferuntur ſchemata, Aeſculapium repraeſentant baculo ſerpenti circumdato nixum, quem baculum dextra modo, plerumque uero ſiniſtra tenent. Secundus ille hoc ſingulare habet, quod baculus eius quadratus eſt, quodque ad terram uergendo minuatur, et in acumen deſinat; dextra uolumen quoque tenet, quo forte innuitur, quod Medicinae praecepta ab ipſo conſcripta fuerint. Tertius calathum capiti impoſitum habet, perinde ac *Serapis* 9); quam ſymbolorum commutationem in aliis iam numinibus animaduertimus; Serapis autem etiam ſanitati praefuit. Quintus, Teleſphorum (de quo §. 4. plura) ad latus habet; ipſe ab immani ſerpentis magnitudine ſpectabilis eſt; a quo ſerpente truncus arboris baculi loco circumdatur. Aeſculapius ille, qui A. V. C. 462. Romam fuit allatus, ſolam ſerpentis formam habebat; qua forma etiam in patria ſua, Epidauri, cultus fuiſſe traditur. Attamen etiam forma humana repræſentabatur ibidem in templo quodam, ubi ſtatua eius ex auro et ebore concinnata fuerat, ſculptore *Thraſymene* Pario. Hic porro Aeſculapius in ſolio ſedebat, baculum manu tenens, alteramque manum capiti draconis imponens; canis prope ſtatuam decumbebat. Iuxta templum Aeſculapii lucus erat, in quo aliquem uel naſci uel mori uetitum erat; quum id ſit medicinae proprium, ut aegri a morte, quantum fieri poſſit, defendantur; id enim Medicinae Deum decebat, ne quis in luco ſuo moreretur, curare. Sed cur idem Deus prohibuerit in luco ſuo quempiam naſci, id ſane uix percipi poteſt. Nam perinde Medicinae officium eſt, felicem partum parientibus procurare, quam adhibere induſtriam, ne ii, qui in morbos incidunt, intereant 10). Tab. XXXIV.

§. 3. HYGIEIA ſiue Salus 11), Aeſculapii filia, ſaepius in nummis apparet, quam pater eius. Vulgo cuditur ſerpentem altera manu tenens, alteraque pateram, uerſus quam ſerpens caput extendit, quaſi ex illa bibiturus. Plerumque ſola depingitur, aliquando etiam cum patre Aeſculapio et Teleſphoro. Inter elegantiores Hygieiae ſtatuas referuntur *Fig.*

113. adde *Euſtathium* in Iliad. p. 353. edit. *Baſil.* et p. 250. Schol. *Pindari* in Pyth. 3. *Lactantium* lib. 1. c. 10. *Pauſaniam* multis locis. In numis ſaepe Σωτηρ dicitur. Tres Aeſculapios recenſet *Cicero* de nat. Deor. III. c. 22. *Ouid.* Metam. 15. v. 624. ſeqq. deſcribit, ut Romam religio eius uenerit. Adde *Graeuii* Tom. 3. *Marlianum* topogr. Romae p. 183. Tom. 4. *Borrichium* p. 1609.

2) Inde *Tertullianus* in apologetico, eum *medicinarum demonſtratorem* appellat.

3) Vid. *Albricum* de imaginibus Deorum.

4) Vid. *Feſtus* in *Dracones*.

5) Ita *Theodoretus* ſermones 7.

6) Ita apud *Phliaſios* fictum fuiſſe tradit *Pauſanias* Corinth.

7) *Lucianus* cum βαθυπωγωνα και ευγενειον dicit, in Ioue tragoedo.

8) *Lactantius* lib. 2, 4. uide notas.

9) *Tacitus* hiſt. 4, c. 84 incertorum ſymbolorum exemplum prodit *Cicero* lib. 2. de Diuin. Serapin et Aeſculap. iungit.

10) *Falconerius* tom. 8. *Gronouii* p. 2352. ſurgentem inter Romanos *Aeſculapii* honorem, a praeſtigiis cuiusdam Alexandri, de quo *Lucianus* narrat, per ſerpentem cicurem ueniſſe putat; quod uix uероſimile ſit.

11) Hoc nomine a *Cicerone* et aliis lat. Script. ſaepiſſime, item in inſcriptionibus et numis celebratur.

6. et 7. Prior illa n. *6.* a cultu capitis ſpectabilis eſt; poſterior rupi inſidet, et lauro coronatur, manuque dextra baculum uel ſceptrum tenet; in ſinu eius ingens draco, pluribus ſinibus contortus, caput ad pateram extendit, ut ex ea bibat; patera quoque operculum habet praeter ſolitum. Sequens *Fig. 8.* a praecedentibus non alia re differt, quam corona magna, cuius ora gemmis et lapillis ornatur; quae ibidem *Fig. 9.* lapidi inſidet, ſimiliter ſerpenti cibum ſuppeditat; quod uero animal ad latus eius eſt, non facile eſt cognitu; canis ne ſit, an lupus. Si canis, referendum ad fabulam, qua Aeſculapius infans a cane 12) lactatus fertur; ſi lupus, hoc animal Apollini, Medicinae Deo, conſecratum, prope neptem illius Hygieiam ideo fortaſſe poſitum eſt.

§. 4. TELESPHORVS 13) etiam medicinae Deus habebatur, et quidem praecipue conualeſcentium. Is Pergami maxime colebatur 14). Epidaurii illum Ἀκέσιος uocabant, id eſt, qui ualetudinem reſtituit, qui ipſam ſeruat, et morbis medetur. Sicyonii *Euemerion* nuncupabant, qui felicitatem inducit, uel qui felicem uitam efficit. Prima ſignificatio ad etymologiam magis quadrat; at haec uox ſignificationem actiuam hic habet, et felicitatis auctorem indicat. Teleſphorus ſemper iuuenis, et quaſi puer, repraeſentatur; ſi uero ſupra *Fig. 5.* ipſum Aeſculapio adſtantem contempleris: infans et puerulus eſſe uidetur. Elegantiſſimus omnium Teleſphorus, ex muſeo illuſtris uiri D. *Foucault* eſt, cuius ſchema *Fig. 10.* exhibemus, ex marmore albo confecta eſt, uno circiter pede alta, exquiſitiſſimique operis. Pallio autem undique circumdatus eſt, cui tiara Phrygia haeret.

§. 5. His addi merentur ſchemata ſequentia *Fig. 11.* caput Aeſculapii cum baculo, quem ſerpens circumdat, quo demto ſciri non poſſet, Iupiter ne, an Aeſculapius eſſet. *Fig. 12.* Hygieiae protomen damus, quae a longo capillitio et corona laurea ſuſpicienda; lauro ideo coronata uidetur, quod de morbo quodam uictoriam reportauerit. *Fig. 13.* tria ſimul medicinae numina Aeſculapium, Hygieiam et Teleſphorum, conſpicimus; in medio ſuperne uiſitur corona laurea; quae hic haud dubie poſita fuit, ut quum non uideatur, ad quem ex tribus illis ea pertineat, tribus ſimul competere exiſtimetur 15). Qui gemmam ſculpſit, uel ſuo, uel iubentis arbitrio, inſcriptionem appoſuit σώζετέ με, *ſeruate me*; legitur quidem σύζετε, ſed errore manifeſto.

Caput II.

De Roma Dea.

§. 1.

Pagani ueteres non modo urbes perſonarum more depingebant, ſed et in Deorum numerum referebant, muliebri ut plurimum forma. In iis urbibus, quae diuino honore afficiebantur, nullius cultus ita celebris erat, ac Deae Romae 1); non in ipſa tantum urbe, ſed etiam in aliis imperii Romani urbibus, ubi arae ipſi et templa ſtatuebantur. Romæ uero nullus maior cultus, quam Deae ipſius Romae. Depingebatur illa Mineruae ita ſimilis, ut non niſi ſymbolis dignoſcatur. En *Tab. XXXV. Fig. 1.* Romae imaginem galea inſtructam, rupi inſidentem, et ad pedes habentem aceruum thoracum et clypeorum; ſiniſtra haſtam geſſiſſe uidetur, quae temporum iniuria elapſa eſt. Quae *Fig. 2.* ſequitur, dextra manu uictoriam tenet, quippe quae nationes omnes deuiciſſet. Eandem ſedentem uidere licet *Fig. 3.* ubi haſtam ſiniſtra tenet, clypeoque dextra nititur; ante illam Ruminalis ficus, ad cuius pedem lupa Remum et Romulum lactat 2), ab alio latere e regione Romae, Fauſtulus baculo nititur. Tradunt quidam ueterum, Accam Larentiam 3), Fauſtuli uxorem, fratres duos infantes lactaſſe, quae quum ſcorti more ageret, olimque meretrices lupae uocarentur, hinc dictum fuiſſe, Remum Romulumque a lupa fuiſſe lactatos. Ficum Ruminalem Romani colebant, eaque

Tab. XXV.

12) *Lactant.* lib. 1, 10. alii canem ſagacitatis indicem putant.

13) Exſtat de eo commentatio uerboſa *P. Zornii* in miſcell. groninus.

14) Vide *Pauſan.* Corinth.

15) Malim eo referre, quod *Apollini*, medico, ſacra; unde ſaepe Phoebea, Apollinea.

1) Teſtibus numis, praecipue *Antonini Pii*; et inſcriptionibus. De *templo* Romae uid. *Nardinum* tom. 4. *Graeuii* p. 1034. *Fabricium* tomo 3. p. 399.

2) *Ruma*, mamma, inde nomen, quod ſub arbore lupa rumam dederit Remo et Romulo. *Feſtus.* Vid. pluribus *Nardinum* p. 1143.

3) Alii *Laurentiam* ſcribunt.

Perier. 1.



Maſſei. 2.



la Chauſſe. 3.



Bellori. 4.



5. Sponius.



Maſſei. 7.



Maſſei. 6.



la Chauſſe. 8.



1. Roma Dea clypeis et armis insidens. 2. Eadem Victoriam dextra tenens. 3. Eadem ante ficum Ruminalem, præsente Faustulo. 4. Eadem solio insidens et Victoriam sinistra tenens. 5. Roma triumphans. 6. Fuga Aeneæ cum Anchise patre et Ascanio filio. 7. Leda a Iove sub cygni forma compreſsa. 8. Nemesis, explorandis hominum actionibus præfecta.

Tab. XXXVI

Marmor Romanum.



Marmor Romanum.



Marmor Romanum.



Marmor Romanum.



Vaillant. 8.



9. Beger.




Villa Borghesiana. 6.



Maffei.



7. Beger.



1. Rhea Silvia, Romuli et Remi mater, a Marte dormiens circumventa. 2. Eadem gemellos suos lactans. 3. Romulus et Remus ad oram Tiberis expositi. 4. Iidem conservati, et in antro a lupa lactati. 5. Castor et Pollux cum hastis et equis. 6. Iidem singulari arte ex uno lapide sculpti. 7. Iidem cum hastis et parazoniis. 8. Duo pilei Dioscurorum. 9. Eorundem protomae.

eaque multis saeculis mansit ad pedem montis Palatini (seu in Comitio). Pastor Faustulus, utpote Remi Romulique alumnus, in monumentis Romanis saepe comparet.

§. 2. Alia Romae imago *Fig. 4.* quam maxime suspicienda est, quippe quae Romam in solio sedentem exhibet. Cassidi magna imminet crista bifida; humero utrique insidet genius ales; dextra manu sceptrum tenet, sinistra uictoriam, quae signum militare gestat cum inscriptione: S. P. Q. R. ab utroque latere eius eadem sede, uir nudus, cygno, uel anseri 4), insidens, conspicitur; quod anserum forte Capitolium seruantium memoriam reuocat; ad latus Romae clypeus est formae ouatae. Quae *Fig. 5.* sequitur Roma triumphans, ex ueteri pictura, prope amphitheatrum Romae detecta, expressum fuit. Ad alteram imaginis oram tropaeum conspicitur, capite uiri captiui nixum, qui manibus a tergo uinctis, prouinciam quandam deuictam, significat; Roma sedens pone se habet uictoriam, coronam tenentem; Roma Dea dextra manu hastam tenet; duo milites armati ante illam stant, quorum alter equum prehendit; duo alii milites pone equum stant, et ad alteram imaginis oram, lictores duo cum fascibus et securibus.

§. 3. Non uero Romam tantum ipsam in Deorum numerum referebant Romani, sed et omnia illa, quae ad originem eiusdem spectabant, religioso animo atque affectu colebant. Magno quippe in honore habebant Lupercal, ficum Ruminalem, Lupam, ceteraque ad ortum Romuli quodammodo spectantia; qui honor cum religione coniunctus erat. Vrbis autem Romae origo ducitur a fuga Aeneae cum Anchise, patre, et Ascanio, filio. Haec historia exprimitur *Fig. 6.* ubi Anchises humeris filii Aeneae gestatur, pyxidemque rotundam tenet, in qua, ut uulgo creditur, Dii Penates latebant, quos secum abstulit; quandoquidem Anchises etiam uelatus conspicitur, more illorum, qui sacra faciunt. Aeneas Ascanium manu ducit, qui, ob tenellam aetatem puerilemque staturam, uix sequi patrem potest; hic Ascanius lituum, uel uirgam auguralem, gestat; luna crescens forte significat, illos noctu aufugisse.

§. 4. Inter cetera spectabile utique est marmor illud, in quo Remi atque Romuli natalia uisuntur. Huius marmoris facies quatuor, *Tab. XXXVI. Fig. 1 — 4.* exhibent. In prima Tab. XXXVI.
Rhea Siluia dormiens conspicitur, Marsque illam silentio furtimque adit, ut comprimat. Casside munitus Mars hastam tenet, clypeumque ouatae formae. Vir ille barbatus circa Rheam Siluiam sedens, Tiberis humana forma expressus putatur; tenet altera manu palmae ramum; hinc porro concluditur prope fluuium rem actam. Ignorat nemo, Rheam Siluiam Numitoris fuisse filiam, Numitoremque natu maiorem, a fratre suo Amulio, Albae regno spoliatum fuisse. *Amulius*, inquit *Liuius*, Dec. I. Lib. I. c. 3. *addit sceleri scelus, stirpem fratris uirilem interimit; fratris filiae, Rheae Siluiae, per speciem honoris, quum Vestalem eam legisset, perpetua uirginitate spem partus adimit. Vi compressa Vestalis, quum geminum partum edidisset, seu ita rata, seu quia Deus auctor culpae honestior erat, Martem incertae stirpis patrem nuncupat. Sed nec Dii, nec homines, aut ipsam, aut stirpem, a crudelitate regia uindicant: Sacerdos uincta in custodiam datur, pueros in profluentem aquam mitti iubet. Sorte quadam diuinitus super ripas Tiberis effusus, lenibus stagnis, nec adiri usque ad iusti cursum poterat amnis: et posse quamuis languida mergi aqua infantes, spem ferentibus dabat. Ita uelut defuncti Regis imperio, in proxima alluuie, ubi nunc ficus Ruminalis est, pueros exponunt. Vastae tum iis locis solitudines erant. Tenet fama, quum fluitantem alueum, quo expositi erant pueri, tenuis in sicco aqua destituisset, lupam sitientem ex montibus, qui circa sunt, ad puerilem uagitum cursu flexisse, eam submissas infantibus adeo mitem praebuisse mammas, ut lingua lambentem pueros magister regii pecoris inuenerit; Faustulo nomen fuisse ferunt, ab eo ad stabula Larentiae, uxori, educandos datos.* Historia illa in anaglyphis hisce exprimitur, sed cum uarietatibus non paucis, ut fere fabulis addi denique solet; maxime, si augeri rei magnitudo debebat.

§. 5. In secunda tabella, Rhea Siluia sedens, geminos puellos, ex Marte susceptos, lactat. Fluuius, humana 5) forma, prope illam recumbit, ramum gestans, qui palma esse uidetur. In altero anaglyphi latere, duo uiri baculo recuruo instructi sunt, quemadmodum pastores tabellae sequentis. Tunicis ambo induti sunt, adiecto pallio, quod epomidem uocant. Alter lauro coronatur, alter uero casside armatus est. Exploratores, uideantur, ab Amulio missi, ut, quid ageretur, Regi nuncient. Tribunum fere alter, alter militem, referant; prior caligas,

4) *Plutarchus* certe, in libello de *fortuna* Rom. anserem in lectica gestari solitum, Capitolii seruati caussa, refert.

5) *Aelian.* lib. 2. c. 33, dicit fluuios et humana, et boum figura, fingi solitos.

caligas, calceamenti militaris genus, gestat, alter nudis pedibus est. Tertia tabella tres exhibet uiros militari habitu, qui, iubente Amulio, puellos ad oram Tiberis exponant. Tiberis fluuius hic, ut supra, humana forma recumbit; qui pueros exponunt, milites sunt, poneque illos alius, Tribuni Centurionisque speciem prae se fert, manu dextra hastam, sinistra uectem tenentis, quem humero gestat; uir pone milites decumbens, est fortasse pastor, rem, ut agitur, obseruans, pastorum principi, Faustulo, referendam. In Quarta et postrema Tabella repraesentatur lupus, Romulum Remumque in specu lactans, cui nomen deinde fuit Lupercal. Duo pastores hinc et inde ad latera tabellae positi, rem mirabundi speculari uidentur; qui lauro redimitus est, Faustulus esse putatur; uterque baculum recuruum, seu pedum, tenet, qua forma pastores uti solebant.

CAPVT III.

De Dioscuris.

§. I.

Castor et *Pollux* fratres, etiam DIOSCVRI, i. e. Iouis filii, uocantur. Castorum 1) nomine non raro uterque ueniunt. De origine illorum, Mythologi non consentiunt. A quibusdam refertur, Iouem adamasse Ledam, Tyndari Regis uxorem, eumque in cygnum se, ut ea potiretur, transmutasse; (id quod *Tab. XXXV. Fig. 7.* uidere licet) Ledam 2) hinc grauidam, ouum peperisse, unde Pollux et Helena orti. Alii, duo oua peperisse, narrant, et ex altero egressos Pollucem et Castorem, ex altero uero Helenam et Clytaemnestram, immo etiam sororem tertiam Timandram. Quicquid sit, ipsum Dioscurorum nomen, Iouem, patrem, arguit; quandoquidem maxima poetarum pars, ambos hos fratres, pro Iouis filiis habet. Postquam nati sunt, Mercurius ambos Pellenen transportauit, ut istic educarentur. Postea ambo, cum Iasone, ad expeditionem Velleris aurei, profecti sunt, ibique strenue et fortiter sese gesserunt. In patriam reuersi, Atheniensibus bellum intulerunt, ut Helenam, sororem suam, quam, ipsis absentibus, Theseus rapuerat, repeterent, eamque feliciter reduxerunt. Eo tandem uitae exitu periere, qui nec felix, nec honorificus, eis erant. Vterque 3) enim in iurgio cum Lynceo, Messenio, ob raptam huic sponsam, periisse dicitur. Ambo in genere suo excellebant; equitandi peritia 4) Castor praestabat, Pollux uero strenuus fuit athleta; uterque tamen saepe depingitur eques citato cursu procedens; saepe Castor solus occurrit, equum manu ducens. Frequentius utriusque capiti stella imminet, quas a Ioue accepisse feruntur; nisi stellae ipsae, Castoris et Pollucis nomine in coelo notae, his denotentur, seu potius flammae, uel ignes, qui a nauigantibus conspici solent, et boni ominis 5) loco habentur. Si una tantum stella uisitur, ea Helena uocatur, magnaeque futurae tempestatis signum est. Castor et Pollux ex numero eorum Deorum sunt, qui non immortales nati, sed insignibus rebus gestis diuinitatem adepti sunt.

§. 2. *Tab. XXXVI. Fig. 5.* uterque casside instructus apparet; loco stellae flamma cassidi imminet; ambo altera manu hastam, altera equum, tenent. Imago sequens, (*Fig. 6.*) ob elegantiam operis suspicitur; ex uno quippe lapide duae statuae sculptae sunt; alter uolumen tenet, caussa ignota; inter utrumque securis est, trunco arboris innixa. *Fig 7.* Castor et Pollux casside, cui stella imminet, ambo instructi, sese mutuo respiciunt; uterque pallium humeris gestat, quod tamen retro defluit, nec nuditatem tegit; manu altera hastam singuli tenent, altera uero parazonium, aut breuem gladium, utpote Lacedaemonii. *Fig. 8.* nummus solos Castoris et Pollucis pileos exhibet, cum stella pileis imminente, et equo currente. Duae protomae sequentes, (*Fig. 9.*) in nummo *Seleuci* habentur: fratres ambo pileum stellamque similiter habent, et supra pileum coronam lauream. Hi uero fratres, qui in nummis et monumentis fere semper simul conspiciuntur, numquam fere ambo eodem in loco comparebant, neque umquam in coetu Deorum reperiebantur. Nam, quoniam unus tantum illorum

1) Ita aedes *Castorum;* et uulgata Actor. 28. naui, cui erat insigne *Castorum;* Graece, Διοσκούρων.

2) Vnde fratres, Dii *Ledaei* poetis, uid. *Apollodor.* lib. 3. c. 9. n. 7. *Hygin.* fab. 80.

3) *Apollodor.* lib. 3. c. 10. num. 2.

4) Vid. *Homer.* Il. 3, v. 237. et scholiastes de cetera fabula. *Horat.* lib. 2. *Sat.* I. v. 26. idem *Carm.* lib. I. od. 3. et od. 12.

5) Inde Σωτῆρες, Saluatores saepe et in Scriptoribus, et inscriptionibus uetustis, dicti.

illorum immortalis 6), alter mortalis futurus eſſet: fratres hi duo, qui mutuo ſeſe amore proſequebantur, id a Ioue impetrarunt, ut alternatim unus inter Deos eſſet, alter uero cum defunctis uerſaretur.

§. 3. Caſtor autem et Pollux non ſoli Dioſcurorum nomine inſigniebantur, ſed *Cabiri* 7) quoque hoc nomine gaudebant. Verum aliud Deorum genus Cabiri hi fuerunt, de quorum origine, et numero, et myſteriis, tamen nihil certi affirmari poteſt. Secundum *Herodotum*, Memphi templum habuerunt, quod ſolis Sacerdotibus patebat. Cambyſes ſtatuas eorum combuſſit, eos ludibrio habens. Statuae hae Vulcani ſtatuis ſimiles fuiſſe dicuntur, ab indigenis etiam ipſi pro filiis Vulcani habebantur. Graecorum porro opinio erat, matrem Dioſcurorum non Ledam fuiſſe, a Ioue, ſub cygni forma, compreſſam, ſed *Nemeſin*, Oceani et Noctis filiam, alio nomine *Adraſtiam* nuncupatam; Ledam uero nutricem tantum Helenae fuiſſe. Haec autem Nemeſis, dum explorandis hominum actibus praeficiebatur, *ultrix facinorum impiorum bonorumque praemiatrix*, ab *Ammiano Marcellino* uocatur. Hinc ab antiquis alis inſtructa dicebatur, ad ſignificandum, quam uelociter illa omnes homines aſſequeretur, et ſingulorum geſta obſeruaret; rota quoque eidem adeſſe ſolita, ſignificat, eam, perpetuo per orbem, quaſi rotari. Imaginem illius exhibet *Tab. XXXV. Fig. 8.* ubi altera manu ramum tenet, et faſciam uolitantem; ad pedes uero, eſt rota.

CAPVT IV.

De Fortuna Dea.

§. 1.

Nullum olim numen maiori, quam FORTVNA, religione colebatur, nullumque tot templa 1) Romae habuit, totque modis, formis atque nominibus celebratum fuit. Fortunae uero proferre definitionem, ipſo nomine ſignificantiorem, non ita facile eſt 2). *Anaxagoras* cauſſam dixit, rationi humanae non manifeſtam; alii ſubitum uocant et inopinatum rerum per caſum accidentium euentum *). Diſcrimen inter id, quod profani illi de Fortuna tradebant, et id, quod poſtea Chriſtiani de illa ſtatuerunt, in eo poſitum eſt, quod iſti, quum euentus ſubitos inopinatosque uiderent, non ignotas modo, ſed etiam, uti uidebatur, rationi contrarias, et cum aequitate iuſtitiaque pugnantes, ut primo conſpectu putabatur, cauſſas comminiſcebantur, quibus id tribuerent. Fortunam itaque caecam pingebant, quod inconſiderate ageret, nec euentum ſeriemque rerum proſpiceret; gubernaculum quoque ipſi adſcribebant; caeco tamen impetu res omnes gubernare ſimul putabant, nec fere aequitate uel iuſtitia regi.

§. 2. Chriſtiani 3) contra, Fortunae nomen euentibus quidem ſubitis inopinatisque tribuunt, quarum cauſſam rationemque non capiunt: at pro certo indubitatoque habent, nihil temere agi, omnesque euentus, quantumuis inopinati ſint, et rationem ipſam impetere uideantur, ex infinita Dei prouidentia proficiſci, et ſemper in utilitatem, tum generalem, tum peculiarem, cedere iis, qui diuinae ſeſe prouidentiae committunt. Profani itaque, qui Fortunam, omnium euentuum cauſſam, exiſtimarunt, illam, ueluti Deam, coluerunt. *Bupalus* 4) autem primam Fortunae ſtatuam Smyrnenſibus feciſſe dicitur. Polum 5) illa capite ſuſtinebat,

6) *Dioſcurorum uita*, prouerbium fere fuit; e. g. *Alcibiadi*, *Aelianus* uar. hiſt. lib. 13. c. 38. quae alterna morte redimebatur, ut *Hygin.* fab. 80.

7) Vid. *Gutberlethus* de myſteriis Cabirorum ſingulari diſſert. c. 3. item *Hadr. Relandus*, et *Io. Antonii*, Veneti ICti, diſſertatio *de Diis Cabiris* ad *Iuſtum Fonteninum*, *Venetiis* 1703. 8.

1) Vid. index tomo 4. *Graeuii* additus. Et *Alex.* ab *Alex.* lib. 1. c. 12.

2) Liber fieret, ſi quis Veterum et opiniones, et dicta de Fortuna, colligere inſtituat. *Homeri* temporibus tantum eius nondum fuit numen; quam poſtea factum. Fatum ſaepe a Fortuna non diſtinguitur; nec fere poetae magis celebrarunt, quam Scriptores alii. Itaque huius loci non eſt, talia congerere. Fortunam quidam *Parcis* addiderunt, uid. *Pauſan.* Achaii. Multa etiam fuere Fortunae cognomina; uid. inter alios *Plutarchi* libellus de Fortuna populi Rom.; notiſſimum, Fortuna *redux*.

*) Aliter deſcribitur in *Cicer.* libro 2. de diuinat. c. 6.

3) Patres antiquiores Fortunae ineptias, ſaepiſſime eius cultoribus, obiiciunt; uid. *Lactantius*, *Auguſtinus*, alii.

4) Ita tradit *Pauſanias* in *Meſſeniacis*.

5) Aliter explicat *Pacunius*, excit. in libr. 2. ad *Herennium* c. 13. *Saxi* ad inſtar *globoſi* praedicant eſſe uolubilem; eius ibi omnes uerſus huc unice pertinent. add. *Plinii* hiſt. nat. lib. 2. c. 7.

nebat, et cornu copiae tenebat, quo ipſo ſignificare uoluerunt Veteres, quod mundum gubernet; qua de cauſſa 6) ipſi etiam gubernaculum addiderunt.

Tab. XXXVII. §. 3. Sic imago prima, quam *Tab. XXXVII. Fig. 1.* exhibemus, obſeruatu digna eſt. Capiti Fortunae ſol imminet, et luna bicornis, ut ſignificetur, ipſam gubernare mundum et uniuerſa, quae duobus illis aſtris illuminantur; laeua manu duo cornua copiaetenet,utpote quae omnia mundi bona adminiſtret; dextra gubernaculum tenet, quod mundum gubernet. Secunda (*Fig. 2.*) ſimiliter cornu copiae et gubernaculum habet. Schema ſequens (*Fig. 3.*) ex Muſeo Domini Mareſcalii *d'Eſtres*, admodum ſingulare eſt. Mulier fere nuda eſt, contra uulgarem Fortunae morem; cornu copiae, quod tenet, frugibus onuſtum eſt; altera manu inſtrumentum praegrande, terra innixum, tenet, quod forte gubernaculum erit; forma licet inuſitata. Quae *Fig. 4.* ſequitur, ornatu capitis eximia eſt, qui in Iſide alibi conſpicitur. Singularis notatuque digna etiam Figura eſt, No. 5. Fortunam Antiochiae ſiſtens. Poli formam et ipſa in capite geſtat, niſi quis calathum dixerit, qui uulgo Serapidis capiti imponitur; manu ſiniſtra cornu copiae tenet, altera uero gubernaculum, cui delphinus inſidet. Alia Fortunae imago *Fig. 6.* repraeſentatur, quae a ſymbolo Iſidis ſpectabilis eſt. Magnis haec alis inſtructa eſt, caput eius corona exornatur, in qua ornatus ille inſignis eſt, qui pennarum more ſublimis erigitur,qualem alibi in Iſide uidemus. Pro more hic dextra manu gubernaculum tenet, laeua cornu copiae, in quo poma et uarii fructus uiſuntur, iisque impoſita capita duo, quorum Iouis alterum, alterum Iunonis eſſe putatur; ſi quidem ipſe *Cicero*, Libro II. de diuinatione ait: quodam in loco Iouem et Iunonem in Fortunae gremio honorari; alii Iſidem et Oſiridem, et rurſus alii Solem et Lunam eſſe putant; haec ſtatua pharetram quoque humero geſtat, ueluti Diana, aut Cupido; quae ſymbolorum multitudo eo multos induxit 7), ut putarent, haec ſimulacrum eſſe Pantheon; quae Fortunae formam, Cupidinis alas, et ad pectus, tigris, aut pantherae, pellem, Bacchi ſymbolum, et in capite ornatum Iſidis, Dianaeque pharetram, una cum Iunonis et Iouis capite, in cornu copiae habeat. Quantum ad alas ſpectat, etſi illae olim Fortunae darentur, pleraque tamen Romana monumenta, ſine alis illam exhibent. Hoc tamen mirabile uidetur, quod, quum Scriptores Fortunae ſaepius rotam 8) tribuant, haec rariſſime in marmoribus cum Fortuna compareat, ab aeneisque item ſchematibus et gemmis tam frequenter exulet. Alia imago, *Fig. 7.* Fortunam a Victoria coronatam exhibet; mulier, quam Fortuna alloqui uidetur, a nonnullis pro Virtute habetur.

§. 4. Fortunae Deae merito iungimus Bonum Euentum, et Abundantiam. *Bonus Euentus* 9) eatenus tantum a Fortuna diſtingui uidetur, quatenus bona tantum, quae caſu eueniunt, exprimit; quum contra Fortuna de bonis malisque caſibus intelligatur. Romani, Bonum Euentum, Deum fecerant, cui templum Romae erat. Statua eius dextra manu pateram, ſiniſtra uero ſpicam, et papauer, tenuiſſe dicitur. *Abundantia*, quae aqud Veteres perſonae formam retulit, Fortunae munus erat. Schema illius *Fig. 8.* exhibetur, ubi foliis ea coronatur, dextraque manu cornu copiae tenet, ſiniſtra uero magno uaſi figulino innititur, quo uaſorum genere 10) olim ſeruando uino, aliisque liquoribus, utebantur. Nonnumquam ſedens repraeſentatur, duo cornua habens, ut *Fig. 9;* interdum, quicquid cornu copiae continetur, large effundit, ut *Fig. 10.*

CAPVT V.

De Geniis, Laribus, Penatibus, aliisque Diis tutelaribus.

§. I.

GENII, LARES ac PENATES, alii pro aliis ſaepe ſumuntur. GENII nomen his omnibus commune eſt. Lares nonnumquam in inſcriptionibus *Genii loci* uocantur. Lares etiam

6) Ita certe *Lactant.* refert lib. 3. c. 29. Conferre non pigebit cum his ſimulacris, *Horatii* od. 35. lib. 1. ad Fortunam Deam; ibi etiam *domina aequoris*, dicitur, quo nonnumquam id gubernaculum proprie referendum eſt.

7) Vide *de la Chauſſe* tom. 5. *Graeuii* p. 781. n. 24.

8) Ita *Cicero*, Fortunae *rotam* pertimeſcere; ſaepius alii; rotae locum, globus tenet in monumentis. Rotam Nemeſis, occupauit; uid. tabula 35. fig. 8.

9) *Varro* de re ruſtica, lib. 1. c. 1. nec non precor *bonum Euentum*, quoniam ſine ſucceſſu, ac bono euentu, miſera eſt agricultura. *Plinius* lib. 36. c. 5. refert, in Capitolio fuiſſe huius et bonae Fortunae ſimulacra, manu *Praxitelis*.

10) Aqua ubertatis ſaepe eſt index; ergo uas aquarium fuerit.



1.2.3.4.5.6. Varia Fortunæ monumenta cum cornu copiæ et gubernaculo, propriis eiusdem symbolis. 7. Fortuna a Victoria coronanda; mulier a dextra illius pro virtute habetur. 8. Abundantia Dea. 9. et 10. Duo nummi Abundantiæ Deam exhibentes. 11. Genius cum hasta et cornu copiæ. 12. duo Genii cum Iside.

Tab XXXVIII



1. Genius puerulus. 2. Genius populi Romani. 3. Genius Brixiensis. 4. Votum in quo Genius cum Lare conspicitur. 5. Duo Lares. 6. Tutilina s. Tutelina. 7. Matuta. 8. Rumilia. 9. Comus, Deus conviviorum. 10. Spes. 11. Aeternitas. 12. Abundantia s. Vbertas. 13. et 14. Fecunditas. 15. Felicitas.

etiam pro Penatibus accipiuntur a multis Scriptoribus, et admodum difficile eſt, eorum officia atque functiones diſtinguere. Vulgo creditur, Lares 1) eos eſſe, qui priuatas domos cuſtodiant; Penates 2) uero cuſtodes domorum generatim ſumtarum. Verum haec diſtinctio non ubique ualet; quoniam inſcriptiones nonnullae his omnibus promiſcue utuntur. Genii etiam pro defunctorum Manibus accipi nonnumquam ſolent. Veteres exiſtimabant, quemuis hominem peculiarem ſuum habere Genium, imo multi duos cuiuis homini Genios tribuunt, bonum nempe, et malum. Genios Graeci δαίμονας uocabant. Latini quoque, qui religionem paene totam, et caerimonias a Graecis mutuati ſunt, duos Genios cuique dabant. Geniorum nomen illis plerumque dabatur, qui uiros cuſtodiebant; et Iunonum nomen, cuſtodibus feminarum; quo ſenſu Iunones ſaepius Pluraliter occurrunt. Hinc factum, ut uiri per Genium ſuum, mulieres uero per Iunonem ſuam, iurarent. Genii aliquando ſerpentum forma depicti ſunt, at frequentius hominum forma efferuntur, et quidem modo ſenum, modo barbatorum uirorum, ſaepiſſime puerorum, quibus etiam alae nonnumquam adduntur; quo pacto uero a Cupidinibus uix diſcernuntur. Genii porro non ſingulis modo tribuebantur, non Principibus modo et Optimatibus, ſed etiam Senatui atque populo 3).

§. 2. Genius, quem *Tab. XXXVII. Fig. 11.* exhibemus, ex marmore Romano eductus, iuuenis eſt nudus, cornu copiae tenens frugibus onuſtum et ſpicis, altera uero manu baculo innixus. Marmor egregium eſt (*Fig. 12.*) quod, ex uulgari opinione, Caſtorem atque Pollucem repraeſentat. In morem utique tranſiit, ut quando duo ſimul iuuenes exprimuntur, ſtatim Caſtor et Pollux eſſe dicantur. At D. *Hadrienſis* Epiſcopus, duos Genios eſſe, ueroſimilius putabat; idem, ſtatuam pone alterum poſitam, pro Iſide habuit, ad cuius tamen cultum parum accedere uidetur. Melius forte in iis numinibus collocanda, quae Lares uocantur; immo iuuenes quoque ipſi Lares eſſe poterunt; quandoquidem Lares paſſim lauro coronati occurrunt. Genius ſequens, *Tab. XXXVIII. Fig. 1.* ex Muſeo V. Cl. *de Boze*, puerulus eſt, altera manu cornu copiae, altera pateram tenens; adſtat trunco arboris, et pallium geſtat. Nummus regius, *Fig. 2. Hadriani* Imperatoris, Genium Populi 4) Romani exhibet, in ara ſacrificantem, alteraque manu cornu copiae tenentem, ſymbolum Geniis admodum familiare; inſcriptio eſt: *Genius populi Romani.* Qui *Fig. 3.* ſequitur, Genius Brixienſis eſt, iuuenis ſcilicet in Hermae formam deſinens; coronam geſtat lauream, manuque dextra papauer herbasque tenet, quibus inſidet auis expanſis alis; ſiniſtra uero cornu copiae habet, in ſinu autem fructus geſtat.

Tab. XXXVIII.

§. 3. LARES Dii erant domeſtici, qui nonnumquam etiam Genii appellantur; ita, ut Genius ſit nomen genericum, cuius ſpecies ſunt Genii cuiusque hominis, Genii cuiusque domus, quos Lares uocabant, et Genii locorum urbiumque, qui Penates uocabantur; etſi, ut iam monuimus, Lares atque Penates ſaepe promiſcue ponantur. Lares, ex *Ouid.* Faſt. 2. 5) Mercurii et Larae, filiae Almonis, filii erant. Larae huic Iupiter linguam abſciderat, quod illa adulteria ipſius Iunoni renunciaſſet, eamque Mercurio tradidit, ut ad inferos duceret; hic uero amore illius captus, cum illa concubuit, unde gemelli nati, quos Lares appellarunt. Per metonymiam, aedes et domus ipſae, nonnumquam Larium nomine ueniunt, ut patria, Penates dicitur. Lares olim canis 6) forma repraeſentabantur, quia canes eandem obeunt functionem, quam Lares; domum ſcilicet cuſtodiunt. Non uero domorum tantum aediumque, ſed etiam uicorum et uiarum cuſtodes habiti ſunt. *Tibullus* agrorum quoque cuſtodes illos uocat. Lares porro cum Geniis, pro Manibus defunctorum quoque habitos, iam ſupra notatum eſt. Cultus Larium origo, ex *Seruio*, *Virgilii* interprete Aen. V. petenda; quod Veteres defunctos in aedibus ſuis ſepelirent, et ut Deos domeſticos honorarent; quod ad opinionem eorum, qui Lares pro Manibus habent, propius accedit. Quum

T nobi-

1) Varie nominantur; *parui Dei, Horat.* lib. 3. od. 23. v. 15. *parua ſimulacra, Iuuenalis*, Sat. 12. Occurrunt, *lares publici*, in inſcript. *familiares*, *Cicer.* pro Quinctio; *uiales, Plaut.* mercator. act. 5. ſc. 2. *Praeſtites, Ouid.* faſtor. 5. v. 129. 134. Nomen ipſum, Etruſcum eſt, quod praeſidem ſignificat.

2) Ita *Seruius* fere in lib. 2. Aeneid. omnes dic, qui domi coluntur; uid. idem ad init. lib. 3. tria numina diſtinguit lex 12. Cod. *Theodoſ.* de pagan. ſacrif. et templ. *Larem* igne, mero *Genium, Penates* nidore ueneratus

3) Vid. pluribus *Plutarchum* de Fortuna pop. romani.

4) In regione urbis octaua memoratur *Genius* pop. rom. *aureus.*

5) Add. *Lactant.* lib. 1. c. 20. *Templum Larium* Romae in regione octaua fuit.

6) Vid. *Ouid.* faſtor. 5. v. 129. 137.

nobilium pueri adulti facti essent, quas prima iuuentute gestabant bullas 7), eas Laribus appendebant. Sic etiam captiui Laribus catenas appendebant, si libertatem obtinuerant. Praeter Lares domesticos alii erant, quos *Permarinos* 8) uocabant. Verosimile est, nauium illos Lares fuisse, quum domus illas fluctuantes, Diis custodibus uacuas esse minime conueniebat. Lares canum pellibus tegebantur, quae nota erat fidei et uigilantiae eorum in domo custodienda. Flores porro coronaeque 9) iis offerebantur. Hi Lares, seu Genii boni, malos Genios, Daemonesque, quos in specie *Lemures* 10) uocabant, abigebant. Lares post fores domorum ponebantur. Etiamsi Lares frequentius in Plurali exprimantur: uox tamen *Lar* etiam in Singulari occurrit, et tunc pro Deo domestico, nonnumquam etiam pro domo ipsa, accipitur. *Lar familiaris* 11), cuius nonnulli mentionem faciunt, Saturnus erat.

§. 4. Lares in paucissimis monumentis comparent. En *Fig. 4.* imaginem ex elegantissimo Romano marmore eductam, cuiusue inscriptio haec est: *D. M. Genio Augg. Lar. Sal. Fortunatus Aug. Lib.* quae forte ita legenda: *Diis Manibus, Genio Augustorum, Lari Salutari, Fortunatus Augusti Libertus.* Exhibet hoc schema palmam, ex qua duae coronae laureae dependent; ad palmae pedem mensa est, cui immanis serpens caput erigens, corpusque circumplicans, insidet; ad mensae latus est cornu copiae, uariis fructibus onustum. Prope serpentem duo uiri sunt, quorum alter pallium humero gestat, dextra manu stipitem tenet; alter barbatus, et lauro coronatus, lyram tenet. Hic fortasse est Genius Lar, uel, quia in inscriptione et Genii et Laris mentio fit, alter Genium, alter Larem repraesentet. *Fig. 5.* duo conspiciuntur iuuenes, foliis et floribus coronati, quorum unus manu craterem, seu pateram, altera bouis cornu, quo Veteres ad potum utebantur, tenet; alius item cornu altera manu, altera uero canistrum tenet; ambo tunica, ad genua fere defluente, induti sunt, et aliquantum succincti, ne demissior sit; calcei ad mediam usque tibiam pertingunt, quod alibi quoque deprehenditur. Hi duo Lares esse uidentur. Cingula enim ad Lares pertinent, quos *succinctos* uocat *Persius*; coronae quoque laureae Laribus conueniunt.

§. 5. Ceterum notandum, quod Lares etiam *Praestites* 12) fuerint uocati, et plerumque canem apud se habuerint; ipsi quoque canina pelle uestiti, quia illi, quos Praestites uocabant, aedibus praestituebantur; adeoque illam custodire tenebantur, extraneos quoque eiicere, id quod canes praestant. *Lararia* quoque sua Veteres habebant, ubi Deos Lares collocabant. In his autem non modo Deos Lares, seu Penates proprie sic dictos, habebant, sed et Diuos Principes, et alios uiros laude insigniores. Quin immo, *Lampridius* capite 29. memoriae prodit, Alexandrum Seuerum, Imperatorem, Christi quoque et Abrahami 13) simulacra, in Larario suo habuisse, *Alexander M.* quoque in eodem Larario fuisse perhibetur. Teste eodem *Lampridio* C. 32. idem *Alexander Seuerus* adhuc aliud Lararium habuisse fertur, in quo praeclaros uiros collocauit, *Virgilium* sc. quem Poetarum *Platonem* uocabat, *Ciceronem*, *Achillem*, allosque. *Marcus Aurelius Antoninus*, Philosophus, et ipse Lararium habuit, in quo praeclaros locabat uiros, nec non eos, qui in uario litteraturae genere magistri illius fuerant; aliudque, ut credere est, adhuc Lararium habuit, in quo Deos domesticos, qui proprie Lares uocabantur, collocauerat. Ergo, quae in his Larariis locabantur signa 14), non utique omnia canina 15) pelle tegebantur. Multi putarunt Lares hosce defunctorum esse Manes, siue animas in Daemones conuersas; qui error etiam ad Christianos non paucos, temporum uitio, manauit.

§. 6. PENATES tam frequenter pro Laribus accipiuntur, ut raro distinguantur. Pro Diis patriae accipiuntur, etiam pro Diis aedium priuatarum usurpantur frequenter; quo usu nihil

7) *Persius* Satyra 5. *bulla*que succinctis Laribus donata pependit.

8) Ita *Liuius* nominat, lib. 40. c. 52; *Neptunus, Thetis, Glaucus.* Vid. *Io. Meursii* auctar philol. c. 2.

9) *Iuuenalis* Sat. 12. Laribusque paternis. Thura dabo, atque omnes uiolae iactabo colores; et antea, *Inde domum repetam, graciles ubi parua coronas, Accipiunt fragili simulacra nitentia cera.*

10) Inde festum *Lemuria*, celebrabantur, pellendis Lemuribus. *Horatius* Epist. lib. 2. c. 2. v. 209. nocturnos Lemures, portentaque thessala rides. *Persius* ideo Satyr. 5, 185. *nigros* uocat. Epicurei negabant esse; uid. *Lucretii* lib. 4.

11) *Cicero* tamen aliter usurpat; in Verrina 5. ad suum Larem familiarem redire, i. e. domum. Nec Saturnum uoluit *Apuleius* de Deo Socratis: ex his Lemuribus, (post mortem) *Lar* dicitur *familiaris*, qui quieto numine domum possidet.

12) Vide not. 1. supra.

13) Vid. Cl. *P. E. Iablonski* singularis exercitatio, in miscell. Lips tom. 4. num. 4. de huius imperatoris initiatione.

14) Larum signa erant ex argento, cera, &c.

15) Nam ista alia capita clarorum uirorum, non ideo Lares erant, quia in larario, seu sacrario quodam cum religione posita erant. Dii Lares, seruabant antiquam formam.

nihil differunt a Laribus. Sunt autem, qui putant, magnos Deos, Iouem, Neptunum, Plutonem, Apollinem, Veſtam, aliosque Geniorum, Larium, Penatiumque loco fuiſſe 16).

§. 7. Dii, ſub quorum tutela urbes et ciuitates erant, uariis apud Scriptores nominibus inſigniuntur. Eandem obiiſſe functionem uidentur, quae erat patriae cuſtodia atque conſeruatio. Ipſum tamen tutelae nomen aliquid dignitatis prae ſe ferre uidetur, et Penatium nomine praeſtare. Hi magni, uti uidetur, Dii erant, qui populos, a quibus impenſius colebantur, curabant, et conſeruabant, ceu loci Patroni. Talis erat Minerua Athenis, Iuno Sami et Carthagine, Mars in Thracia, Venus Paphi, et in Cythera inſula. Sic etiam Romani Deum habebant, in cuius tutela urbs Roma erat. Si illi urbem quandam obſidebant, a Sacerdotibus euocari 17) Deum iubebant, cuius in tutela id oppidum eſſet, promittique illi eundem, aut ampliorem locum apud Romanos, cultumque futurum eſſe. Apud Romanos celebris erat *Tutilina*, ſeu *Tutelina* Dea; cui multae ſtatuae et arae erectae fuerant. Ea uero, ut nomen fert, meſſem et fructus terrae iam collectos tutabatur 18). Schema illius exhibetur *Tab. XXXVIII. Fig. 6.* eleganter elaboratum. Ornatus enim capitis ſingularis eſt, et plane egregius; praeter tunicam ad talos uſque defluentem, uelo quoque ſatis magno amicitur. Serpens circumplicatus trunco arboris, caput uerſus illam extendit.

§. 8. MATVTA 19) apud Romanos eadem erat, quae *Leucothea*, uel Ino, Cadmi filia apud Graecos. Templum Romae habebat, quo Romani, maximeque mulieres, confluebant petitum, fratrum ſororumue filiis gratiam atque fauorem; nam ne filiis peterent, admodum cauebant; quoniam parum felix, immo infortunata illa parens fuerat. Huius Deae ſchema damus *Fig. 7.* ancillis non licebat in templum eius ingredi, niſi pelli, et immiſericorditer uapulare, uoluerint. *Rumina*, ſ. *Rumilia*, item *Rumia* 20) illa Dea erat, quae mammis, quas infantes ſugebant, praeerat; *ruma* quippe antiquitus mammam ſignificabat. Quum illi ſacrificabatur, lacte uictimae adſpergebatur. *Fig 8.* infantem illa tenet, quem mammae admouere cupit. De *Como*, 21) conuiuiorum Deo, notandum, quod a κωμάζειν, *comiſſari*, nomen ſuum trahat; ipſe admodum iuuenis, uini plenus, ac rubicundus, fingitur. Qui *Fig. 9.* ſiſtitur, facem dextra geſtat et columnae, ante eum poſitae, magnum uas utrinque anſatum, iis ſimile, quibus olim uinum infundebant, impoſitum eſt.

LIBER TERTIVS.

COMPLECTENS DONA MVNERAQVE COELESTIA, ITEM RES MALAS, PERNICIOSAS, ATQVE VITIA, IN NVMERVM DEORVM RELATA, VIRTVTESQVE, NVMINVM LOCO HABITAS.

CAPVT I.

De uariis donis atque beneficiis coeleſtibus, Deorum loco habitis.

§. 1.

Pagani, qui res omnes, etiam uiliores, Deorum loco habebant, non mirum, ſi donis beneficiisque coeleſtibus, parem contulerunt honorem; iisque, non impetratis modo, ſed etiam

T 2 iis,

16) Ita *Varro* putabat; ut notat *Seruius* ad lib. 3. Aeneid. v. 12. cum Penatibus et magnis DIS; *Seruius* ipſe aliter ſentit.

17) Vid. *Anſaldi* diſſ. de Diis multarum gentium Romam euocatis, *Brixiae* 1743. 8.

18) Latius etiam patere uidetur; ita *Varro* apud *Nonium Marcell.* c. 1. n. 243. tuam fidem Tutelina inuoco. Add. *Macrob.* Saturn. lib. 1 c. 16. *Auguſtin.* de ciuit. Dei, lib. 4. c. 8.

19) *Ouid.* faſtor. 6, v. 545. Leucothee Graiis, Matuta uocabere noſtris. Add. *Cicero* de nat. Deor. lib. 3. c. 19.

20) Vid. *Varronem* ap. *Nonium* c. 2. n. 756. His lacte fit; *Cuninae*, propter cunas, *Ruminae*, propter rumam. *Plutarchus* in Romulo etiam Ρωμυλίαν uocat; add. *Auguſtin.* de ciuit. Dei.

21) Pertinet huc, quod in Heſychio annotatur: Κῶμος, θεὸς ὀρχηστικὸς καὶ ἀσματων ποςικῶν. *Puteanus* de Como libellum ſcripſit; temulentiae Deum, non defuerunt, qui cum *Chamos* Moabitarum compararint.

iis, quae uel impetranda essent, uel res impetrandas respicerent 1). Hac ratione SPES ipsa, numen illis erat, cuius templum Romae in foro olitorio 2), et aliud in septima urbis regione conspiciebatur. Spei Deae figuram etiam in monumentis Veterum reperimus. Schema eius *Tab. XXXVIII. Fig. 10.* magnam cum Cerere formae affinitatem habet. Dea hic floribus coronatur, manuque sinistra papauera spicasque tenet, eodem modo, quo Ceres solet; dextram columnae imponit, et ante se habet alueare, e cuius suprema parte erumpunt spicae et flores; alueare apum ad Spem ideo referri potest, quod hinc dulcis admodum prouentus speratur; nonnumquam cornu copiae instruitur.

§. 2. AETERNITAS, non nisi tempore repraesentari potest, ut dicit *Plato*; at tempus illud fine caret; adeoque aeternitatem mens humana assequi minime potest. Apud Veteres Aeternitas Dea erat, eaque in nummis diuersis modis apparet. Inter alia schemata id praecipue notandum, quo *Fig. 11.* sub forma mulieris, altera manu caput solis, altera caput lunae, tenentis, exhibetur 3); nihil enim Aeternitatem sic refert, ut Sol, quem cum Luna multi Veterum aeternum statuebant. Phoenix 4) quoque auis, pro Aeternitatis symbolo habebatur, qui, quoniam renouari credebatur, eo modo ad immortalitatem peruenire uideri poterat.

* §. 3. ABVNDANTIA quoque, cuius iam supra, quum de Fortuna ageremus, mentio facta, Deorum donum habebatur. Hic id adhuc monemus, Abundantiam saepe uoce VBERTATIS exprimi; quo nomine in nummis atque gemmis occurrit. Altera manu cornu copiae, altera uero spicas tenens. Quae *Fig. 12.* repraesentatur Vbertatis, s. Abundantiae imago, utraque manu uarii generis fructus habet.

§. 4. Si numquam in Deorum numerum relata est FECVNDITAS, saltem apud Romanos, personae more, depicta est. Plerumque autem repraesentatur sub forma mulieris, quae cornu copiae instructa est, et puerulum ante se habet, immo nonnumquam quatuor puerulis instructa: conferatur *Fig. 13. et 14.*

§. 5. FELICITAS, Dea erat apud Romanos 5), itemque apud Graecos, qui eam εὐδαιμονίαν uocabant. In nummis saepe occurrit, aliquando humana forma, aliquando symbolicῶς repraesentata. Vulgatior Deae forma uidetur, qua in nummo quodam Hadriani comparet, sinistra manu cornu copiae, dextra uero caduceum Mercurii, tenens; qualis *Fig. 15* exhibetur. Etiam duobus pueris, in lecto decumbentibus, exprimitur in nummo Faustinae iunioris.

§. 6. Vtrum in Deorum numerum HILARITAS 6) quoque à Romanis adscripta fuerit, ignoratur, non infrequenter tamen in nummis exprimitur. In Hadriani nummis, *Hilaritas* populi Romani, repraesentatur per mulierem sinistra manu cornu copiae tenentem, ad cuius utrumque latus duo paruuli sunt, quorum is, qui ad dextram stat, ramum palmae tenet, uersusque ramum, mulier manum porrigit; qualis exhibetur *Tab. XXXIX. Fig. 1.*

Tab. XXXIX. §. 7. Ab Hilaritate LAETITIA in eo differre uidetur, quod haec animum magis afficiat. Haec etiam, muliebri forma, in nummis exprimitur, uariis ornata symbolis, modo dextra manu coronam, sinistra baculum tenet, ut *Fig. 2.* et huius loco nonnumquam gubernaculum, modo coronam et ancoram habet. Nonnumquam historiis rebusque ipsis exprimitur, ut in nummo Seueri, *Laetitia temporum* ludis publicis exhibetur, decursionibus scilicet, Naumachiis, ferarum pugnis, quae spectacula populo in signum Laetitiae publicae dabantur.

§. 8. LIBERTAS, apud Graecos Dea erat, nomine Ἐλευθερία, et nonnumquam in Plurali Θεοὶ ἐλευθέριοι, *Dei liberi*, uel potius: *Libertatis statores.* Cultus eius apud Romanos celebrior erat,

1) Pluribus eam in rem disputatur in *Ciceronis* libris de natura Deorum; et ab antiquis christianae religionis defensoribus.

2) Ita *Liuius* Decad. 3. lib. 1.; uid. *Ciceron.* de eodem. *Tacitus* annal. 2. c. 49. intellig. Had. in regione septima. *Rufus* templum *nouum* uocat.

3) In numis uarie fingitur, cum inscriptione: *Perpetuitati* Aug. *Luna aeterna* saepe in inscriptionibus occurrit.

4) *Tertullian. Ambrosius*, et alii patres, inde resurrectionem illustrarunt. Aliud autem est aeternitas, aliud immortalitas; huius symbolum forte inueniatur phoenix; illius non putem.

5) Eius simulacrum *Lucullus* locauerat, Archesilao, artifice; ut *Plinius* tradit lib. 35. In numis saepissime *Felicitas publica*; Aug. temporum &c. Sed magis symbolum rei, quam numinis cuiusdam simulacrum inde efficitur: quod idem de *Hilaritate* et *Laetitia* uerosimile.

6) Differunt *Hilaria*, festum matris Deûm, ne quis huc pertinere putet. De iis uid. *Meursius* in Graecia feriata.



1. Hilaritas. 2. Lætitia. 3. Libertas. 4. Nobilitas. 5. et 6. Pax. 7. Providentia Deorum. 8. 9. 10. 11. Securitas, diversis symbolis exhibita. 12. Tranquillitas. 13. Victoria cum Palma et corona laurea. 14. Eadem globo insistens. 15. Eadem proræ navis insistens. 16. Eadem cum palma sola.

erat, utpote Libertatis amatores, ipſique multa 7) ſtruxere templa. Caput Libertatis in nummis frequenter obſeruatur, aliquando uelatum, aliquando non uelatum. Pileus, Libertatis ſignum nonnumquam ibi conſpicitur. Imperatorum nummi tota ſtatura ſua Libertatem repraeſentant. Clariſſimam Libertatis imaginem exhibet *Fig. 3.* ſub forma mulieris, quae dextra manu pileum, ſiniſtra uirgam tenet; ad pedes eius uas conſpicitur, unde lauri ramus exſurgit.

§. 9. Vtrum NOBILITAS unquam a Romanis numero Deorum adſcripta fuerit, non conſtat; Graeci illam Ἐυγένειαν uocant. Forma humana depicta ueroſimile uidetur, muliebri ſcilicet, quae ſtans ſiniſtra manu haſtam, dextra paruam ſtatuam, forte Mineruam, tenet; qualis *Fig. 4.* exhibetur 8).

§. 10. PACEM, Graeci pariter atque Romani, ut magnam Deam colebant. Graecis eſt εἰρήνη. Athenienſes ipſi ſtatuas erigebant. Celebrior apud Romanos fuit, qui templum ipſi Romanorum omnium ampliſſimum et magnificentiſſimum conſtruxerunt, in quo *Veſpaſianus* et *Titus*, manubias templi Hieroſolymitani depoſuerunt 9). Apud Graecos Pax hoc modo exprimebatur: mulier manu geſtabat Plutum (ſeu diuitias) infantem. Apud Romanos Pax uulgo repraeſentatur ramum oliuae tenens; cum alis etiam exhibetur caduceum tenens, ſerpentemque ante pedes habens; ut *Fig. 5.* Oliua Pacis ſymbolum eſt. In nummo Vitellii, *Pax Auguſta;* dextra manu ramum oliuae, ſiniſtra cornu copiae tenet; quo ſignificatur, copiam, ſeu abundantiam, pacis fructum eſſe. Aliquando ſolo oliuae ramo inſignitur. Pax in Traiani nummis clypeos comburit et arma, ut ſignificet, prorſus extinctum eſſe bellum; manu ſiniſtra ramum oliuae tenet. Talis conſpicitur *Fig 6.*

§. 11. Vulgo PROVIDENTIAE 10) nomine intelligitur Prouidentia Deorum. Hanc Romani coluerunt ut Deam, ſtatuasque illi erexerunt. Vna adhuc ex illis elegantiſſima, (*Fig. 7.*) brachio tantum ſiniſtro mutila, ſupereſt; lauro coronatur, cincinnatumque habet capillitium; dextra manu baculum tenet, quo nixa eſſe uidetur; ad dextram eius ingens ciſta, fructibus omnis generis referta, ad ſiniſtram cornu copiae inuerſum eſt. Inſcriptio: PROVIDENTIAE·DEORVM.

§. 12. Quam Graeci Ἀσφάλειαν uocant, ea SECVRITAS eſt. An uero Romani illi diuinitatem adſcripſerint, non ſatis notum. In quadam inſcriptione commemorantur *Securi Dii* 11), quod Actiue intelligendum, nempe Dii, qui ſecuritatem reddunt potius, quam qui in ſecuritate uerſantur. *Securitas populi Romani* quater occurrit in nummis Othonis, ubi ſemper mulier repraeſentatur cum ſymbolis diuerſis: in uno (*Fig. 8.*) ſedet illa, ſceptroque manu dextra innititur, ſiniſtram uero capiti imponit, quaſi ut tegat illud; in ſecundo (*Fig. 9.*), coronam tenet dextra, ſiniſtra haſtam; in tertio (*Fig. 10.*), haſtae loco ſceptrum ſiniſtra tenet, et ad latus eius columna eſt; in quarto (*Fig. 11*), dextra coronam, ſiniſtra cornu copiae tenet. In his modus depingendae Securitatis frequentior aliis eſſe uidetur is, quo manu caput obtegit.

§. 13. Quam Graeci Εὐδίαν nuncupant, eam Romani TRANQVILLITATEM appellarunt, et inter Deos retulerunt. Reperitur autem Tranquillitas ſub forma mulieris, columnae innixae, et baculum, ſ. ſceptrum, dextra tenentis. Nummus Imperatoris *Antonini* (*Fig. 12.*) Tranquillitatem effert, gubernaculo nixam, et ſpicas duas manu laeua tenentem, quo ſignificatur copia frumenti, quae pacis tempore mari deferebatur.

§. 14. VICTORIA, a Graecis νίκη dicta, a Graecis Romaniſque in honore habita. In Capitolio olim *Hiero* Victoriam auream poſuit, 320. pondo. *Aedes Victoriae*, aedicula eius, Cliuus &c. a *Rufo* et *Victore*, nominantur. Imago innumeris fere in monumentis occurrit, marmoribus, gemmis et nummis. Alata uulgo repraeſentatur, altera manu palmam, altera coronam lauream tenens, qualem (*Fig 13.*) exhibemus, ubi columnae ſimul innixa eſt. Nonnumquam globo inſiſtit, ut *Fig. 14.* quo indicatur, Victoriam in orbem

V uniuer-

7) Non auſim *multa* templa Libertatis affirmare; a Clodio *Libertatis*, (*Cicero* Licentiae dictitat) aream aut templum erectum legimus; hic auctor ſceleſtus ibi ſtruxit, ubi *Ciceronis* domus conflagrauerat. Praeter id, uix duo alia inueniantur.

8) Niſi numi inſcriptio ferret, *Nobilitas* imperatoris; difficile erat id coniicere. Ceterum liquido apparet, multa talia, non tam numina fuiſſe, et religioſe culta, quam ad reip. Romanae felicem ſtatum, ad Imperatorum laudes, &c. pertinere; et pro donis diuinis agnita fuiſſe.

9) Vid. *Nardinum* pag. 1031. et *Relandum* ſingulari libello. Conflagrauit *Commodi* temporibus. In uariis nummis Pax uarie exhibetur.

10) *Phornutus* de nat. Deorum ſcribit, Mineruam eſſe Iouis intellectum, ſiue *Prouidentiam;* unde Prouidentiae cultus, ſimul fere in Mineruae honorem cedebat.

11) Eodem ratione, ac Neptunus *aſphalius* cultus; ut ſecura eſſet nauigatio, aut, ut terrae motus ſedarentur.

uniuerſum imperium exercere, quo ſenſu cumprimis in nummis Imperatorum occurrit. Obſeruatu dignior eſt ea, quae *Fig. 15.* ſequitur in prora nauis locata, quo naualis haud dubie uictoria ſignificatur; ſiniſtra manu palmam tenet, dextra coronam lauream et caduceum, ſymbolum pacis, quae per naualem uictoriam parta fuit. Alia Victoria (*Fig. 16.*) unum tantum ſymbolum habet, nempe palmam. Poſtremo Victoriam ab equite *Maffeio* publicatam pro-
Tab.XL. ferimus *Tab. XL. Fig. 1.* Arae illa rotundae inſidet, globo ſub pedibus poſito; tropaeum geſtat, quale in nummis plurimis a Victoria geſtatum repraeſentatur; ad utrumque arae latus duo ſigniferi ſunt, qui genu flectunt, ſignum militare geſtantes. Ad arae pedem alia uictoria eſt, non alata bigis equorum uecta.

CAPVT II.

De Diis malis.

Graeci Romanique bonos Deos colebant, ut beneficia donaque impetrarent; malos etiam noxiosque Deos 1) agnoſcebant, ipſosque diuinis honoribus uotisque placabant; ne mala inferrent. Sic FEBRIS Dea fuit; templum in Palatio 2) habens, duo quoque alia aliis in locis habuit, ad quae remedia curandis morbis parata afferebantur. ORBONA a patribus matribusque inuocabatur, ne in orbitatem inciderent. MALA FORTVNA ſuam quoque Romae aram 3) habuit; uti PALLOR quoque numen erat apud Romanos, cuius cultus a Tullio Hoſtilio inductus 4) erat, qui etiam PAVOREM diuino honore proſequi iuſſit. TEMPESTAS 5) quoque Dea fuit, Romae templum ſuum habens. LAVERNA latronum praedonumque Dea fuit, qui propterea Lauerniones dicebantur; obſcurus autem tenebricoſusque locus ei dicatus erat, quo latrones praedam ſuam comportabant, et inter ſe diſtribuebant; ex portis quoque urbis Romae una Lauernalis dicebatur. Non autem praedones latronesque tantum, ſed et omnes alii, qui res arcanas ſecretasque tractabant, Lauernam, ut patronam ſuam habuerunt. ATE 6), Iouis filia, de coelo a Ioue praeceps acta in terram, quia Herculem Euryſtheo ſubdi adiuuerat, cum mortalium pernicie. DISCORDIA, ſi non a Veteribus in Deorum numerum admiſſa fuit, a poetis tamen, ut Dea et perſona, depingitur; uipercum etiam illius crinem fuiſſe, *Virgilius* canit. Quis credat, IMPVDENTIAM quoque ab Athenienſibus pro Dea habitam? quandoquidem aram illi erexerunt, alteramque ſimiliter CALVMNIAE 7). INVIDIA quoque a poetis latinis graecisque in Deorum numerum refertur. MVRTIA, pigritiae deſidiaeque Dea, non alia uidetur eſſe, quam Venus, quae nonnumquam etiam appellatur Venus Murtia. NECESSITAS atque VIOLENTIA, teſtante *Pauſania*, etiam aediculam ſuam habebant in Acrocorintho, quo ingredi non licebat.

CAPVT III.

De Virtutibus Diis.

§. 1.

Cultus ille honosque diuinus, quem Virtutibus praeſtabant Graeci Romanique, minus rationi abſonus erat, quam ceterae illorum religiones. Videntur illi Deos, ceu cauſſas, habuiſſe Virtutum illarum, quas in hominibus ſuſpicimus. VIRTVS ipſa Dea erat, quae cum HONORE plerumque iungebatur. Erat Romae templum Honoris et Virtutis, a Caio Mario ſtructum. In nummis quoque Honos et Virtus ſaepius coniunguntur, quo ſignificatur, ueram

1) Vid. de his, et quae ſequuntur, *Cicero* de nat. Deorum; lib. 3. *Auguſtinus* de ciuit. Dei; *Lactant.* lib. 1. c. 20. &c.

2) *Valer. Maxim.* lib. 2. c. 5.

3) Et fanum; in Eſquiliis; extra urbem olim.

4) *Liuius* lib. 1. in re trepida (periculo pugnae) 12. uouit Salios, Fanaque *Pallori* et *Pauori*; templa uix dicatur, ſed *uici*, aediculae.

5) Eius aedes *Metellus*, qui ad Corſicam ſubiugandam miſſus erat, uouit in ſumma tempeſtate, uid. *Nardinum* pag. 975.

6) Vid. *Homer.* Iliad. Τ, v. 91. ſeq. et ſcholiaſtes. Nomen, quia ἀάτει, i. e. nocet. *Euam* ſub Ate, non deſunt, qui quaeſiuerint; uid. *Huetii* demonſtr. euangelic. prop. 4. c. 2.

7) In *Areopago* erant lapides huius nominis, quibus reus et accuſator inſidebant.

Tab. XL.



1. Victoria globo insistens aræ imposito cum duobus signiferis. 2. Honos et Virtus. 3. Honos solus. 4. Virtus sola. 5. Aequitas. 6. Fides. 7. et 8. Pietas. 9. Justitia. 10. Sapientia. 11. Clementia. 12. Liberalitas. 13. 14. 15. 16. Concordia sub diversis symbolis. 17. Constantia. 18. Pudicitia. 19. Angerona, Dea silentii. 20. Eadem nuda.

ram ad honorem uiam esse Virtutem, et alterum sine altera non esse solere. In postica nummi Galbae facie, ambo simul comparent. HONOR ueste muliebri ornatur (*Tab.XL. Fig. 2.*), sinistra manu cornu copiae tenens, hastam dextra; Virtus (Fortitudo) militari ueste induitur, cassi-de caput tegitur, dextra manu baculum, aut parazonium, sinistra hastam tenet, pedeque dextro galeam premit. Honor itaque et Virtus saepius simul uersabantur. Sic cultus quoque communis erat in templis et in monumentis ueteribus. Verum etiam separatim occurrunt. Sic Honos (*Fig. 3.*) in nummo Titi, sub forma uiri hastam manu dextra, sinistra cornu copiae tenentis, et pede sinistro globum prementis, effingitur. VIRTVS etiam (i. e. Fortitudo) in nummis saepe occurrit ea, qua supra depicta est forma. Item aliis typis nonnumquam adumbratur, Imperatoris uidelicet, exercitus, militum, &c. sic tropaeo insidens, *Fig. 4.* repraesentatur, dextra manu ramum, sinistra hastam tenens. Nonnumquam etiam, Hercule exuuias leonis gestante, et clauae innixo, exprimitur.

§. 2. AEQVITATIS imago in gemma occurrit, sub forma mulieris, altera manu libram, altera hastam tenentis; (*Fig. 5.*) libra uero sola Aequitatis symbolum est, quae nihil cum mensura et pondere facit, sed unicuique suum tribuit. FIDES quoque pro fidelitate sumta, a Romanis diuinitus habebatur, et peculiare templum suum habebat. Sacerdotes eius candidis uelis obtegebantur, sacrificia ipsi incruenta offerebantur, et iuramenta maxima per illam proferebantur 1). Huius Deae forma propria erat, ut aliarum. In gemma uisitur sub forma mulieris, calathum fructibus plenum dextra manu, sinistra uero spicas tenentis; ante illam ara est ignita (*Fig. 6.*). Alias turtur pro Fidei symbolo habetur, quia socio suo fidem seruare creditur. Frequentius eiusdem symbolum est, cum duae manus simul iunguntur, quo animorum coniunctio indicatur.

§. 3. Quae Graecis Εὐσέβεια est, Latinis uero PIETAS, ea, ut Dea, a Veteribus colebatur. Romani templum ipsi aedificauere. Sub Pietate illi non modo pium hominum erga Deos animum intelligebant, neque pium modo filiorum erga parentes affectum, sed etiam eundem animi affectum erga alios homines. Illam Virtutem plurimi affectarunt. Imperatores omnes sese pios nuncupabant, etiam ii, qui omnium impiissimi erant et immanissimi. In nummis Pietas uariis modis exprimitur. Sic modo imago illius est mulier sedens, cuius caput uelo obtegitur; laeua manu quasi sceptrum tenet, lilio superne terminatum, dextramque manum imponit capiti pueri, ramum tenentis (*Fig. 7.*). Ciconia quoque Pietatis symbolum est, ob innatum scilicet prolis amorem. Nonnumquam dextra manu pateram, quasi ad sacrificandum, tenet. In alio nummo (*Fig 8*) dextra manu globum, sinistra infantem, gestat, ad eiusque pedes duo alii paruuli sunt. In alio nummo dextram manum tenet erectam super aram ignitam, sinistra acerram odoribus plenam, qua in sacrificiis utebantur.

§. 4. IVSTITIAM, quam Graeci δίκην, uel potius δικαιοσύνην, uocabant, etiam in Deorum numerum retulerunt. Illam etiam *Astraeam* 2) nuncupabant. Plerumque repraesentatur sub forma mulieris, libram, s. lances, manu tenentis; nonnumquam etiam illi sceptrum tribuitur, seu hasta, quod auctoritatem illius in iudiciis denotat. *Fig. 9.* Vtrum Veteres SAPIENTIAM pro Dea habuerint, non satis constat; mulieris tamen forma depicta inuenitur. Symbola Sapientiae noctua sunt et arma (*Fig. 10.*), quae Mineruam 3), Sapientiae Deam, indicant. INDVLGENTIA, inter alias eiusdem imagines, muliere sedente, baculum, s. sceptrum, laeua manu tenente, exprimitur; alibi per mulierem, leoni insidentem, quae dextra manu fulmen tenet, sinistra hastam, et prope flumen incedit; quo sensu, ignotum est. Romae CLEMENTIA quoque cultu diuino honorabatur. Plerumque repraesentatur sub forma mulieris, uel ramum, uel spicas, uel pateram manu altera, altera hastam, tenentis (*Fig. 11.*).

§. 5. LIBERALITAS quoque uarie in nummis exprimitur, in primis autem (*Fig. 12.*) muliere cornu copiae effundente. CONCORDIAM quoque diuino honore Romani prosequebantur, et templum ipsi construxerant. Graeci ὁμόνοιαν illam uocarunt. Frequentiores Concordiae typi sunt quibus sub imagine mulieris, altera manu pateram, uel ramum, altera uero hastam, uel cornu copiae, tenentis exhibetur. Symbolum Concordiae frequentissimum sunt duae manus iunctae, quae aliquando caduceum tenent, quibus nonnumquam duo utrinque cornu copiae iunguntur. Immo tres manus ita iunctae comparent in nummo Augusti, a caduceo et fasce decussatis *Fig. 13. 14. 15. 16.* In nummis Augustorum CONSTANTIA

V 2 quoque

1) Vid. *Cic.* de officiis lib. 3, 29. *Horatius* Carminum I. od. 35. v. 21. albo *Fides* uelata panno sacrificantium manus albo panno inuoluta erat. *Seruius* in lib. 1 Aeneid. et in 8.

2) Vid. *Hygin.* astron. poet. lib. 2. c. 25.

3) Vide supra cap. 1. nota 10.

quoque nonnumquam occurrit, ſub forma mulieris, altera manu haſtam, altera cornu copiae, tenentis. *Fig. 17.*

§. 6. Dea quoque Romae erat, PVDICITIA nomine, cui templa et arae erectae. In nummis repraeſentatur ut mulier ſedens, quae manum dextram, et indicem digitum, uerſus faciem erigit; ut fortaſſe ſignificet, pudicam mulierem, uultum, oculos et frontem, ad pudicitiam componere debere. In aliis efformatur muliere ſedente, quae uultum operire uelle uidetur, quod pudicae mulieri apprime conuenit. (*Fig. 18.*)

§. 7. ANGERONA, uel ANGERONIA, ſilentii Dea eſt, cuius feſtum 12. Cal. Ian. i. e. 21. Dec. celebrabatur. Angeronia uocabatur, quod angorem ex animis pellat. Erat apud Romanos idem, quod *Harpocrates* apud Aegyptios. Elegantiſſimum huius Deae ſchema exhibetur *Fig. 19.* ſingulari capitis ornatu, et eodem fere ueſtitu, quo Veſta, digitum 4) ori admouens; ſequens illius imago (*Fig. 20.*) nuda eſt.

LIBER QVARTVS.

DE NOCTE, DEQVE DIIS NOCTVRNIS, MITHRA, NYMPHIS, DEQVE MVLTIS ALIIS GRAECORVM ROMANORVMQVE DIIS.

CAPVT I.

De Nocte et Diis nocturnis.

§. 1.

NOX, Chaus filia, numinum omnium fuit antiquiſſimum. *Theocritus* 1) curru uectam, ait, praecedentibus ſtellis. Alas alii ipſi tribuebant, ut Cupidini et Victoriae. *Euripides* 2) demum illam magno nigroque uelo opertam amictamque dicit, comitantibus ſtellis, et hoc ornatu curru uectam; qui poſtremus modus Nocti fuit familiarior, et poſterioribus etiam ſaeculis uſitatior. Alibi etiam ſine curru ſola occurrit, eadem magno uelo operta, quod tenet altera manu, altera uero facem ardentem, terrae admouens, extin-
Tab. XLI. guit; qualis exhibetur *Tab. XLI. Fig. 1.* Diana, Luna, eodem prorſus modo in plurimis monumentis occurrit; fortaſſe ambae pro eadem habitae. Nox alibi ut mulier repraeſentatur, quae dextra manu puerum album geſtabat, iſque Somnus erat, ſiniſtra uero nigrum puerum, et hic Mors erat. Duo pueri ſcilicet, quia Graeca nomina duo ὕπνος, et θάνατος, maſculini ſunt generis; eadem de cauſſa Nox per mulierem deſignabatur, quia νὺξ Graece perinde, ac Nox Latine, eſt generis feminini. Videntur Veteres, maximeque omnium Graeci, hunc conſtanter morem tenuiſſe, ut nominum genera huiusmodi in rebus obſeruarent. Hanc etiam normam Romani utplurimum ſectabantur; quumque non raro contingeret, ut eadem res Latinis feminini, Graecis maſculini generis eſſet, queis illi mulieris, hi uiri formam induebant: e. c. Febris, quam Romani Deam fecerant, et cui templa conſtruxerant, mulieris haud dubie forma Romae depingebatur; apud Graecos uero, qui res quaslibet fere humana forma donabant, uiri forma repraeſentari debuit, quia πυρετὸς, *febris*, eſt generis maſculini.

§. 2. Nox plurimos habuit filios 3), quorum pater Erebus; horum nomina Amor, Dolor, Metus, Labor, Inuidentia, Fatum, Senectus, Mors, Tenebrae, Miſeria, Querela, Gratia, Fraus, Pertinacia, Parcae, Heſperides, Somnia; ſed more Veterum haec ἀλληγορικῶς dicta ſunt. SOMNVS, Erebi et Noctis filius dicitur, ſicut Mors Somni ſoror dicitur. Diuerſis ille modis repraeſentabatur. *Tibullus* alitem dicit; alii puerum, placide 4) dormientem,

4) Vid. *Macrob.* ſaturnal. lib. 3. c. 9. lib. 1. 10. *Plin.* hiſtor. nat. lib. 3. c. 5. de origine nominis non conſtat. *Scaliger* legebat, Angenora, angere ora; ſed uix placeat coniectura.

1) Idyll. 2. v. 166. et Scholia.

2) Ione v. 1150.

3) Vid. *Heſiodi* theogonia; *Cicero* de natura deorum lib. 3.

4) *Ouid.* metam. 11, 623. placidiſſime Somne Deorum. *Volucer*, etiam Senecae Hercul. furente v. 1065. ſeq. adde *Philoſtratum* in Amphiar.



1. Nox cum velo nigro et face. 2. Somnus. 3. Noctulius. 4. et 5. Deus Lunus. 6. et 7. Mithras cum capite leonis et quatuor alis. 8. Mithras cultrum in pectore bovis defigens. 9. Nympha urnam effundens. 10. Nympha Naias dormiens. 11. Alia Nympha marina s. Nereis cum concha marina.

tem pro ſomno habent. Vota ſomno oblata frequenter occurrunt in ſepulcris et Mauſoleis; ſed hic magnus ſine dubio ille mortis ſomnus intelligitur; qui ſaepius etiam *Somnus aeternalis* appellatur. *Fig. 2.* ſculptura elegantiſſimae manus ſomnum exhibet ſub forma pueri, alto ſomno correpti, qui prope uas magnum, quod liquore aliquo ſoporifero plenum eſſe coniicitur, decumbit; papauera quoque pueri capiti admota, et alia manu geſtat. Aliam Somni imaginem exhibet marmor Romanum; decumbens autem dormiensque ibi depingitur, dormientis leonis caput amplectens, alteroque brachio caput obtegens; papauera tenet, ſomni ſymbola; lacerta in eodem marmore uiſitur; leo commonſtrat, ſomnum etiam ferociſſima animalia domare; unde *Homerus*, Iliade ω, v. 5. eum uocat πανδαμάτορα 5), qui omnia domat. In eodem ſchemate ſomnus alis inſtructus eſt, id quod referri poteſt ad illud ſomni epitheton ab eo, qui Orpheum ementitus eſt πανυσίπτερος, qui alas expandit; omnis conditio, omnis aetas, nationes uniuerſae legibus eius ſubiectae ſunt. Lacerta in memoriam uocat opinionem quandam, quod ſc. hoc inſectum homini ſit amiciſſimum, ita quidem, ut ſi forte homini in agro dormienti occurrat, gradum ſiſtat, et apud ipſum commoretur, ſique ſerpentem ad eum accedere uiderit, eum expergefaciat, ne a ſerpente laedatur.

§. 3. Vt Graecorum quidam opinabantur, Somnus Muſarum amicus erat: ideoque, ut tradit *Pauſanias* l. 2. c. 31. Troezenae in quodam Muſeo ara erat, in qua Muſis et Somno ſacra fiebant. In promtu eſt ratio, cur Muſae et Somnus ſocietate iungantur. Quisquis enim Muſas colit, ingeniumque et imaginationem aſſidue exercet, identidem quieſcat oportet, induciasque ſumat, atque a ſtudiis uacet, ut uires ſibi nouas comparet. Somnus ad eam rem eo magis neceſſarius, ut ſedet commotam imaginationem, ardensque ſtudium; unus ſomnus omnia ſopit, omnia ſedat, nec, niſi illo opitulante, poſſunt uires refici. Inter Orphei iactata carmina, hymnus eſt in Somnium, quo Deum 6) hominumque Rex dicitur. Somnus obliuionis quoque, ſeu λήθης frater, et ſpei germanus dicitur.

§. 4. Deus hic Somnus ad Endymionis nos fabulam ducit. Hic Endymion uulgo in Elide 7) Rex dicitur, qui ob formae pulchritudinem a Luna adamatus dicitur. Hic in Olympia curſus certamen de imperio, tribus filiis Epeo, Paeoni et Aetolo propoſuit, ex quo uictor diſceſſit Epeus, regnoque potitus eſt; unde, qui ſub ditione illius erant, Epei dicebantur. Fratrem alterum ibidem manſiſſe narrant, Paeonem autem, ſe ſuperatum aegre ferentem, longe a domo peregre profectum, ultra Axium fluuium regionem, ubi ſubſtiterat, de ſuo nomine Paeoniam appellaſſe. Ceterum Endymion, data ipſi a Ioue poteſtate, quaecunque uellet eligendi, cum ſomno perpetuo immortalem ſibi iuuentutem concedi poſtulauit.

§. 5. Deus NOCTVLIVS, ex Brixiana inſcriptione notus eſt; effigies eius exhibetur *Fig. 3.* Noctua ad pedes eius poſita, nocturnum eſſe Deum, ſatis indicat. Veſtis eius fere eadem eſt, quae Attidis, Cybeles miniſtri. Apud Scriptores nusquam illius mentio fit. Inter Bacchi tamen epitheta etiam hoc eſt, quod Nyctileus uocetur; unde Nyctileia ſacra, quae Orgia erant, noctu celebrari ſolita, ubi nihil non nefandum exercebant.

§. 6. Vt Lunae cultus celebris erat apud Graecos atque Romanos, ita Dei LVNI 8) cultus in Oriente frequentabatur. Deus ille Lunus Graece Μὴν uocabatur; quo nomine in Phrygia colebatur. *Men* etiam menſem ſignificat. Exhibetur ille *Fig. 4. et 5.* in priori ſchemate nudum illius caput, tiara Phrygia tectum, apparet; poſterius ſchema in nummo regio Imperatoris *Valeriani* conſpicitur. Hic caput eadem tiara tegit; creſcens luna ex ambobus humeris cornua profert; tunica, et ſupra eam chlamyde indutus eſt; Manu ſiniſtra haſtam tenet, dextra pateram; ad pedes eius caput bouis, uel tauri, ſignificat eiusmodi uictimas ipſi mactatas fuiſſe.

X CAPVT

5) Vide *Euſtathium.* In *Montfaucon.* ſupplem. 1. p. 216. falſo citatur Odyſſea.

6) Semel adeo Iouem ipſum ſuperauit, quod cum Troianorum detrimento coniungit *Homerus* Iliade Ξ, v. 233. ſeq.

7) Vid. *Pauſan. Eliac.* 1. Schol. *Apollonii* lib. 4.

8) Dii multi utriusque ſexus memorantur; uide *Seldenum* de Diis Syris, de Oraculo *Luni*, quod *Carris* fuit, uide *Spartianum* in Caracall. c. 7. et *Caſaubonum* ibi.

CAPVT II.

De Mithra.

§. I.

MITHRAE numen licet idem ſit, ac Sol, Romani tamen, qui hunc Deum Perſarum adoptarunt, quemadmodum et aliarum nationum Deos omnes, huic ſacra conſtituerunt a Sole diuerſa; ut et Apollo, qui idem cum Sole, templa, Sacerdotes et ſacrificia ſua ſeparatim habebat, nec quicquam ipſi in cultu cum Sole, uel cum Mithra, commune. Perſae 9) Mithrae nomine et Solem et ignem colebant, et hoc numen illis maximum erat. Cultum Mithrae, narrat *Plutarchus* in Pompeio, piratae, qui a Pompeio uicti profligatique poſtea fuerunt, attulerunt. Mithras, ut fingebant Perſae, ex petra natus erat, quod ignem indicat, ex petra percuſſa excuſſum. Mithram etiam boum furem dicebant, quod affinitatem habet cum ſchematibus illis, ubi Mithras in antro gladio tauri collum transfigit. Inuictus quoque dicitur, quod nomen Soli apprime conuenit, quod curſum eius et uim nemo cohibere poſſit. Romae modus is Mithrae exhibendi frequens erat, quo iuuenis cum tiara Phrygia repraeſentatur, collum tauri configens. Alias ſub imagine humana cum capite leonino effertur, pedibus globo inſiſtens, ex quo ſerpens egreſſus eius corpus circumplicat, eiusque ori caput immittit: ſimulacrum manus pectori admotas, et utraque clauem tenet; alae quatuor humeris haerent, quarum binae uerſus coelum, totidemque uerſus terram, tendunt, *Fig. 6.* alia Mithrae figura *No. 7.* exhibetur, qua Mithras etiam humano corpore, et capite leonino eſt; a renibus ad pedes usque uelo tegitur ſubtiliſſimo, brachia extendit, et utraque manu facem geſtat; quatuor et ipſe alis inſtructus eſt, quarum duae coelum uerſus, duae uerſus terram, tendunt; ad dextram ara eſt ignita, et ex ore ſimulacri faſcia egreditur, quae ſupra ignem uolitat. Leonis autem caput Mithrae ideo tribui dicitur, ut ſignificetur, Solem ſtellis omnibus antecellere, quemadmodum leo animalibus omnibus. Solis ſymbolum etiam ſerpens frequenter eſt, illumque in omnibus Mithrae ſchematibus uidemus. Claues ſignificare poſſunt modum eius in clauſa loca intrandi, ut furaretur; niſi forte ad Solem ipſum transferendae, quae radiis ſuis omnia penetrant, ut clauibus omnia aperiuntur. Faces ſine dubio ignem denotant, pro quo ipſe Mithras ſumi ſaepe ſolet. Globo inſiſtit alter Mithras, ut annotetur totum orbem terrarum Sole animari, ſeruari, feracem foecundumque effici.

§. 2. Aliud Mithrae ſchema, longe frequentius praecedenti, in marmoribus multis occurrit; quo Mithras, ut paulo ante diximus (*Fig. 8.*) proſtrato tauro genu inſidet, manuque ſiniſtra uel roſtrum illius, uel cornu tenens, gladium dextra in pectus illius defigit. Addi nonnumquam ſolent plura et uaria ſymbola, quae ad uarias Solis proprietates et operationes reſpiciunt, quorumque explicationem hic dare ſuperſedemus; eo, quod eruditi in iis tradendis non admodum conſentiunt. Mithrae plerumque duo iuuenes addi ſolent, quorum uterque facem, alter quidem erectam, alter uero depreſſam, manu tenet, quibusue Sol oriens et occidens deſignari ſolet.

CAPVT III.

De Nymphis.

§. I.

NYMPHARVM tanta apud Mythologos eſt multitudo, ut totum fere terrarum orbem implere uideantur. Eas autem in uarias claſſes diuidebant, coeleſtes ſcilicet, ſphaerarum creditae animae; et terreſtres, hae uel in terra, uel in aquis, degere credebantur. Iſtae aquarum Nymphae, erant. 1.) *Oceanitides*, ſeu Nymphae Oceani, quae Oceani et Tethyos filiae habebantur. 2.) *Nereides*, Nerei et Doridis filiae, quae ipſae Nymphae marinae fuerunt. 3.) *Naiades*,

9) De Mithra et cultus perſici ratione, pluribus agitur in hiſtoria uniuerſa, ex Anglico uerſa, tom. 4. Ex antiquioribus *Lutatius* ad *Statium* lib. 1. Theb. ſine, allegoricam Mithrae tradit rationem; add. eo *Barthius*.

1.



la Chausse.

2.



Diarium Italicum.

3.



Beger.

4.



la Chausse.

6.
Maffei.



5.



Memoriæ Brixienses.

Marmor Rom.
8.



7. Maffei.



1. Figura Panthea, plurium Numinum symbola simul exhibens. 2. 3. 4. 5. Sirenes. 6. Orpheus feras symphonia sua demulcens. 7. Idem in infernum descendens et Cerberum lyra demulcens. 8. Laocoon cum duobus filiis draconibus implicatus.

Naiades, ſ. Potamides, quae fluuiorum Nymphae erant. 4.) Quae in ſtagnis, Limnades, a λίμνη. 5.) Fontium, Ἐφυδριάδες, quae pinguntur, ex uaſe, uel urnula aquam fundentes, et altera manu folium tenentes, ut *Fig. 9.* Elegans ſculptoris opus eſt Nympha dormiens *Fig. 10.* quae itidem Naias eſt. *Nereides*, urnae loco, conchas marinas tenent, *Fig. 11.*

§. 2. Praeter has aquarum Nymphas, erant etiam Nymphae terreſtres, quae ſimiliter in uarias claſſes ſubdiuidebantur. In Nymphas ſcilicet 1.) Montium, *Oreades*, *Oreſtiades* dictae; 2.) ſaltuum et uallium, *Napeae* dictae; 3.) pratorum *Limoniades*; 4.) ſiluarum, *Dryades*, et arborum ſingularum *Hamadryades*, quae cum quercubus naſci et denaſci credebantur. Ceterum Nymphae quoque occurrunt nominibus uel patriae, uel originis, quod ipſis cum aliis numinibus commune eſt; e. c. *Tiberiades* nomen habebant, a Tiberi; *Pactolides*, ex Pactolo; *Dodonides*, ex Dodona &c. 10).

Caput IV.

De Figuris Pantheis.

§. 1.

Saepius iam eiusmodi figuras uidimus, quas tam antiqui, quam recentiores, PANTHEA uocant: de iis pauca adhuc addimus. Signa Panthea, ſi nomen ſpectes, ſunt, quando eadem figura, omnium aut multorum Deorum ſymbola prae ſe fert. Haec uero ſymbolorum multitudo non impedit, quo minus, quae iis ſymbolis plena eſt figura, Deum, uel Deam aliquam, praecipue repraeſentet, quae inter ſymbola uaria facile internoſcitur. Sic *Tab. XLII. Fig. 1.* exhibetur Fortuna alata, quae dextra manu gubernaculum, ſiniſtra cornu copiae tenet, quod a parte inferiore capite tauri, uel hirci, uel arietis, terminatur; ornatus capitis eſt flos loti, qui inter radios erigitur; haec Iſidis et Oſiridis ſigna ſunt; humero geſtat pharetram Dianae; pectore Aegidem Mineruae; ſupra cornu copiae, Gallus eſt, Mercurii ſymbolum; in ima parte cornu copiae, caput arietis, quod itidem ſignum Mercurii; auis, quae huic capiti inſidet, ſi coruus eſt, Apollinis ſymbolum erit. Multa uero numina ſimul ita repraeſentabantur; quia multi putabant, numina illa, quae ſeparatim honorabantur, unum idemque numen eſſe 11). Sic e. c. *Macrobius* exiſtimat, uaria numina Iouis, Neptuni, Martis, ad Solem reduci debere, ipſumque a uariis numinibus unum cultum fuiſſe. Alii putant, hoc ad peculiarem eorum religionem pertinere. Tab. XLII.

Caput V.

De Sirenibus, Harpyis et Stymphalidibus.

§. 1.

Dii Deaeque humana forma 1) a Graecis atque Romanis colebantur, in aliquibus tamen haec forma dehoneſtabatur, dum cornua, aures, crura pedesque caprinos, habebant; ut Pan, Siluanus, Satyri et Fauni. Praeter hos Deos, alia etiam monſtra diuini quidpiam in ſe habere, crediderunt. Talia praeter alia Sirenes erant, Harpygiae et Stymphalides.

§. 2. SIRENES 2) Acheloi, cum quo Hercules ſub bouis ſpecie pugnauit, eique alterum cornu auulſit, filiae dicuntur; unde etiam *Acheloides* appellantur. Mater illarum una ex Muſis erat, quaenam uero 3), non liquet. Tres numero plerumque ponuntur; alii duas fuiſſe dicunt, quidam quatuor, nonnulli quinque. *Hyginus* (fab. 141.) tradit, illas eo tempore,

10) Celebris eſt *Porphyrii* libellus de *antro Nympharum* ad illuſtr. Odyſſeae. Romae multa olim *Nymphaea*, ſeu lauacra arte eximia exſtructa; quibus Nympharum imagines addi ſolitae.

11) Antiquiſſima illa eſt ſententia, quam multi Scriptores confirmant, Dei uaria beneficia, uariam potentiam &c. uariis nominibus celebrari; quae imperita plebs pro tot diuerſis diis habeat. Ex ea ſententia ſimulacra Panthea etiam confecta eſſe uidentur: quae in unum quaſi corpus illa omnia numina colligat. Qua de re pluribus hic agere, non licet.

1) Quia haec *pulcherrima*.

2) Nomen *Sirenum* uarie deriuant; neo inepte hebraicum *Schir*, a canendo, comparauit *Bochartus* et alii.

3) Certo ſaltim, non liquet; cum Melpomenen, Calliopen, Terpſichoren uarie nominent.

re, quo Proſerpina a Plutone rapta eſt, in terram Apollinis, i. e. in Siciliam ueniſſe, Cereremque, quod filiae ſuae non ſuppetias tuliſſent, iratam, ipſas in aues commutaſſe, Sirenibus oraculum praedixerat, eas uitam acturas eſſe, quamdiu peregrinos iſtae praetereuntes ad gradum ſiſtendum, ibique commorandum, impellere poſſent; ſed, ſi uel unus tranſiret, qui non uocis earum ſuauitate captus eſſet, ut ibi ſemper moraretur, illico illas perituras. Sirenes uocis ſuauitate harmoniaque praetereuntes ita demulcebant, ut, auditis illis, nihil patriam curarent, ſed quaſi faſcinati, uocis lenocinio capti, cibi potusque obliti, ſenſim tabeſcerent perirentque. Circumiacens terra oſſibus mortuorum, qui tali fato periere, alba fuit. Vlyſſes, qui illac naui tranſiturus erat, a Circe monitus, ſociis ſuis omnibus cera aures obdurauit, ſeque malo nauis alligari iuſſit, ut, ſi uocum ſuauitate, et illecebris Sirenum, pellectus ibi gradum ſiſtere, et ſedes ponere uellet, ſocii, qui occluſis auribus aderant, noua adderent uincula. Nec male ſuſceptum conſilium fuit. Socii quippe nihil audiere: Vlyſſes uero monita Circes nihil curans, Sirenum cantu, illecebris promiſſisque captus, ſocios, ut ſe uinculis liberarent, rogabat; illi contra uinculis addunt uincula. Quum itaque Sirenes ipſum intercipere non poſſent: ſeſe in mare praecipites dederunt 4).

§. 3. Ad formam illarum quod ſpectat, peritiſſimi poſtremi aeui pictores in magno errore uerſantur, dum eas, ceu mulieres, repraeſentarunt, quae inferiore corporis parte in piſces deſinerent. Nec pauci fuere ex uiris doctis, qui idem putarunt, ſed haec Nereidum forma eſt. Sirenes enim, ſecundum Veterum opinionem, uel caput corpusque mulieris habebant a capite ad Zonam, indeque ad pedes uſque auis formam; aut corpus totum uolucris, caputque femineum 5), utroque enim modo reperiuntnr. Poſteriori forma comparent *Tab. XLII. Fig. 2. et 3;* priori *Fig. 4. et 5.*

§. 4. HARPYIAE etiam fuerunt alatae, a Diis miſſae, ut de Phineo poenam ſumerent. Quum itaque hic prandium paraſſet, iam iamque cibum ſumturus eſſet: Harpyiae in lances irruebant, maximam partem ciborum auferebant, et tam tetro odore reliqua inficiebant, ut nemo poſſet accedere. Parentes earum Pontus, ſeu Neptunus et Terra; aut Thaumantes et Electra, Oceani filia, erant. Numerus earum uarie refertur, alii duas tantum tradunt, nonnulli quatuor, nec minus nomina uariant; dicitur eas fuiſſe urſinis auribus, uulturino corpore, uirgineo uultu, alatas, brachia pedesque hominis habuiſſe, ſed portentoſos ungues, ut *Virgilius* Aeneid. L. III. v. 214. ſeqq. 6) eas deſcribit. Adeoque a Sirenibus parum differebant, niſi quod hae uultus uere uirgineos, illae uero aures urſinas, manus uncas, portentoſasque ungues habuerint.

§. 5. De STYMPHALIDIBVS 7) notandum, quod, *Apollodoro* teſte (lib. 2. c. 4. §. 6.), prope Stymphalum, Arcadiae urbem, Stymphalis palus fuerit, multis umbroſis arboribus contecta, quare in hanc magna auium lupos pertimeſcentium multitudo ſeſe recipiebat. Herculi itaque, quanam ratione aues e ſilua pelli poſſent, ambigenti, Pallas aenea crepitacula, Vulcani munere accepta, dedit. His ille ſtrepitum edens, ſub monte quodam paludi imminente, aues territabat, quae ſtrepitum non ſuſtinentes prae metu auolabant, illoque modo Hercules illas ſagittis confecit. Ab aliis ferreis roſtris et ungulis hae Stymphalides inſtructae fuiſſe creduntur, alisque ſimiliter ferreis, ex quibus plumas, ceu ſagittas, iaculabantur. A Veteribus omnibus aues dicuntur, nullo uero uultu humano ornatae perhibentur; in monumentis etiam Veterum ſub forma auium exhibentur.

APPENDIX

Fabularum quarundam apud Poetas celebriorum.

1. *Scyllae Fabula.*

Celebris apud Poetas et Mythologos Scyllae 1) fabula eſt, cuius haec origo. Niſi, Megarorum Regis haec filia fuiſſe uulgo traditur. Hanc autem Minois amore captam dicunt, et capillum

4) Vid. ſi tanti eſt, *Homeri* Odyſſ. M. alii tradunt Orphea lyra impediiſſe, quo minus Argonautae iſtas audierint; *Apollon.* Rhod. lib. 4. v. 904. ſeq.

5) *Ouidio* finguntur Metam. 5. v. 552.

6) Vid. ibi *Seruius*, adde *Apollodorum*; et *Heſiodi* Theogon.

7) Vid. Pluribus Scholiaſtes *Apollonii* Rhod. lib. 2. v. 384. 1035. 1048. 1055.

1) Varie iſta fabula traditur, quia Scyllae fuerunt plures; uid. *Pauſan.* Atticis. *Homeri* Odyſſ. M. v. 88. et ſcholiaſtas; *Tzezen* ad Lycophr. v. 650. *Ouid.* metam. lib. 8. *Seruium* in Aeneid. 3. et 6.

capillum purpureum Nisi patris praecidisse, quo manente, patrem mori non posse, Oraculum praedixerat. Scylla igitur et patrem prodidit et patriam, quam in Atheniensium potestatem deduxit: qua re indignatus Minos, eam in mare praecipitauit, ubi in monstrum marinum mutabatur. Sedem autem dein suam in Promontorio et freto Siciliae posuisse dicitur. Non tetrius illo spectaculum. *Homerus* Odyss. 2. inquit, eam canis recens nati uocem habuisse; duodecim pedes horrendos, sex colla longissima, quorum quodque monstroso capite terminabatur; in singulis capitibus tres dentium ordines erant, qui mortem inferebant ei, quem attingere possent. Sic sculptores ex mente sua et arbitrio multa produxere monstra, quae numquam in rerum natura fuere.

2. *De Phoenice.*

PHOENIX quoque, nonnisi in imaginatione 2) ueterum, unquam extitit. Auis erat in Arabia, eaque sola et unica non habens parem, aquilae magnitudine; quae aquilae instar apicem in summo capite habebat; collum eius ut aurum fulgebat, caput radios emittebat, pennae et pinnae purpureae, cauda caerulea, rosei coloris plumis distincta. Ad annos usque 340. uitam producere ferebatur; alii ad quingentos et sexcentos; nonnulli mille quadringentorum sexaginta annorum uitam eius fuisse dicunt; quo exacto uitae tempore, ipse sese renouabat, nouamque sibi uitam ac iuuentutem praebebat.

3. *De Centauris.*

De Centauris, quorum supra saepius mentio facta est, hic etiam quaedam obseruanda sunt. Hi homines et equi simul fuisse perhibentur. Narrant Mythologi 3) Ixionem, cum Iunone coire uolentem, cum nube coiisse. Ixion tamen adulterii poenas luit, quum nubes ex hoc concubitu Centauros peperit, qui in Pelione monte a Nymphis sunt educati. Ex hisce Centauris et equabus illius regionis Hippocentauri nati sunt. Ii proprie Centauri dicuntur quos in marmoribus et monumentis conspicimus; plerique omnes uiolenti erant et contentiosi, manusque saepe conferebant, nec tamen semper uictores. Maximum certamen illis cum Lapithis erat, cujus belli haec erat occasio. Pirithous Deidamiam uxorem accepit (alii Hippodamiam uocant, Bysthi filiam) magnumque nuptiale conuiuium apparauit; amicos conuocauit Lapithas atque Centauros, utpote Deidamiae consanguineos. Inter conuiuas etiam Theseus fuit. Vino pleni Centauri Lapitharum uxoribus uim inferre parabant, hi uero uim ui repellere nitebantur; inde pugna cruenta. Pirithous, Theseus et Lapithae cum amicis ab una parte stabant, Centauri ab altera. Statim scyphis, poculis, mensis, sellis, utrimque pugnabatur; hinc acrius fiebat praelium, in quo Centauri tandem in fugam uersi, multos ex suis prostratos reliquerunt. Ex his Centauris unus, nomine *Chiron*, a ceteris moribus et indole maxime differebat, humanus, mitis et bene moratus. Is Achillis praeceptor fuit, illumque instrumenta musica tractare docuit. Alii etiam Iasonem putant eadem in re instituisse. Ipse quoque Medicinam Aesculapium, Medicorum Deum, docuisse fertur. Imagines Centaurorum supra aliquoties dedimus.

4. *De Orpheo.*

§. I.

Praeter numina, quorum historias atque Schemata hactenus prodidimus, adhuc multa alia in medium produci possent; quandoquidem tum Graeci tum Romani heroes suos omnes in Deorum numerum retulerunt. Sed omnes hic enumerare haud necesse uidebatur. De Orpheo tantum, cuius nominis magna est apud Poetas celebritas 4) pauca addere lubet. Vulgo pro filio Apollinis et Calliopes Musae habetur. Tantae hic in tractandis instrumentis musicis peritiae

2) Non desunt tamen, qui uisam affirment, *Tacitus*, *Xiphilinus*, *Victor*, alii, uide *Marcelli Donati* dilucidationes in *Tacitum* pag. 164. uolum. 6. facis criticae *Gruteri*, et *Salmasium* in Solinum.

3) uid. *Lucianum*; *Hyginum* fab. 62; *Diodorum Sic.* lib. 4. *Ouid.* Metam lib. 12, v. 219.

4) uid. *Hygini* fab. 164. *Apollodorum* lib. 1. *Apollonium Rhodis*, lib. 1. et scholia; nam Orpheus inter Argonautas; *Orphei*, ut feruntur, argonautica; de descensu ad inferor. *Ouid.* metam. X. de morte eius, *Pausaniae* Boeotica c. 30. Eratophenis Cataperism, 24. *Hygini* poet. astronom. lib. 2. c. 7.

ritiae erat, ut omnia cum ſenſibilia tum ſenſu carentia cantu ſuo demulceret. Feras etiam immanes ad eam melodiam acceſſiſſe, auesque aduolaſſe fabulantur; ſiluae quoque ac rupes naturae ſuae oblitae eo ſe conferebant; uenti ſemper in eam ſe conuerterunt partem, flumina ſiſtebant curſum. Narrant illum primum Deorum cultum inſtituiſſe, eorumque originem docuiſſe, eumque Theologiae ueteris eſſe patrem. Primus etiam expiationem criminum introduxiſſe dicitur; item Bacchi cultum et Orphica myſteria. *Luciano* teſte, Graecis Aſtronomiae praecepta dedit. Scripſit bellum Gigantum, raptum Proſerpinae luctumque Oſiridis apud Aegyptios. Non deſunt, qui ipſum etiam labores Herculis ſcripto tradidiſſe dicunt 5).

§ 2. Celebris illius ad inferos deſcenſus eſt, cuius haec hiſtoria. Vxor eius Eurydice uocabatur. Ariſtaeus eius amore captus, uim illi inferendi animo ipſam perſequebatur; ut uiolentiam illa declinaret, per montes et loca inuia fugiebat; ſed fugiens morſu ſerpentis interiit. Orpheus dolore mortis Eurydices motus, eam quaeſitum ad inferos usque pergebat, eoque ſumta lyra per Taenarum peruenit, quo tramite etiam Hercules ſe illo contulit. Orpheus cantus ſuauitate inferos omnes demulſit, lacrymas omnibus extorſit, et a Plutone Proſerpinaque impetrauit, ut uxorem ſecum reducere ipſi liceret; monuere uero ſimul, ne uxorem adſpiceret, antequam ad terram ueniret, qua non ſeruata conditione, Eurydice lucem ſolis numquam uiſura eſſet. Videndæ uxoris impatiens Orpheus ad illam reſpexit. Eurydice itaque ab eius conſpectu elapſa nusquam uiſa fuit.

§. 3. Mors illius diuerſo modo narratur. Dicunt alii eum, quum apud inferos Deorum omnium laudes ceciniſſet, unum Bacchum omiſiſſe, quare Bacchum indignantem furorem Bacchantibus immiſiſſe, quae illum diſcerpſerunt. Fabulantur alii, ipſum a Ioue fulmine percuſſum interiiſſe; quo ictu caput illius abſciſſum fuerit, et cum lyra in Hebrum coniectum, unde ambo in inſulam Lesbum fuerint deportata. Orphei lyram pulſantis imaginem damus Tab. XLII. *Fig. 6*, deſcenſum ad inferos, ubi Cerberum demulcet, *Fig. 7*.

5. *De Laocoonte.*

§. 1.

Ob ſchematis (*Fig. 8.*) elegantiam addimus denique hiſtoriam, ſeu fabulam de Laocoonte. Hoc enim monumentum toto orbe celeberrimum iudicatur, quod, *Plinio* auctore, omnibus, aut ſculpturae, aut pictoriae artis, operibus, anteferendum eſt. Videnturque Ageſander, Polydorus et Athenodorus eius auctores certatim contendiſſe, ut monumentum relinquerent, incomparabili illa deſcriptione dignum, quam *Virgilius* Aeneidos II. de Laocoonte, deque impacta ab illo in equum Troianum ligneum haſta, deque morte eius tragica adornauit. Haeſitantibus Troianis, an equum ligneum in urbem ſuam introducerent; equum illum inquam tantopere celebratum; in cuius uentre latebant Graecorum quique fortiſſimi, Laocoon ardens, magna Troianorum comitante caterua, qui forte eodem cum duce ſuo animo fuerunt, et ciues procul compellans, acriter obiurgauit illos, quod caecorum inſtar ruerent in inſidias. Nec ſatis habens haec increpando dixiſſe, haſtam ſuam in uentrem equi lignei tanta ui impegit, ut niſi fata Deûm Troiae excidium ineuitabile feciſſent, Graecorum inſidiae haud dubie patefactae fuiſſent.

§. 2. Sinonis tamen dolus Troianos adhuc haeſitantes, ne Laocoonti crederent, in contrariam ſententiam diuertebat, neque tamen omnino fidem ipſi habebant. Sed quia Diis placuerat, ut Troia dirueretur, Laocoontis tandem caſus et exitium Troianos, ut equum inducerent, impulit. Laocoontis uero perniciem in ſchemate accuratiſſime expreſſam *Virgilius* ita deſcribit, ut non omnino cum ſchemate noſtro conſonet. Ille namque uidetur dicere pueros illos, Laocoontis filios, a ſerpentibus fuiſſe relictos, et poſtea illos patrem corripuiſſe. At in marmore dracones illi et filios et patrem ſimul 6) correptos tenent, ſpiriſque ingentibus ligant; atque ita tres ſimul, pater et filii, ingentibus illis ſpiris uinciantur. Laocoon ſeſe expedire conatur; cetera proſequitur *Virgilius*. En horrendum ſpectaculum, egregiumque artis ſculptoriae opus, quod hodieque integerrimum uiſitur Romae in ea parte Vaticanarum aedium, quae *Beluedere* uocatur.

ANTI-

5) uid. *Fabricii* bibl. graeca.

6) Artifices uix aliter repraeſentare potuerunt: nam, ſi uel maxime iam mortuos pueros finxiſſent, tamen ideo non apparebat, a ſerpentibus his periiſſe.

ANTIQVITATIS
Explanatione et ſchematibus illuſtratae
TOMVS SECVNDVS
GRAECORVM, ROMANORVM ALIARVMQVE NATIONVM CVLTVM EXHIBENS,
cuius pars prima cultum Romanorum et Graecorum complectitur.

LIBER PRIMVS.

DE SACERDOTIBVS ET MINISTRIS SACRORVM APVD GRAECOS ET ROMANOS.

CAPVT I.

De Sacerdotibus Graecorum, deque iis, qui ſacrificandi ius habebant, item de adminiſtris, Paraſitis et Cerycibus.

§. I.

De Diis Graecorum Romanorumque, quum Tomo primo actum ſit: proximum eſt, ut, quae de cultu eorum obſeruari merentur, breuiter exponamus. Fiet autem illud hoc ordine, ut 1) de Miniſtris hujus cultus, 2) de templis, aedibus, ſacrariis atque aris, 3) de uaſis atque inſtrumentis, ad res ſacras adhibitis, 4) de ſacrificiis ipſis, 5) de feſtis, 6) de uotis et oblationibus, et 7) denique de oraculis atque praeſtigiis, paucis agamus.

§. 2. Vix nationem quampiam reperias, quae Sacerdotes non habuerit; ii quippe ſemper inter Deum et homines conciliatores habiti ſunt. Saltem uerae religionis ab initio mundi Sacerdotes fuiſſe, nemo facile negabit; quamuis non certo definiri queat, quibus omnino ius ſacrificandi competierit, antequam lex hebraeis data certam tribum ſtatueret, ex qua Sacerdotes atque Miniſtri tabernaculi, et templi, deſumerentur; utrum ſcilicet priſcis illis temporibus patres familias tantum, an quilibet ſacrificandi munere functi ſint. Hoc tamen exploratum eſt, maximam partem ſacrorum profanorum, ex antiquo et legitimo uerum Deum colendi modo promanaſſe; multis licet additis commutatisque, quae creſcens ſuperſtitio uel inuenit, uel in deterius accepit.

§. 3. Atque, quod iam ad Graecos attinet, quisque populus, et quaeuis ciuitas, Sacerdotes ſuos alebat, et peculiares ritus atque caerimonias obſeruabat. Quanto in pretio Graeci Sacerdotium habuerint, uel ipſa nomina 1) Sacerdotibus indita ſatis declarant. Vocabantur ἱερεῖς, quae uox ab ἱερὸν, *Sacrum*, deſcendit, ſignificans, Sacros illos eſſe, et Deorum

cultui

1) Quae recenſentur nomina, hominum huic generi quidem, ſed non promiſcue omnibus, conueniebant; Proprie enim peculiare munus deſignant, uti et alia, e. g. ἱεροποιος, προφητης, λιτουργος &c. Poetarum etiam deſcriptiones non ignorantur.

cultui addictos, illorumque ministerium esse Sacrum, et omnibus uenerabile; eo, quod pro populo uota et Sacrificia offerebant. Aliud nomen erat ἀρητῆρες *), ab ἀρὰ, qua uoce *uota*, uel *preces*, aut *imprecationes* etiam exprimuntur; quo ipso innuitur, hoc potissimum Sacerdotum munus esse, ut a numine beneficia postulent, iisque iram Deorum ministerio suo contrahant, qui, nullam aequitatis et iustitiae rationem habentes, in uaria scelera proruunt, aliosque proterue laedunt; Si quidem id impune fieri posse sperarint. Vocabantur etiam θύται, i. e. *Sacrifici*, quod in sacrificando praecipuum Sacerdotum officium consistebat; quod nomen Graeci, quoque Christiani, Sacerdotibus nonnumquam dare consueuerunt. Τελεσταὶ *initiatores*, quod eos, qui uel Sacerdotio, uel muneri cuiquam inferiori, destinabantur, certis ritibus et mysteriis initiabant. Haec autem initia in locis secretis atque remotis fieri plerumque solebant, ubi nonnisi initiati et initiandi admittebantur; quapropter populus arcana eiusmodi loca non sine horrore quodam spectabat. Ἱερουργοὶ itidem nomen Sacerdotum erat, quo significabatur, illos omnes functiones sacras generatim exercere, quales fuere: precari, uouere, Sacra facere, & peccata sceleraque, si quis resipisceret, expiare; quod postremum expiationis munus, peculiare quoque illis nomen indidit, quo καθαρταὶ, i. e. *purgatores*, uel *purificatores*, nuncupabantur. Duces quoque atque Reges, nec non ii, qui inter domesticos praecipui habebantur, eodem nonnumquam munere fungebantur. Ita in Odyssea *Homeri*, Eumaeum porcorum custodibus praefectum, Sacra Diis fecisse deprehendimus. Atque adeo quidem Sacerdotium summo semper apud illos in honore habebatur; ut non tantum in multis inscriptionibus ex Sacerdotibus eum, qui Sacris et Solennitatibus praeerat, βασιλέα, i. e. *Regem*, dici conspiciamus, sed et ipsi Reges et Principes, Sacerdotum nomine gauderent. Ceterum, quamuis ingentem illam Deorum cateruam, quos mera superstitio induxerat, prae oculis haberent, et plerosque eorum flagitiis tantum ac sceleribus nobilitatos fuisse probe scirent: id tamen uolebant atque curabant, Graeci Romanique, ut Sacerdotes uitae integritate 2), castitate et sanctimonia spectabiles essent; nonnullos eorum etiam perpetuam seruare uirginitatem cogebant, illisque quorundam ciborum esum interdicebant.

§. 4. Athenis explorabant, an ii, qui ad Sacerdotium deligebantur, aliquo corporis uitio laborarent; qui mos a Iudaeis deriuatus esse uidetur. His enim praeceptum erat, ut omnes illos, qui aliquo insigni uitio laborarent (gibbosos sc. claudos, coelites &c.) a functionibus sacris arcerent; nec ulli Sacerdotum secunda contrahere matrimonia licebat; Saltem rarissime hoc fiebat. Nec tamen eadem ubique obtinuit religio atque seueritas in destinandis sacerdotibus. Iuuenes adeo in bene multis Graeciae locis adlegebantur Sacerdotes, mares et feminae, imo uix primam pueritiam praetergressi. Caussa illius instituti non alia esse uidetur, quam ne sanctitas muneris labe aliqua commacularetur; nec sinistri aliquid ab aetate tam immatura timebatur. Sic in templo quodam Mineruae *Craneae* (teste *Pausania* lib. 10. c. 34.) in praerupto uertice posito, porticus erant, ubi uisebantur cellae, in quibus habitabant Deae Ministri et Sacerdos quoque, qui sacra celebraret. Hunc ex impuberum numero deligebant, adeoque iuuenem et puerulum, ut, postquam per quinquennium (tantum enim temporis huic muneri destinatum erat) Sacerdotio fructus erat, eo munere se abdicaret, priusquam pubescere inciperet; totum illud tempus apud Deam commorari, seque in asaminthis, ueterum more, lauare tenebatur. Apud Orchomenios contra templum erat Dianae *Hymniae*, magna religione cultum, et Arcadum praecipue concursu celebratum; ubi Sacerdos erat puella uirgo. Quae, quum aliquando a quodam Aristocrate in loco sacro ad statuam Deae uiolata esset: Arcades Aristocratem lapidarunt, et a uirgine Sacerdotium transtulerunt ad mulierem nuptam, quae uiri consuetudinem aliquanto iam tempore habuisset. Virgo enim, quae ex Sacerdotii officio, aduentantium omnium uota et munera excipere debebat, nimium erat cupiditatis incitamentum, neque caueri satis pudicitiae poterat.

§. 5. Magna porro apud Graecos Sacerdotiorum erat uarietas; siue rationem uiuendi, seu ritus alios atque caerimonias, uestes scilicet, ornatum ac cetera spectaueris; quippe quae non modo pro diuersitate locorum distincta, sed etiam in iisdem ciuitatibus adeo, non eadem una ratione constabant. Haec etiam Sacerdotia, siue mares, siue feminae, siue utrique ea gererent, non minus functionum tempore differebant. Annuum alii gerebant Sacerdotium, alii per

*) ita *Homerus Chrysen* uocat ἀρητῆρα. uid. scholiastas.

2) uid. *Demosthenis* oratio in Androtionem, uersus finem; eiusdem in Neaeram, ubi bacchans se mundam profitetur, continentiam Sacerdotum profanorum in exemplum trahit *Tertullianus* de Monogam. ad finem.

per aliquot annos. Erant, qui Sacerdotium mutarent, et modo hoc, modo illud, gererent. Alii, et quidem non pauci, Sacerdotia per uitae spatium obtinebant. Nonnulli ad filios et nepotes transmittebant, et quidem longa temporis successione. Athenis Dii singuli summum habebant Sacerdotem, s. Sacerdotum Principem, quibus alii ministri suberant. Delphis quinque Principes Sacerdotum erant, cum iisque Prophetæ, qui oracula edebant. Opunte duo erant, quorum alter Diis superis, alter inferis, Sacra faciebat. Passim mulieres quoque summo Sacerdotio fungebantur, quod Athenis et Argis factum fuisse legimus; hic quippe Chrysis Iunonis, magnae Argiuorum Deae, illic Lysimache quaedam Mineruae summa Sacerdos perhibetur.

§. 6. Inferiores sacrorum Ministros Athenis PARASITOS uocarunt, quia Sacrificiorum carnes et escas participabant; ii priscis temporibus in magno honore erant, et inter praecipuos Magistratus sedebant. Hi frumenta rebus sacris destinata 3) colligebant deligebantque; unde Parasitorum nomen natum, quod σῖτος Graecis frumentum est; sequioribus uero temporibus Parasitorum nomen in deteriorem significationem declinauit, ut hoc uocabulo illi adulatores compellentur, qui indignis modis mensas diuitum et optimatum adeunt, illisque assident, nihil non agentes uentris gulaeque causa. His addimus CERYCES, s. Praecones, quorum officium idem erat, ac uictimariorum apud Romanos, qui tauros, aliaque animalia, Sacrificiis destinata, mactabant, quorum etiam erat, res tum ciuiles, tum sacras, publice annunciare; id quod nomine illorum, κήρυκες, innui uidetur.

Caput II.

De Neocoris, Rege et Regina sacrorum, Hierophantis et uariis aliis Sacerdotum nominibus, nec non Pythia Delphica.

§. 1.

NEOCORI ab origine iidem erant, qui hodie aeditui, uel Sacristae, uocantur, quibus incumbebat templa ornare, et sacra uasa seruare, et munera donaque a uariis oblata custodire; iis, qui quaesituri accederent, quo pacto Deum, cui templum sacrum erat, coli oporteret, omnia explicare; demum res sacras festorumque celebrationem curare. Præter hasce functiones, duas 4) obseruat D. *Valesius, Hadriani* filius, ex *Theodoreto* excerptas l. 3. c. 16. aqua lustrali aspergere eos, qui in templum ingrederentur. *Quadam die*, ita narrat, *quum Julianus Apostata ingredi uellet templum Genii publici urbis Antiochiae, Neocori, qui ex utraque parte stabant ad templi portam, aqua lustrali adspergebant eos, qui ingrederentur, ut sic eos purgarent. At Valentinianus, qui Christianus erat, et tamquam Dux custodum corporis ante Julianum incedebat, quum uidisset stillam aquae illius in uestem suam incidisse, pugno Neocorum percussit, questus, se ab eo contaminatum, non purgatum fuisse. Julianus uero Valentinianum, quod ita religionem suam, despiceret, in castellum quoddam relegauit. Verum, elapso anno et aliquot mensibus, Valentinianus Imperator electus est.* Secunda Neocororum functio, ab eodem *Theodoreto* tradita, erat, aqua lustrali adspergere cibos et fercula, quae Imperatori offerebantur. Hic uero mos forte ab ipso Juliano Apostata inuectus fuit; quandoquidem ille ejusmodi superstitionibus supra modum deditus fuit. Initio hoc tantum munus illorum erat, ut templa scopis mundarent, hinc uero gradatim templi custodiam sunt deputati, demumque ad praecipua ministeria prouecti; unde officium eorum sequiori tempore inter insigniora computatum. Nonnumquam enim, tamquam summi Sacerdotes, pro salute Imperatorum sacrificabant. Sic Neocori Prytanum, s. Principum Præfectorumque titulo insigniti occurrunt; alii quoque agonothetae dicebantur, qui in ludis publicis praemia distribuebant. Vrbes etiam totae 5) Neocororum titulo decorabantur: Ciuitates

Z

3) *Solonis* instituto, qui et uetuit, ne cui saepius liceret παρασιτεῖν, et ne quis, cuius officium esset, id contemnens declinaret. Conferri possunt cum *Epulonibus* Romanis. Habebant quilibet δῆμοι suos parasitos, Apollini, Herculi etc. destinatos. Post, quod deorum erat ministerium, ad homines etiam tractum fuit; unde famelicum et abiectum hominum genus parasiti euaserunt.

4) Sed hic νεωκόρος uix differat a sacerdote; certe alii scriptores *adspergendi* officium clare ἱερεῖ tribuunt; fiebat id ramo oliuae aut lauri. Adspergebantur etiam uictimae.

5) De νεωκόροις ciuitatibus pluribus exponit *uan Dalen*

tates enim, siue ciuitatum ordines omnes, qui simul sumtus ingentes suppeditabant, pecuniamque impendebant ad festa et ludos celebrandos, sibi honori esse duxerunt, si Neocori nomen ipsi ciuitati inderent. In Actis Apostolorum XIX, 35. Ephesus ciuitas dicitur νεωκόρος magnae Deae Dianae, qua de dignitate et quaedam aliae urbes contendebant. Sic in nummis quoque obserues Neocoros Ephesios, Smyrnenses, Magnesios, Pergamenios, Pergaeos, aliosque.

§. 2. Archontes quoque in Atheniensium Republica Sacerdotum nomine gloriabantur; ita, ut non modo rerum ciuilium, sed etiam sacrarum Principes essent, adeoque in solennitatibus sacris primum nonnumquam locum occuparent, et Sacerdotes passim dicerentur. Adde quod secundus Archontum, qui mysteriis et sacrificiis praeerat REX 6), et uxor ejus REGINA SACRORUM, uocabatur. Qui Reginae modo dictae in sacrorum intimis ministrabant, *Hieroceryces* dicebantur.

§. 3. HIEROPHANTÆ Athenis pro Eleusiniis mysteriis, ad Cererem Deam pertinentibus, instituti fuerant: nihilo tamen minus Rex his quoque sacris praeesse poterat, et reuera praeerat, cum *Epimeletis*. Eosdem Hierophantas nonnumquam mysteriis magnae Matris et Bacchi adhibitos legimus. Vxores illorum *Hierophantides* 7) appellabantur, quod fortasse ritus sacros, ut mariti, curabant; Sicut *orgyophantae*, eorumque mulieres, *Orgiastae* uocatae, Orgiis praeerant. Aliae quoque urbes et ciuitates Graeciae suos etiam ex utroque sexu habebant Sacerdotes; feminae autem plerumque Deabus ministrabant, uariaque iis nomina fuerunt. Sic Clazomenis, Sacerdotissa Palladis, *Hesychia*; Bacchi *Thyas* uocabatur. In Creta Magnae Matris Sacerdotissa *Melissa* dicebatur.

§. 4. In monumento quodam Romano Demetrium quendam summum Sacerdotem, s. Ἀρχιερεὶ, uidemus sedentem uestibus indutum, quae, si staret, ad talos usque defluerent. Caput eius uelatur cucullo, cujus partes anteriores, in acumina desinentes, ante pectus dependent: in quolibet acumine tres globuli sunt; quae omnia ex ipso schemate, *Tab. XLIII.*
Tab. XLIII. *Fig. 1.* facilius intelligentur. Hujusmodi summos Sacerdotes, Ἀρχιερεῖς, in marmoribus et nummis saepe commemoratos uidemus. Nec singularum tantum urbium, sed plurimum simul, immo integrarum regionum, illi nonnumquam Sacerdotes erant; summoque hoc Sacerdotio alii per totam uitam, alii per quinquennium tantum, gaudebant. Ex horum numero in quibusdam Asiae urbibus *Asiarchae* deligebantur, quae dignitas perampla erat. Summae quoque Sacerdotes passim occurrunt, quae aliis Sacerdotibus feminis praeerant, quae ex praecipuis deligebantur. Sacerdotes mulieres ἱέρειαι uocabantur.

§. 5. Admodum celebris erat PYTHIA DELPHICA, cujus Sacerdotii origo pluribus narratur a *Diodoro Siculo*, Lib. 16. Erat Delphis ingens terrae hiatus 8), et pastor quidam animaduertens, capras omnes, quae eo accederent, intusque prospicerent, statim saltare, et uoces emittere non solitas; accessit et ipse, atque inspexit; statimque afflatus numine, futura uaticinabatur. Huius rei fama ad alios perlata, statim omnes accurrerunt ad hiatum, eodemque afflatu acti, futura alter alteri enunciabant. At, quum multi uehementiori ἐνθουσιασμῷ rapti, saltantes et tripudiantes in uoraginem deciderent perirentque; ut huic damno occurreretur, delecta femina fuit, quae sola Prophetidem ageret, et oracula proderet. Ne uero et haec in hiatum decideret, machina quaedam, tribus fulta pedibus, adornata fuit, cui illa insidens, futura pronunciaret. Haec machina deinde *tripus* uocata est. Quae ab initio Pythiae munere fungebatur, uirgo erat. Sed quum insequenti tempore quispiam, oraculum consultum ueniens, eam uiolasset: exinde mulier plus quam quinquagenaria ad hoc munus constituta fuit.

CA-

lon in dissertatt. antiquariis; et interpretes numismatum. In inscriptione quadam romana, *Vettius* quidam pontifex Vestae, Solis, quindecimuir, Augur, Tauroboliatus, curialis, Neocorus, Hierophanta, pater sacrorum, simul occurrit.

6) De origine regis Sacerdotis uid. *Demosthenis* oratio in Neaeram; et histor. uniuersa ex anglico germanice uersa, Tomo 5. §. 329.

7) In inscriptione quadam etiam: *Fabiae - - Hierophantriae*, legitur.

8) De oraculo delphico plura docet histor. uniuersa germanice uersa Tom. 5. §. 11. pag. 9. F, A (7. B.)



1. Summus Sacerdos Græcus. 2. Archigallus, summus Cybeles Sacerdos. 3. Caput Sibyllæ. 4. Sibylla vel Bacchans. 5. Albogalerus. 6. Apex. 7. Sacerdos cum simpulo. 8. Salius. 9. Sacrificulus cum patera et cornu copiæ. 10. Sacerdos maxima Matris Deum. 11–15. Sacerdotes utriusque sexus cum pateris et manus supplices extendentes.

CAPUT III.

De Sacerdotibus Cybeles, tum maribus, tum feminis, apud Romanos et Graecos.

§. I.

CYBELE, mater Deûm, non infrequenter feminas Sacerdotes habuit; qui uero ſacra eius plerumque adminiſtrarunt, uiri erant Eunuchi, quos a *Gallo*, Phrygiae fluuio, *Gallos* uocabant; et inſtitutio eorum, quae in Phrygia coeperat, deinde ad ceteras nationes, in Graeciam, Syriam, Africam, inque totum Romanum imperium, peruaſit. Ritus in Syria a coetu Gallorum ad recipiendum in Societatem nouum Gallum adhibitus, a *Luciano* deſcribitur in libello de *Dea Syria.* Poſtquam enim de magna celebritate in Deae Syriae honorem fieri ſolita uerba fecerat: *ad hoc feſtum*, (pergit,) *multi homines ueniunt, tum ex Syria, tum ex finitimis regionibus omnibus, afferuntque et ſua quique Deorum ſimulacra, et quae Signa ſinguli habent, ad illorum imitationem facta. Statis autem diebus multitudo in templum congregatur; et Galli frequentes hominesque ſacri Orgia peragunt, cubitos incidunt, tergisque mutua uerbera excipiunt. Adſtantes alii plurimi tibia canunt, et tympana pulſant. Alii diuina et ſacra cantica modulantur. Id uero fit extra templum; qui enim hoc agunt, in ipſum non ingrediuntur. His diebus etiam Galli fiunt. Poſtquam enim alii tibiis cecinerunt, et foedera inierunt, multos furor inuadit. Adoleſcens uero, cui haec parata ſunt, abiectis ueſtibus, magno clamore in medium prodit, atque enſem diſtringit, utque iam a multis annis in more eſt, ſeipſum caſtrat. Tum per urbem currit, manibusque geſtat ea, quae reſecuit: in quamcumque uero domum ea proiicit, ibi femineam ueſtem et muliebrem ornatum accipit.* Alibi haec mutilatio teſtâ uaſis Samii maiori cum dolore fiebat. Muliebris ille ueſtitus talaris erat, ad terram usque defluens, qualem in Archigallo uidebimus.

§. 2. Hi Galli matrem Deûm cum cymbalis ubique circumferentes, ſtipemque cogentes, circulatores erant ſceleratiſſimi; quumque id agentes carmina cantarent: ipſam quoque poeſin in contemtum adduxerunt. Oracula etiam fundebant; alii quidem ex tempore, alii per ſortes in libellos quosdam iactas; quae oracula ſeruis et mulierculis uenditabant. Sic praeſtigiatores illi, (opinatur *Plutarchus*,) uera in tripodeque prolata oracula peſſundederunt. Nihil ergo mirum, ſi Patres antiquiores plerique Eccleſiæ, hujusmodi circulatores exagitant; quando ipſi etiam profani Scriptores meritis illos conuiciis inſectantur. *Agyrtae* etiam uocabantur, ſ. circulatores, qui quaeſtus cauſa plebeculam demulcebant; item *Metragyrtae*, quia Magnae Matri ſtipem cogebant; et *Menagyrtae*, quod ſingulis menſibus hoc faciebant.

§. 3. Princeps huius Sodalitii Gallorum *Archigallus* uocabatur, et dignitate opibusque quam maxime pollebat. Schema illius exhibemus *Fig. 2.* qui, licet capite manibusque ſit mutilus, non pauca tamen ad inſtitutum noſtrum ſpectantia docet. Tunica indutus eſt talari, quam operit pallium, cuius pars reducitur; torque porro grandi ad pectus usque deſcendente ornatur. Mammas contegunt duo circuli numismatum more; in quibus repraeſentatur Attidis caput cum tiara Phrygia. Pectoris latitudinem fere totam occupat templi frontiſpicium, in cuius ingreſſu Cybele conſpicua eſt; ab alio eius latere ſtat Iupiter, haſtam fulmenque tenens, ab altero Mercurius, caduceo inſtructus; quod ſignificat Cybelem eſſe Deorum utriusque generationis matrem. In templi faſtigio Attis recumbit, tiaram geſtans Phrygiam, cum baculo recuruo inſtar litui. Praeter Gallos Archigallosque Magna Mater 9) alios habuit Sacerdotes, non Eunuchos, itemque Sacerdotes feminas.

9) In *Gruteri* et aliorum opera collectis inſcriptionibus, ſaepe occurrunt eius Sacerdotes, qui *Taurobolia* offerebant.

CAPVT IV.

De Sacerdotibus Mithrae.

§. 1.

MITHRAE, Perſarum Dei 10), quem illi ſolem et ignem eſſe cenſebant, cultus, ex oriente in occidentem Romamque translatus eſt a Pompeio, poſt deuictos piratas; isque ſecundo maxime tertioque poſt Chriſtum natum ſaeculo celebris fuit. Huius Mithrae Sacerdos *Pater ſacrorum*, et Sacerdotes feminae *Matres ſacrorum* appellabantur. Patres illi Sacrorum, ſecundum *Porphyrium*, *Leones*, et Matres ſacrorum *Hyaenae* (genus hoc ferae eſt) uocabantur. Hinc myſteria Mithrae *Leontica*, ſ. *Mythriaca*, nec non *Patrica* dicebantur. Aliud genus Miniſtrorum Mithrae erant *Coraces* et *Hierocoraces*, i. e. corui & ſacricorui, qui Patribus et Leonibus inferiores uidentur; ex iisque Mithriaca quoque nonnumquam *Coracica* et *Hierocoracica* in marmoribus uocantur, ut ab Ηλιος, quae uox ſolem denotat, etiam *Eliaca*, ſ. *Heliaca*, dicuntur.

§. 2. Horrenda ſane narrantur initia Mithrae, ſecundum Interpretes 11) Gregorii Nazianzeni. *Perſae, Mithram eundem eſſe cenſent, quem ſolem, eique multa ſacrificia peragunt. Nemo poteſt initiari Mithrae, niſi per omnia ſupplicia pertranſierit; ac niſi ſe ſenſus quaſi expertem et ſanctum commonſtrauerit. Aiunt octoginta eſſe cruciatuum genera, quae initiandum gradatim experiri opus eſt. Primo ſcilicet nando traiiciat oportet diebus multis aquae immenſum ſpatium; deinde in ignem ſeſe coniiciat; poſtea neceſſe eſt, ut in deſerto agat, et cibo abſtineat, aliaque non pauca perferat, donec per octoginta cruciatus permearit.* Praeter Sacerdotes illos Coraces, ſummi etiam Sacerdotes Mithrae erant, qui ceteris Sacerdotibus praeerant; et nobilitate atque dignitate erant praecellentes. Ceterum Cybeles et Mithrae cultus Romanis, Graecis, Syris etc. idem fuiſſe uidetur.

CAPVT V.

De Sacerdotibus Romanis, Pontifice Maximo et Flaminibus.

§. 1.

Romulus 1) ex qualibet curia duos delegit Sacerdotes; quumque triginta eſſent curiae, hinc ſexaginta numero Sacerdotes conſtituebantur; qui quinquaginta minimum annorum eſſe debebant, uirtute ſimul et nobilitate inſignes, opibusque inſtructi, ad uitam rationе dignitatis ſuſtentandam idoneis; corpore porro integro, nec ulla ex parte uitiato. Quoniam autem quaedam ſacra per mulieres fieri oportebat, quaedam etiam per pueros patrinos matrinosque: uoluit Sacerdotum uxores et filios ad haec officia cooptari. Initio ſoli Patricii ad munus hoc eligebantur, at plebs, contra nimiam ſenatus potentiam et auctoritatem conſurgere ſolita, id tandem, iteratis querimoniis et clamoribus, impetrauit, ut Sacerdotii pars ſibi obtingeret; cf. *Liuii* Dec. 1. lib. 10. Sacerdotes nouos primum ipſum Collegium Sacerdotum cooptabat: populus uero ſibi adſciſcendae auctoritati ſemper inuigilans, petitionibus aſſiduis id effecit, ut ius cooptandi ipſi deferretur. Ea uero conditione res conſtituta fuit, ut populus eligeret, collegium electos confirmaret. Multa ſubinde mutata, donec Imperatores tandem ius eligendi Sacerdotes ſibi arrogarent. Is autem ex Sacerdotio excludebatur, qui cum aliquo, uel aliquibus ex Collegio Sacerdotum, inimicitias exercuit; nec duo ex eadem familia Sacerdotes eſſe poterant; quae tamen lex ſequioribus temporibus ſaepius uiolabatur. Electio his fiebat uerbis: *deſignari*, *deſtinari*, *nominari*, *cooptari*, *capi*. Cooptationem inauguratio ſequebatur, qua rata firmaque dabatur Sacerdotii poſſeſſio, tuncque ad lautas epulas, qui cooptatus erat, Collegium inuitabat.

§. 2. Sacerdotes togam praetextam accipiebant; ornamenta capitis erant *Apex*, *Tutulus*,

10) Vid hiſtor. uniuerſam tom. 4. *Salmaſium* ad *Lampridii* Commodum: *Barthium* ad *Statium* parte, 3, p. 247.

11) *Nonnum* in Nazianzeni στηλιτευτ, 2, *Eliam Cretenſem* ibid. et or. 3; ad *Montfauconii* diarium italicum p. 202.

1) *Dionyſius* Halic. lib. 2. *Liuius* lib. 1.

lus, *Galerus*, et *Albogalerus*; aliquando etiam coronam gestabant. Sacrificabant calceati modo, modo nudis pedibus; quod in Sacrificiorum schematibus bene multis obseruare licet. Vestales uero uirgines, semper pedibus nudis sacra peragebant. Magno in honore erant Sacerdotes, priuilegiisque multis gaudebant. Sic in Capitolium curru, quem carpentum uocabant, uehi licebat; in senatum ingredi fas erat; id uero iuris, quo ab initio fruebantur, ob flaminum indignitatem, postea sublatum est: teste *Liuio* Dec. 3. l. 7. Ex Sacerdotibus quidam hac dignitate per totum uitae genus fruebantur. Augures etiam uel quouis admisso crimine abrogari non poterant. Qui *Rex Sacrorum* uocabatur, per totam uitam hoc officio fungebatur. Ex aliis erant, qui poterant deiici a munere. Alia illorum praerogatiua erat, quod ante illos fax, ramusque lauri gestaretur. Neque ad bellum, neque ad aliud onus publicum, Sacerdotes adstringi poterant. Sequenti uero tempore solitis uulgaribusque oneribus et ipsi obnoxii erant, ab extraordinariis tantum exemti. Accidente autem bello quodam Gallico, etiam Sacerdotes cum aliis eligebantur ad propulsandum hostem. Ad bellicos sumtus faciendos, uectigalis onus postea Sacerdotibus quoque impositum. In prouinciis ad ludos publicos hi quoque sumtus suppeditare tenebantur; quo factum, ut, quum Sacerdotium oneri esset, ad hunc honorem accipiendum nemo adigeretur. Idem etiam Sacerdos plura Sacerdotia obire poterat; cuius tamen rei exempla sunt rariora. In uaria porro Collegia diuidebantur, pro sacrificiis stipendia accipiebant; qui mos a *Theodosio* Magno eiusque filiis abrogatus est.

§. 3. Sacerdotii Romae uaria nomina erant, uariaeque functiones. *Pontifices* quatuor erant ab initio, sed plures postea cooptati sunt; iique in Pontifices maiores minoresque diuidebantur. His praeerat *Pontifex Maximus*, quod officium tantae dignitatis et existimationis erat, ut ipsi tandem imperatores id muneris in perpetuum sibi arrogarint. Antea Pontifex ille maximus ex Collegio designabatur, eaque dignitas per longum tempus in ordine senatorio mansit. Tandem, petente Ogulenio Tribuno plebis, Coruncanus, insignis uirtute pietateque uir, ex ordine populi creatus est. Ingentis auctoritatis hoc officium erat. Is pro Collegio respondebat, ritus et caerimonias religionis sacras praescribebat. Thensa uehebatur, cuius formam infra dabimus. Ex Italia egredi ipsi non licebat; abominandum erat, si forte defuncti corpus uideret; sique funeri procul adesset, uelum obtendebatur, quo cadauer aspectui illius subduceretur.

§. 4. FLAMINES a Romulo sunt instituti; licet institutionem illorum *Liuius* Numae adscribat. Initio tres tantum erant; Flamen scilicet *Dialis*, s. Flamen Iouis, Flamen *Martialis*, seu Martis, et *Quirinalis*, s. Quirini. Flamines a populo cooptabantur, et a Pontifice Maximo inaugurabantur. Inauguratio autem dicta, ab auguriorum caerimonia, quum in dignitatis illius possessionem uenirent. Etsi Flamines non erant Pontifices, sedebant tamen cum iis, si res magni momenti agebatur. Numerus eorum, qui, ut iam supra diximus, ab initio ternarius erat, successu temporis ad quindecim usque adauctus est; quorum tres priores, qui ex Senatu deligebantur, *Flamines maiores*, reliqui, ex plebe electi, *minores* uocabantur. Quisque Flamen suo Deo ministrabat, neque licitum iis erat, (quod tamen aliis licebat) plura uariorum Deorum Sacerdotia simul obtinere. Et quamuis officium illorum perpetuum esset, nec nisi morte finiendum: uariis tamen de causis abrogari poterant; tum *Flaminio abire* dicebatur.

§. 5. FLAMEN DIALIS magnae Romae auctoritatis erat atque dignitatis. Ipse uero nonnullis legibus adstrictus erat, quas A. *Gellius* Lib. 10. cap. 15. ita exprimit. *Equo Flaminem Dialem uehi, religio est: classem procinctam extra pomoerium, i. e. exercitum armatum uidere: idcirco rarenter Flamen Dialis creatus Consul est, quum bella Consulibus mandabantur. Item iurare Dialem, fas numquam est. Item annulo uti, nisi peruio cassoque, fas non est. Ignem, Flaminia, i. e. Flaminis Dialis Domo, nisi sacrum efferre ius non est. Vinctum, si aedes illius introierit, solui necesse est, et uincula per impluuium in tegulas subduci, atque inde foras in uiam dimitti. Nodum in apice, neque in cinctu, neque alia in parte, ullum habet. Si quis ad uerberandum ducatur, si ad pedes eius supplex procubuerit, eo die uerberari, piaculum est. Capillum Dialis, nisi qui liber homo est, non detonset. Capram et carnem incoctam, et hederam et fabam, neque tangere Diali mos est, neque nominare. Propagines e uitibus altius protensas non succidet. Pedes lecti, cui incumbit, tenui luto circumlitos esse oportet: et de eo lecto trinoctium continuum non decubat; neque in eo lecto alium cubare fas est: neque apud eius lecti fulcrum capsulam esse cum strue atque ferro oportet. Vnguium Dia-*

 lis

lis et capilli segmina subter arborem felicem terra operiuntur. Dialis quotidie festatus est. Ac sine apice sub diuo esse, licitum non est; sub tecto uti libet. Farinam fermento imbutam attingere, ei fas non est. Tunicam intimam, nisi in locis tectis, non exuit, ne sub coelo, tamquam sub oculis Iouis, nudus sit. Super Flaminem Dialem in conuiuio, nisi Rex Sacrificulus, haud quisquam alius accumbit. Vxorem si amisit, Flaminio decedit. Matrimonium Flaminis, nisi morte, dirimi non est ius. Locum, in quo bustum est, numquam ingreditur. Mortuum numquam attingit; funus tamen exsequi non est religio.

§. 6. FLAMEN MARTIALIS secundus erat, patriciae familiae, quemadmodum et Dialis; nec Italia ipsum egredi licebat. Vnde Caecilius Metellus, Pontifex Maximus, Aulum Postremum, Consulem et Flaminem Martialem, ad bellum Africae proficisci non siuit. Tunc, scribit *Valerius Maximus*, imperium cessit religioni. FLAMEN QVIRINALIS Quirino Deo, qui idem erat cum Romulo, Romae fundatore, nomen habuit; quem itidem Italia excedere fas non erat. Alii Flamines minores uocabantur, quos omnes recensere superuacuum ducimus. Paucos itaque eosque notiores nominasse sufficiat; quales erant *Flamen Augustalis*, et *Flamen Caesaris: Flamen Floralis*, s. Deae Florae; *Flamen Hadrianalis*, in Hadriani honorem; *Flamen Laurentalis*, seu *Larentalis*, Auiae Larentiae; *Flamen Pomonalis*, Deae Pomonæ &c. *Flaminicae* quoque occurrunt, s. Sacerdotes feminae, quae, ut *Festus* describit, uxores erant Flaminum Dialium, et flammeo uestitu induebantur. Videntur etiam in uestimentis imaginem fulminis tulisse eiusdem coloris; non licebat illis calceos habere ex pelle animalis mortui, nisi occisi. Ceterum easdem fere caerimonias obseruabant, quibus mariti eorum tenebantur.

CAPVT VI.

De Augurum et Haruspicum Officio.

§. I.

A*ugurum* cum apud Graecos tum apud Romanos magna erat existimatio. Priscis temporibus Augurii officium non publicum fuisse uidetur, quod uel a magistratu, uel a populo daretur; sed donum coeleste, et immissam a numine quodam rerum futurarum cognitionem, quae ex auium seu uolatu, seu cantu, seu gestu, praesagiebantur. Sacrum hoc munus a Romulo conditum est, qui tres omnino primum delegit. Ex cantu, uel uolatu auium illi diuinabant, utrum a dextra, an a sinistra, uolarent, obseruantes; et quos corporis motus exhiberent. Pullos porro in cauea inclusos seruabant, pessimumque illud augurium erat, si illi comedere nollent, aut si tarde et negligenter; optimum contra augurium erat, quum tanta auiditate appeterent, ut pars pastus terram feriret; hoc illud putatur esse, quod *Cicero tripudium Solistimum* uocat. In quibusdam regionibus, *Plinio* teste, etiam ex motu piscium in aqua, auguria petebantur. Augures initio secundum tribuum numerum tantum tres erant; quartus postea adiectus fuit; tandem adhuc quinque additi fuerunt, ita ut cuiusque tribus numerus augurum ternus esset. *Sylla* numerum hunc ad quindecim usque adauxit. Deligebantur autem ab ipso Collegio; quod deligendi ius sequiori tempore etiam ad populum deuolutum est, et postea collegio iterum restitutum; ita ut pluries ab uno ad alterum transierit: donec Augustus Collegio augurum ius cooptandi nouos augures restituit. Post Imperatores, ut multa alia iura, ita hoc quoque ipsis arrogarunt. Quum denique *Theodosius* Magnus omnia Sacerdotum profanorum et augurum stipendia fisco thesauroque imperiali addixisset: augures etiam cessarunt. Qui inter augures praecipuus erat, *Magister Collegii* uocabatur; nec unquam augures remoueri poterant, etsi in crimina prolapsi, et judicio damnati. Praetextam illi gestabant, imo et trabeam, ut aliqui putant, quorum uestium formam inferius describemus. Corona etiam utebantur. Quum primum in collegium cooptabantur, juramento pollicebantur, se augurii arcana nemini reuelaturos. Si ulcere aut uulnere quopiam laborarent, ab augurii exercitio arcebantur; quod officium hoc animum liberum, curis et sollicitudinibus, quas mala corporea afferre solent, postularet.

§. 2. Augures in Senatum non ingrediebantur, nisi Magistratum quendam gererent, uel a Censoribus uocarentur. Antequam uero auguria captarent, hoc modo precabantur. *Iouis Pater, si mihi es auctor urbi populoque Romano Quiritium, haec sane sarteque esse, ut* tu

tu nunc mihi bene ſponſis, beneque uolueris. Auguria ſemper poſt mediam noctem captabant, ſereno tranquilloque aëre. Lituo nempe ſeu augurali uirga circulum deſcribebant, aut *templum*, ut uocabant, in cuius medio ſe locabant, ita ut mediam circuli partem a fronte haberent; tum ad dextram et ſiniſtram obſeruabant, quam uerſus partem, quam uerſus regionem, qua ratione aues uolarent.

§. 3. *Haruſpices*, uel *Aruſpices*, ab Auguribus eo diſtinquebantur, quod aras, uictimas, flammam, exta obſeruarent; unde etiam *Extiſpices* apellabantur. Hoc autem Sacerdotii genus ex Hetruria Romam peruenit. Roma quippe mittebantur iuuenes duodecim, nobiliori genere nati, in totidem Hetruriae urbes, ut Haruſpicinam diſcerent; quam non modo ad iſta adhibebant, ſed et ad alia: e. c. ad fulmina; oſtenta coeli, et naturae, quae portentoſi aut prodigioſi quidpiam prae ſe ferebant; etiam in domo quae non temere accidere uiſa, interpretabantur. In mactatis ad Sacrificia animalibus non exta modo generatim explorabant, ſed ſpeciatim fel et ueſicam. Vtebantur autem Libris *) Hutruſcis *Tagetis*, eiusdem Gentis Scriptoris, qui Haruſpicinam ſpectabant, et ab *Antiſtio Labeone* quindecim uoluminibus explanati fuerunt.

CAPVT VII.

De Sibyllis earumque Libris.

§. 1.

SIBYLLAE Prophetides quaedam creditae, quarum libri Romae a uiris, in Sacerdotio locum habentibus, ſtudioſe cuſtodiebantur; illos adibant, quoties e republica eſſe putarent. De nulla re tam acriter adhuc diſputatum eſt. De numero quippe, et patria, deque libris Sibyllarum pretioque iis ſtatuendo, multi in lucem prodiere libri 1). Non defuere, qui, an Sibyllae mulieres umquam extiterint, dubitarent. Verum in hoc maxime quaeſtio uerſabatur, an octo illi libri, qui hodieque Sibyllinorum Oraculorum nomine circumferuntur, iidem ipſi ſint, qui Romae tanta cura et religione ſeruabantur. Eos ipſos fuiſſe affirmant nonnulli, alii, numero plures, negant 2), quibus et ipſe adſtipulor, exiſtimoque, non modo libros Sibyllinos hodiernos, ſed et carmina alia, Sibyllarum nomine a Patribus Eccleſiae excitata, quae in Sibyllinis hodiernis oraculis non extant, a priſcis Chriſtianis conficta fuiſſe; id quod uiri doctiſſimi quam plurimi tot argumentis comprobarunt, ut difficile ſit, noui quidpiam afferre.

§. 2. Neque uero de numero Sibyllarum eadem omnium eſt ſententia. *Plato*, qui primus, ni fallor, earum mentionem facit, unam tantum Sibyllam agnoſcere uidetur; quandoquidem in ſingulari ubiuis numero de ea loquitur. *Ariſtoteles* Sibyllas in Plurali nominat. Alii itaque unam tantum admittunt, alii duas, tres, pluresque ſtatuunt. *Varro* a *Lactantio* excitatus, decem recenſet; dicitque primam fuiſſe ex *Perſis*, ſecundam *Libycam*, tertiam *Delphicam*, quartam *Cumaeam* ex Italia, quintam *Erythraeam*, ſextam *Samiam*, ſeptimam *Cumanam*, nomine Amaltheam, eamque nouem libros attuliſſe ad Tarquinium Priſcum, ac pro eis trecentos Philippicos poſtulaſſe, regemque aſpernatum pretii magnitudinem deriſiſſe mulieris inſaniam: illam in conſpectu regis tres combuſſiſſe, ac pro reliquis idem pretium popoſciſſe: Tarquinium multo magis mulierem inſanire putaſſe: hanc uero, denuo tribus aliis combuſtis, idem pretium poſtulaſſe: tandem motum eſſe regem, ut tres reſiduos trecentis aureis emerit. Carminum uero horum numerum longe maiorem collectum fuiſſe, quum, Capitolio refecto, ex omni Graecia et undecunque Sibyllina oracula conquirerentur. Octauam *Helleſponticam*, nonam *Phrygiam*, et decimam *Tiburtem*. *Dionyſius Halicarnaſſeus*, *Plinius* et A. *Gellius* perhibent, anum quampiam fuiſſe, non Sibyllam, quae Tarquinio Superbo, non Priſco, libros Sibyllinos attulerit; quam poſtremam opinionem eruditi plerique

*) Quorum nonnulla fragmenta Grammatici ueteres ſeruarunt.

1) Quos qui cognoſcere uult, adeat *Fabricii* bibliothecam graecam lib. I. c. 29. 30. 31. 32; ubi et editiones recenſentur.

2) Adde alios, qui partem eorum pro iſtis antiquis habent; quos inter *Whiſton* in *Vindicatione ſibyllinorum oraculorum*, anglice ſcripta: qui proëmium, partemque tertii et quinti, quartum uero omnem ipſi omnino probari declarat.

que ſequuntur. Quae autem de earum origine, patria, uariisque nominibus, narrantur, usque adeo incerta ſunt, ut uix fas ſit pluribus iis immorari.

§. 3. *Tarquinius* Priſcus, ſiue, quod uerofimilius eſt, *Superbus*, inde duouiros inſtituit, quos Duumuiros uocant, Sibyllinis libris cuſtodiendis. His autem non licebat illos cuiquam oſtendere; quae lex usque adeo ſeuera erat, ut Tarquinii Superbi tempore *Attilius*, alter ex Duumuiris, quod librorum horum unum *Petronio Sabino* exſcribendum dediſſet, in culeum conſutus, uelut parricida, in mare proiectus fuerit. Duumuiri illi magno Romae in honore fuerunt, Sacerdotio ſimul ornati: Quum quidpiam infortunii calamitatisque impendere uideretur: Libros Sibyllinos adibant, reſponſaque proferebant, quae, oraculorum inſtar, magna cum reuerentia excipiebantur. Libri ipſi in arca lapidea ſeruabantur in templo Iouis Capitolini, loco ſubterraneo. Duumuiri manſerunt usque ad annum urbis conditae 388, quo illis octo Sacerdotes additi ſunt, qui ſimul cuſtodes illorum librorum erant. Hic Decemuirûm numerus usque ad conflagrationem Capitolii permanſit, quod poſt 283. annos accidit, anno ſcilicet ab V. C. 671. ante Chriſtum natum annis 83. Ab illo autem anno pro Decemuiris Quindecimuiri conſtituti ſunt 3). Sibyllae in monumentis raro occurrunt repraeſentatae, uel, ſi occurrant, non ita facile eſt illas internoſcere. Caput Sibyllae in nummo quodam occurrit; eſſe uero hoc caput Sibyllae ex inſcriptione *Sibyll.* apparet. Exhibetur hic nummus *Fig. 3.* Iungimus illi *Fig. 4.* ſtatuam elegantis artificii, quae Verſaliis ſeruatur, uulgo pro Sibylla habita. Manum illa in coelum extendit, alteramque eo geſtu dirigit, ut prorſus uideatur eſſe mulier diuino cultui addicta. Sed nihil impedit, quo minus haec imago ad Bacchantem quoque referri poſſit; quae diuino, ut iactabatur, inſtinctu ad furorem usque agitabantur.

CAPVT VIII.

De Veſtalibus eorumque officio, praerogatiuis et ſupplicio.

§. I.

VESTALES erant uirgines Veſtae ſacrae, quorum originem ipſa urbe Roma antiquiorem eſſe, uel exinde patet, quod Rhea Syluia, Romuli mater, Veſtalis fuiſſe perhibetur. Numa Pompilius, *Plutarcho* teſte, quatuor tantum ab initio Veſtales inſtituit, quibus Tarquinius Priſcus duas adiecit. Ab illo tempore ex lege Papia Pontifex Maximus uirgines deligebat, quae in Veſtalium numerum admitti poterant, ex uiginti ab illo detectis, iactis ſortibus una cooptabatur.

§. 2. Quae capiebantur, (narrat A. *Gellius*), nec ſexenni minores, nec decennes maiores, eſſe debebant: id quoque obſeruabatur, ut quae admitteretur, patrima et matrima eſſet, nec emancipata fuiſſet, nec emancipati filia, nec, uiuo patre, in aui poteſtate. Eae, quarum pater uel mater in ſeruitute fuiſſent, continuo excludebantur, ſimiliterque ortae ex parentibus, uilem aliquam artem profeſſis: quae iam ſororem Veſtalem habebant, excuſabantur. Flaminum quoque Augurum, Quindecimuirûm, Septemuirûm, ſaliorumque filiae non cooptabantur. Etſi uero ſorte, pro more, cooptarentur: tamen, ſi quis uir honeſte natus Pontifici Maximo filiam ſuam offerret in Veſtalem, ea ſecundum legem Papiam ex conſenſu Senatus admittebatur. Nullo uel uiſus, uel aurium, uel corporis alio, uitio, laborare licebat eam, quae reciperetur. Ex populo autem deligebantur, i. e. ex Senatu, et etiam ex plebe; dummodo honeſto loco natae eſſent, et pater earum domicilium in Italia haberet; eorum filiae, qui tres liberos habebant, eximebantur. Auguſti tempore coeptum eſt, contra legem, libertorum filias ad hoc miniſterium admitti; hinc non mirandum, quod liberti ad maiora etiam imperii officia adlecti ſunt.

§. 3. Veſtalium erat, ignem ſacrum conſeruare; ideoque uirgines erant, ut igni cuſtodiendo facilius incumberent. Crines earum tondebantur, et ad pedem arboris, cui nomen lotus, defodiebantur, uel ipſi arbori appendebantur. Per annos triginta ad ſeruandam uirginitatem adigebantur. Ex hiſce triginta annis, decem addiſcendis ſacris, decem iis exercendis, decemque aliis Veſtalibus docendis, tranſigebantur. Transacto hoc tempore, nubere

3) Inde *Auguſtus* hos libros duobus auratis forulis ſub Apollinis Palatini baſi, condidit. *Salmaſ.* ad Solinum p. 75.

nubere illis licebat. Quae prior aliis cooptationis ordine fuit, ceteris praeerat, *Vestalisque Maxima* audiebat.

§. 4. Si quando ignis hic forte extinguebatur, flagellis caedebantur, ignisque denuo certis caerimoniis 4) accendebatur. Putant quidam, Vestales, praeter ignem, alias quoque res sacras atque arcanas, ipsis tantummodo Vestalibus et summo Pontifici cognitas, custodiisse. Huc referunt samothraciae mysteria, Troiam a Dardano allata, et ab Aenea in Italiam denuo relata; alii putant, fuisse Palladium de coelo delapsum, ab Aenea in Italiam comportatum, quod sancte seruarint. Alii duos modios a Vestalibus seruatos dicunt, quorum alter plenus et obsignatus, alter uacuus erat.

§. 5. Permagnae porro Vestalium erant praerogatiuae. 1) Viuente patre, testamentum edere poterant; immo simulac in coetum Vestalium admissae fuerant, et post sextum expletum annum. 2) Eadem ipsis merces dabatur, quae Matribus trium liberorum. 3) Domo egressis lictor praeibat, ut Magistratibus: 4) Si ad mortem damnatum offenderent, supplicio iste liber euadebat; si iurarent illae, casu, non consilio, hoc factum: 5) Si quis uir, uel subtus, lectica, uel in lectica Vestalium se collocaret, morte plectebatur. 6) Pilento et carpento utebantur, quod solis nobiliorum uxoribus concedebatur. 7) Attonsam comam uitta ligabant. 8) Sumtu publico alebantur. 9) In ludis publicis locum honorabilem occupabant. 10) Consules praetoresque uia illis cedebant, si occurrerent; poterant maximas lites consilii auctoritate componere.

§. 6. Seueriores leges erant aduersus eas, quae castitatem uiolarent; si quam in culpam inciderant leuem quidem, sed quae castitatis laesionem secum ferret, flagris tantum caedebantur. Incesti reas uero sic puniebant. Moechos primum capite ad furcam ligato ad necem usque caedebant. Vestalis uero incesti rea, extra urbem, pompa quasi funebri, ducebatur, comitantibus parentibus, cognatis, et amicis, iisque luctum agentibus. Hoc ritu ducebatur ad portam Collinam. Pontifex uero Maximus, expansis ad coelum manibus, preces quasdam fundebat. Tunc Vestalem ex lectica educebat et lictori tradebat, qui illam per scalam in subterraneum cubiculum demittebat, ubi lampas ardens, aqua, oleum et panis appositus erat, ne uideretur, corpus sacrum fame periisse; lectus quoque, quo decumberet, positus erat. Deinde foramen terra obstruebatur, superficiesque superne complanabatur, ut nullum rei gestae signum remaneret 5). Multas Vestalium imagines dedimus Tomo primo, quapropter easdem hic repetete non opus est.

CAPVT IX.

De Saliis, Fecialibus, Patrepatrato, Fratribus Arualibus, Lupercis, Pinariis et Potitiis, nec non Rege Sacrificulo et Septemuiris Epulonum.

§. 1.

SALII Martis Sacerdotes erant. Nomen habent a saltando; quod in caerimoniis suis tripudiabant. Numa Pompilius duodecim instituit. *Dionysio Halicarnasseo* teste, festum eorum mense Martio celebrabatur, idque multis diebus, et sumtibus reipublicae. Saltando procedebant per urbem, per forum, per Capitolium, perque alia loca publica. Variorum colorum uestibus induti, balteoque aereo praecincti; fibulis togas stringebant, quae togae purpurei coloris ornatu circumdecorabantur. Galeros gestabant, seu apices, qui coni instar in altum erigebantur. Singuli gladium habebant, dextraque hastam, seu contum, sinistra uero clypeos *ancilia*. Iidem in aliis quoque Italiae urbibus fuisse dicuntur, antequam Romae instituerentur: quarum urbium exemplo Numam eosdem Romae quoque constituisse uero admodum simile est. Soli autem Patricii collegio ipsorum adscribi poterant, nec a populo, sed Collegii Magistro, deligebantur, et, qui ad hoc officium deligebantur, pueri erant

4) Mos erat tabulam felicis materiae tam diu terebrare, quousque exceptum ignem cribro aeneo in aedem ferret. *Festus.*

5) Supplicii loco nomen *campi scelerati* erat. Diem talem uniuersa ciuitas lugebat. *Theodosii* senioris tempore uidentur sublatae esse. Ceterum de Vestalibus praecipua omnia complexus est *Iustus Lipsius*, in *syntagmate de Vestalibus.*

Bayerische Staatsbibliothek MÜNCHEN

rant patrimi et matrimi, iique admodum iuuenes; quandoquidem Marcum Aurelium iam anno aetatis octauo in hoc collegium receptum eſſe conſtat. Cantibus ſuis, quos Saltantes canebant, ſollemnes et religioſas laudes complectebantur; quae ad deos maxime pertinebant. *Ianum*, *Eanum* celebrabant; *Lucetium* Iouem, aliosque deos. Ianus hic alias etiam *Eanus* dicebatur; praeter Venerem, cuius ne nomen quidem proferre illis licitum erat. Imperatorum aeuo, eorum quoque laudes modulabantur, et quidem non mortuorum tantum, qui apotheoſi digni iudicati eſſent, ſed etiam uiuentium. Poſtquam ſic per totam urbem cantauerant, clypeos, ſiue *Ancilia*, in templum Martis referebant, ibique ſplendide 1) epulabantur. De Ancilibus ſuo loco agetur. Ceterum de Saliis Albae, ſ. Albanis, Antoninianis, Agonalibus, Quirinalibus, Collinis, Pallorianis, Pauonianis etc. paſſim mentio fit: de quibus hic plura commemorare ſuperſedemus 2).

§. 2. FECIALES foederum, pacis, belli et induciarum, Oratores erant, ut *Cicero* deſcribit. Collegium illorum non ex Patriciis, ſed ex nobili tamen genere, cooptabatur. Numa Pompilius primum uiginti Romae conſtituit 3). Et cooptatio primum ab ipſo Collegio fiebat, ſequiori uero tempore a populo. Magna eorum auctoritas erat; ita, ut absque iis nec bellum ſuſciperetur, nec pax iniretur. Quando oratum pergebant, laneo uelo tegebantur, uerbena coronati. Officium eorum erat impedire, quo minus Romani bellum iniuſte inferrent. Pergebant Oratores ad populos, qui foedus uiolarant, aut damnum romanae rei intulerant, ſatisfactionemque rogabant: ſi nollent, bellum indicebant. Si contra illi a Romanis ſe laeſos oſtenderent, in eorum manus iniuriae auctores tradebant: de illatis enim utrimque iniuriis illi iudicabant. Si pax contra leges inita deprehenderetur, eam illi nullam eſſe declarabant. Si Dux exercitus contra foedera quidpiam, uel contra Ius gentium, egerat, ſatisfaciebant illi, facinusque expiabant. Quando bellum indicendum erat, Feciales per ſuffragia aliquem e ſodalitio eligebant; is ueſte Fecialibus propria indutus, ad eam, quae pacem aut foedera uiolaſſet, urbem proficiſcebatur. Quumque ad urbis illius confinia peruenerat, Iouem ceterosque Deos teſtes inuocabat, ſe Romanorum nomine ad iniuriae ſatisfactionem poſtulandam proficiſci; Romae et ſibi imprecabatur, ſi uera non diceret, ſicque in urbis agro pergebat. Si quem offenderet ciuem aut uiatorem, eadem, quae prius, imprecabatur: ad portam urbis, quum perueniret, ea ipſa denuo repetebat. Hinc ad medium urbis forum concedebat, ac Magiſtratibus ciuibusque inſignioribus aduentus ſui cauſſam nunciabat, iisdem additis imprecationibus iuramentisque, quae prius pronunciauerat. Si Magiſtratus deliberandi tempus poſtularent, decem ille dies concedebat; ipſisque rogantibus decem alios, itemque decem tertium, addebat. Si, poſt elapſos triginta dies, Romanis illi ſatisfactionem non darent, inuocatis Diis ſuperis Manibusque, diſcedebat, dicens, hac de re Senatum populumque Romanum deliberaturum eſſe. Romam reuerſus, coram Fecialibus omnibus, Senatui denunciabat, ſe ſociosque Feciales, quicquid legibus ſacris praeciperetur, praeſtitiſſe; iam, ſi uellet Senatus bellum indicere, nulla religione coërceri. *Cincius*, (excitat *A. Gellius* XVI, 4.) *in libro tertio de re militari, Fecialem populi Romani bellum indicentem hoſtibus, telumque in agrum eorum iacientem, his uerbis uti ſcripſit* 4), *quod populus Hermundulus, hominesque populi Hermunduli, aduerſus populum Romanum bellum fecere deliqueruntque, quodque populus Romanus cum populo Hermundulo bellum iuſſit, ob eam rem ego populusque Romanus populo Hermundulo, hominibusque Hermundulis, bellum indico facioque.* Hermundulorum nomen hic quamlibet nationem indicat.

§. 3. PATERPATRATVS Fecialium maximus erat, de quo *Plutarchus*, in quaeſtionibus Romanis 5). *Cur inter Feciales maximus eſt is, quem Patrempatratum uocant? eſt autem qui, uiuo patre ſuo, liberos habet: atque etiam num praerogatiuam et fidem quandam retinet. Praetores enim Corpora, quae ob formam aetatisque florem cuſtodia opus habent, eorum fidei commendant. An quia et filiorum reuerentiam habent, et patrum timorem ſeruant; an quia ipſum nomen cauſam explicat: eſt enim patratus quaſi perfectus et abſolutus, quaſi perfectior aliis ſit, qui, patre uiuo, ipſe pater effectus ſit; aut iuramentorum et pacis Praeſidem oportet, ſecundum* HOMERVM, *ſimul ante et retro reſpicere; id uero maxime praeſtare potuit,*

1) Inde opima coena, *ſaliaris* dici, conſueuit.

2) Plura de *Saliis* docet *Gutberlethus* in peculiari libello, Franequerae excuſo, in 8. qui etiam fragmenta quaedam *Carminum Saliarium* collegit.

3) Vide *Plutarch.* in Numa, et *Dionyſium Halic.* lib. 2. c. 73. ſeq.

4) Vide formulam Fecialis in *Liuio*, lib. I. c. 32. *Feſtus* et *Nonius* a *faciendo* pacem et bellum; *Varro* peius a *fide*, deriuat. *Melius* a φητης, orator.

5) Add. *Liuium* lib. 1, c. 24. *Seruium* in lib. 9. Aeneid.

potuit, qui filium habet, de quo consulat et patrem, qui cum deliberet? Hic autem fuisse uidetur, qui Collegii sui suffragiis delectus, foederum et pacis Orator erat, ceteraque iam dicta munia praestabat, foederumque uiolatores hostibus tradebat.

§. 4. FRATRES ARVALES quoque genus quoddam Sacerdotum erant, qui pro agrorum fertilitate sacrificabant, agri enim *arua* etiam latine dicuntur, unde Arualium nomen. Horum origo haec erat 6). Acca Larentia ex duodecim filiis unum morte amisit; in locum illius Romulus sese filium dedit, seque et ceteros eius filios Fratres Aruales appellauit: ex quo tempore collegium duodecim fratrum Arualium mansit, quorum insigne erat corona spicea, et albae infulae.

§. 5. LVPERCI, Romanorum Sacerdotum antiquissimi, ab Euandro, Arcadiae Rege, instituti sunt, in honorem Panis Lycaei Dei, cuius mysteria celebrabant. Romae in monte Palatino sunt instituti (locus Pani sacer, *Lupercal* dictus). In Lupercalibus autem festis, nudi, pelle tantum caprina praecincti, per urbem discurrebant, scuticisque obuios quosque caedebant, praecipueque mulieres, quae se sponte ictibus offerebant; putantes, ictus eiusmodi praegnantibus partum felicem, aliis uero faecundidatem, procurare. Tres erant sodalitates, Fabiana, Quintiliana et Iuliana 7). Genus autem hoc Sacerdotii parum honorabile Romae fuisse uidetur, eo, quod *Cicero* illud uocat *sodalitatem pastoritiam et agrestem.*

§. 6. PINARII et POTITII Romae Herculis Sacerdotes erant, quorum institutio ex fabula sequenti originem traxisse fertur. Pinarius Potitiusque duo senes erant, quibus Hercules apud Regem Euandrum ostendit, quo pacto se coli uellet, scilicet ut mane et uespere sibi sacrificaretur. Perfecto itaque primo matutino Sacrificio, quum circa solis occasum sacra essent repetenda: Potitius prior aduenit, Pinarius autem, extis iam comesis; qua re indignatus Hercules statuit, ut Pinariorum familia tantum ministra esset Potitiis epulantibus, et sacra complentibus 8). Desiit hoc Sacerdotium A. V. C. 461. Pinarii nomen deriuant ἀπὸ τῆς πείνης, a fame, quod tarde ad coenam uenisset. Verosimilius utrumque nomen a bibendo deriuatur, Pinarium quidem ἀπὸ τοῦ πίνειν, a *bibere*; Potitium uero, a *potu*.

§. 7. REX SACRIFICVLVS 9) Romae constitutus fuit, quoniam Reges, inquit *Dionysius Halicarnasseus*, multorum magnorumque bonorum reipublicae auctores fuisse uidebantur, propterea, ut, quantum urbs staret, regii imperii nomen conseruaretur, praeceperunt, ut Pontifices et augures designarent aliquem ex senioribus quam maxime idoneum, qui, propter cultus diuini curam, nulli alii muneri praeesset. Statutum tamen fuit, Pontifici Maximo subesset, ne Regis nomen libertati publicae suspectum esset. Si quempiam porro ille magistratum gereret, illum ante inaugurationem deponere tenebatur. Alias etiam *Rex sacrorum* uocabatur, eiusque uxor *Regina sacrorum. Macrobius* hunc Regem sacrificulum *Pontificem minorem* uocat, aitque, ipsum Iunoni in Curia Calabra sacrificasse, eiusque uxorem Reginam sacrorum in aede Iunonis porcum uel agnum mactasse.

§. 8. Denique notandum, quod SEPTEMVIRI EPVLONVM, quorum passim mentio fit, festis solennitatibusque, item et sacrificiis ludorum, praefuerint, epulasque solennes apparauerint. A Numa tres numero instituti fuerant; post plures alii additi sunt. Horum munus atque officium erat diem assignare, quo conuiuia in honorem Deorum, Iouis scilicet aliorumque, celebrarentur, curareque, nihil ut deesset epulis; munera item colligere a quibuslibet ad celebrationem conuiuiorum sacrorum pio motu oblata, nec non heredes eorum, qui per testamentum dona eiusmodi offerrent, actione etiam ad soluendum compellere.

CAPVT X.

De Vestibus Sacerdotum.

§. 1.

Haetenus de Sacerdotibus, iam de cultu uestituque eorum agendum. Verum, quia ii ipsi infra in sacrificiorum schematibus saepius occurrent, paucos hic repraesentabimus. Initium

6) Vid. *Gellium* lib. 6, c. 7. *Plinium* lib. 18, c. 2.

7) Vid. pluribus *Ouid.* lib. 2. *Fastorum*, v. 377. seqq. *Suetonium* et *Plutarchum* in uita *Caesaris.*

8) Vid. *Liuium* lib. 1, c. 7. *Macrob. Saturnal.* lib. 1. et 3. *Potitium* alii a *potiendo* deriuant.

9) Vid. *Gellium* lib. 10, c. 15. *Dionys. Halic.* lib. 5. *Liu.* lib. 1, c. 60.

tium facimus ab *Albogalero*, quo Flamines Diales caput ſuum tegebant, quosue ſemper geſtabant, nec, niſi domi, deponere poterant. Ex *alba* autem ille uictima, ſ. ex pelle albae uictimae, confectus erat, in eiusque uertice acumen, ſeu ſurculus, eminebat, quem *Tab. XLIII. Fig. 5.* proferimus, Albogalerus Iouis fulmine ornatur, quod Flamen Dialis huius Sacerdos erat. Galerum ſequentem (*Fig: 6.*) *Cauceus* Apicem eſſe autumat, quo Flamines et Salii utebantur, et quem, ne decideret, ſub mento duabus uittis conſtringebant. *Sulpitio* enim, *Valerio Maximo* referente, Sacerdotium ideo abrogatum fuit, quod ſacrificanti apex de capite decideret. *Seruius* ad *Virgilii* Aen. 10, 270, Apicem illum uirgam fuiſſe dicit, lana opertam, et apice Flaminum filo connexam; indeque Flamines ipſos nomen ſortitos, quaſi dicas *Filamines*; quod tamen non ſatis certum. Hic autem apex in nummis paſſim apparet, et antiquariis nonnullis Albogalerus uocatur, ut prior iſte.

§. 2. Totam Sacerdotis ſtaturam, cuius ſchema ex theſauro Regis Boruſſiae eductum eſt, uidemus *Fig. 7.* Togae parte hic caput tegit, quod Sacerdotibus ideo uſitatum fuit, ne iis, quae ab utraque parte in conſpectum uenire poterant, inter ſacrificandum forte perturbarentur; non uelatos tamen Sacerdotes paſſim quoque uidere licet; dextra manu hic Sacerdos ſimpulum tenet, quod uaſculum cochleari admodum ſimile erat; altera manu aliud quid forte tenebat, uerum pars Brachii ſiniſtri cum manu delapſa eſt. Alias quidem Sacerdotes, quum ſacrificabant, pateram plerumque dextra tenebant, ex qua uinum, effundebant in aram. *Salius*, quem *Fig. 8.* repraeſentamus, ex marmore Romano prodiit, ubi magno comitante coetu uiſitur. Galerum geſtat, qui Apex uocabatur, isque ſub mento colligatus eſt: Baculum dextra tenet, quid ſiniſtra, diſcernere non licet; utrum balteo quoque aeneo, ſecundum deſcriptionem *Dionyſii* ſupra datam, cinctus ſit, hic perſpici nequit, quod toga cingulum tegit. Qui *Fig. 9.* ſequitur Sacrificulus, lauro coronatus dextra pateram tenet, quam ſacrificando uertit et effundit, ſiniſtra cornu copiae; tunica illius a cingulo ſuccincta eſt, ne infra genu defluat.

§. 3. Sacerdotum feminarum ueſtes ex ſolis marmoribus dignoſcimus, quod *Fig. 10.* ſchema proferimus ex celeberrimi *Sponii Miſc.* p. 150. eductum, idque Cybeles Sacerdotem refert; id quod ex inſcriptione, qua Laberia Felcila Sacerdos maxima Matris Deum Magnae Idaeae dicitur, ſatis manifeſtum eſt. Sacrificantium more caput illa uelo coopertum habet, quod ad mediam usque toxam defluit: manu dextra pateram tenet, altera encarpum utrinque dependentem, quales encarpi etiam a collo illius ſuſpenſi uiſuntur; pectori caput impendet.

§. 4. Qui *Fig. 11.* ſequitur Sacerdos, altera manu pateram tenet, alteram ritu precantis tendit. Mulier *Fig. 12.* ſacrificare, Deosque placare uolens, uas cum operculo tenet. Alia *Fig. 13.* item pateram tenet, nihilque praeterea praefert obſeruandum. Sequentes imagines tres *Fig. 14. 15.* et *Tab. XLIV. Fig. 1.* ex muſeo *Kircheri* eductas proferimus, in quibus nil ſingulare occurrit; omnes fere ſupplices ad numina placanda manus tendunt, *Fig. 15.* digitum indicem coelum uerſus tendit. Quem *Fig. 2.* exhibemus, Sacerdos Brixianus eſt. Capite ille uelatus eſt, et coelum adſpicere uidetur; altera manu flores tenet et folia; ueſtis, amplas habens manicas, tunica uidetur eſſe, ſed Gallorum potius, quam Romanis tunicis ſimilis: Calcei quoque ad Gallicos forma accedunt. Schema ſequens *Fig. 3.* Verſalianum, Sacerdotis ſpeciem prae ſe ferre uidetur. Lauro coronatus eſt, quo ſacrificium poſt uictoriam, uel proſperum alium euentum, ſignificari uidetur. Baculum praecipientis more tenet, nudus pedibus, ſeminudoque corpore; id quod alibi in Sacerdotibus obſeruatur. Non ſine ſcrupulo figuram ſequentem Verſalianam *Fig. 4.* pro Sacerdote uel Sacrificulo damus. Vas magnum, ad pedes eius poſitum, haud dubie effecit, ut pro Sacerdote haberetur. Comam habet muliebri modo concinnatam, ſed ſinus eſt uiri: digito quidpiam oſtendere uidetur: nullum certum ſignum eſt, quod Sacerdotem eſſe ſuadeat. Vsque adeo ſimilis eſt alteri *Fig. 5.* qui in Capitolio Romano uiſitur, ut capilli ad muliebris comae formam concinnati, tunica perinde longa lataque, calceamentorumque ſimplicitas utrobique quam maxime conſpirent; Romanus tamen uas magnum illud non habet, quod Verſalianus.

Tab. XLIV.

§. 5. Quae *Fig. 6.* ſequitur Sacerdos mulier, a celeb. Equite *Maffeio* pro Bacchi Sacerdote ſ. Maenade habetur. Eſt autem uetula admodum annoſa, neglecto capitis ornatu, rugis ad axillas usque foeda; coelum reſpicit, tamquam quae mentis expers ſit; uas magnum tenet pampinis, corymbisque opertum, queis bacchans mulier eſſe deprehenditur; uas porro illud flammas emittit, id quod apprime conuenit cum uerbis *Apuleii*, qui Metam. l. XI.

de



1. Sacerdos manus supplex tendens. 2. Sacerdos Brixianus. 3. 4. 5. Sacerdotes vel Sacrificuli. 6. Sacerdos mulier Bacchi. 5. Mœnas. 7. Sacerdos Bacchi. 8. Ichnographia Panthei magni rotundi, Romæ exstructi. 9. Pantheum Minervæ Medicæ. 10. Ichnographia Panthei Nemausensis. 11. Facies interna eiusdem Panthei.

de lucerna, quam primus in pompa Isidis Sacerdos gestabat, loquens dicit: *Lucernam promicantem claro porrigebat lumine, non adeo nostris consimilem, quae uespertinas illuminant epulas, sed aureum cymbium medio sui patore flammulam suscitans largiorem;* quod autem mireris, manu dextra anus tubum illum, unde emittitur flamma, complectitur: fraude quadam haud dubie usa. Bacchantes enim illae, s. Maenades secretis eiusmodi artibus plebem in stuporem agebant. Testes huius rei Romanae Bacchantes sunt, quae ceu furore actae currebant, ardentesque faces in Tiberim mergebant, quae tamen non extinguebantur. Aliae serpentes adeo tractabiles reddebant, ut manibus complecterentur, et in sinu deponerent. Bacchanti huic mulieri aliud iungimus Schema *Fig. 7.* quo Bacchi Sacerdos exhiberi creditur. Vir ille barbatus est, pampinis et uuis coronatus; tunicam gestat, grandiore alio uestimento opertam; qui ipsum amplectitur puer, aut filius eius est, aut eius apud Deos patrocinium implorat, quem manu quasi consolatur.

LIBER SECVNDVS. DE TEMPLIS.

Capvt I.

De Templorum origine, uariis nominibus, partibus atque loco.

§. 1.

De templorum origine uarie disputatur. Si *Herodoto* in Euterpe fidem habemus, Aegyptii primi non aras tantum et statuas erexerunt, sed et templa. Hoc uero demum post tempora Mosis factum esse, uel exinde patet, quod antiquissimus hic Historicus nullam unquam templorum mentionem facit; licet non una illa commemorandi occasio sese ipsi obtulerit 1). Cum *Herodoto* conspirat *Lucianus*, qui sub initium tractatus de Dea Syria, Aegyptios primum templa erexisse, eumque morem ab Aegyptiis ad Assyrios tansiisse dicit. Verum incerta haec omnia sunt. Si quid in rebus tam remotae antiquitatis certo affirmandum sit, ex sacra potissimum Scriptura hauriendum est. In hac autem, quod primum commemoratur, *Tabernaculum* est, iussu diuino constructum, quod templum erat mobile siue portatile, cuius locus secretior sacratiorque *Sanctum Sanctorum* appellabatur; qualia in profanorum templis adyta fuere. An alibi templa fuerint ante constructionem tabernaculi, certo dici non potest; sed iam ante fundatum templum Hierosolymitanum nonnulla passim fuisse extructa, extra dubium positum est. Sunt, qui templorum originem ex sepulchris deriuant, eo quod haec templorum nomine nonnumquam insignita occurrant: Sed et hoc incertum. Primum profanorum templum, cuius quidem in Sacra Scriptura mentio fit, *Dagonis* erat Philistaeorum numinis, cuius statua humanae formae fuit. Graecos, quos a Phoenicibus multa accepisse constat, construendorum quoque templorum morem ab illis edoctos fuisse, uero admodum simile est; nec dubitandum, Romanos & Deorum cultum et templorum formam a Graecis deriuasse. Inter Graecos Deucalion, inter Latinos uero Ianus primum templa posuisse narratur. Nonnulli hoc Fauno tribuunt, ab eoque templa *fana* quoque dicta fuisse perhibent.

§. 2. Praeter *templorum* nomen uoces Latinas *fanum*, *sacrarium*, *aedes*, *delubrum*, in designandis aedificiis sacris alias adhiberi notum est; quae denominationes, ratione amplitudinis, quam designant, differre uidentur. Quanquam saepius sine discrimine, pro templis, usurpata fuere. *Templi* tamen nomen ad indicanda aedificia, in quibus numen aliquod colitur, omnium frequentissimum est. Priscis temporibus *Fanum* pro area tantum, siue loco templi Diis consecrati, habebatur, in quo templum deinde construebatur. Postea fanum idem erat, ac templum ipsum; sed paruum potius, quam magnum significasse uidetur.

1) Arae certe saepius in Genesi iam exstat mentio; nec alienum a specie ueri sit, *Labanem* suis *teraphim* locum priuatum et iis sacrum destinasse.

tur. Nomen *Sacrarii* pro priuati cuiusque hominis aedicula ſacra habebatur: quo ſenſu etiam a *Cicerone* uſurpatur; nihilo tamen minus aedificia quoque publica eodem nomine inſigniebantur. Diſcrimen inter aedem ſacram et templum, teſte *Varrone* apud *Gellium*, hoc erat, quod templa ab auguribus conſtruerentur. *Delubrum* inter et templum hanc diſtinctionem ſtatuit *Aſconius* in *Ciceronem*: *Sunt, qui templa, ſingulorum Diis attributorum locorum, delubra multarum aedium ſub uno tecto a diluuio pluuiae munitarum. Alii delubra dicunt ea templa, in quibus ſunt labra corporum abluendorum mortuorum, ut Dodonaei Iouis, aut Apollinis Delphici, in quorum delubris lebetes tripodesque uiſuntur.*

§. 3. Augures templum uocabant certum definitumque aëris & terrae ſpatium, quod lituo ſeu augurali uirga deſignabant. Hoc uero ſpatium aut defixis palis, aut extenſis telis, terminabant, ne quisquam id ingredi poſſet.

§. 4. Plures porro *partes* templa habebant: aream ſcilicet, quam quidam ueſtibulum eſſe cenſent. Id quod ναός, aut templum, uocabatur, eratque fere nauis, ut uocant, hodiernarum eccleſiarum, et pars templi ſacratior, quo uel reſpicere, uel ingredi, populo non licebat. His locus etiam *penetrale* et *ſacrarium* appellabatur. In quibusdam templis poſt aditum, locus erat remotior, cui nomen ὀπισθόδομος, quaſi dicas: *aedes retro poſita.* Gradibus aſcendebatur ad templum, qui ſaepiſſime totum templum ambiebant; idque praecipue in iis templis, quæ uel diptera, uel pſeudodiptera, uocabantur, et undique columnis et porticibus muniebantur.

§. 5. De *loco* templorum, ſi quaeritur, notum eſt, quod multa in uertice montium et collium conſtructa fuerunt, quo per longum graduum ordinem adſcendebatur. Talis adſcenſus erat ad templum Iouis Capitolini Romae, quod per accliue perque centum gradus adibatur. In templorum quorundam ingreſſu piſcinae habebantur, quas *Theodoretus* Hiſt. Eccleſ. Lib. 3. περιῤῥαντήρια uocat, quibus aeditui templorum utebantur, ut aſperſa aqua templum adeuntes expiarent. Porticus quoque, uti iam dictum, templa habebant; e. c. Templum Dianae Epheſi, ubi longiſſima porticus uiſebatur.

Caput II.

De Templorum uariis figuris, et ſitu illorum uerſus orientem, nec non Pantheis quibusdam.

§. I.

Figura templorum plerumque aut perfecte quadrata, aut, quod ſaepius obſeruatur, quadrata et oblonga fuit; rotunda etiam non infrequenter occurrunt, hodieque nonnulla huiusmodi Romae ſuperſunt, ut e. c. Rotunda ſ. Pantheon Agrippae, Pantheon item Mineruae Medicae, et parua Eccleſiae S. Stephani ad Tiberim, quam nonnulli, et quidem ueriſimiliter, pro templo Veſtae habent; quod in ea ipſa urbis regione poſitum fuiſſe ii perhibent auctores, qui urbem Romam deſcripſerunt. Aliquot etiam rotunda templa uiſuntur apud Puteolos. Romae medio Saeculo XVI. templi cuiusdam formae ouatae ueſtigia detecta ſunt. Multa quoque in Graecia templa erant duplicia: e. c. Diradienſe, cuius, *Pauſania* teſte, portae altera orientem ſolem, occidentem altera ſpectabat; ac per primam quidem in Veneris, per ſecundam uero in Martis templum, intrabatur. Idem Auctor templi Eleorum, quod priori illi ſimile dicit, mentionem facit lib. VI. c. 20. cuius in altera parte colebatur Lucina, cui cognomen Olympiae erat, Sacerdosque addita, cuius annuo ſpatio finitum id muneris erat. Altera Soſipolis, Eleorum tutelaris Deus, diuinis honoribus celebrabatur, cujus Sacerdos et ipſa anus caſtitati ſeruandae addicta fuit. Aliud Mantineae templum erat, muro bifariam diuiſum, ut alteram Aeſculapius, alteram Latona et filii eiusdem tenerent aedis partem. Videtur autem id ferme conſuetudine receptum fuiſſe, ut ſicubi duorum numinum templa communi iniuncta parieti eſſent, per aduerſa utrimque latera portae locarentur, quo facilius alterum ab altero diſtingueretur. *Prope Mantineam*, (idem narrat *Pauſanias* l. VIII. c. 10.) *templum erat Neptuni equeſtris antiquiſſimum, et quod nemo ingrediebatur.* Hadrianus deinde Auguſtus aliud templum circa conſtruxit, in quo uetuſtum illud contineretur; quemadmodum hodieque illam aediculam, quam *Portiunculam* dicunt, intra ſe concludit maior alia Eccleſia.

Ecclesia. Fama erat, Agamedem, aut Trophonium, uetus illud templum struxisse, quernis trabibus inter se arcte compactis; aditu autem homines, non alio, praeter laneum funiculum, obice prohibuisse; seu, quod uigente tum religione satis id esse putarint, ad arcendos eos, qui Deorum metu tenebantur; siue quod funiculo illi occultam aliquam inesse uim, creditum fuit. Narrabatur porro, Aegyptum, Hippothoi filium, quum funiculum neque subiisset, neque transiliisset, sed conscidisset, ubi primum templum intrasset, sacra uiolata religione, excaecatum fuisse, incidente in illum aquae marinae fluctu. *Philostratus* (de uita Apollonii Tyonaei l. VIII. c. 4.) templum Nympharum commemorat proxime Puteolos, candidis structum lapidibus: in cuius medio fons erat aquis semper plenus, qui, quantumcunque hauriretur aquae, numquam tamen deficiebat; illud uero sine miraculo fieri posse, nemo nescit.

§. 2. Multa Romae et in Graecia templa porticibus ornabantur, quae, quod quasi alas circum habebant, *Periptera*, uocabantur. Haec autem Periptera duplicis generis erant, nempe *Diptera*, et *Pseudodiptera* 1). *Diptera* alas binas, aut binos columnarum ordines, habebant a lateribus; alae uero tantundem latitudinis habebant, quantum intercolumnia. *Pseudodiptera* ab Hermogene inuenta sunt; hic enim, ut porticum et ambulandi spatium latiora praeberet, ordinem columnarum interiorem sustulit, & exteriorem tantum reliquit. Alia quaedam templa alis destituta, columnas media solum sui parte prominentes habebant. Templa alia multa, licet nullas columnas a lateribus, in frontispicio tamen habebant; & uocabatur ναὸς πρόστυλος, i. e. quod columnas in frontispicio haberet. Alia non columnas, sed parastatas tantum prae se ferebant. Alia, duo quasi frontispicia in duabus portibus oppositis et auersis habebant; et ita *Amphiprostylos* uocabatur. Quaedam templa ueterum *Hypaethra* 2) dicebantur, quae extrinsecus duos columnarum ordines habebant, intrinsecus totidem, utrosque circum undique positos; media area sub dio erat, more peristyliorum monasticorum. Pauca uero eius generis templa fuisse uidentur; unum tantum *Vitruuius* commemorat, templum Iouis Olympii Athenis.

§. 3. In templis, quae hodie supersunt intercolumniorum diuersitas a *Vitruuio* commemorata, obseruatur. Genus, quod dicitur *Pycnostylos*, cuius intercolumnium erat unius & dimidiae diametri, aeuo *Vitruuium* subsequente usitatius fuisse uidetur, quam ante. Duo tantum huiusmodi templa illius tempore Romae reperiebantur: nempe templum Iulii Caesaris prope lacum Curtium, templumque Veneris in foro Caesaris. Hodie non pauca istius formae tum in Romanis monumentis, tum in Romae ichnographia ueteri per *Bellorium* publicata, occurrunt. *Vitruuius* (lib. III. c. 3.) eiusmodi intercolumnia minus commoda existimat; quia non sat spatii inter columnas manebat, et quia matronas quae complexis brachiis, s. ut ille ait, *amplexae*, templum adibant, *ordines facere* s. separari oportebat; itemque ambulatio angustior remaneret, et columnae propius, quam par esset, positae, porticuum aspectum occultarent. Quod genus *Systylos* uocabatur, duorum diametrorum intercolumnio constabat, quod spatium *Vitruuio* item angustius uidetur. At tam πρόστυλοι, quam σύστυλοι commodiores euadebant, quando columnae altae densaeque erant, quumque spatium unius et dimidiae diametri, et adhuc magis duarum diametrorum, sat amplum esset. Multa, ut uero simile est, inter Romana rudera et monumenta reperiuntur ex eo genere, quod Pycnostylos dicebatur. Quod *Vitruuio* maxime probatur illud intercolumnium est, quod *Eustylos* uocabatur, cuius spatium duas diametros et quartam diametri partem exaequabat. Quod attinet ad illud, quod *Diastylos* uocabatur, cuius intercolumnia trium diametrorum erant, hoc *Vitruuio* non sat firmum et solidum uidetur; quod ob nimium spatium intermedium coronides nonnumquam rumpantur. Illud, quod *Araeostylos* appellabatur, cui plures etiam diametri erant in intercolumnio, trabibus solum fulciendis aptum erat.

§. 4. Statuae Deorum, quibus templa consecrata fuerunt, occidentem respiciebant, ut, qui precatum accedebant, orientem respicerent, ad eamque uersi partem sacrificarent, ipsaque simulacra uiderentur exoriente contueri supplicantes et sacrificantes. Portae itaque templorum uersus occidentem positae erant. Verum haec posteriori tempore non obseruata fuisse uidentur, ut in templis, quae hodieque supersunt cernere est. Imo *Vitruuius* ipse testatur, quod, si natura loci interpellauerit, constitutiones earum aedium conuertendae sint, uti quamplurima pars moenium e templis Deorum conspiciatur. Item, si secundum flumina aedes sacrae fiant, ut in Aegypto circa Nilum, ad ripas fluminis uidentur spectare

 debere:

1) Vid. *Vitruuium* lib. 3. c. 1. et 2.; & *Baldi* Lexicon Vitruuii.

2) *Ioui, Soli, Lunae, Coelo,* destinata; notissimum etiam *Termino* Deo, et *Fidio,* sub diuo sacra facta esse.

debere: Similiter, ſi ad uias 3) publicas erunt aedificia Deorum, ita conſtituantur, uti praetereuntes poſſint reſpicere et in conſpectu ſalutationes facere.

§. 5. In aditu templorum, nomina Deorum, quibus ſacra erant, deſcripta erant 4). Quamuis autem eiusmodi templa Deo cuipiam dedicata eſſent: non raro tamen in iisdem templis ſacraria quaedam et cellae aderant, aliis Diis deſtinata. A *Diodoro Siculo* huiusmodi ſacrario ſeu cellae σηκος 5) nomen inditum eſt; qualis erat Iſidis in templo Vulcani. Alibi quoque memorantur templa, quae praeter ſtatuas Deorum, quibus praecipue ſacra fuerunt, alia quoque uariorum numinum ſimulacra habebant 6). Verum maior fuiſſe uidetur numerus eiusmodi ſtatuarum in templis, quae Panthea uocabantur.

§. 6. De *Pantheis* 7) uero, quum hic mentio facta ſit, haud alienum erit ſimul notare, quod hoc nomine illa templa uenerint, quae uel omnibus, uel maioribus plerisque Diis, ſacrata fuere. In his autem prae caeteris eminere uidentur *Pantheon* illud *Romanum*, quod uulgo *Rotundum* appellatur, quod, ut uulgaris fert opinio, ab Agrippa ſeu conſtructum, ſeu inſtauratum, et porticu ornatum eſt; et adhuc hodie integrum conſpicitur. Lux in eo ſuperne per magnum foramen in fornicis medio conſtitutum intrat; in interiori templi circuitu ſex magnae apſides ſunt, totidem Deorum ſtatuis collocandis forte deſtinatae. Porticus ante templum ipſo templo ſpectabilior eſt; ſedecim enim columnis conſtat, quarum ſingulae ex uno lapide marmoreo granito caeſae ſunt; ſingulae quinque fere pedum diametrum habent, altitudo pro hac ratione eſt pedum plus quam triginta ſeptem, demta baſi et capitello. Ex ſedecim hiſce columnis octo totam extimam faciem occupant, octo autem retro poſitae ſunt; quibus conſtituitur porticus. Fundamentum totum Panthei ſolidum eſſe quidam putarunt, et fundamenti maſſam non modo ſubtus totum omnino aedificium, ſed etiam extra muros circumquoque extendi; quadraturasque fornicis laminis argenteis ornatas fuiſſe, et adhuc earum quaedam ueſtigia ſupereſſe. Quod non eſt incredibile, quando fornix totius templi inaurato aere opertus fuit, quod aes olim ab Imperatore Conſtantino III. ſublatum eſt. Trabes etiam aeneae aderant, quibus Vrbanus VIII. uſus eſt, ut ingentem illam, quam *Baldackinum* uocant, machinam conflaret, ac praeterea magna tormenta bellica in Sancti Angeli arce collocanda funderet. Eugenii IV. tempore, quum terram ante Pantheon effoderent, Leo magnus ex lapide baſalto, una cum magno labro porphyretico inuentus dicitur. Paullo poſt etiam alius Leo alteri ſimilis effoſſus eſt, amboque ad fontem Sixti V. ubi hodieque conſpiciuntur, poſiti ſunt; labrum uero ante Panthei porticum collocatum eſt. Eodem fere tempore pars capitis Agrippae aenea reperta eſt, pes item equi et pars rotae aeneae, ex quo haud male colligitur, ſuper porticu Agrippam quadrigis triumphalibus aeneis uectum repraeſentatum fuiſſe. *Tab. XLIV. Fig. 8.* Ichnographiam huius Panthei damus, qualem *Serlius* 8), uir inter architectonices peritiſſimos numerandus, exhibet,
Tab. XLV. & *Tab. XLV. Fig. 1.* eiusdem Orthographiam, ut olim *Lafrerius* ſculptor edidit.

§. 7. Huic aliud Pantheon ſubiungimus, quod etiamnum Romae extat, et pro Pantheo *Mineruae Medicae* uulgo habetur, id quod in Theatro Italico pluribus argumentis comprobaui. Medicinae Deam proprie Hygieam eſſe conſtat; uerum, uti iam ſupra aliquoties monuimus, Dii ſymbola ſua ſibi mutuo dabant. Pantheum hoc intrinſecus decagonum eſt, denique anguli apprime diſtinguuntur, ab uno angulo ad alium uiginti duo pedes regii ſunt cum dimidio; inter angulos aſpides rotundae ſunt, quarum Ichnographia non ad dimidium circuli pertingit; et ſic foras etiam terminatur templi ambitus; id quod ex *Tab. XLIV. Fig. 9.* diſtinctius intelligitur. In area Ichnographiae Mineruae ſchema poſuimus, medicinae ſymbolo inſtructae, quale protulit uir eruditus *Cauſeus* in libro 9), *Gemmae antiquae.* Etſi autem decem anguli totidemque latera ſint, nouem tantum apſidulae conſpiciuntur, quod in

3) De templis, fanis et ſacellis ad uias extra urbem Romam, uid. *Bergierius*, lib. 2. c. 33. cuius libri V. de publicis et militaribus Imperii uiis, auctiores latine in *Graeuii* theſauro tomo 10. exſtant.

4) Ea de re *Salmaſius* pluribus ad Aram Doſiodae et Herodis Attici 1619. 4. Pariſ.


5) *Pollux* lib. 1. c. 1. 2. σηκος et τεμενος dici, de ipſo loco, ubi Dii collocati, notat; alios σηκον Heroibus proprium facere. Heſychius: σηκος, ενδοτερος τοπος του ιερου.

6) Dii συνναοι, συνοικεται, ut, qui ſimul aram eandem, συμβωμοι, ita et συνεδροι, παρεδροι;

7) De Pantheo, quod *Ioui* ultori *Agrippa*, Auguſti gener, fecit, uid. *Lipſium* de Magnitud. rom. lib. 3. c. 6. Hodie *Maria Rotunda.* Verboſius olim deſcripſit ob inſignem architecturam Ludouicus *Demonteſius* in libro, Gallus hoſpes in urbe. Alii Pantheon a forma totunda dictum putant, quae coelum referat, alii templum Matris Deorum fuiſſe putarunt.

8) Ad eum iam *Lipſius* relegarat.

9) Romae 1700. 4.



1. Orthographia Panthei Magni Romani, cuius Ichnographia Tabula præcedente conspicitur. 2. Templum Iani. 3. Aliud templum eiusdem Iani. 4. Templum Iovis Optimi Maximi. 5. Templum Iovis Ultoris. 6. Templum Iovis Olympii.

in una laterum porta erat, et ingressus in templum. Certum uidetur, unamquamque apsidulam suum habuisse certi numinis simulacrum, et Mineruam Medicam in apsidula ostio opposita sedem habuisse.

§. 8. *Nemausiense* quoque templum, quod pro Dianae templo a quibusdam habetur, Pantheon fuisse uidetur. Duodecim in illo apsidulae erant, quorum sex altero templi latere adhuc supersunt. Vero autem simile est, templum hoc duodecim Diis maioribus consecratum fuisse; quandoquidem a Scriptore ueteri, qui *Athanasii* nomen ementitus est, δωδεκάθεον, seu templum duodecim Deorum, appellatur. Huius Panthei schema damus *Fig. 10. et 11.* quarum prior Ichnographiam, posterior uero interiorem templi conspectum ex una parte offert, quam Illustrissimus Nemausiensium Episcopus *Flechier* accurate delineari curauit.

Caput III.

De ornamentis et diuitiis templorum, eorundemque consecratione et iure asyli.

§. 1.

Varia templorum ornamenta ueteres Scriptores passim commemorant. Auratos fornices *Ouidius* canit, portas auratas *Aristophanes*. Picturis quoque templa fuisse ornata, uariis exemplis comprobatur. Ad haec diebus festis lauro, ramis oliuae, et hedera decorata leguntur. Ad portas illorum leones, quasi custodes, depingebantur. Haec tamen ornamenta non ubique fuere eadem, sed ex consilio eorum, qui templa uel construebant, uel ornabant, componebantur. In quibusdam templis κειμήλια erant ingentis pretii, praecipue multum auri. Ideoque Dionysius Siciliae tyrannus 1), ut belli sumtibus aliisque impensis prospiceret, aurum, argentumque, quod in templis occurrebat, abstulit. A Iouis statua uestes ornatumque detraxit; quorum pretium octoginta quinque talentorum aureorum fuisse dicitur; priorque operi manum admouit, quod administri illius scrupulo religionis perculsi aggredi non audebant. Apollinis statuae capillum demsit aureum. Quum Troezenen nauigaret, nummos omnes Apollinis et Leucotheae rapuit, mensamque argenteam, in qua Genius quidam Apollini uinum fundebat: impie simul et cum derisione barbam auream Aesculapio abstulit, non decere, iocans, patris imberbis filium barbatum esse. Verum hae diuitiae admodum tenues computandae, si comparentur cum illis, quas in aliis Romanorum templis reconditas fuisse constat. In templis etiam arma hostibus bello ademta suspendebantur. *Thucydides* commemorat, armaturas trecentas integras, quas πανοπλίας uocabant, ab Atheniensibus uariis in templis urbis fuisse collocatas. Thoraces similiter et Galeas aeneas in templo Magnae Matris Cybeles fuisse, *Cicero* testatur quarta in Verrem. Hunc spolia hostium in templis suspendendi morem Romanos a Graecis mutuatos esse, certum est 2).

§. 2. Ipsa quoque templa quaedam tota aenea fuerunt, ut Lacedaemone Mineruae, cui nomen *Chalcioecos*, quod Mineruam denotat, cui domus aenea est 3). Nihil singularius templo aureo Fortunae, quam *Seiam* appellabant, a Nerone in domo 4) ipsius constructo. Templum hoc, auctore *Plinio*, (lib. 36, 22.) ex genere quodam lapidis erat, quem a splendore Phengitem appellabant, qui ita pellucidus erat, ut qui in templo fuerunt, ianuis etiam clausis, omnia perspicue uiderent. Lapis hic iussu Neronis ex Cappadocia Romam translatus dicitur. *Pausanias* l. X. c. 5. templi ex ramis lauri concinnati mentionem facit; aliud templum ex alis apum adornatum et ab ipsis apibus contextum, ab Apolline ad Hyperboreos missum fuisse, idem *Pausanias* refert. Facilius illud templum parari potuit, quod, eodem auctore teste, ex uiminibus uirentibus contextum erat.

1) *Cicero* de nat. deorum lib. 3, 34.

2) Pluribus exponit Iac. Phil. *Thomasinus* de uotis donariis, anathematis etc. Tom. 12. *Graeuii.*

3) Dicitur et Minerua χαλκιοικος, et aedes ipsa, ita certe *Liuius* lib. 35. 36. Aetoli circa *Chalcioecon* congregati. De magnificentissimo ornatu templorum quorundam, uid. *Lipsium* de magnit. rom. lib. 3. c. 5.

4) Vrbs uerius aut oppidum, quam domus; occuparat enim omne spatium inter palatinum et Coelium usque ad Esquilias.

§. 3. CONSECRATIO 5) seu DEDICATIO templorum Romae fiebat a Collegio Pontificum, aut ab aliquo eius socio. Caerimonias *Tacitus*, Hist. lib. 4. de restauratione Capitolii tradit. Nec tamen affirmare ausim, caerimonias illas easdem semper fuisse; erat enim aruspicum, talia ordinare, ad Deorum, quos consulebant, uoluntatem. Quod autem *Vitruuius*, lib. II. c. 7. de templorum situ, numinumque, quibus illa construebantur, ratione habita, profert, notatu dignum est. *Aedibus uero sacris, quorum Deorum maxime in tutela ciuitas esse uidetur, et Ioui et Iunoni et Mineruae, in excelsissimo loco, unde moenium maxima pars conspiciatur, areae distribuantur. Mercurio autem in foro, aut etiam, uti Isidi et Serapi, in emporio. Apollini, Patrique libero secundum Theatrum. Herculi, in quibus ciuitatibus non sunt Gymnasia, neque amphitheatra, in Circo. Marti extra urbem, sed ad campum; itemque Veneri ad portam. Id autem etiam Hetruscis aruspicibus, disciplinarum scriptis ita est dedicatum, extra murum Veneris, Vulcani, Martis fana ideo collocari, uti non insuescat in urbe adolescentibus, seu matribus familiarum, Venerea libido. Vulcanique ui e moenibus, religionibus et sacrificiis euocata, ab timore incendiorum aedificia uideantur liberari. Martis uero diuinitas, quum sit extra moenia dedicata, non erit inter ciues armigera dissensio, sed ab hostibus ea defensa, a belli periculo conseruabit. Item Cereri extra urbem loco, quo non semper homines, nisi per sacrificium, necesse habeant adire cum religione caste sanctissimeque moribus is locus debet tueri.* Nec tamen eadem ubique ratio obtinuit; ipse certe *Vitruuius* L. II. c. 8. dicit, Halicarnassi templum Martis, cuius statua ibi Colossalis erat, in media arce positum fuisse.

§. 4. Tanto autem honore templa prosequebantur, ut, teste *Arriano* 6), uetitum fuerit, in aede sacra spuere, naresue purgare. Aliquando genibus per gradus templum adibant. Asylorum loco erant templa 7), neque licebat, eo confugientes, ui inde abducere. Apud Romanos quidem nonnulla tantum templa asyli iure gaudebant, idque ab ipso fundationis tempore Graeci aris id sacri tribuebant 8), neque sine horrendo scelere eo confugientes, abstrahebantur. Asylum uero templum non tantum aere alieno oppressis, sed etiam capitalium criminum reis erat. Multa quoque referuntur exempla uindictae a Diis de uiolato asylo sumtae. Facile arbitratu, hanc ueniam infinitis damnis malisque locum dedisse, quum impunitatem scelestissimis sponderet: debitores aere alieno soluendo eximeret; herosque impune a seruis deseri pateretur. Romulus 9) inter arcem et Capitolium asylum constituerat, inter duos lucos; qui utrimque erant. Misericordiae etiam templum, asylum fuisse, tradit *Seruius*. Similiter Athenis erat ἐλέος, ad cuius forte exemplum illud Romanum. Dianae Ephesiae templum, *Cicerone* teste 10), reis cuiusuis generis asylum erat inuiolabile. Quum itaque isthaec asyli loca ob impunitatem oneri et malo publico essent: Tiberius illud eorum numen sustulit; *Suetonio* teste in Tiberio.

§. 5. In calamitatibus publicis mulieres in templis prostratae 11), capillis pauimentum uerrebant. Si nihil preces supplicationesque iuuarent; indignantes nonnumquam eo furoris deueniebant, ut lapidibus templa impeterent 12), ut uidere est in *Suetonii* Caligula.

Caput IV.

De singulorum Deorum Dearumque Templis.

§. I.

His summatim praemissis, ad templa Deorum Dearumque singulatim progrediendo, ea nobis commemorasse sufficiat, quae uel dignitate Numinum, quibus ea sacrata fuere, uel

5) Pluribus uan *Dale* in dissertatione de consecratione templorum, libro de *oraculis* addita.

6) Dissert. *Epictet.* lib. 4. c. 2

7) *Osiandri* l. A. de asylis hebr. gentil. christian. Tubing. 1673. et tomo 6. *Gronouii*. *Tacitus* lib. 3. annal. c. 60. notum appellabatur exemplum *Laodamiae*.


8) Latini non minus. Inde *Cicero*: sicut *ad oram* confugit in eius domum. Sic centies. Clytemnestra in *Eurip.* Iphig. in Aul. ἐχίχω βωμον καταφυγειν ἀλλον, ἡ τοσον γονυ.

9) De asylo hoc *Rycquius* de capitolio c. 40.

10) In *Verrem* lib. I. c. 33; sed hic idem locus docet, hanc religionem iamiam tolli coepisse.

11) *Liuius* lib. 3. c. 7. l. 26. c. 9.

12) Ad. *Barnesius* ad Anacreontem, pag. 38. et *Pitiscus* ad Suetonium.



1. Templum Iovis Tonantis 2. Ichnographia Templi Iovis Capitolini. 3. Templum Iovis Conſervatoris. 4. Templum Iunonis Lucinæ. 5. Ichnographia œdis Iunonis cum œde Iovis. 6. Templum Iunonis Samiæ. 7. et 8. Templa Vestæ. 9. Templum Apollinis Delphici. 10. Templum Martis Ultoris. 11. Aliud Templum Martis. 12. Templum Mercurii.

uel conſtructionis artificio prae ceteris eminere nobis uiſa ſunt 1). Initium faciamus a CYBELE, *Magna Matre Deûm*, ſiue *Rhea*, quae Romae in monte Palatino aediculam ſuam habuit, cuius nullum ueſtigium ſupereſt. Quum uero ſub *Opis* quoque nomine eandem cultam eſſe ſciamus; non praetereundum templum illud, quod in Capitolio Opi dicatum erat, qualia in aliis quoque urbis regionibus eidem ſacra fuerunt. *Saturno* ſimiliter templa Romae fuerunt, quorum unum ad radices Capitolii 2), prope Seueri arcum, collocatum fuit.

§. 2. Templa IANI Romae frequentiora erant, et in pluribus urbis regionibus uiſebantur; alia quidem bifrontis, alia quadrifrontis. Haec autem templa ipſum Iani nomen gerebant, et ſimpliciter *Iani* dicebantur: unde formula illa loquendi: *Ianum clauſit* 3), i. e. Iani templum clauſit. Huius templi ſchema in nummis tantum ſupereſt, ſed tam exigua imagine, ut forma illius et partes uix conſpici poſſint. Cauendum tamen eſt, ne huiusmodi Ianus cum Ianis quadriuiis confundatur, quorum formam infra dabimus. Schema, quod *Tab. XLV. Fig. 2.* de *Iani* templo damus, unam tantum illius faciem repraeſentat, portae tamen duorum aliorum laterum oblique uidentur. Huic iungimus *Fig. 3.* aliud ſchema, quod Iani templum ex numo Neronis expreſſum offert.

§. 3. Templum IOVIS OLYMPII inter ſeptem mundi miracula referebatur, et diligentiſſime deſcribitur a *Pauſania* lib. V. in Eliacis prioribus: quod huc transſcribere ſuperuacaneum ducimus; hoc ſolum monentes, tantum ex magnifica illa *Pauſaniae* deſcriptione apparere, quod maxima Mythologiae pars hoc in templo uel inſculpta, uel depicta, fuerit. Si uero inter miracula mundi templum iſtud computabatur, id nominis non tam ex amplitudine ſua atque opulentia, quam potius ex numero eximiorum operum a celeberrimis Graeciae pictoribus ſculptoribusque ſacratorum, traxiſſe uidetur; id quod de Artemiſiae quoque Mauſoleo forte dicendum erit. Templi huius forma in ſolis numis ſpectatur. Multa alia templa in Graecia erant Ioui conſecrata 4), nec pauciora habebant Roma, Italia, etc at diruta fere omnia ſunt; in numis aliqua ſpectantur, ſed forma tam exigua, ut uix quidpiam certi inde elici queat. Quatuor eiusmodi templa proferimus *Fig. 4. 5. 6.* et *Tab. XLVI. Fig. 1.* Tab. XLVI.
Primum in poſtica numi Traiani facie exhibetur cum hac inſcriptione I. O. M. i. e. Ioui Optimo Maximo; ſecundum in triangulari area templum eiusdem *Iouis* et quidem *Vltoris* eſt, ut inſcriptione fertur, et ex imagine Iouis in ingreſſu templi ſedentis dignoſcitur; tertium Iouis Olympii templum, cuius paulo ante mentionem fecimus, eſſe uidetur; fuerunt ſane alia quoque *Iouis Olympii* templa aliis in locis conſtructa, quartum, ubi Iupiter in templi ingreſſu imberbis exprimitur, eſt *Iouis Tonantis*, quod ex inſcriptione patet.

§. 4. Templum Iouis Romae celeberrimum erat CAPITOLINI; quod in Capitolio exſtruetum erat 5). *Nardinus* eorum, qui Romam ueterem deſcripſerunt, diligentiſſimus, illius templi a Tarquinio Superbo ex uoto Tarquinii Priſci conſtructi, et ab Horatio Puluillo dedicati, Ichnographiam dedit, quam *Fig. 2.* exhibemus. Duplici extrinſecus columnarum ordine conſpicuum erat, quae columnae duplicem faciebant porticum, dipterorum more. Praeter duos hoſce columnarum ordines, qui etiam ad frontiſpicium extendebantur, alius adhuc ordo ante frontiſpicium erat, ſed qui ſolam templi latitudinem, demtis porticibus, occupabat; ita, ut in hoc primo ordine octo tantum columnae eſſent, quum tamen in ſecundo duodecim extarent; quod ex aſpectu ſchematis facile intelligitur. Porticus tria tantum templi latera ambiit, nec ad latus templi, quod pone frontiſpicium erat, extendebatur, quia latus illud, quod templi intimam partem terminabat, ſacrariis ſeu cellis tribus occupabatur, quae porticus loco erant. Totum templum erat longitudine ducentorum pedum, latitudine uero centum octoginta quinque, connumeratis cum templo porticibus. In intimo templo tria, uti diximus, erant ſacraria perampla, quorum medium ceteris maius, Ioui dedicatum erat; quae a lateribus, Iunoni et Mineruae. Duo columnarum ordines in templo tres quaſi alas conſtituebant, quarum media, eaque maior, Iouis ſacrario terminabatur: quae a lateribus conſpiciuntur, ad Iunonis et Mineruae ſacraria ducebant. In exteriori muro

1) Plura de templis Romae exponunt, Alex. *Donatus*, et *Martianus*, aliique in deſcript. urbis, tomo 3. *Graeuii*, et Fam. *Nardinus*, tom. 4. De templis *Athenarum*, *Potterus* Archaeol. graeca lib. I. c. 8.

2) In quo aerarium populi romani, acta publica, ſigna militaria, etc. hodie quidam S. *Hadriani* eo loco eſſe putant.

3) Id tempore naſcentis Chriſti non contigiſſe, contendit *Io. Maſſon*, in *Iani* templo Chriſto naſcente reſerato, Roterod. 1700. 8.

4) Athenis ſatis ſuperbum *Iouis Olympii* templum fuit, quatuor ſtadia complexum. uid. *Plinium* lib. 36. c. 6.

5) Conf. *Rycquius* de Capitolio; et *Lipſium* de magnit. lib. 3. c. 5.

pone ſacrarium Mineruae, quod in dextra ſitum erat, quotannis infigebatur clauus, quo anni a fundatione Romae notabantur, unumquodque enim foramen annum ſignificabat. Lacunar templi totum inauratum erat, pauimentum ex ſpecioſis lapidibus; tectum, tabulis concinnatum aeneis, quas inaurari curauit Quintus Catulus; idemque Templum, Caii Marii tempore incenſum, inſtaurauit Sulla, ornauitque columnis ex templo Iouis Olympii ex Graecia Romam comportatis. Incenſum et illud poſtea fuit, et a Veſpaſiano, poſtque denuo exuſtum, a Domitiano magnificentius conſtructum fuit. Statua Iouis in ſacrario eius ſedebat, fulmen altera manu tenens, telum uero altera. Statua primum ex Gypſo ſolum depicta fuerat, deinde uero ex auro ſolido conflata. Iupiter quernam coronam, item auream geſtabat; purpureo idem ueſtimento indutus erat, quale Imperatores, Conſules, aliique Duces, cum triumpharent, induere conſueuerant. Praeter Iouis, Iunonis et Mineruae aras, aliae quoque uiſebantur arae, ſtatuaeque Deorum pariter ac uirorum illuſtrium in eodem templo. Prope Mineruae ſacrarium, erat ara Iuuentutis, et ſupra eam, tabella depicta, Proſerpinam referens. In ueſtibulo Mineruae tres erant Deorum ſtatuae genua flectentes, quae ideo uocabantur *Dii nixi*; qui Dii poſt deuictum Antiochum, Syriae Regem, a Manio Acilio Romam allati fuere. Diuitiae ingentes: ſiue munera Ioui Capitolino oblata, ſiue cuiusuis generis manubiae in templo hoc depoſitae, fuere; ut ſtatua Victoriae ex auro ſolido ab Hierone, Syracuſarum Rege, miſſa, pondo trecentarum uiginti librarum: defixae item iſtic uiſebantur tabulae aeneae legum Romanarum, quarum aliud exemplar in archiuo ſeruabatur. Super templi Hieroſolymitani ruderibus Hadrianus Imperator templum excitauit Ioui Capitolino dicatum: ex quo tempore ipſa urbs *Aelia Capitolina* uocata eſt. *Aelia* quidem ab Aelio Hadriano Imperatore, *Capitolina* uero, a Iouis Capitolini templo; Romae praeter haec, multa alia Iouis templa erant; ut Iouis *Propugnatoris*, in monte Palatino, cuius ne ueſtigium quidem ſupereſt. Iouis *Conſeruatoris*, cuius frontiſpicium in numo Diocletiani *Fig. 3.* offertur cum hac inſcriptione: *Ioui Conſeruatori Auguſti.* Templum illud ſex columnas habet ordine Corinthio. Quum area maior ſit, quam in ceteris numis minoris formae, architectonices ordines facile dignoſcuntur. Iupiter ad oſtium templi ſedet demiſſa ueſte, ita, ut ſuperiores corporis partes nudae ſint, haſtam ſiniſtra tenens. *Iouis Statoris*, in eiusdem montis decliui, aliud in Inſula Tiberina, propter Aeſculapii templum; item templum *Iouis Feretrii* a Romulo exſtructum in Capitolio, quo Romanorum Duces *Spolia opima* ferre conſueuerunt, et alia aliis in locis.

§. 5. Multi arbitrantur, templum hodiernum ſancti *Laurentii* in Lucina, olim fuiſſe *Iunonis Lucinae* templum, cuius frontiſpicium hodiernum damus *Fig. 4.* Certius pro templo Iunonis habetur illud, quod in Porticu Octauiae Romae erat, cuius Ichnographiam *Fig. 5.* tradimus. Ad latus ſcilicet templi Iouis eadem linea occurrit etiam templum Iunonis, in eadem porticu incluſum, cum inſcriptionibus: *aedis Iouis*, *aedis Iunonis.* Praeter porticum Octauiae, quadratam et oblongam, alia porticus erat circa templum Iouis, quod Pſeudodipteron conſtituebat; ſex in frontiſpicio ſunt columnae, et totidem aliae interiores, quae porticum duplicem ſuſtinent. Templum Iunonis eadem linea poſitum, ad latera porticus non habet. Erat quoque Romae templum *Iunonis Reginae*, quod proxime ſanctam *Sabinam* fuisſe putant; item templum *Iunonis Matutae*, et *Iunonis Soſpitae*, quorum non ſupereſt ueſtigium. Celeberrimum Iunonis templum erat in inſula *Samo*, ubi Dea ſingulari cultu honorabatur. Frontiſpicium illius exhibet numus *Fig. 6.* Forma illius plane ſingularis eſt. Paucae enim in frontiſpicio ſunt columnae. Summopere autem ipſius Iunonis ſtatua conſideranda eſt, quod facies illius faſciis quaſi obducta eſt: id quod ad hiſtoriam, quam *Athenaeus* L. XV. p. 672. narrat, referri poteſt. Quum Admeta Euryſthei filia Argo aufugiſſet, in Samum appulit, quumque ſe Iunonis praeſidio feliciter aufugiſſe putaret; eius templi curam gerere uoluit. Argiui in transfugam irati, pactione cum piratis Tyrrheniis conuenerunt, ut, ſi poſſent, ex templo Samio ſtatuam Iunonis auferrent; quo furti crimen in Admetam caderet, et manibus Samiorum illam ulciſcerentur. Piratae igitur ſtatuam ſuffurati ſunt, illaque in nauim deportata, uela dare, et inſtantibus remigibus, celeriter uiam carpere nitebantur. At incaſſum ceſſit conatus; non enim loco mouebantur. Vindictam numinis eſſe ſuſpicantes, ſtatuam ad littus repoſuerunt, quibusdam adhibitis caerimoniis, placandi cauſſa. Primo diluculo Admeta ſublatam ſtatuam animaduertit, Samiisque rem nunciauit; qui ſtatim perquiſitum properarunt, et ad maris oram repererunt; Iunonem autem ſua ſponte aufugere uoluiſſe rati, ne ulterius fugere poſſet, ramis arborum illam conſtrinxere. Haec dum fiebant, acceſſit Admeta, quae ſtatuam a uinculis ſoluit, Samiorumque crimen expiauit,

uit, Iunonem in loco pristino collocans. Ex illo tempore Samii quotannis Iunonis statuam ad littus maris delatam, ut antea, uinculis colligabant, festumque celebrabant, cui *Tenea* nomen; quoniam arborum ramos circa statuam tetenderant. Sed non soli Samii Deorum statuas uinculis alligarunt, ne alio aufugerent. Tyrii quippe, ab Alexandro Macedone obsessi, statuam Apollinis similiter uinculis obstrinxere. *Quumque unus ex ciuibus*, (narrat *Curtius* IV, 3.) *concioni indicasset, oblatam esse per somnum sibi speciem Apollinis, quem eximia religione colerent, urbem deserentis; molemque a Macedonibus iactam in solo in siluestrem saltum esse mutatam: quamquam auctor leuis erat, tamen ad deteriora credenda proni metu, aurea catena deuinxere simulacrum, araeque Herculis, cuius numini urbem dicauerant, inseruere uinculum, quasi illo Apollinem Deo detenturi.* Sic Ephesii quoque, quum urbs aliquando a Croeso obsideretur, *Herodoto* teste (l. I. c. 26.), urbis muros fune alligarunt ad Dianae statuam, at longe diuerso animo; urbem enim uolebant Dianae dicare et consecrare, ut hinc permota Dea eius defensionem susciperet. In templo Iunonis Samiae, testante *Athenaeo*, post Menodotum, alebantur pauones, Iunoni sacri; qui autem ex his noscebantur, in alia mittebantur loca, ubi originis sacrae causa in magno pretio habebantur.

§. 6. Templum VESTAE in numis compluribus cernitur, et forma quidem rotunda, cum pluribus paucioribusque columnis 6). Exemplum illius, cum sex Vestalibus, exhibemus *Fig. 3.* Hic sex Vestalium numerus constitutus, sacratusque erat pro huiusmodi sodalitio. Istae sacrificantium more uelatae sunt. Templum illud rotundum, quod hodieque ad oram Tiberis uisitur, a multo iam tempore in Ecclesiam conuersum, nomine *Sancti Stephani del Cacco*, a multis rei antiquariae peritis pro templo Vestae habitum est, cui situm hunc conuenire arbitrati sunt. Alii tamen dubitant. Schema illius, quodcumque tandem sit, hic *Fig. 8.* apponimus, quum nullus sese offerat commodior locus. Si templum Vestae non est, ipsi tamen a forma rotunda atque a columnis ambientibus simile est. Narrant (ut refert *Plutarchus*), Numam orbiculatum fecisse templum, in quo sacer ignis asseruaretur; quo adumbrari uolebat, non terram, quasi eandem atque Vestam, sed mundum, in cuius medio Pythagorici ignem locant, quod etiam Vestam et unitatem uocant. Hoc Vestae templum atrium habebat et lucum, prope fontem Iuturnae. In templi huius intima parte uirgines Vestales ignem aeternum, atque Palladium, seu paruam Palladis statuam Troia ab Aenea allatam, seruabant. Propter Augusti Palatium erat aliud templum, *Vestae Palatinae.*

§. 7. NEPTVNI templa Romae erant; unum quidem in Circo Flaminis; de quo nihil aliud nouimus, quam quod admodum exiguum, porticu tamen instructum fuerit. Quod ad PLVTONEM spectat, pauca apud Scriptores templa occurrunt, quae huic numini dedicata fuerint. In Pylo ipsum templum habuisse, *Strabo* dicit. In undecima urbis Romae regione templum erat *Diti Patri*, i.e. Pluto uel Plutoni dedicatum; cuius tamen nullum superest uestigium. In Circo Flaminio templum erat *Vulcani*, cuius item nihil superest. In monte Siciliae Aetna, *Aeliano* teste, templum erat Vulcani septis instructum atque lucis, ignisque perpetuus ibi seruabatur. Canes quoque circa templum et lucos fuerunt, qui quasi ratione praediti cauda adulabantur eos, qui modeste, et cum pietate, accederent; sed mordebant dilacerabantque eos, quorum manus non fidae puraeque erant; similiterque uiros et mulieres pellebant, qui rei Venereae causa accederent.

§. 8. APOLLO multa tum in Graecia, tum Romae, et in Occidente, templa habuit. Omnium celeberrimum erat Delphicum; ab oraculo, quod undique petebatur, a diuitiisque et cimeliis ingentibus, quae ex donis Regum, aliorumque cuiusuis conditionis hominum supra modum accreuerant, et a fatali eorum poena, qui thesauros illos diripere ausi essent, memoriae dignissimum. Schema illius in numo tantum reperitur, nihil magnificum praeferente; quod locus non patiebatur. Ex parua itaque imagine *Fig. 9.* illud tantum suspicari licet, quadratum fuisse, et porticus circum habuisse. Quod de lupo Templi Delphici *Aelianus* refert, memoria dignum uidetur. Narrant, ab Apolline lupum ideo amari, quod Latona, mater ipsius, paritura in lupum sese conuerterit; quapropter *Homerus* Apollinem *Lycogenem* uocat. Eandem ob causam Delphis lupus aeneus est, qui Latonae partum indicet. Alii aliam causam referunt. Quum fures, templi Delphici thesauros diripuissent, inque terram eos defodissent: lupus accedens alicuius ex Prophetis Apollinis uestem dentibus apprehendit, ipsumque duxit ad locum, ubi thesauri absconditi erant, pedibusque terram, qua obruti erant, amouit 7). Inter miracula Apollinis illud etiam refert *Aelianus*, quod tem-

6) Vid. *Lipsius* lib. de Vesta, cap. 3.

7) Vide supra pag. 29. n. 8.

plum lucumque Apollinis Insulae Clari uenenatum numquam animal ingrediatur. Narrant etiam, Curidii multos esse ceruos, qui sequentibus se uenatoribus in lucum Apollinis confugiant, canes autem instantes, ui numinis repulsos, non audere lucum illum ingredi, sed circum oblatrare, dum interim cerui tranquilli timoreque uacui herbam detondeant. Idem *Aelianus* refert, muscas ab Olympicis festis sponte recessisse, Alpheumque traiecisse cum mulieribus, quae etiam in altera fluminis ora manserint. Sic Leucade quoque altissimum fuisse promontorium, in cuius uertice situm *Actii* Apollinis templum, ubi, imminente die numinis eiusdem festo, saltarint, et tripudiarint; bouemque ibi muscis immolatum, cuius uictimae sanguine muscae inhaeserint, donec satiatae auolarint; at muscas Pisatium s. Olympicorum, sua sponte recessisse, significantes peculiarem se numini reuerentiam habere. Romae quoque templum erat, quod a canibus muscisque semper intactum 8) perhibebant; ibidem templa multa erant Apollini dicata, quorum id, quod in monte Palatino 9) erat, cetera decore atque magnificentia longe superabat.

§. 9. Mater Apollinis, LATONA, templum habebat in Delo insula, de quo *Athenaeus* hoc narrat. Parmeniscus Megapontinus, qui genere et opibus primus in patria sua habebatur, quum temere in antrum Trophonii introiisset, in sceleris poenam ridendi facultatem amisit, ita, ut nulla re ad risum commoueri potuerit, Oraculum Apollinis ea de re consultum respondit, matrem in domo sua facultatem ridendi redditurам. Parmeniscus sub matre patriam intelligens, domum reuertit, ubi se non magis, quam ante, ridere posse comperit. Exinde Delum peregrinatus, omnia, quae in insula erant, non sine admiratione contemplatus, in Latonae tandem templum ingressus est; ubi sperabat, se eximii artificii statuam uisurum; sed quum ligneam tantum uideret formae perquam despicabilis: in risum statim erupit, et tum demum oraculi significationem intellexit.

§. 10. Etsi physice loquendo SOL idem esse existimabatur, qui Apollo 10): tamen ambo, tamquam duo numina diuersa, colebantur; quod quisque propria sua templa, aras item ac statuas, habebat. Sol aliquot aedes et templa Romae habuit in uariis urbis regionibus; quamquam solum eorum nomen superfit 11).

§. 11. MARTI magnificum dicatum erat templum extra muros urbis Romae in uia Appia; quod in loco edito situm, rotundum, centum sedecimque columnis ornatum, *Propertio* teste, milites ex bello incolumes reuersi, eo arma deferebant, eoque Oratores hostium, quibus ipsam urbem intrare non licebat, receptum habebant; eius tamen ne rudera quidem supersunt: Aliud erat templum *Martis Vltoris*, rotundum, columnisque in exteriori ambitu ornatum, ut in numis Augusti 12) *Fig. 10.* conspicitur; coronis frontispicii armis hostium deuictorum onusta est, ibique statuae Regum albae, aliorumque uirorum insignium, uisebantur. Mars facile dignoscitur in templo, cuius frontispicium *Fig. 11.* exhibemus. Omnem enim armaturam militarem gerit, cassidem, loricam, paludamentum; manu dextra hastam tenet, sinistra clypeum ouatae formae terra innixum. Multa alia Martis templa erant in Graecia, Thracia et Phrygia.

§. 12. BELLONAE templum erat prope Circum Flaminium: Ante templum columna bellica uisebatur, prope quam stans Consul hastam uibrabat, quum Regi, uel nationi cuipiam, bellum indicebatur. Fundatum erat hoc templum ab Appio Claudio caeco, qui anno A. V. C. 457. consul erat, in eoque arma maiorum suorum, cum ipsorum iconibus suspendit. In eodem templo Victoribus, quando id honoris merebantur, triumphus decernebatur. Fanatici etiam, de quibus infra plura, in eo commorabantur; idem autem officium illis incumbebat, quod Pythiae Delphis, et Gallis Cybeles.

§. 13. MERCVRIVS templum habuit Romae prope portam Capenam, cuius solum nomen notum. Aliud eidem dicatum celebriusque templum erat prope circum maximum ad radices montis Auentini, cui quatuor Hermae, seu Termini, columnarum loco erant. Forte idem erat, quod in numo M. Aurelii uidemus (*Fig. 12.*) ubi Mercurius in ara positus cum caduceo;

8) De *Herculis* sacello narrat *Solinus* c. 2. conf. *Baelii* Onomasticon, nomine Hercules, nota f.


9) Vid. *Siluestri Lussenii* de templo et bibliotheca Apollinis Palatini, *Franeq.* 1719. 8.

10) Vid. *Huetii* epistola ad Ducem *Montausierium* inter dissertationes a *Tilladeto* collectas, num. 9. tom. 1.

11) Ita partem templi *Solis* in colle Hortulorum, in quo olim *Pincianus* senator splendidissime habuit, reperisse sibi quidam uisi sunt. Obeliscum saltem ibi inuenerunt cum epigraphe: *Soli sacrum.*

12) Qui dedicauit post bellum in pharsalia; quod quidam hodie cum *S. Martinae* mutatum uolunt.

Tab. XLVII.



1. Templum Minervæ Athenis. 2. Templum Dianæ Ephesinæ. 3. Templum Herculis. 4. Templum Aesculapii in Insula Tiberina. 5. Templum Fortunæ Prænestinæ. 6. Templum aliud Fortunæ. 7. Facies interna templi Pacis.

duceo; itemque aries 13), gallus et marsupium, quae in fastigio repraesentantur, Mercurii templum esse perspicue demonstrant.

§. 14. MINERVAE non Romae tantum, sed etiam in Graecia, multa templa dedicata fuere. Omnium magnificentissimum illud erat, quod hodieque Athenis integrum superest, et a Turcis in Moscheam, uti uocant, mutatum. Schema illius damus *Tab. XLVII. Fig. 1.* Duplo maiorem hoc templum 14) obtinet longitudinem, quam latitudinem. In aditu porticum habebat octo columnis fultam, totidemque columnas exhibet in exteriori facie, et, quoniam haec porticus totum ambitum occupat, dipteros est, alam seu porticum unam tantum habens; latera septendecim columnas ostentant, eas scilicet bis numerando, quae in angulis conspiciuntur. Columnae ordinis Dorici sunt, et striatae, nec ulla basis adest; sed gradus basium uicem supplere uidentur: eaedem columnae quadraginta duos pedes regios altae sunt, et ambitus earum in ima parte septendecim regios pedes cum dimidio exaequat. Longitudo totius aedificii cum porticu est ducentorum decem et octo pedum, latitudo autem nonaginta et octo pedum cum dimidio. In aditu templi πρ ναος est, quae fere tertiam aedificii partem occupat. Longitudo templi et τȢ προνάȢ, demtis porticibus, est centum quinquaginta et octo pedum; et latitudo cum muris, pedum sexaginta septem. Templum solum sine pronao nonaginta pedes longum est; si addas sex septemue pedes, ut ad pedes Athenienses, nostris scilicet uno pollice minores, reducas, et tres quatuorue pedes pro muris: centum erunt pedes Atheniensium; qui ideo hocce templum *Hecatompedon* uocabant, h. e. aedificium centum pedum. Frontispicii fastigium plenum est figuris, quae tota sua spissitudine prominebant; omnia elegantissimae manus, suspicientibusque staturam uulgarem humanam exhibent. *Pausanias* Mineruae natalia his repraesentari dicit. Aliud celebre Mineruae templum erat Lacedaemone, quod *Chalcioecos* uocabatur, quia totum aeneum erat, seu quia a Chalcidensibus Euboeae aedificatum est, ut scribit *Suidas*, prius tamen etymon ideo praestare uidetur, quod *Cornelius Nepos*, *Liuius*, *Plutarchus*, *Pausanias*, aliique plures, illud aeneum fuisse narrant. Augustus huic forma simile templum Romae erexit, sed non ex eadem materia. *Aelianus* templum *Mineruae Iliadis* commemorat, in quo canes alebantur, qui Graecos omnes illud adeuntes cauda adulabantur, nec unquam oblatrabant, nisi barbaris ad idem accedentibus. Maiore hac in re fide dignus habeatur *Aelianus*, quam in multis aliis, quae recenset, prodigiis; ita enim edocti canes esse poterant, ut tum ex uestitu, tum ex gestu, Graecos a barbaris dignoscerent. Tab. XLVII.

§. 15. Quae DIANAE dicata fuere, templorum ingens in omnibus fere terrae partibus, fuit numerus 15). Ephesium cetera omnia amplitudine et magnificentia longe superabat, adeoque inter septem mundi miracula referebatur. Ducentis uiginti annis illud a tota Asia constructum esse, *Plinius* testatur libro XXXVI. 14. qui alio loco ad quadringentos usque annos hoc tempus extendit. *In solo illud palustri fecere, ne terrae motus sentiret, aut hiatus timeret: rursus ne in lubrico aut instabili, fundamenta tantae molis locarentur, calcatis ea substrauere carbonibus, dein uelleribus lanae. Vniuerso templo longitudo est quadringentorum uiginti quinque pedum, latitudo ducentorum uiginti; columnae centum uiginti septem, a singulis regibus factae sexaginta pedum altitudine; ex iis triginta sex caelatae, una a Scopa. Operi praefuit Chersiphron Architectus. Summa miracula, epistylia tantae molis tolli potuisse. Id consecutus est ille peronibus arena plenis, molli puluino super capita columnarum exaggerato, paulatim exinaniens imas, ut sensim totum insideret. Difficillime hoc contigit in limine ipso, quod foribus imponebat. Etenim ea maxima moles fuit; nec sedit in cubili, anxio artifice mortis destinatione suprema, traduntque in ea cogitatione fessum nocturno tempore in quiete uidisse praesentem Deam, cui templum fiebat, hortantem, ut uiueret: se composuisse lapidem, atque ita postero die apparuit, pondereque ipso correctus uidebatur.* Tectum templi ex tabulis cedrinis erat. Rem aliam tradit *Plinius* XIV. 1. quae plane incredibilis uideatur, scalis nempe scandi templum Dianae ex uite una Cypria factis, quoniam ibi ad praecipuam amplitudinem exeunt Verum quidem est, in nonnullis regionibus uites in praealtas arbores exire, hodieque uisitur in Ecclesia Cathedrali Rauennatensi porta maior asseribus longissimis densissimisque facta ex uitis ligno; uerum quid hoc ad scalam; quae octoginta ad minus pedum esse debuit. Quandoquidem solae templi columnae non numerato zophoro, epistylio, coronideque, sexaginta pedum erant. Magnificentissimi huius templi rudera hodieque

13) Vid. Cl. C. F. *Walchii* de religione M. *Aurelii* in numis. tom. I. act. societ. latinae p. 224. seq.

14) Παρθενων etiam uocatur; pulcherrimum monumentum describit *Wheeler* in itin.

15) *Romae* in Coeliolo, S. *Ioh.* Euangelistae templum Dianae loco iam esse putatur.

dieque superſunt. Eiusdem frontiſpicium cum ipſa Dea exhibemus *Fig. 2.* Octo in hoc frontiſpicio columnae apparent ordine Dorico, quae, *Plinio* auctore, ſexaginta pedes altae erant. In ima columnarum parte ſupra baſin ornamenta quaedam obſeruantur, quae alibi non comparent. In coronide quoque quaedam ſunt ornamenta, arcus formam prae ſe ferentia. Diana Epheſia, quae aditum occupat, imaginem turris capite geſtat. Dea uerubus pro more *) nititur; ad pedes duo cerui inuicem auerſi conſpiciuntur; ad latera turris hinc ſol, inde luna exhibetur 16).

§. 16. Inter VENERIS templa nullum inſignius celebriusque, templo *Veneris Paphiae*, ab Agapenore condito. Ante frontiſpicium illius area fuiſſe traditur, ſeu atrium ſub dio, in quo numquam pluebat. Romae multa erant templa Veneri dicata, quae inter praecipuum erat templum *Veneris Genitricis* 17), ex qua ſe Caeſar ortum iactitabat, per Iulum, Anchiſis et Veneris filium. Statua Veneris elegantiſſimae manus a Cleopatra ad Cæſarem miſſa in templo poſita fuit, ad eiusque latus ipſius Cleopatrae ſtatua collocata. ADONIS item templa habuit, non ſolum Beryti, quae urbs ipſi ſacra erat, uerum et aliis in locis. Apud Elymaeos, *Aeliano* teſte, templum Adonidis erat, cui Leones aderant usque adeo manſueti et tractabiles, ut hominibus quibusque adularentur: eos ſi ad cibum aduocarent, tamquam inuitati conuiuae aderant, et quicquid porrigebatur, accipiebant modeſte ac decenter.

CAPUT V.

De reliquorum Deorum Dearumque templis; Herculis ſc. Bacchi, Fauni, Panis, Siluani, Florae etc.

§. 1.

Templa HERCVLIS plurima erant in Graecia, Romae, in Galliis, in Hiſpania et alibi; ſiquidem cultus eius, *Plinio* teſte, ad Taprobanen usque tranſierat. Pulcrum eius templum Tyri fuit, ubi ab eodem *Plinio* pila tota ex ſmaragdo uiſa perhibetur; ſed procul dubio Pſeudoſmaragdus erat, ex altera parte, iaſpis, nondum humore in totum transfigurato. Romae aliud Herculis templum extra portam Collinam erat, aliud prope Tiberim. Quod prope circum Flaminium extabat, ſic a *Victore* notatur: *Templum magni Herculis cuſtodis Circi Flaminii.* In eodem Circo aliud erat templum *Herculis Muſagetae*, ſ. Herculis Muſarum, cuius ſupra mentio facta. In foro item Boario templum *Herculis Victoris* rotundum uiſebatur, in quod a *Plinio* X. 29. nec muſcae, nec canes, intraſſe dicuntur. Canes quidem ab ingreſſu facile arceri poterant; muſcas uero non intraſſe prodigii loco habendum eſſet; non maior certe fides hic *Plinio* habenda, quam quum ait, in area Veneris Paphiae ſub dio poſita, numquam pluere. Nulla horum templorum ueſtigia ſuperſunt. *Plinius* templum Herculis in Gadibus extructum commemorat, ubi, *Strabone* teſte, Herculis erant columnae 1). *Fig. 3.* templum Herculis ex nummo exhibemus, in cuius oſtio Hercules clauam tenens locatus eſt, quaſi ictu minans. Templum hoc, in urbe olim Erythrarum, quatuor tantum columnarum eſt; ſed ſculptor pro more aliquas amiſiſſe uidetur, ut Herculis imagini locus ſupereſſet. Inſcriptio graeca ita legenda eſt: Ερυθαίων ἐπὶ ςρατηγοῦ π. Ἀιλίου Ατλάλου τὸ β. i. e. Erythraeorum, Publio Aelio Attalo iterum Praetore.

§. 2. Templa BACCHI Graecis et Romanis erant frequentiſſima, Sami eiusdem templum, et de eius aedificatione *Plinius* refert, VIII. 16. *Elpis, Samius natione, in Africam delatus naui, iuxta littus conſpecto leone hiatu minaci, arborem fuga petiit, Libero Patre inuocato; quoniam tum praecipuus uotorum locus eſt, quum ſpei nullus eſt. Neque profugienti, quum potuiſſet, fera inſtiterat, et procumbens ad arborem hiatu, quo terruerat, miſerationem*

*) Vide ſupra p. 40. 41.

16) Operae pretium eſt conferre ea, quae celeb. *Poleni*, academiae Corton. Socius et Profeſſor Patauinus, ad illuſtrandum immane hoc aedificium in *Commentariis Acad. Corten* 1744. commentatus eſt; ſed et animaduerſiones anonymi, quae in diario eruditorum gallico 1745. exſtant, ſionumque harum examen in eodem diario anni 1748. menſe Iulio: quae omnia et ad templi huius, et ad aliorum rationem ueroſimillimam, eximie faciunt.

17) Ad radices Capitolii; quod quidam hodie templum Beatae Mariae liberatricis eſſe putant.

1) Vid. *Caſſelii* obſeruatio de *Abyla* una columnarum Herculis 1737. Magdeburgi.

nem quaerebat. Os morſu auidiore inhaeſerat dentibus, cruciabatque inedia tum pene in ipſis eius telis ſuſpectantem, ac uelut mutis precibus orantem. Dum fortuitu fidens non eſt contra feram, multo diutius miraculo, quam metu, ceſſatum eſt. Degreſſus tandem euellit praebenti, et quam maxime opus eſſet accommodanti; traduntque, quamdiu nauis in illo littore ſteterit, egiſſe gratiam uenatus adgerendo; qua de cauſa Libero Patri templum in Samo Elpis ſacrauit, quod ab eo facto Graeci κεχηνότος Διονύσου, *i. e. hiantis Bacchi*, nuncupauere. Romae templa Bacchi erant in Caelio monte et in Palatio Auguſti, nec non prope Circum maximum.

§. 3. Templum FAVNI Romae erat prope S. Stephanum rotundum, uel forſitan ipſius Eccleſiae S. Stephani rotundi in loco. In Arcadia, narrat *Aelianus*, Hiſt. animal. l. II. c. 6. in loco, cui nomen aula, templum fuiſſe PANIS, omnium animalium perfugium; nec ullum fuiſſe beſtiae genus, quod ab hoc aſylo arceretur; ita quidem, ut, quum lupus uorax aliquam inſequeretur, a curſu ſubito deſtiterit, perterritus ſtatim, atque uidebat eam ad templum iſtud confugiſſe. Deus SILVANVS, Graecis uix notus, Romae celeberrimus erat, ubi etiam in multis templis colebatur; unum erat in Valle montis Viminalis, et aliud in hortis montis Auentini. FLORAE templum prope Circum, qui etiam a Flora nomen habet, uel in ipſo Circo poſitum erat; de forma uero illius nihil traditur.

§. 4. AESCVLAPII templa in Graecia atque in Aſia erant bene multa. Celebrius Epidauri erat extra urbem ſitum; de cuius forma nihil certi conſtat. Romani, graſſante peſte, Epidaurum miſerunt, qui Medicinae Deum Romam adferrent. Qui ad id negotii deputati fuerant, ſerpentem inuenere, quem pro Deo Aeſculapio Romam portauere in Inſulam Tiberinam 2), ubi templum conſtructum fuit, quo loco ſerpens ſubſtitit: hoc templum ſequenti tempore celeberrimum euaſit, quo Romani, morbo laborantes, confugerent. Saeculo decimo ſexto in Tiberina Inſula quaedam Templi Aeſculapii rudera ſupererant, iuxta Eccleſiam S. Bartholomaei; quae rudera fortaſſe explorarunt illi, qui huius templi, et templorum Iouis et Fauni ſchemata protulere, qualia cum Inſula tota Tiberina nos hic *Fig.* 4. repraeſentamus. Inſula haec, magnis circumſtructa lapidibus, nauis formam exhibebat, et *Meſopotamiae* nomen obtinebat ex *Plutarcho*, quoniam inter duo flumina, uel duo potius ejusdem fluminis brachia, interiacebat. Vtrum templa quoque, ſicut ipſa inſula, nauis ſcaphae formam habuerint, non ſatis certum eſt, metuendumque uidetur, ne ii, qui priores eiusmodi ſchemata protulerunt, res iam deformatas pro arbitrio ſuo repraeſentauerint, quam quod ueſtigia monumentorum recte ſectati ſint; quod maluerint templa integra, et omnibus numeris perfecta, proferre, quam cum minore adſpicientium et antiquitatis Studioſorum oblectatione nuda exhibere rudera. Praeter hoc Aeſculapii templum aliud admodum inſigne in Thermis Traiani eidem conſecratum fuiſſe traditur, cuius tamen ne ueſtigium quidem ſupereſt. Haec Aeſculapii templa admodum frequentabantur; et aegri maxime ad recuperandam ſanitatem eo confluebant. Multi in ipſis templis pernoctabant, ibique ſomnum capiebant, fauſtaque ſomnia quaerebant. Poſt haec ſomnia alii a morbo recreabantur, alii nihil utilitatis exinde referebant; de quibus poſterioribus nulla erat mentio; qui uero aduerſam ualetudinem mutabant, id ſalutaribus ſomniis et Aeſculapii conſilio ſe debere prae ſe ferebant 3).

§. 5. HYGIEA, ſ. Dea ſalutis, in Graecia pariter, ac Romae, admodum colebatur; eiusque templum Romae in monte Quirinali fuit; temporum uero iniuria periit. Nihil dubii et TELESPHORVM, conualeſcentium Deum, templa ſua habuiſſe, maxime Pergami, ubi admodum colebatur 4). IVVENTVS Dea templum ſuum Romae in Circo habuit.

§. 6. ROMA Dea humana forma honorabatur a Romanis non Romae tantum, inque aliis urbibus, ſed et in ipſa Graecia 5), eique multa ubique templa dicata fuere. In urbe templum Veneris et Romae Deae erat; reuera duo templa coniuncta fuiſſe putantur; ſed nihil eorum ad haec tempora ſupereſt. *Rufus* templum commemorat, Romae et Auguſto dicatum. Simile templum in urbe Mylera in Caria, ad oram Aſiae minoris, conſpicitur, cuius

Ff inſcri-

2) *Claudianus* lib. 3. de laud. Stiliconis, v. 171 - 73.

3) Vid. *Schwarzii* diſſert. de Aeſculapio et Hygea, 1742. Altorf. ubi etiam de apparitionibus. De incubatione in templis uid. *Herm. Conringii* diſſert. Helmſt. 1659.

4) Comites fere in numis *Hygiea* et *Teleſphorus*; uide praeter hiſtoricos medicinae, *Petri Zornii* diſſertationem tom. 2. faſc. 1. miſcell. Groning. p. 195. et ſupra p. 67.

5) Imo hic prius. Ita *Smyrnaei* ap. Tacitum gloriantur primi Romae templum poſuiſſe. Vide de templo urbis in urbe *Lipſium* de magnit. lib. 3. c. 6.

inſcriptio graeca huiusmodi eſt: *Populus Imperatori Caeſari, diui Caeſaris filio, Pontifici maximo et Deae Romae.* Columnae ordinis Ionici ſunt ſtriatae, atque ornamentis non uulgaribus decoratae, tum in parte capitellis uicina, tum etiam infernis prope baſin. Zophorus pampineis ſtrobilis et floribus decoratur.

§. 7. In Graecia erant templa CASTORIS et POLLVCIS fratrum 6), qui alio nomine *Dioſcuri* uocantur. Magna in ueneratione templum eorum in Foro Romano conſtitutum fuiſſe teſtatur *Strabo;* quae uero forma fuerit ignoratur. In circo Flaminio quoque Caſtoris templum erat; quod ideo hoc loco collocatum uidetur, ut Caſtor, ob equeſtrem potiſſimum peritiam clarus, equorum curſui in circo hoc praeeſſet. NEMESIS 7), quae a nonnullis pro matre Dioſcurorum habetur, in Graecia, et potiſſimum Smyrnae, templum ſuum habuiſſe dicitur.

§. 8. Nullum nomen fuit, tot templis Romae celebratum, quot FORTVNA DEA. In accliui quodam Capitolii templum eius erat, prope Iouem Tonantem; aliud in foro Romano a Seruio Tullio conſtructum, cuius ſtatua lignea, ut narrabant, quum templum totum incendio abſumtum eſt, integra incolumisque remanſit. Alia Templa erant *Fortunae fauentis*, *Muliebris*, *Viriplacae*, *Seiae*, *Liberae*, *Statae*, *Reducis*, *Primigeniae*, *Nouae*, *Huius Diei*, *Equeſtris*, *Dubiae*, *Molae*, *Paruae*, *Bonae* 8), etc. neque mirandum eſt, illam apud Romanos tot cultam honoribus fuiſſe, cum illa pro bonorum munerumque omnium diſpenſatrice habebatur. Eam itaque quisque ſibi propitiam reddere ſtudebat; hinc ei arae erigebantur, templa excitabantur, uariis nominibus, pro diuerſis fundatorum commodis, quae a Fortuna quaerebantur. Sed horum omnium templorum ne rudera quidem ſuperſunt, nec niſi coniecturis leuibus internoſci poſſunt. Aliud Fortunae templum priſcis illis temporibus admodum celebre fuit; *Fortunae* ſcilicet *Praeneſtinae;* Praeneſte uero hodie *Paleſtrina* uocatur. Nulla in re hoc templum aliis ſimile eſt; ex forma theatrum potius, quam templum eſſe putes, et non ſine quodam conſilio hanc figuram templo Fortunae indidiſſe uidentur. Fortuna quippe, ſecundum ueterum mentem, qui ipſi omnes rerum caſus atque euentus adſcribebant, theatrum erat atque ſpectaculum perpetuum: atque ea etiam cauſa talis aedificii haberi poſſit, quod omnes ſcenae actaeque, quae in theatris repraeſentabantur, quosdam fortunae euentus reſpicerent. Columnae in dimidii Circuli formam poſitae, quae planam ſtratamque ſuperficiem ſuſtentant, locum illum, uti uidetur, complectabantur, ubi poſita erat Fortunae ſtatua. Ex hoc loco columnis ambientibus ornato, per duodecim gradus in aliud magnum et quadratum periſtylium deſcenditur, quod arcubus et columnis a ſingulis lateribus exornatum, ſubdiale et quadratum in medio grande ſpatium relinquit, ut in periſtyliis monaſticis hodiernis obſeruatur. Praeter porticus illas interiores, exteriores quoque uiſuntur cum columnis. Ex his porticibus exterioribus plana ſtrataque ſuperficies ſine gradibus adibatur, quae ſub dio poſita tectum erat Baſilicae infra ſtructae, idque ſimiliter ex utraque parte: altera Baſilica *Cornelia* uocabatur, altera *Aemilia*. Ex periſtylio item deſcendebatur in atrium ſubdiale ſtratum, cuius extremum ex utraque parte ad duo aedificia pertingebat in demiſſiore ſolo ſtructa; alterum erat *Schola Fauſtiana*, in quo puellae educabantur eae, quae in numis uocantur *puellae Fauſtianae*; alterum erat templum *Serapidis* quod *Serapium*, ſ. *Serapeum*, appellabatur. Hinc deſcendebatur in aream grandiorem, in cuius lateribus duae piſcinae erant, ad ſacerdotum ablutionem, et forte ad aſperſionem ceterosque templi uſus. Schema huius templi, quale Roma accepimus, offerimus. *Fig. 5.* Aliud Fortunae templum, quod *Fig. 6.* ex numo deſcripſimus, facile dignoſcitur ex imagine ipſius Fortunae, quae in eius ingreſſu repraeſentatur. Vt mulier depingitur dextera manu temonem, laeua cornu copiae tenens. Polum capite geſtat, ut in plerisque aliis imaginibus. Templum quatuor columnarum repraeſentatur. Inſcriptio ſic legenda: ἐπὶ φλαβίου φιςίκου ἀρχιερέως Ευμενέων Αχαίων, i. e. *ſub Flauio Phiſico ſummo Sacerdote Eumeneorum Achiuorum*, qui erant Phrygiae populus.

§. 9.

6) Tale Athenis, Ανακειον dictum; ubi ſerui uenum ibant.


7) De ea ſupra p. 71. n. 3. ubi addiderim, faſciam non eſſe, quam tenet, ſed frenum, *capiſtrum*. Corte ex anthologia *Voſſius* de Idolol. citat:

Η Νεμεσις προλεγω τω πηχει, και τω χαλινω,
Μη αμετρον τι ποιειν, μητ' αχαλινα λεγειν.

Nemeſis innuo cubito et freno,
Non praeter modum quid facere, nec infrenata dicere.


8) Ita et in Graecia. *Pauſanias* in Boeoticis narrat, antequam quis in *Trophonii* deſcenderit, aliquot dies in οικηματι Τυχης αγαθης et Δαιμονος αγαθȣ ſubſiſtendum fuiſſe.

1.



Serlius.

2.




Laurus.

3.




Choulius.

6.




Serlius.

5.



Romæ.

4.



Laurus.

1. Ichnographia Templi Pacis. 2. Orthographia eiusdem Templi. 3. Aliud Templum Pacis. 4. Templum Divi Antonini et Divæ Faustinæ. 5. Templum Remi. 6. Ichnographia templi ignoti prope Romam siti, forma singulari.

§. 9. Templum BONI EVENTVS prope Thermas Agrippae situm erat 9), et porticui magnae haerebat. DII LARES in aedibus priuatorum colebantur, ibique in sacellis modicis seruabantur, nihilo tamen minus Romae templum erat *Larium marinorum*. *Aedes Larium permarinum*, ut narrat *Liuius* *), ex uoto fundatum ab Aemilio Regillo, quum ad bellum contra Antiochum proficisceretur. MATVTAE DEAE templum in octaua urbis Romae regione positum erat. TVTELINAE templum in monte Auentino. SPEI templum in foro Olitorio, aliudque eiusdem Deae prope Tiberim uisebatur. FELICITATIS unicum tantum Romae templum erat. LIBERTATIS templum in Auentino monte situm erat, a Gracchis extructum, et uariis picturis ornatum. Atrium ibi erat Libertatis dictum, cuius in historia saepius mentio fit; Tarentinorum obsides ibi locati fuere; archiuum quoque in eo erat, maxime pro tabulis et actis Censoriis; ibidemque etiam leges contra Vestales, quae pudicitiam uiolarent, seruabantur.

§. 10. Iam ad celeberrimum PACIS 10) templum, et eorum, quae in urbe erant, maximum, a Vespasiano Imperatore eodem loco constructum, quo Porticus domus aureae Neronis erat, peruenimus. Magna huius templi rudera etiamnum supersunt, quibus exploratis, saeculo decimo sexto et Ichnographia et Orthographia delineatae sunt. Templum hoc, teste *Serlio*, qui in ipso, uti uidetur, loco orthographiam eius delineauit, longitudinis trecentorum et quinquaginta pedum erat; ducentorum quinquaginta latitudinis. Porticus longitudo ducentorum quadraginta quatuor pedum erat, latitudo autem pedum triginta. In frontispicio ante porticum octo, (alii sex tantum fuisse contendunt) erant columnae, immanis spissitudinis et altitudinis: quodque in templis ueterum minus frequens est, in hoc templo fenestrae conspiciuntur; fortasse amplitudo eius in causa fuit, ut contra uulgatiorem usum aliquid lucis per fenestras affunderent. Non mirum itaque, si hoc templum in praecipuis Romae ornamentis a *Plinio* ponitur. Pictura ibi antiquissima uidebatur Timanthis, aliaque in pretio habebatur, qua Ialysus repraesentabatur. Excellentissimorum quoque opificum statuae hic uisebantur; Veneris inter alias ab ignoto auctore; opus ueteri Graecia dignissimum; schema quoque ex basalte, marmore Aegyptio, quo, *Plinio* teste, 36, 7, nullum maius uisum erat, quo Nilus repraesentabatur, sexdecim liberis circa ludentibus, per quos totidem cubiti summi incrementi amnis huius intelliguntur. Istuc quoque delata fuere spolia templi *Hierosolymitani* 11). Totam interioris templi faciem opertam fuisse dicunt tabulis aeneis deauratis. Belli tempore omnes diuitias eo comportabant, ut in tuto essent. Tempore Commodi, Imperatoris, templum totum multorum damno conflagrauit. Huius templi Ichnographiam, Orthographiam et interiorem faciem damus *Fig. 7.* et *Tab. XLVIII. Fig. 1.* et *2.* Cui *Fig. 3.* aliud schema adiicimus, ex nummo per *Choulium* Tab.
publicato. XLVIII.

§. 11. An TRANQVILLITAS templum peculiare habuerit, ignoro; aras illi sacratas fuisse, non negamus. Tantas uictorias quum Roma ab omnibus fere populis reportauerit, non mirum, si plura quoque huic Deae templa consecrata fuerunt. Vnum illius templum erat in Octaua urbis regione; duo in Palatino monte, unum in Auentino, aliudque paruum, quorum omnium nihil superest.

§. 12. Nec satis habuere, diuinos honores conferre et templa exaedificare donis muneribusque supremi Numinis, quin etiam malis, morbis et infortuniis, prauisque rebus diuinos honores adscribebant. FEBRIS, quam ut Deam coluere Romani, auctore *Cicerone*, templum habuit in monte Palatino. Duo etiam alia, *Valerius Maximus*, ipsi consecrata, dicit. An PAVOR, quem Romani diuino honore prosequebantur, templa aut aedes habuerit, ignoramus 12); sed Lacedaemone τοῦ φόβου, i. e. Pauoris, templum fuisse, dubio caret. TEMPESTATIS templum erat in prima regione urbis Romae, fundatumque fuit a Metello in gratiarum actionem, quod e tempestate euasisset inter Corsicam et Sardiniam insulas. LAVERNAE, furum Deae, pro templo antrum erat, quo fures manubias suas atque furta comportabant. NECESSITAS et VIOLENTIA, secundum *Pausaniam*, in Acrocorintho templum habebant; quod ingredi non licebat.

Ff 2 CAPVT

9) Eius longas et quadratas ruinas inter aedes S. *Eustathii* et *Mineruae*, quidam uidisse se putant.

*) Vid. supra pag. 47.

10) Vid. *Lipsius* de magnit. lib. 3. 5. 6. et *Ioseph Castalio* tomo 4. Graeuii.

11) De iis uid. *Relandi* liber de spoliis templi Hierosolym. in arcu *Titiano* Romae conspicuis, 1716. editus, et in *Vgolini* thesauro tomo 9. recusus.

12) Vide supra p. 78.

CAPVT VI.

De templis Virtutum in numero Deorum repositarum, aliisque quam plurimis.

§. I.

VIRTVTVM etiam tum apud Graecos, tum apud Romanos, templa erant. HONOR et VIRTVS saepe simul procedunt 1), quae etiam causa fuit, ut simul colerentur. Templum autem suum habebant prope monumenta, quae Mariana cognominabantur, in quinta urbis regione; illudque undique porticibus instructum fuit. Propter portam Capenam templum aliud Honoris, aliud Virtutis, erat. FIDEI templum erat in monte Palatino, aliud in Capitolino 2). PIETATIS templum in foro Olitorio uidebatur, ab Acilio Glabrione extructum, qui ibidem statuam patris deauratam reposuit; illaque statua, *Liuio* lib. XL. c. 34. et *Valerio Maximo* testantibus, prima fuit, quae Romae deaurata conspiciebatur. CONCORDIAE templum 3) in decliui Capitolii fuit, eiusque porticus, quae adhuc uidetur, sex in frontispicio columnas habet. Aliud etiam Concordiae templum in porticu Liuiae erat. Praeter haec, aliud paruum erat eiusdem Deae templum, in monte Palatino a C. Flauio structum, ex uoto pro reconciliando senatu et populo. Totam ille aeneam fecit hanc aedem in Graecostasi, *Plin.* XXXIII. 1. et quum ad id pecunia publica non decerneretur, ex mulctatitia, foeneratoribus condemnatis aeream fecit aedem. Romae item in foro boario templum erat PVDICITIAE 4) *Patriciae*, cuius iam nec uola superest. CLEMENTIA 5) templum habuit, cuius frontispicium quatuor columnarum in numis conspicitur. LVNAE etiam templa Romae fuerant; aliud in quarta urbis regione; aliud in monte Auentino; aliud in monte Palatino, quod ceteris singularius erat, quod, *Varrone* teste, tota nocte lucebat; incertum an prodigio, an praestigiis, an causa naturali; ideoque templum *Lunae noctilucae* nuncupabatur.

§. 2. Alia templa Romae erant uariorum Numinum, quorum uix nomina supersunt, quae et apud ueteres non adeo celebrata fuere; unde illa hic commemorare supersedemus. Silentio tamen non praetereundum hoc loco est templum *Antonini et Faustinae* 6), hodie Ecclesia *Sancti Laurentii in miranda* dictum, cuius conspectum *Fig. 4.* damus. Addimus huic templum *Remi*, quod hodie est Ecclesia sanctorum Cosmae et Damiani 7), cuius delineationem *Fig. 5.* exhibet. Templum *Romuli* in octaua urbis regione collocatum erat. His *Fig. 6.* aliam addimus Ichnographiam templi prope Romam siti, forma plane singulari, quam *Serlius* delineauit.

§. 3. Haec Romae templa et longe plura fuerant; et in inscriptionibus, quae in dies eruuntur, alia saepius templa commemorantur, antea minus nobis cognita. A uiris rei antiquariae peritis perhibetur, superioribus saeculis, antequam profanorum Numina abrogarentur, templa, aedes, aediculasque circiter mille, Romae fuisse; quod facile credas, quando in solo Capitolino monte, quae non erat trigesima urbis pars, ad circiter sexaginta numerabantur 8).

§. 4. Liceat hoc loco adhuc de quibusdam templis mentionem facere, quae non in urbe Roma, sed aliis in regionibus et urbibus, structurae artificio sese commendabant, et ex
Tab. XLIX. parte adhuc supersunt. Sic elegans omnino templi schema est, quod *Tab. XLIX. Fig. 1.* proferimus, quod adhuc integrum superest; rotundum illud est, fornixque siue tholus eius supra tabulatum plus erigitur, quam uetera templa soleant; extrinsecus circumpositum habet columnarum Corinthiarum porticum, quae praealta substructione lapidea nituntur; ad porti-

1) Vide Cl. *Gruneri* commentat. de *honore* et *uirtute*, diis adsessoribus, tomo 1. actor. soc. lat. Ienensis pag. 92. seqq.

2) Inde *Ennius* describit: O *Fides* alma, *apta pinnis*, scil. Capitolii, non, quod quidam putant, *alata*. *Cic.* de offic. lib. 3. c. 29.

3) Eius ichnographia extat in *Rycqii* Capitolio.

4) Vid. pluribus *Liuium* l. 10. c. 23.


5) De ara *Clementiae*, quam Deam Athenienses coluerunt, uid. *Ramirezii* pentecontarchus c. 16.

6) Seruatur hodieque inscriptio: DIVO ANTONINO ET DIVAE FAVSTINAE EX S. C.

7) Alii templum *Castoris* et *Pollucis* hic fuisse opinantur.


8) Praeter aediculas et sacella, in notitia imperii occid. 424. templa Romae numerantur; quorum potiora enarrat *Kippingius* lib. 1. c. 8. §. 5. seqq. Ecquae illis hodie *Sanctis* dedicata, *Georg. Fabricius* in Roma c. 9.

1.




ex Anglia missum a D. Astleyo.

2.




Sponius.

4.




Nemausi.

3.




Nemausi.

5.




Memoires de M. de Monceaux.

1. Orthographia templi rotundi elegantissimi, loco ignoto positi. 2. Templum extra Athenas positum. 3. Orthographia templi Nemausensis. 4. Ichnographia templi eiusdem. 5. Orthographia exterior et interior Veteris templi Balbeci s. Heliopoleos.




1.

2.



1.2.3. Memoires de Mr. de Monceaux.

3.



1. Ichnographia templi Veteris Balbeci sive Heliopoleos. 2. Orthographia exterior templi eiusdem. 3. Ejusdem Orthographia interior.

porticum et ad templum aditur per ſcalam duodecim graduum; hinc ſuſpicio eſt, fundamentum templi ſolidum eſſe, totumque templi ſpatium ſ. campum occupare, ut ſupra in Romano Pantheo obſeruauimus. Huic ſubiungimus aliud templum *Fig. 2.* A *Sponio* repraeſentatum. Situm illud eſt extra urbem Athenarum, forma quadratum et oblongum eſt, totumque marmoreum; longitudo templi centum eſt, latitudo uero quadraginta quatuor; in zophoro frontiſpicii exterioris et inferioris pugna Centaurorum cum Lapithis delineata uidetur; ceterum hoc templum poſt pugnam Marathoniam conſtitutum eſſe, *Sponius* putat, uariis ſculptarum imaginum notis eo adductus.

§. 5. Non ſilentio praetermittenda domus illa quadrata *Nemauſienſis*, quam olim templum fuiſſe, nullum dubium ſubeſt; cui numini ſacrum fuerit, ignoratur; incolae ab Hadriano in honorem Plotinae, Traiani uxoris, illud excitatum eſſe contendunt. Sequiori tempore aedificium iſtud aedis publicae loco habitum eſſe, quo Conſules urbis ad negotia ciuilia tractanda conueniebant, uero admodum ſimile eſt. Schema illius exhibet *Fig. 3.* et Ichnographiam *Fig. 4.* Frontiſpicium ſex columnarum eſt, praetereaque duae in utroque latere ſunt, quae porticum efficiunt, ad quam multis gradibus aſcenditur; columnae ſtriatae ſunt ordinis Corinthii; capitella et zophorus elegantiſſimae ſculpturae, ita, ut hoc aedificium egregium architectonices exemplum habeatur. Praeter porticus columnas aliae in circuitu columnae ſunt, media ſolum ſui parte prominentes; longitudo pedum eſt ſeptuaginta quatuor, latitudo pedum quadraginta unius, ſexque pollicum; hodie eſt Eccleſia Auguſtinianorum.

§. 6. His ſubiungi meretur magnificum *Balbeii* templum, quod uetus eſſe putatur *Heliopolis* 9), quodque etiamnum in Syria conſpicitur; id quod plures affirmant, qui iſtas regiones peragrarunt. Illius Ichnographia, Orthographia et aſpectus interior Lutetiae in cera inciſa fuere. Eſt autem peripterum perfectum, undique alas, ſ. porticus externas habens; eſt etiam pſeudodipteron, quod ſcilicet unum tantum columnarum ordinem in porticibus habeat, quum contra Dipteron duos haberet ordines; quadratum porro oblongumque hoc templum eſt, cuius longitudo latitudinem bis exaequat; una cum ſcala ducentos pedes longum, et adiunctis porticibus centum pedes latum; frontiſpicium eſt octo columnarum ſtriatarum ordine Corinthio, perinde ac ceterae omnes columnae. Praeter primum illum columnarum ordinem alius interior ante portam eſt, qui porticum illam ampliorem conſtituit. Longiora templi latera quatuordecim columnis ornantur; ſique annumeres eas, quae angulos conſtituunt; totus templi ambitus quadraginta columnis exornatur. Interiora templi pari magnificentia ſunt, immo exteriora ſuperare uidentur. Quod autem ſingulariſſimum hic eſt, fornices ſupra fornices ſuperſtructae ſunt, ita quidem, ut ſuperiores iisdem fundamentis nitantur, quibus inferiores. Cetera, quae hic commemorare ſuperſedemus, ex *Fig. 5.* et *Tab. L. Fig. 1. 2.* et *3.* quae tum exteriorem, tum interiorem, huius templi adſpectum una cum ichnographia produnt, colligi facile poſſunt. Tab. L.

§. 7. Plane uero ſtupendum uidetur templum illud *Cyzicenum*, quod *Xiphilinus* templorum omnium maximum celebratiſſimumque fuiſſe tradit, in fine uitae Antonini Pii. *Ferunt*, inquit, *ſub Antonino Pio in Bithynia atque Helleſponto horribilem fuiſſe terrae motum, quo aliae urbes concuſſae dirutaeque ſunt, maxime autem Cyzicus eiusque templum, omnium templorum maximum et pulcherrimum, quod cum ciuitate corruit, cuius columnae omnes ex uno lapide erant, craſſitudine quatuor orgyarum altitudineque cubitorum quinquaginta. Ornatus uero eius tanti decoris erat, ut facilius mirareris illa, quam deſcriberes.*

§. 8. Praeter haec templa multa alia occurrunt in numis, aliisque monumentis, ſine nota aliqua numinis, cui conſecrata fuere, et in plerisque ne loci quidem, ubi extabant. In proferendis illis ratio nonnunquam haberi quoque ſolet numeri columnarum, quibus frontiſpicia ornata ſunt; quem numerum a duobus ad duodecim usque augeri uidemus. Plures templorum Ichnographias et Orthographias qui conſpicere deſiderat, adeat *Soriam*, qui in colligendis eiusmodi ſchematibus diligentiſſimus fuit.

9) Pluribus deſcribitur in hiſtoria uniuerſa ex anglico tranſlata, tom. 2, §. 171. ſeq.

LIBER TERTIVS.

DE
ARIS, INSTRVMENTIS SACRIS ET SACRIFICIIS.

Capvt I.

De Aris.

§. 1.

De Aris acturi primo de nomine ipſo quaedam praemonebimus; deinde diuerſas ararum formas atque materias, & loca, quibus poſitae fuere, indicabimus; et denique aliquot ararum ſchemata ſubiungemus.

§. 2. Vtrum uoces *Arae* atque *Altaria* ſynonyma ſint, nec ne, non ſatis liquet 1). Sunt, qui *aram* pro parte tantum altaris accipiunt 2); alii uocem *arae* adhiberi contendunt, ſi de falſis numinibus ſermo ſit, ſi uero de Deo uero loquamur, id, quod alias aram appellamus, ſtilo, quem Eccleſiaſticum dicunt, *altaris* nomine nuncupandum eſſe: uerum haec duo uocabula promiſcue paſſim occurrere, ſatis notum eſt; ſicut nec iſtam diſtinctionem ubique 3) obſeruatam fuiſſe uidemus, qua nonnulli perhibent, Diis ſuperis, in aris eminentioribus et ſuper terram erectis, Diis terreſtribus, ad ipſam terram, Diis uero inferis, in foueis, ſacrificatum fuiſſe.

§. 3. Non eiusdem erant formae. Aliae quidem quadratae, aliae oblongae 4), rotundae aliae, paucae pluribus angulis, nonnullae quoque forma triangulari. Nec altitudo earum una fuit; quod in anaglyphis et aliis, quae ſuperſunt, aris, obſeruare licet. Aliae quippe ne ad genua quidem ſacrificantium pertingebant, aliae ad zonam; aliae etiam altiores erant, praeſertim rotundae, ut interdum aram a columna uix diſtinguas 5). Aliae porro ſolidae fuerunt, aliae a ſuperiore parte excauatae, idque tum recipiendis libationibus, tum uictimarum ſanguini.

§. 4. Si de materia quaeras, ex petra uel ex marmore plerumque fiebant, ex aere non niſi rarius. In templo quodam Babylonico, cuius *Herodotus*, Lib. I. c. 183, mentionem facit, ſtatua Iouis aurea erat, poſitaque ante illam ara ex eadem materia, in qua lactantes tantum immolabantur uictimae. Ligneae quoque arae, ſed minori numero, paſſim occurrunt. Aliquae harum una cum uictimis comburebantur; qualis illa fuit, quam, teſte *Pruſania*, Lib. IX. c. 3. Boeotii in cacumine montis Cithaeronis conſtruxerant ex quadratis lignis, quibus magnam ſarmentorum congeriem imponebant, eamque accenſam una cum uictimis comburebant. Qui amplioribus inſtructi erant facultatibus, uaccas et tauros cum uino et aromatibus ceterisque ad ſacrificia adhiberi ſolitis, offerebant; qui uero tenuiore fortuna erant, oues et agnos adducebant 6). Ruſtici uillicique ex ceſpite aras conſtruebant 7), easque *ceſpi-*

1) Diſtinguunt *Feſtus* et *Seruius* ad *Virgil.* Eclog. 5. *Aram Varro* tradit prius Aſam, mox *anſam* dictum fuiſſe: ſiquidem fides ſit eius, minus aptis ſaepe, deriuationibus.

2) Qui facere uidetur *Salinus* c. 9. *Ara* eſt in cacumine, Ioui dicata, cuius *altaribus* ſi qua de extis inferuntur etc. ut ſuperior quaſi impoſita pars, altare dicatur. Sequiores dixerunt etiam *Altarium.* Loco *altare* occurrit etiam *altar*.

3) Saepius tamen et plerumque. Ita *Vitruuius* lib. 4, 8. docet, Iouis ſuperûmque aras excelſas, *Veſtae* autem, *Telluris*que et alias, depreſſas. Graeci certe Heroibus tantum ἐσχάρας tribuunt aras, quae a terra parum abfuerunt: inferis autem diis, λακκȣς, Βοθρȣς, foſſas, foueas. Vnde et montes et cacumina, Ioui aut ſuperis ſacra.

4) Επιμηκȣς arae, Parcis dictatae, mentio apud *Pauſaniam* in Eliacis: nec rarior eſt quadratarum; uulgaris autem fere rotundarum in numis conſpectus.

5) Iouis Olympici aram *Pauſanias* Eliac. commemorat, 22. pedes altam.

6) Siquidem eſſent arae uulgares. Erant enim etiam ἀναιμακτοι, quibus ſanguinem infundi, et ἄπυροι, quibus ignem inferre, nefas. Vid. *Laert.* in uita Pythagorae. Aliae ἔμπυροι quidem, ſed ἀναιμακτοι.

7) *Horat.* carmin. 1, ode 19, v. 13. 14. *Ouidius*, Triſtium

cespititias, uel *gramineas*, nuncupare solent auctores; graece βωμοὶ αὐτοχέδιοι dicebantur, quod nullo sumtu (et sine mora) parabiles erant. Venit hoc loco in mentem quaerere, quid sub ara illa triplici, τριβώμῳ, intelligendum, quae olim Romae in templo Aesculapii posita dicitur, id quod ex inscriptione quadam, quam *Gruterus* p. 71. exhibet, nonnulli colligunt. Nobis tres arae uicinae uidentur, quae iuxta se positae fuerant, et in inscriptione una uoce τρίβωμος in singulari posita denotantur. In promtu sunt etiam exempla ararum, quas aceruus cinerum constituebat; qualis erat ara Iouis Olympii 8); sicut aliae, quanquam rarius, ex lateribus componebantur, ideo *lateritiae* dictae 9). Ab *Eustathio* ad *Hom.* Iliad. 8. mentio quoque fit arae, ex cornibus animalium constructae, qualem Ephesi fuisse dicunt, quam Apollo ipse ex cornibus caprarum, a Diana interfectarum, composuisse fertur 10).

§. 5. Diebus solennibus, foliis ramisque aras exornabant ueteres; ex arbore potissimum illi numini sacra, cui ara dedicata fuit. Sic ara Iouis folia ramosque fagi, Apollinis lauri, Mineruae oliuae, Veneris myrti, Herculis populi, Bacchi hederae, Pani pini, apponere solebant; id genus *uerbenas* uocabant. Sculpturis quoque arae nonnumquam ornabantur, quae uel Deorum, quibus illae dictatae fuerunt, imagines, uel eorum symbola conspicienda dabant.

§. 6. *Locus* porro 11), quo arae poni solebant, si indicandus est, notandum, illas ut plurimum in templis ante statuas numinum ita fuisse collocatas, ut, qui sacrificabant, Deum suspicerent; aliquando uero etiam in medio templorum positae fuerunt. Imo etiam extra templa arae nonnumquam ponebantur, quales passim Romae fuisse, notissimum est. Talis erat et illa, quam S. Paulus Athenis inuenit ignoto Deo dicatam 12). Addimus huic aram duodecim Deorum, quae uel Athenis, uel proxime Athenas, conspiciebatur, cuiusue *Herodotus* in Euterpe capite VII. mentionem facit; forte idem haec erat cum Dodecatheo, s. templo duodecim Deorum; cuius iam supra p. 105. mentionem fecimus. In agris, quae ponebantur arae, illae Diis rusticis dicatae uidentur; Pani scilicet, Siluano atque Vertumno; in montibus quoque ueteres aras suas libentius collocarunt. Immo aras mobiles, quales apud Christianos passim uisuntur 13), profanos quoque habuisse, constat. Quid? quod in Circis, theatris, conuiuiis atque terminis uariorum numinum, arae nonnumquam conspiciebantur.

§. 7. Iam indicandum esset, quibus potissimum Numinibus arae istae positae fuerint. Sed quum omnibus et singulis Diis atque Heroibus uarii generis aras dicatas fuisse constet: longum nimis esset, singulas enumerare. Hoc potius adhuc monendum erit, quod multae saepius in eodem templo arae collocatae fuerint, eidemque sacrificio plures subinde inseruierint. Sic *Virgilius* in templo Iouis Hammonis in Libya centum fuisse aras dicit 14), totidemque in templo Veneris Paphiae numeratas esse perhibet.

§. 8. De usu tandem ararum notandum, quod praeter uaria, quibus illae inseruiebant, sacrificia, etiam foedera et sacramenta apud easdem facta fuerint. Arae, teste *Cicerone*, iurando tangebantur, ut solenniora iuramenta essent: ad aras nuptiae celebrabantur, amici-

 tiaeque

stium lib. 5, eleg. 5, 9. nec tantum a rusticis, sed etiam ab aliis, si res moram non pateretur. *Gramineas* aras dixit *Silius* lib. 4, v. 703.

8) Narrat *Pausanias* Eliac. 1. idem mentionem facit altaris apud Thebas, a quo Apollo σποδιος dictus.

9) *Pausanias* lib. 6.

10) *Laertius* in uita Pythagorae κερατινον, *Plutarchus* in Theseo κερατωνα βωμον, nominat. Distinguendum igitur ab ἐυκερατῳ βωμῳ, altari cornibus instructo, seu quod uictimae ad cornua ligarentur, seu incertae religionis caussa; unde Poetae epitheton desumunt. Mosen cornua altari fecisse, discimus ex *Exod.* 27, 2.

11) Addendum: orientem uersus posita fuisse altaria, ut testatur *Vitruuius* lib. 4. c. 8. et quidem humiliora semper ipsis simulacris. Inscribebantur plerumque nomina numinum, quibus sacra essent; aut certe insignibus eorum additis id significabatur. Consecrabantur porro, coctis leguminibus, corona, oleo, precibus, sacrificiis aut diris adeo: prout uaria erant numina. Vid. *Potteri Archaeol.* lib. 2. c. 2.

12) *Act.* 17, 23. *Pausanias* de aris ignotorum deorum et heroum, athenis, tradit: in dialogo *Philopatris* iuratur per *ignotum Athenis*. Plura dabunt, qui dedita opera locum illustrant. Vide *Fabricii* bibl. antiquaria, p. 295.

13) Antiquissima fere mentio *portatilium* ararum, occurrit in historia *Ewaldorum*, qui presbyteri in Frisiam euangelii proferendi caussa, iuerunt, finiente saeculo 7; inde et saepius.

14) Id quidem *Virgilius* non dicit; sed *centum* templa et *centum* aras, (non autem in *uno* templo) posita fuisse. Vid. Aeneid. 4. v. 203. De templo Veneris autem scribit Aen. 1. v. 420. *ubi templum illi, centumque Sabaeo Thure calent arae.* Sed id Poetae dandum.

tiaeque iungebantur; quarum rerum exempla apud Auctores paſſim occurrunt. Aras item a falſa perinde ac uera religione aſylorum ius habuiſſe, notiſſimum eſt 15).

§. 9. Supereſt, ut aliquot ararum ſchemata addamus, ut forma illarum Lectoribus clarius innoteſcat. Quam *Tab. LI. Fig.* 1. exhibemus, ara Neptuno dicata fuit, quod ex tridente et delphinibus facile colligimus. Ara alia *Fig.* 2. et 3. in duobus lateribus (tertium latus, quod formam illius triangularem compoſuiſſe ueroſimile eſt, non conſpicitur) bacchantem exhibet, alteram quidem cum thyrſo, alteram uero duabus tibiis canentem; quod indicio eſt, aram Bacchi ſine dubio eſſe. Tertiam *Fig.* 4. Nympharum fuiſſe, ex ipſa inſcriptione patet. *Bonanius* ſimilem ſecundae illi arae, quam *Fig.* 5. 6. et 7. exhibemus, tripodem nuncupat. Tria ſcilicet et haec latera habet, totidem geniis notata, quorum unus remum, Neptuni ſymbolum 16), collo geſtat; ex quo huic numini illam dicatam fuiſſe, recte colligimus. Quatuor arae ſequentes, *Fig.* 8 — 11. Antii nuper erutae ſunt; quae urbs hodie lingua uernacula *Nettuno* uocatur, quia Neptuni cultus eo loco ad oram maris ſito uigebat 17). Sunt autem illae unius quaſi formae, rotundae ſcilicet, & ſuperiori parte excauatae; altitudo ſingularum duas circiter diametros exaequat. Primae illarum *Fig.* 8, quae, teſte inſcriptione, Neptuno, dicata fuit, eiusdem Dei effigies inſculpta eſt, pallium humeris geſtantis, quod nuditatem illius minime tegit; ſiniſtra tridentem, dextra delphinum tenet. Quae capiti illius ſuperimpoſita uidetur figura, ornamenti loco eſſe uidetur, niſi forte duplicem tridentem denotat. Secunda ara *Fig.* 9. uirum alatum exhibet, cuius pallium uentorum flatu exagitatur, qui marina concha ceu tuba canit. Aram autem hanc *uentorum* eſſe, ex inſcriptione apparet. Tertia *Fig.* 10. nulla quidem inſcriptione inſignitur, ſed tridentem tantum prominentem praefert; quod ad denotandum Neptunum, cui dicata, forte ſufficiat. In quarta *Fig.* 11. nauis conſpicitur, in qua nauta remo aſſidet, uelum expanſum et apluſtre ad proram affixum, cum inſcriptione, *ara tranquillitatis*.

§. 10. Praeter aras hactenus repraeſentatas, aliae ſaepe inſolitae formae erigebantur. Talis illa fuit, quam ſupra *Tab. XV. Fig.* 5. Mercurium inter et Herculem conſpeximus. Singularis enim illa formae eſt, mobilisque uidetur; forma quadrata eſt atque humilis, et ſenſim minuitur ad ſupremam partem tandens; ceterum pedibus nititur, quorum ope facile ex loco alia in alium transferri et ſtatui poterat. Rariſſimae porro arae ſunt, quae uictimam geſtant, qualem *Fig.* 12. exhibemus. Haec Romae uiſebatur quadrata una cum ariete, ſuperiori illius parti impoſito. Quadratae arae ſuperficies alia ora rotunda tecta uidetur, cuius medium concauum eſt, et in quo uictimae uenter reponitur, ex quo inteſtina egredi uideas; unde coniicere licet, inteſtina eodem forte ſtatu ſeſe offerre, quo haruſpices atque ſacerdotes ea explorare, ex iisque futura diuinare conſueuerant. Addimus huic monumentum recens effoſſum A. 1721. in uico quodam, Norri nomine, haud procul a Muſſiponto, qua ad Metenſem urbem itur, cuiusque ſchema *Fig.* 13. 14. 15. conſpiciendum damus. Ara iſthaec in latomiis erat. In anteriore facie inſcriptio habebatur his uerbis: *Ioui Optimo Maximo et Herculi Saxano Publius Talpidius Clemens Legionis Octauae Auguſtae cum militibus legionis eius uotum ſoluerunt lubentes merito*: ubi priora uerba *Ioui Optimo Maximo et Herculi Saxano* 18) forte tempus indicarint Diocletiani et Maximiniani, quorum primus *Iouius*, alter *Heraclius* appellabatur; quandoquidem et Auguſtorum horum numiſmata hac inſcriptione, *Ioui et Herculi*, notata fuiſſe conſtat. Hercules uero hic *Saxanus* appellatur, quaſi in ſaxo, ſ. rupe poſitus, quia haec ara in latomiis poſita fuit. Legionis porro octauae milites hoc illi nomen dedere, inducti exemplo Herculis illius Tiburtini, qui a ſaxis et rupibus, quae Tiburem circumdabant, etiam Saxanus appellabatur. Erat item Romae aedicula *Bonae Deae ſubſaxanae*, quia ſub rupe quadam poſita fuit. Claua Herculis hoc loco modo minus ſolito concinnata eſt: capulum habet non inelegantis formae cum funiculis prominentibus, ne ex manu facile excidat. Arae ſuperficies in medio concaua eſt, in modum crateris aut paterae, ad libationes et ſanguinem uictimarum excipiendum.

§. 11. Marmor ſequens *Fig.* 16 — 19. A. 1719. cum R. P. Dominicani ut bibliothecae locum adaugerent, in Minerua aliquot aedificia dirui curarent, ea forma erutum eſt, qua hic exhibemus. Rei antiquariae periti ſtatim in diuerſas abiere ſententias, minus certi, utrum pro

15) Sed et conſtat, nec inter profanas, nec chriſtianas gentes defuiſſe, qui moleſtam aliis religionem iſtam accuſarent. Ita Euripid. *Ion*, v. 1314.
Τους μεν γαρ ἀδικους, βωμους οὐχ ἵζειν, ἐχρῆν, ſeqq.

16) Nonnumquam et *Fortunae*.

17) Vid. *monumenta ueteris Antii*, Phil. a *Turre*, Rom. 1700. 4.

18) Veroſimilius haud dubie, ſi *Saxanus* abeſſet.



Aræ formæ Variæ diversisque Numinibus dicatæ. Sic aræ 1, 5, 6, 7, 8, et 10 Neptuno; aræ 2 et 3 Baccho, ara 4 Nymphis, ara 9 Ventis, et ara 11 Tranquillitati positæ fuere. 12. Ara victimam suam gestans. 13, 14, 15, pro voto habetur I.O.M. et Herculi, vel potius Ioviano et Heraclio facto. 16, 17, 18, 19. pro ara habetur Isidi sacra.



Tripodes variæ formæ. 1, 2, 8. Tripodes absque vasis. 3. 4. 7. Tripodes cum vasis impositis. 2. Tripus cum peculiari fulcro. 5. Fulcrum Tripodis Delphici. 6. Tripus cum aculeo in medio. 9. Actus religiosus ad Tripodem. 10. Tripus variis serpentis circumplicati gyris conspicuus. 11. Tripus communis mensæ loco lecto appositus.

pro ara, an potius pro ſtatuae cuiusdam baſi accipiendum eſſet. Aram eſſe ſuadebant inſtrumenta in ſacrificiis uſurpata, quae in uno latere conſpiciebantur. D. Abbas *Oliua*, in Diſſertatione de hoc monumento conſcripta, pro neutro habet. Forte uotum eſt Iſidi factum et in hoc marmore expreſſum, cum quibusdam Diis Aegyptiis aliis. Prima marmoris facies *Fig. 16.* inſcriptionem prae ſe fert: cuius licet priores litterae exciderint; poterit tamen ſine periculo legi *Iſidi ſacrum.* Schema eſt uas magnum, ſ. modius, in conum deſinens, qui a ſerpente caput erigente circumplicatur. Sub ſerpente conſpicitur luna creſcens, ex qua aliquot ſpicae exſurgunt. Si forte mireris, cur in marmore, Iſidi ſacro, non ipſum hoc numen compareat, quum tamen Anubis, et Harpocratis effigies adſint? notandum, quod ſub modio iſto, ſeu urna, Iſis ipſa facile intelligi poſſit; cui ſententiae *Apuleius* quoque Lib. XI. met. accedere uidetur. Creſcentem quoque lunam nonnumquam pro Iſide haberi, dubio caret. Alia marmoris facies *Fig. 17.* Anubin exhibet cum capite canino, altera manu palmam cum ſitula tenentem. Commune quippe hoc uas numinum Aegyptiorum ſymbolum eſt, quo aquam Nili uitae copiam Aegypto ſubminiſtrantem, denotabant Diſcus, culter ille magnus, ad ſuccidendas uictimarum carnes, uasque illud aliud, (quae *Fig. 18.* facie huius marmoris tertia conſpiciuntur), inſtrumenta ſunt ſacrificiorum; quod forte ſacra facta fuerint Diis eo tempore, quo hoc marmor dicatum eſt. De Harpocrate, qui *Fig. 19.* quartam faciem occupat, nihil hic noui monendum. Plurimas adhuc aras inferius uidebimus, cum ſacrificiorum ſchemata exhibebimus.

Caput II.

De Tripodibus.

§. I.

Magnam cum aris cognationem habent Tripodes; quod non ſacris tantum uaſis ſuſtentaculo fuerunt, ſed et in iis aeque atque aris ſacra nonnumquam fieri ſolebant. Nomen tripodis commune eſt, omnium inſtrumentis, quae tribus nitebantur pedibus, ſeu menſae illa fuerint, ſeu ſellae, ſeu quidquid eius generis. Nobis de illis in ſpecie tripodibus erit ſermo, quibus in ſacris utebantur, et qui in monumentis ueterum tum Graecis, tum Romanis, paſſim occurrunt. Ad exemplar tripodis illius Delphici, cui Pythiae inſidebant, quum oracula funderent, facti putantur. Graeci enim (teſte *Herodoto* in Calliope p. 179.) poſt uictoriam ad Plataeas a Perſis reportatam, *collata pecunia decimam ſequeſtrarunt Deo, qui Delphis erat, ex qua tripus ille aureus conſecratus eſt, qui proxime altare tricipiti ſerpenti aeneo inſiſtit.*

§. 2. Tripodis uaria paſſim uiſuntur formae, quarum alii firmioribus pedibus, alii uerubus tantum ferreis nitebantur. Quem *Tab. LII. Fig. 1.* primum proferimus, ex Muſeo Brandenburgico prodit. Secundus *Fig. 2.* Illuſtriſſimi Dn. *Foucault* hoc habet ſingulare, Tab.LII. quod tres eius pedes peculiari ſuſtentaculo ſuffulciantur; qui deinde *Fig. 3.* et 4. ſequuntur, inferne in pedes animalium deſinunt; ubi hoc ſimul notandum, quod prioris illius pes unus circumuolutus ſit ſerpente, qui non tantum Solis et Medicinae ſymbolum eſt, ſed ipſum nonnumquam Apollinem denotat, qui arti medendi praeeſſe credebatur, perinde atque filius eius Aeſculapius. In ſuperno huius tripodis uaſe operculum eſt elegans, quod etiam in nummis nonnumquam conſpicitur. Qui hunc *Fig. 5.* excipit, pro fulcro tripodis Delphici accipi poteſt; quod locus *Herodoti* ſupra citatus declarat. Capita enim trium ſerpentum diremta triangulum quaſi deſignant; ita quidem, ut quodlibet eorum pedem tripodis ſuffulciat: corpora uero horum ſerpentum, continuis usque ſenſim laxioribus gyris conuoluta, ad terram usque tendunt, baſinque conſtituunt.

§. 3. Quem *Fig. 6.* damus, Tripus RR. PP. Ieſuitarum eſt Veſontionenſium. In eo hoc potiſſimum notari meretur, quod e medio aculeus erigatur. Sequens *Fig. 7.* Foroiulii ad oram maris erutus, et à Cl. *Peireſcio* allatus fuit. Proximus huic *Fig. 8.* uaſe, quod forte per iniuriam temporis excidit, deſtituitur. *Fig. 9.* circa alium tripodem tres perſonae ſacrum quidpiam perſoluere uidentur. *Fig. 10.* imitatur tripodem, ex nummo argenteo Lepidi. Conſtat autem uaſe magno atque rotundo, et admodum profundo, tribus pedibus nixo, quorum quilibet inferne in animalis cuiuspiam pedem, ſuperne uero in arietis caput,

cuius cornua ipſum uas permeant, ut eo firmius haereat, terminantur. Serpens enormis et ſtupendae longitudinis, mirisque circumplicatus gyris, non ipſi tantum uaſi imminet, ſed etiam pedes tripodis complectitur. Caput ſerpentis multos radios emittit, ex quo haud incongrue colligimus, Romanos, ad imitationem Aegyptiorum, ſolem quoque ſub ſerpentis imagine depinxiſſe. Aegyptii quippe Serapidem, quem ſolem eſſe putabant, corpore ſerpentino et capite tantum humano effinxerunt; immo Serapidem illos tota ſerpentina forma nonnumquam repraeſentaſſe, notum eſt. Si uero quis quaerat, cur hic ſerpens tot gyris uas illud cum tripode circumdet, linguamque uibret: ingenue fatemur, quod nil certi de hoc affirmari poſſit 19). Intra pedes huius Tripodis duo pulli uidentur, quos fortaſſe gallos dixeris, qui ſumma auiditate grana ipſis proiecta deuorant; id quod ad auguria optima pertinebat. Qui denique *Fig. 11.* lecto appoſitus eſt tripus, ex eorum numero eſt, qui menſae apponebantur.

Capvt III.

De Inſtrumentis Sacrorum.

§. 1.

Etſi ſacrificiorum, imo et ſacrorum omnium inſtrumenta infra, ubi de ipſis ſacrificiis agetur, pleraque occurrunt: ſingulatim tamen de illis hic agere placuit; ut uariae illorum formae clarius innoteſcant; cum inſtrumenta talia in ueterum obuia monumentis, quamuis eidem ſaepius uſui deſtinata, ſub diuerſa tamen forma, nec eodem modo confecta conſpiciantur. Facimus initium ab *Acerris*, ſeu arculis, quibus thus aliaque odoramenta reponebantur, quae cum ſacrificiis praecipue in manu Camilli, ſiue adminiſtri, et nonnumquam
Tab. in Veſtalium quoque manibus, conſpiciuntur. Quam *Tab. LIII. Fig. 1. 2. 3.* primo loco pro-
LIII. ferimus Acerram, ea ex Muſeo Ill. Dn. *Foucault* prodiit, eſtque aenea et omnium elegantiſſima. Pars anterior Bacchi, pampinis coronati protomen, in corona a duobus Centauris ſuffulta repraeſentat; utrique Centauro Nympha — — inſidet; ſub altero lyra, ſub altero tibia, multis fiſtulis compacta, comparet. Ab utroque latere Meduſa exhibetur, et in operculo eadem intra lauream coronam uiſitur, quae in utroque latere Cupidinem habet. Quae *Fig. 4.* ſequitur acerra, a Viro erudito *Cauceo* publicata, ex marmore eruta fuit. Iungimus his aliam *Fig. 5.* cuius forma rotunda pyxidi ſimilis, et a ceteris omnibus longe diuerſa eſt; hinc ad alios potius uſus, quam ſacros illam fuiſſe adhibitam, uero admodum ſimile eſt.

§. 2. Cum Acerris coniungimus *Thuribula*, recipiendo thuri deſtinata. Graeci eiusmodi uas θυμιατήριον, et Ionice θυμιητήριον, appellarunt; et quamuis illud ueteribus uſitatiſſimum fuiſſe dubio careat: nullum tamen in monumentis ueterum deprehendimus, quod romani uſus fuiſſe conſtet. Illud, *Fig. 6.* a *Cauceo* prolatum eſt, qui tamen non affirmare audet, quod apud gentiles in uſu fuerit. *Dionyſius Halicarnaſſeus* narrat, in pompis eiusmodi thuribula aurea atque argentea prolata fuiſſe, quae ipſe θυμιατήρια, interpres uero Latinus acerras, uocat. *Fig. 7 — 11.* quinque ſequuntur cochlearia, uariis ex locis eruta; ex quibus tertia *Fig. 9.* (forma licet maiori) uſui communi ad menſam adhibita uidetur; cetera thuri, acerrae uel thuribulo inferendo inſeruiiſſe exiſtimamus. Pala uero illa exigua *Fig. 12.* thuri et odoramentis, uel ex acerra depromendis, uel in eandem inferendis, fuerit.

§. 3. Vaſis ad thura uel conſeruanda uel accendenda deſtinatis illa ſubiungimus, quibus pagani ad libationes atque aſperſionem utebantur. In his primo loco ponimus *Praefericula*, ſiue uaſa illa anſata 1) liquoribus et uino in ſacrificiis fundendo praeprimis adhibita. Quae *Fig. 13.* et *14.* proferimus, ea omnium ſimpliciſſima uidentur. Tertium *Fig. 15.* ex Muſeo *Moſcardi* Comitis Veronenſis deſumtum eſt. Quartum *Fig. 16.* ſuper ara quadam uiſitur, cuius inſcriptio: *Ara Germanico.* Quintum *Fig. 17.* ex uoto pro ſalute Veſpaſiani pu-
Tab. blicatum eſt. Maiori artificio illa confecta ſunt, quae *Tab. LIV. Fig. 1 — 4.* exhibemus. Pri-
LIV. mum quidem *Fig. 1.* ex Muſeo Romano *Caucei* prodiit. Secundum *Fig. 2.* ferae cuiusdam formam habet. Os uaſis, qua parte liquor effundebatur, maxillam inferiorem cum dentibus exhi-

19) Nec operae pretium foret, artificum commenta, inepte ſedulis illuſtrare rationibus.

1) *Feſtus:* praefericulum, uas aeneum, *ſine anſa*, patens ſummum, uelut peluis.



1·2·3·4·5· Acerræ ad thus aliaque odoramenta reponenda adhibitæ. 6. Thuribulum accendendo thuri destinatum. 7–12. Cochlearia varia atq; pala thuri vel acerræ et Thuribulo inferendo, vel ex acerra depromendo inservientia. 13–17. Præfericula varia ad vinum alios liquores in sacrificiis effundendos destinata.



1 – 4. *Præfericula quatuor magna arte confecta. 5, 6. duo simpula ad vinum ex præfericulo infundendū, cum lituo 7, 8, 9. Simpula alia formæ diversæ. 10, 11. Aquiminaria aquæ lustrali forte destinata 12. Aquiminarium ad aquam hauriendam. 13. Vas erectius ad introitum templorum cum aqua lustrali positum. 14, 15. Aspergilla. 16, 17. Disci, quibus carnes victimarum excipiebantur.*



1–13. Pateræ variæ sive vasa excavata ad libamen inter victimarum cornua profundendum et inprimis ad excipiendum victimarum sanguinem destinatæ. 14. 15. Capedines sive vasa minora variïs usibus inservientia. 16 et 17. Ollæ, quibus Sacerdotes ad coquendas carnes utebantur.

exhibet; operculum uero, quod non comparet, maxillam superiorem una cum toto capite forte referebat. Collum corona, ex pampinis et uuis concinnata, circumdat: ex quo non male colligitur, praefericulum hocce ad sacra Bacchica fuisse destinatum; id quod adhuc magis suadeat caput Sileni, quod a collari corona dependet; sed etiam ipse Panthera, cui fera haec simillima est, Baccho in primis cara et familiaris fuit. Tertium *Fig. 3.* Nereidum quarundam schemata complectens, ad Neptuni sacra pertinuisse creditur. Ansam uasis serpentes duo constituunt, quorum os apertum ad orificium scyphi respicit. Aliud Praefericulum *Fig. 4.* Romae in aere incisum, duorum satyrorum capita cornuta et adiacientia uitis folia prodens, uas Bacchicis sacris destinatum commonstrat.

§. 4. Ad praefericula pertinent *simpula*, siue *simpuuia* 2), quae uasa erant utplurimum fictilia, quibus ex praefericulo uinum ad primas effusiones infundebatur; ceterum ad cochlearis formam proxime accedebant. Varia illorum schemata exhibemus *Fig. 5 – 9.* Primum et secundum *Fig. 5.* et *6.* quibus lituus (de hoc infra §. 14.) iunctus est, non admodum similia et a *Cauceo* publicata sunt. Tertium *Fig. 7.* ex Museo S. *Genouefae* depromtum est. Duo sequentia *Fig. 8.* et *9.* ex Museo *Moscardi* Comitis Veronensis, educta sunt.

§. 5. Ad aspersionem, qua ueteres expiandi et purificandi caussa utebantur, uasa quaedam aquaria, seu *aquiminaria*, una cum *aspergillis* 3), ex crinibus equinis capulo aptatis, destinata fuere. *Cauceus* uas ansatum protulit, cuius forma, secundum *Fig. 10*, uirginis caput refert, illudque pro aquiminario sacro seu uase aspersionis habuit. Simile uas, quod *Fig. 11.* uiri formam exprimit, penes Ill. *Foucaultium* est, cui similis usus tribui potest. Verum minime negandum, quod eiusmodi uasa non ad adspersionem tantum sacram, sed et ad alios usus adhiberi potuerint. Idem iudicium ferendum est de lebete, seu aquiminario sequenti *Fig. 12*, quod itidem uel ad hauriendam, uel ad conseruandam aquam lustralem inseruiisse, uero admodum simile est; quamuis alios eiusdem usus minime negemus. Quod *Fig. 13.* exhibemus uas erectius, illud ad introitum templorum positum uidetur, ut introeuntes 4) aqua lustrali se ipsos adspergere potuerint. *Aspergillorum* formam, qualis in nummis atque marmoribus cum aliis instrumentis uisitur, *Fig. 14.* et *15.* tradimus.

§. 6. Pergimus ad ea uasa, quibus uel carnes, uel sanguis, uictimarum excipiebantur. Hic primo loco *Discus* sese offert, uas planum, quo uictimarum carnes reponebantur. Duos eiusmodi discos *Fig. 16.* et *17.* depinximus; quorum prior a *Cauceo* publicatus est, alter a *Brunio*, eximio pictore ex Manuscripto Bibliothecae Coislianae depromptus.

§. 7. Discos excipiunt *Paterae* siue uasa excauata, quibus sacrificantes non tantum ad libamen inter uictimarum cornua profundendum 5), sed in primis ad excipiendum a mactatis uictimis sanguinem 6) uti consueuerant; earumque aliae capulo erant instructae, aliae uero eodem carebant. Ea, quam *Tab. LV. Fig. 1.* exhibemus, Romae delineata fuit; patera ipsa aenea est, et Museum nostrum exornat, sed rubigine consumta ferme tota in puluerem abiit: capulus arietino capite terminatur. Secunda *Fig. 2.* aliquanto profundior, ex Museo Brandenburgico per *Begerum* Tom. III. p. 384. publicata fuit. Quam *Fig. 3.* tradimus, ea fictilis est, et formae singularis, inque Museo nostro conspici potest. Altera uicina *Fig. 4.* nullis ornamentis decoratur; sicut et sequens *Fig. 5.* ex Museo *Kirkeriano*. *Fig. 6.* alia comparet tabula fictilis in disco formae ouatae, in cuius ora duodecim signa coelestia uisuntur repraesentata: prodiit illa ex libro, cui titulus, *Antichi sepoleri*, auctore Petro Santo *Bartolo*, insigni sculptore Romano. Quae *Fig. 7.* sequitur, a capulo suspicitur: hic enim qua parte capulae iungitur, tres genios habet alatos, et ab infima parte caput animalis cuiusdam. Proxima *Fig. 8.* duplici conspectu delineata est, et ora sua quam maxime conspicua. Quae in illa exhibentur Schemata, pateram hancce Bacchicis sacrificiis fuisse adhibitam, procul dubio Tab.LV.

2) De Sympuuio, Sympiuio, Sympullo, aut simpulo, uid. *Iunii* animaduers. lib. 2. c. 10. *Festus:* Simpulum, uas paruum non dissimile cyatho, quo uinum in sacrificiis libabatur. Etymi incertas rationes afferre, nihil attinet.

3) Περιρραντηρια graece. Rami laurei saepe loco adspergilli adhibebantur, aquae lustralis usus tam ante templa, quam post sacrificia peracta, titione de altari in aquam illam misso, qua adstantes omnes adspergebantur. Exstat *Lomeieri* liber de lustrationibus gentilium.

4) Inde locus prouerbio, ἀνίπτοις χερσιν, aut ποσι, aliquid facere, pro infausto successu, ab neglecta ea, quae ante fecisse opus erat. Quod religionum genus in ecclesiam ab istis exteris deriuatum esse, constat.

5) *Virgil.* Aeneid. 7. v. 133. Nunc pateras libate Ioui, precibusque uacate.

6) *Cicero* certe: *patera* sanguinem excepisse, cum taurum immolauisset. Est et *patella*, qua diis cibi ponebantur. Idem de *finib.* 2, 7. ita non religiosi, ut edant de *patella*; unde dii *patellarii*, *Plauto*.

bio significant. Quatuor capita, quae circulum in totidem partes aequales diuidunt, Bacchantium sunt et Satyrorum. In suprema orae parte conspicitur caput, cum phiala, cui proxima est basis quaedam, siue ara, uase, multis floribus atque frugibus repleto, onusta. Pone hanc basin thyrsus strobilo terminatus erigitur, in quem leo irrumpere uelle uidetur. Post caput secundum, quod Satyrae est, pedum recuruum, ex quo syrinx, siue tibia Panis quinque fistularum dependet, conspicitur. Arbor sequitur, cuius folia uitis esse credas, nisi truncus densior repugnaret. Quae sequitur fera, tigris est, uel panthera, quod utrumque animal coetui Bacchico familiare. Anterioribus pedibus thyrsum tangit arae ligatum, cui uas frugibus onustum impositum est. Aram hanc excipit caput Faunae, quam auriculae caprinae produnt. Ante uultum illius alia ara posita est, eaque flammigera, et post eam capra, quae alii arae insilire uidetur. Ad oppositum huius arae latus lituus seu pedum est, cui similiter alligatur tibia Panis, ut supra. Haec sequuntur caput alius Faunae, thyrsus, uas magnum, capra, arbor et cuniculus, qui agmen claudit. *Fig. 9.* sequitur alia figura ex Museo S. *Genouefae* depromta; aenea illa est, ornamentisque uacua. Obseruatu digna est sequens *Fig. 10.* quae uirum magnis instructum alis 7) effert, cuius etiam pedibus iunctae sunt alae minores, uti Mercurio; altera manu lyram tenet, formae plane singularis, altera florem lilio non absimilem.

§. 8. *Fig. 11.* a *Cauceo* emissa, pro capulo nudum hominem exhibet affabre delineatum. Duo athletae nudi totum spatium occupant, singuli clypeum tenent, et altera manu alius hastam, alius telum gestat. Pateram sequentem *Fig. 12*, *Cauceus* raptum Helenae exprimere putat; tres uiri nudi, qui hic conspiciuntur, tiaram Phrygiam capite gestant. Patera sequens *Fig. 13.* Mercurii ad Paridem legationem effert. cum inscriptione Hetrusca, quae Mercurium et Alexandrum ita exprimit: MIRPYRIOS ALIXENTROM. Postea uero quam uarias hactenus paterarum formas contemplati sumus; cum *Begero* Tom. IV. pag. 424. Thes. Brandenb. iure monemus, uiros doctos non paucos saepe hallucinatos esse, dum pro pateris eiusmodi habuerunt instrumenta, quae re uera tales non sunt. In Museis multis occurrunt instrumenta rotunda planaque capulo instructa, sed nullo modo concaua, et recipiendis liquoribus minime accommodata, quae frustra paterae uocantur. Si uero quaeratur, cui ergo usui uasa eiusmodi plana destinata fuerint, forte cum *Begero* pro lancibus habenda, quae ab Isidoro *Apophoreta* 8) uocantur, in quibus fructus et similia apponebantur. Addimus pateris adhuc capulas duas, siue capedines *Fig. 14.* et *15.* ex Museo *Moscardi* depromtas; quo nomine urnae quaedam, s. uasa minora, tum lignea, tum fictilia, uariisque usibus inseruientia intelligi solent. Nec non *ollas* duas *Fig. 16.* et *17.* quibus sacerdotes utebantur, partem carnis, quae ipsis obuenerat, in iis coquentes.

§. 9. Ad alia instrumenta sacra priusquam accedamus, duas hoc loco inserere lubet *caueas pullarias*, quarum prior *Tab. LVI. Fig. 1.* a *Cauceo* publicata, posterior *Fig. 2.* Romae a *Brunio* delineata. In utraque pulli, grana auide deglutientes, conspiciuntur. Satis autem notum est augurium, quod ex modo, quo pulli sese in grana coniicerent, petebatur. Quum enim auide granis instarent, id bonum erat augurium: si uero tam auide, ut insiliendo et deglutiendo simul grana dispergerent 9), excellentissimum erat augurium, quod *tripudium solistimum* uocabant: si edere nollent, pessimum erat indicium.

Tab. LVI.


§. 10. Pergimus ad instrumenta mactandis uictimis usitata. Primum erat *malleus*, quo uictimarii tauros percutiebant, antequam illos iugularent. Hic *Fig. 3.* talem repraesentamus, qualis extat in quamplurimis monumentis. Mallei loco saepius *secures* 10) adhibebantur, quarum formam *Fig. 4. 5.* et *6.* exhibemus. Prima illa *Fig. 4.* ex Museo Brandenburgico prodiit, secundam *Fig. 5. Cauceus* edidit, et tertiam *Fig. 6.* ex Museo *Moscardi* depromsimus. Iugulandis uictimis inseruiebant certi pugiones, modo maiores pro uictimis maioribus, modo minores pro minoribus; quiue alias *secespitae* uocabantur, et antiquitus ornatiores erant. Secundum Antistium Labeonem, quem *Festus* excitat, cultri erant oblongi, manubrio rotundo, eburneo, solido; uincto ad capulum auro argentoque, fixum clauis aeneis, aere Cyprio, quo

7) *Alis* etiam *Bacchus* instructus fuit; uid. *Dauid Martin* explication de divers monumens singuliers, qui ont raport à la religion des plus anciens peuples, Paris 1740. dissertatione 2.

8) *Isid.* lib. 20. *Orig.* c. 4. *apophoreta*, *a graecis*, *a ferendo poma uel aliquid* (aliud), *nominata*, *est enim plana.* Sed ἀποφορητα semper sunt munera, et ista auctoritate, una omnium, uix constet.

9) Aut, si offa ex ore in terram caderet. Vid *Cicer.* epist. ad diuersor 1, 15. 6, 6.

10) Etiam sudes seu uectes. Ita certe *Dionysius* Italici libro 7. sacrificia romanorum et graecorum describit: σκυταλαις παιοντας τα μετωπα των ιερειων, καταπεσοντα θυοντας.



1. 2. *Duæ caveæ pullariæ cum pullis ad petenda auguria.* 3. *Malleus ad percutiendas victimas.* 4–6. *Secures ad usum eundem.* 7–9. *secespitæ s. pugiones ad jugulandas victimas.* 10–17. *Cultri maiores et minores ad dividendas victimas.* 18–24. *Ligulæ et fuscinulæ explorandis extis inservientes.* 25–27. *Candelabra.* 28, 29. *Lituus et virga auguralis.*

quo Flamines, Flaminicae uirgines Pontificesque ad sacrificia utebantur 11). Aliquas eiusmodi secespitas *Fig.* 7. 8. et 9. exhibemus; quarum prima ex Museo *Moscardi* depromta; secundam *Cauceus* edidit, et tertia in Museo S. *Genouefae* conspicitur. Ad diuidenda uictimarum membra et carnes earum concidendas, cultri uariae formae atque magnitudinis adhibebantur. *Fig.* 10. 11. 12. et 13. quatuor maiores proferimus, quorum primus et tertius ex Museo *Kircheriano* educti; quartus capulum habet, in rostrum auis terminatum; secundus longum capulum habet aciemque rotundam, quam formam, fatemur, neque in nummis, neque in aliis monumentis, nos unquam uidisse. Hic autem culter prope Lingonas sexto circiter ab urbe milliari una cum aliis instrumentis repertus est, hodieque in Museo Cl. *Mahudelli* uisitur. Cultri minores. quorum *Fig.* 14. et 15. schemata aliqua exhibemus, nonnumquam uaginis conditi uisuntur, ut *Fig.* 16. et 17. His iungimus *ligulas* siue *lingulas* 12) spathulis similes, quibus haruspices ad exta uictimarum exploranda utebantur, quarum *Fig.* 18 — 22. formas nonnullas proferimus. Ad eundem fere usum destinatae fuere *fuscinulae*, quarum duas *Fig.* 23. et 24. conspiciendas damus. Prior ex Museo S. *Genouefae*, posterior ex nostro Museo depromta est.

§. 11. In monumentis ueterum *Candelabra* quoque saepius occurrunt; ea uidelicet, quae pedibus consistunt, quorum creberrimus in Ecclesia Dei cum ueteri tum noua usus semper fuit. Profani in caerimoniis suis faces etiam adhibebant, quarum plures iam uidimus, et adhuc uidebimus, cum infra de funeribus agetur. Omnium pulcherrimum *Fig.* 25. prolatum in urna sepulcrali *Boissardi* reperitur: quod *Fig.* 26. sequitur, tribus nixum pedibus, à *Cauceo* publicatum fuit. Aliud item tripedale *Fig.* 27. ex eadem *Boissardi* urna depromtum est.

§. 12. *Lituus* tubae 13) genus erat recuruae, signumque militare; quod nomen apud Poetas frequenter occurrit. Eodem nomine saepius etiam uenire solet uirga uel baculus auguralis, ab altera in gyrum quasi contortus, quem augures tenebant, cum de coelo seruarent. Litui huius usus frequentissimus occurrit in monumentis cuiusuis generis, praecipue in nummis, eiusque auctor Romulus habebatur, qui, teste *Cicerone* lib. I. 14) de diuinatione, eo usus est, ut regiones urbis determinaret. Formam illius iam uidimus *Tab. LIV.* ad *Fig.* 5. 6. ubi duobus simpulis coniunctus exhibetur. Alium hic *Fig.* 28. ex Museo *Moscardi* communicamus: qui *Fig.* 29. sequitur, ex Museo Cl. *Recanati*, Nobilis Veneti, depromtus, aeneus est, altitudine circiter quatuor pedum: superne terminatur in caput auis, quod ornamentum auguribus, qui aues obseruabant, optime conuenit. Quum uero hoc instrumentum a uulgaribus lituis quam maxime differat: dubium fortasse, num uerus lituus sit; aut sane omnium fuerit maximus, quos uel musea uel monumenta unquam exhibuerunt.

CAPVT IV.

De Sacrificiis.

§. 1.

Vti falsorum numinum cultum ex uerae religionis praeceptis maximam partem promanasse constat, ita sacrificiorum in primis ritus, qualis apud profanos in usu fuit, ex eodem fonte deriuandus esse uidetur. Primos quippe homines, haud longe post creationem, Deum legitimo, et qui ipsi placeret, cultu, uenerantes, inter alia, quae ipsi praestiterunt officia, certa quoque eidem obtulisse sacrificia, ex sacris litteris clarissime patet; quid? quod sacra haec in cultu ueri Dei principem fere locum obtinuerint. Victimae uero illae et oblationes, ut primum a summo creatore ad creatas res uel daemones, a miseris et male religiosis hominibus transferri coeperunt; tantum abest, ut pro legitimis haberi possint, ut potius inter detestanda paganismi opera merito sint referendae. Vox sacrificii ex *sacrum facere* composita, in genere quamcumque oblationem Deo factam denotat; pro diuersitate tamen rei obla-

11) Additur in *Festo*, a *secando* dici.

12) A similitudine *linguae*, diminutiuum lingula, et extrita littera, ligula, ut *Priscianus* lib. 3. nisi a *ligone* quis malit deriuare.

13) *Ouidius* Fastor, lib. 3, 216. Iam *lituus* pugnae signa daturus erat. Inde *liticines*, (sicut tubicines) qui *lituo* canerent.

14) C. 17. inde *Virgilius* Aeneid. 7. v. 187. ipse *Quirinali lituo*, paruaque sedebat succinctus trabea. uid. *Liuium* lib. 1. c. 8.

tae in duas potiſſimum claſſes ſacrificia diſpeſci ſolent, in *cruenta* ſcilicet, quae mactatione brutorum, nonnumquam etiam hominum, fiebant; et *incruenta*, quibus thura, fruges, uinum, resque multae aliae, ſenſu carentes, offerebantur. Vox Graeca, θυσία, a θύειν *mactare*, deriuata eſt; et, ſi etymon illius ſpectemus, nonniſi de ſacrificiis cruentis uſurpari posſet; ſed eadem incruenta quoque ſacrificia denotari, facile conſtare poteſt; uti *Orgiorum* quoque nomen Bacchi in primis myſteriis proprium, haud raro de quibusuis aliis ſacrificiis uſurpari deprehendimus. In *publica* porro atque *priuata* diſtingui poſſunt ſacrificia; ubi ſub publicorum nomine illa intelligimus, quae a Pontificibus, Sacerdotibus aliisque, penes quos ius ſacrificandi erat, publice peragebantur; quum priuata in domibus, Laribus, aliisque Diis a quouis patre familias uel aliis, fierent.

§. 2. E uictimis uel hoſtiis, aliae *praecidaneae* uocabantur, quae pridie ſolennitatem mactabantur, uti *porca* illa, quam Cereri ante meſſem immolabant, *praecidanea* dicebatur; aliae *ſuccidaneae*, quae, ſi praecidaneae illae forte omiſſae uel neglectae fuiſſent, ſolennitate finita, offerebantur, ut erratum expiaretur. Quaedam porro hoſtiae *eximiae* nuncupari ſolebant, non quidem ea de cauſſa, quod aliis fuiſſent excellentiores, ſed quia animalia iſta ex grege eximebantur, tamquam aptiora. Alia adhuc uictimis nomina indebantur, ſed minus ſolita, quae non niſi in paucis et obſcurioribus auctoribus occurrunt. Sic e. c. *oues* quaedam dicebantur *ambiguae* 1), illae ſcilicet, quae dum ſacrificabantur, duos habebant agnos, qui matri ex utraque parte alligati erant. Victima, cuius uiſcera eſſent adhaerentia, *Harunga* uel *Haruga* 2) dicebatur, uti *prodigiae* illae hoſtiae uocabantur, quae totae conſumebantur 3). Aliae porro *bidentes* appellabantur, quo nomine oues uulgo intelligi creditur: at *Pomponius* in *Macrob.* Saturnal. L. VI. c. 9. idem ad uerres quoque extendit. *Nigidius* apud eundem putat, ſub bidentibus omnia animalia comprehendi, quae duos annos uiuendo traduxiſſent; ita, ut *bidentes* idem ſit, ac *bientes*, uti *redire* dicimus pro *reire*. *Bientes* uero *Seruio* idem eſt, ac *biennes*. *Hyginus* contra ſub bidentibus omnia illa animalia comprehendi contendit, quae duos dentes, ceteris erectiores, ſeu longiores haberent 4), ridetque eos, qui de ſolis ouibus acciperent.

§. 3. Circa ipſa ſacrificia tria potiſſimum obſeruari merentur, 1.) quidem uictimarum diuerſitas, 2.) locus, in quo ſacrificia peragebantur, 3.) potiores, qui ſacrificia comitari ſolebant, ritus; quibus tandem uaria ſacrificiorum monumenta, quibus iſta momenta illuſtrentur, addere placet.

§. 4. De uictimis primo monendum erit, quaenam potiſſimum animalia mactari, et quaenam oblationes praeter ea fieri ſolebant. Pro diuerſitate ſacrificantium, et Numinum 5), quibus ſacra iſta peragebantur, magna quoque fuerit uictimarum uarietas. Quae uulgo immolabantur animalia, haec fere iſta fuere: 1.) ex quadrupedibus, ſeu animalibus perfectioribus, taurus, ouis, caper cum capra, et porca. 2.) Ex auibus, gallina et anſer; quamuis et aliae nonnumquam, (ſed rarius), aues immolatae legantur; ut e. c. *Plautus* palumbum immolandum commemorat; et *Gruterus* galli gallinacei in holocauſtum combuſti, mentionem facit. Praeter animalia Diis etiam offerebantur, ſimila, ſeu farina cocta, uariaeque placentae, ex frumenti uel hordei farina coctae. Graeci placentas hordeaceas, ſale conditas, ſacrificabant, quas *Homerus* Iliad. I. οὐλοχύτας 6) uocat. Ex hiſce placentis quaedam *popana* uocabantur, quae Aeſculapio in primis offerebantur. Aliud oblationum genus *Melethyta* 7), quod melle fuere condita, quae Trophonio dabantur. Alia porro placentarum ſpecies fuit, quam *bouem* uocare moris erat; eo, quod cornuum illa figuram referebat, et Dianae, Hecatae

1) *Ambiguas* oues, haud ſcio, an quis hoc ſenſu legerit. *Feſtus*, unde hoc deſumtum uidetur, *ambegni, bos et ueruex appellabatur*, cum ad eorum utraque latera agni in ſacrificium ducebantur. *Fulgentius:* ambegnae oues, quae geminas parerent, ſacrificari (Iunoni), cum duabus agnis altrinſecus alligatis. Ergo ab *am* (circum) et *agnus;* non *ambiguas*.

2) *Donatus*, ſi is eſt auctor, ad *Terent.* Phorm. *Haruga* ſcribit, et ab *hara* deducit, in qua ſeruatur. *Feſtus:* Haruga, (al. *Harriga*) ab haerendo. *Velius Longus*, *Ariga* ſcribit. Atque ita emendauit *Rutgerſius* uar. lect. lib. 3. c. 9. *Heſychium:* Αρειγα, ἄῤῥεν πρόβατον. add. *Varro* de lat. lib. 4. c. 19. ſiquis iſta intelligat, quae miſere lacerata ſunt.

3) Ita *Feſtus*, niſi quod etiam ſcribatur, *prodiguae*.

4) Vid. *Feſtum* in Bidental. *Gellii* noct. att. lib. 16. c. 6. *Virgil.*, Aeneid. 7. v. 93. *lanigeras* mactabat more *bidentes*.

5) E. g. maribus diis, mares; ſed et peculiares erant et priuae hoſtiae: Hecate, canem; Venus, columbam, Diana ceruos etc. habebat. Differebant, etiam pro ratione offerentium, opulentiores plus impendebant, hecatombas etc.

6) Adde *Euſtathium* ibi; hordea, ſale conſperſa, quae ante ſacrificium ſuper aris effundebant οὐλαι quaſi ὅλαι, quia non fracta (cum nondum eſſent molae) eſſent frumenta.

7) Μελιτοῦτα, ſcribendum ex *Polluce* lib. 6, c. 11. qui hic de ſequentibus etiam conſulendus.

tae atque Lunae offerri solebat. Inter placentas item numerantur eae, quae *Aristeris* et *Hygieiae* uomen gerebant. Romae ex frumenti farina, aqua et sale admixta, Numae Pompilii iussu, placentae peculiares in fornace coquebantur, unde festum ipsum *Fornacalium* nomen sortitum est. Quumque farinam coctam alias *ador* uocauerint, *sacrificia adorea* 8) hinc nomen suum acceperunt. De animalibus etiam hoc addendum, quod eadem corporis uitia, quae in lege Mosaica pecudes a sacrificiis arcebant, apud profanos perinde exclu serint; quo ipso confirmatur, idololatras illos multos uerae religionis ritus imitatos esse. Victimae humanae ferme non nisi apud barbaros in usu fuerunt. Apud Romanos certe et apud Graecos rariores illas fuisse, notum est. Attamen non desunt exempla, quibus hostias quoque humanas etiam ab istis populis Diis fuisse oblatas probatur. Sic duodecim Troianos iuuenes Procli 9) Manibus ab Achille mactatos immolatosque docet *Homerus* Iliad. XXIII. Et *Clemens Alexandrinus* in Protrept. plurima humanarum uictimarum, quae tum apud Graecos, tum apud alias gentes, Diis oblatae fuerunt, exempla profert.

§. 5. Sacrificia porro secundum conditionem et facultates personarum erant diuersa. *Bouem aratorem*, (tradit *Lucianus* de sacrificiis), *agricola*, *agnum opilio*, *capram caprarius*, *alius thus aut placentam*, *pauper Deum*, *suam duntaxat dextram osculatus, propitium sibi reddit.* Victimae non promiscue Diis quibuslibet offerebantur; sed aliae aliis destinatae erant. Quid? quod numina quaedam atris siue nigris tantum hostiis placanda fuisse legamus. Verum in his, ut et in aliis profanorum ritibus, temporum omnium locorumque consensum frustra quaesieris; consuetudinum enim diuersitas non modo diuersis in locis, sed etiam nonnumquam in iisdem, uariis temporibus, magna fuisse deprehenditur. De iis hic agimus, quae plerumque obseruabantur: cuius generis est, quod Diis masculi, Deabus feminae, sacrificari consueuerant; sed his contraria tam frequenter occurrunt, ut uerear, ne exceptiones regulam ipsam superent.

§ 6. Magnae Matri CYBELAE scrofa praegnans mactabatur, ex frugibus, strobili offerebantur, qui et in sacris illius gestari solebant. Verum sequioribus saeculis praecipua eius 10) sacrificia *Taurobolia* et *Criobolia* fuere, de quibus infra §. 17, plura referemus. Quumque *Tellus* cum Cybele saepius pro una eademque Dea habeatur: etiam huic scrofam immolare, moris erat. IOVI, plerumque tauri, nonnumquam etiam arietes, mactabantur; Corinthi, *Iunoni* Acraeae capram mactabant. *Neptuno* tauri immolabantur, quos hic ibi atros offerebant; quod sacrificii nigri genus etiam *Plutoni* gratum fuit. *Proserpinae* uacca nigra sacrificabatur, et, si pro *Hecate* accipiebatur, canes uictimae loco adhibebantur; quod illae noctu latrando spectra, ab Hecate missa, abigere credebantur. Gratissima omnium uictima *Cereri* erat uerres, sus et scrofa, quod haec animalia messes deuastent; nonnumquam etiam oues et arietes eidem sacrificabantur. In Hermiones urbe uaccae illi mactabantur, immo et tauri, teste *Aeliano*, qui istud simul miraculi narrat, quod taurus, quem uiri decem uix domuissent, uetulam ad aram usque, in qua immolandus fuit, eodem modo, quo infans matrem sequitur, ultro sit secutus. *Apollini* mactabatur taurus iunior, deauratis cornibus ornatus, et nonnumquam etiam aries, capra et hircus, item ouis. Graeci mel *Soli* in sacrificium offerebant; Armenii et Massagetae equos 11).

§. 7. *Marti* destinati fuere uerres, aries et taurus; alii equos illi sacrificabant, Lusitani hircos et equos; Cares canes, Scythae asinos. *Mineruae* tauri et agni; sed nullae caprae mactabantur, quod illas auersari credebatur. *Fulgentio*, *Planciade* et *Arnobio* testibus, boues quoque, qui iugum numquam subierant eidem immolabantur. *Dianae* sacrificium ceruo fiebat; cuius loco Athenienses capram ipsi offerebant; nonnumquam etiam uaccae

8) *Liba* certe *adorea Virgil.* dixit. Festus: *Ador*, farris genus, edor quondam appellatum, ab edendo; uel quod aduratur, ut fiat tostum: unde in sacrificio mola salsa efficitur.

9) *Patrocli*; aliorum sit arbitrium, utrum inde humanae uictimae efficiantur. Qui certiora scire cupit, adeat *Iac. Geusii uictimas humanas*, quo nomine singulare opusculum 1675. *Groningae* in 12. duab. prodiit partibus. Alios scriptores magno numero recenset *Fabricius* in bibl. antiquar. c. 11. §. 3. quo interpretes *Augustini* de ciuitate dei lib. 7. c. 19. et *Martin* auctorem de la religion des gaulois lib. 1. qui originem, ut et aliis uisum, ab *Abrahami* caussa deducit.

10) Non eius unius, quod *Montfauconio* exprobrare uidetur *dissertatio antiquaria de sue* in sacrificiis gentilium, speciatim *Cereris*, *Telluris*, *Bonae deae et Matris deûm*, auct. doctiss. *Cassélio*, *Magdeb.* 1743. c. 2. quae et c. 1. rationem reddit sacrificiorum quorumdam: *aliorum*, quod exosa numini essent quaedam animalia, ut Baccho caprae, *aliorum*, quod gratissima, ut *Soli* equi.

11) Antiquitus boues sancti quasi habiti, nec facile, quaecumque esset caussa, interemti; quae religio paulatim mutauit. *Soli*, certe boues etiam conseruatos, tradit *Eustathius* in Odyssea.

hostiae uicem subibant. *Veneri* plurima uictimarum genera sacrificabantur, ita, ut perpauca a sacris illius excluderentur. Omnium etiam animalium femora ipsi sacra fuerunt, uno excepto porco. *Veneri Paphiae* omnis generis animalia pro uoto aduenientium sacrificabantur; uerum non alia, quam quae masculina erant. Hircus ipsi omnium gratissimus erat. Taurorum quoque sacrificia ipsi placuisse perhibentur. In *Luciani* Dial. Meretr. mulier Veneri πανδήμῳ sacrificii loco capram albam destinat, et Veneri coelesti, iuuencam. Argiui, *Athenaeo* (L. III.) teste, suem illi immolabant. Si *Philostrato* credimus, lepus gratissima Veneri hostia fuit. *Herculi* suem, *Baccho* hircos et oues, mactabant; et secundum *Virgil.* Georg. L. II. etiam sues, quod uineas deuastent. *Pani* hircum, *Priapo* asinos, immolabant; *Siluano* suem et ursum, *Fauno* hoedum uel agnum. *Laribus* diuites iuuenem taurum, pauperes agnum immolabant; addunt plurimi suem, perhibentes, Lares ideo nonnumquam *Grundiles* 12) fuisse dictos; galli quoque et hirundines, quia in domibus, quarum custodes Lares sunt, nidificant; hirundo etiam Veneri immolabatur. In quibusdam regionibus etiam pisces in sacrificium offerebantur aut Diis omnibus, aut quibusdam tantum. Deo *Termino* nullum animal immolabatur, teste *Plutarcho* in Quaest. Rom. Hoc insuper discrimen obseruatum esse uidemus, ut Diis superis uictimae albae, inferis uero nigrae, sacrificarentur. Romae quum albis bobus maculae inessent, dealbabantur et boues isti dealbati, *cretati* nuncupabantur.

§. 8. De loco, ubi sacrificia celebrare tum apud Graecos, tum apud Romanos moris erat, si quaeratur: ex multis exemplis constat, quod pleraque sacrificia ante ostia templorum, uel aedium sacrarum sub dio facta fuerint. Quum enim templa admodum essent angusta, iisque nullae fere fenestrae: nidor fumusque ligni, uictimarum, fructuum, liquorum, quae in ignem coniiciebantur, eos, qui sacris illis aderant, uel suffocasset, aut certe molestiae multum creauisset. Multa quoque in agris, ad littora maris fieri solebant; ubi hoc simul notandum, quod, si *Porphyrio* credendum, qui apud *Eusebium* Lib. IV. Praep. Euang. legum, quas circa sacrificia ipse Apollo quondam tulisse fertur, interpres dicitur, Diis inferis in fouea sacrificandum erat, quum Diis reliquis omnibus uictimae super aris uel ligneis, uel lapideis, uel cespititiis et lateritiis, alia uero in tripodibus etiam offerrentur.

§. 9. Inter ritus, quibus ii, qui sacra faciebant, ad sacrificandum sese comparabant, primum locum obtinet *ablutio*, quapropter in ingressu templorum, et aliquando subterraneis in locis peculiares fuerunt piscinae, in quibus abluebantur, quae tamen ablutio illa tantum sacrificia praecedebat, quae Diis superis fiebant; Diis inferis enim si sacra faciebant, sola aspersio sufficiebat; ab uxorum quoque congressu et esu carnium tunc abstinebant Sacerdotes, siquidem pure sancteque sacra facere uellent. Quum ad sacrificium Sacerdos pergebat, ipse, aut praeco, clamabat: Hoc age, ut attentos animos praeciperet; et tum plebs cum silentio abstabat. In Graecia Sacerdos ad aram accedens dicebat, *quis hic est*? ad quae uerba populus respondebat, *multi et boni* 13). Dicebat item Sacerdos, *procul hinc quiuis scelestus*; lege quippe cautum erat, ne praedones, homicidae, aliiue scelesti ad aram accederent, sacrificiisque interessent. Lex profanos a quibusdam solum sacris insignioribus et solennioribus arcebat, aliis interesse omnibus licebat; a quibusdam sacrificiis uirgines et serui excludebantur; Alibi nec seruis, nec captiuis, interesse licuit. Sacerdotes porro Romani, dum sacrificabant, caput uelabant; quamquam hic ritus non in omnibus sacrificiis obseruabatur. Caussam, cur caput obuelarint, *Plutarchus* refert, sed ipse fatetur, illam non esse certam: quod, quum Aeneas aliquando sacra faciens, praetereuntem Diomedem cerneret, caput obuelauerit; Graeci nudo capite sacra faciebant.

§. 10. Inter sacrificandum tibicines et citharistae instrumentis musicis ludebant, eumque in finem in templis alebantur. Tibiae in sacrificiis adhibebantur buxeae; in ludis uero et certaminibus publicis, aut argenteae, aut ex asini crure confectae fuerunt. Maiores uictimae cornibus saepius deauratis floribusque et sertis ornatae comparebant. Sacerdotem sacra facientem altera manu aram comprehendere debuisse, plerique scriptorum tradunt; sed contrarium probant multorum monumentorum exempla. Semel inceptum sacrificium interpellare nefas erat. Romae sacrificiorum initium fiebat precibus ad Ianum fusis, quoniam ille limina seruare creditus est, quibus ad Deos ceteros adire licuit; postea Iouem, secundum nonnullos

12) *Nonius* c. 2. *grundules lares* dicuntur Romae constituti ad honorem Porcae, quae triginta pepererat. Ita et *Diomedes* grammat. lib. 1. a *Romulo* constitutos fuisse, istud ob prodigium. A quibus si discedere fas sit, malim a *grunda*, tecto, dictos, quasi domesticos.

13) Ex *Aristophanis* pace, uid. *Potteri* Archaeol. lib. 2. c. 4.

nullos Iunonem quoque et Veſtam precabantur. Alius porro ritus erat, quo Sacerdos ante ſacrificium aram aliquoties circumibat, manumque ori admouebat. Hoc facto, ex ſimpulo uel patera uinum ſuper aram effundebat; pilos 14) ſubinde nonnullos, quos uictimae euellebat, in ignem coniiciebat. Tum Victimarius arrepta ſeceſpita uerſus orientem ſeſe conuertebat. Delphis ille ipſe culter, qui uictimis iugulandis inſeruiebat, in ſuppliciis quoque capitis damnatorum adhibebatur. Romae ad percutiendas uictimas ſaepius malleo utebantur; nonnumquam etiam ſecuribus, quarum pars auerſa et retuſa malleo ſimilis erat. In ſacrificiis faces quoque adhibitae fuere ex ligno, ſeu *taedae*, quod conceptam ſemel flammam ex ſe alit, donec conſumtum ſit. Victimarii, qui uictimas percutiebant atque iugulabant, medio plerumque corpore praecincti fuerunt, pectore humeriſque nudi. Priusquam uero percuterent, ſacerdoti dicebant, *ago ne?* unde nomen, *agon, agonalis, agonia*, deriuandum quibusdam uidetur; ſi uero uictima elabi niteretur, pro infauſto omine habebatur 15).

§. 11. Poſt iugulatam uictimam 16), alii ad excipiendum ſanguinem uaſa 17) afferebant, alii pellem detrahebant. Tum Haruſpex, ſeu Flamen, aut Sacerdos, uiſcera, ſiue exta diſpiciebant, explorabantque cor, iecur, pulmonem, fel, ceteraque; ut, num grata eſſet uictima, notaeque optabiles, agnoſcerent. Exta item et extiſpicium futuris rebus proſpiciendis uſurpabantur. Ex motu caudae etiam uaticinabantur. Hanc enim ſi uictima 18) contorſiſſet, rei difficultatem exinde colligebant; ſi cauda decideret, pro futurae cladis ſigno accipiebant; ſi ſublimis ageretur, futurae uictoriae nota fuit. Ex ardente quoque thure omina ſaepius capiebantur; ex modo ſcilicet, quo in igne perſtrepebat, ex fumi motu et gyris. Peracto ſacrificio, ſi fauſta et bona ſigna quaeuis erant, ſacrificiumque Diis gratum acceptumque ex ſtatis definitisque notis deprehendebatur; tum ſacrificium perfectum eſſe putabatur, illudque una uoce *litare* exprimebatur; ideoque ſaepius a Poetis dicitur, non omnes litare, qui ſacrificant: ſic *non quacunque manu uictima caeſa litat*, ſcribit *Martialis* X, 73.

§. 12. Extis inſpectis atque exploratis, primitiae tum uiſcerum, tum membrorum ſectae in caniſtris 19) reponebantur, quae ſacrificans cum thure et aromatibus in arae ignem coniiciebat. Ad oram maris ſi ſacra haec fiebant, uiſcera in fluctus proiiciebantur 20), et uinum pro libamine flammis infundebatur. Dum uictima percutiebatur, loqui non licebat, donec illud, quod comburendum fuit, ſacerdoti porrigeretur; unde prouerbium exortum; *inter caeſa et porrecta.* Quum porrecta comburerentur, iterum ſilentium ſeruandum erat; ex illo autem ſpatio temporis, quo licitum erat loqui, enatum prouerbium. Veteres uictimas totas igne conſumebant: quum uero pauperes tantos ſumtus impendere non ualerent: Prometheus, *Hygino* 21) teſte, id impetraſſe dicitur, ut partem tantum hoſtiae in ignem conjicerent, partem uero in ſuos uſus conſumerent; quod poſtea conſuetudo firmauit. Quoniam nonnumquam uictima tota comburebatur, *Holocauſti* nomen inde eſt, quod, ut *Iſidorus* tradit, ſignificat, uictimam integram igne fuiſſe conſumtam. Romani Diis ſuperis immolantes, exta ſolum, ſ. uiſcera comburebant; in ſacrificiis uero Deorum inferorum, totam hoſtiam igne conſumebant ſuper ara: quod non licitum eſſet, quidquam ex iis edere, quae Diis Manibus mactabantur. Quod ergo ex uictima reſiduum erat, ad coenam ſeruabatur, cui omnes, qui ſacrificio adminiſtri fuerunt, intereſſe ſolebant, et cuiuis aliquid domum referre licebat, quod domeſticis impertiret. Qui coenae intererant, ſtantes edebant, et panes erant rotundi. In Iouis conuiuio, quod Septemuiri Epulones in Capitolio celebrabant, Iupiter ipſe inuitabatur, ut lecto decumberet, Iuno uero et Minerua, ut in ſellis aſſiderent 22). In eiusmodi

14) *Homeri* uerſus, quem etiam *Dionyſius* lib. 7. excitat, ἀλλ' ὅγ' ἀπαρχόμενος κεφαλῆς τρίχας ἐν πυρὶ βάλλεν.

15) Contra feliciſſimum, ſi quaſi exſpectare uideretur aut annuere; unde aqua nonnumquam in aurem eius iniecta, ut capitis motu annueret.

16) Surrecto quidem iugulo, ſi ſuperis eſſet; inclinato autem, ſi inferis, aut Heroibus.

17) Vas graece σφαγεῖον, ἀμνίον, exceptus ſanguis, ad aras diis ſuperis libabatur.

18) Iam in ignem coniecta. Scholiaſtes in *Euripid. Phoeniſſas* id tradit.

19) *Dionyſius Halic.* lib. 7. pag. 478. edit. *Lipſ.* Mox excoriatam (hoſtiam) concidebant membratim, delibatasque ex ſingulis extis, aliisque membris, primitias farrea farina imbuebant, & in caniſtris offerebant ſacrificantibus, qui aris impoſitas ſuccendebant etc.

20) Neque hic ſanguinem excipiebant, utpote qui ſtatim in aquam deflueret.

21) In poet. aſtronom. lib. 2. c. 15.

22) Inde apud *Homerum* exſtat, Odyſſ. H, v. 201. Semper antea dii apparent manifeſti nobis, quando mactamus inclitas hecatombas, conuiuantes apud nos, ſedentes una nobiscum. Et *Iliad.* A, v. 423. Iupiter ad Aethiopes profectus dicitur ad conuiuium, quem dii omnes ſecuti ſint. Vnde non nihil illuſtretur. *Exodi* 34, 15. et 1. *Corinth.* 10. et alia.

modi conuiuiis, quae ex reliquiis ſacrificiorum apparabantur, laudes quoque Dei uel Deorum, quibus ſacrificatum erat, canebantur; ſaltationibus etiam et tripudiis locus erat. Peractis omnibus caerimoniis, Sacerdos cunctis uale dicebat.

§. 13. Poſt enumeratos praecipuos ſacrificiorum ritus, accedimus ad uaria monumenta et marmora, in quibus eiusmodi ſacrorum miniſteria conſpiciuntur. Sed partem tantum eorum, quae dicta ſunt, in illis uidebimus; nec ſine magna paſſim uarietate; quod marmora cum ſcriptoribus, praeſertim in ſacrificiis deſcribendis, non ſemper conſpirant. Difficile quoque ſaepius eſt internoſcere, cui potiſſimum numini ſacrificia in monumentis ſeruata, oblatâ fuerint, quod iidem prorſus ritus obſeruabantur, eaedemque hoſtiae pluribus Diis immolabantur. Primum ea in medium proferre lubet, quae, cui numini offerantur, definire non ualemus. Initium facimus a ſolenni ſacrificio *Columnae Traianae* 23), quod ad
Tab. LVII. portam celebrabatur, cuius ſchema *Tab. LVII. Fig. 1.* exhibemus. Victimae hic ſunt tauri quatuor; qui Sacerdotis munere fungitur, ipſe eſt Traianus Imperator, tunica indutus infra genua defluente, quam pallium, ſ. chlamys ad humerum fibula conſtricta tegit; nudo is capite eſt, et pateram ſuper aram ignitam, eamque quadratam et ſertis ornatam effundit. Ad dextram illius Camillus eſt, acerram thure atque aromatibus plenam tenens. Camilli hi nobiles erant pueri, qui patrimi et matrimi adlegebantur, et, praeter Romanorum morem, longiori plerumque coma conſpiciuntur. Pone Camillum tibicen conſiſtit. Quatuor uictimarii, lauro coronati, medio corpore praecincti ſunt et ſuperne nudi, qui ſinguli taurum tenent; duo priores malleo ſimul inſtructi ſunt, percutiendae uictimae deſtinato. Quod ſingulariſſimum eſt, quinque hic arae conſpiciuntur, quarum prima, in qua Traianus ſacrificat, et poſtrema, ignitae, ceterae excauatae ſunt; in hoc uero omnes ſimiles, quod quadratae ſunt et ſertis circumdatae. Qui ſacrificio adſtant ſacris animum attendentes, expanſa et aperta habent brachia, in primis autem illi, qui arae ſunt uiciniores; quantum ex ueſtibus et coma praeciſa augurari licet, hi Romani ſunt; remotiores uero pro Dacis et barbaris forte habendi.

§. 14. Sacrificium ſequens *Fig. 2.* ex eadem columna Traiani itidem quatuor taurorum eſt, ſed duae tantum arae ambae ignitae; praeter quatuor uictimarios multi quoque alii in hoc coetu lauro coronantur. Taurorum corpus medium longiori et anguſtiori panno ex utraque parte dependente, et inferne fimbriato tectum eſt; uti uictimariorum quoque ueſtis, a renibus ad genua defluens, fimbriata eſt. Coetus autem totus hic Imperatorem, quem uiri nonnulli alii et duo lictores cum faſcibus comitantur, ad ſacrificium properantem expectare uidetur. Tres illi pueri, qui itidem cum Imperatore accurrunt, forte pro Camillo et tibicinibus habendi. Sacrificium aliud *Fig. 3.* ab eodem Traiano oblatum, unum tantum uictimae loco taurum profert; nec quicquam hic ſingulare obſeruatur, quam quod Traianus ſacrificans, laeua baculum breuiorem, ſeu forte uolumen aliquod teneat, quodque ara ignita fructibus onuſta ſit, in quibus ſtrobilus comparet; ex quo forte aliquis argumentetur, hoc ſacrificium Deae Cybelae, cui ſtrobili conſecrati fuerunt, oblatum eſſe. Sed in promtu ſunt alia ſacrificia, in quibus iidem ſtrobili comparent, quae huic Magnae Matri per alias rationes adſcribi nullo modo poſſunt; in multis etiam nummis atque marmoribus ſtrobili aris impoſiti ſunt. Quod *Fig. 4.* proferimus ſacrificium, ex gemma *Muſei Brandenburgici* deductum eſt. Tibicinis loco Chithariſta in eo comparet, quod inſtrumentum muſicum in ſacrificiis minus uſitatum fuit; uictima taurus eſt, ara ignita. Ob ſpatii anguſtiam paucae figurae, et quidem illae tantum repraeſentantur, quae ad dignoſcendum ſacrificium ſunt neceſſariae. Quod autem mulier hic ſacrificat, et chithariſta paene nudus eſt, ex eo *Begerus* concludit, ſacrificium hoc Veneri fuiſſe oblatum, ſed ipſe hanc opinionem rurſus repudiat, quod in aliis quoque ſacrificiis mulieres ſacrificantes et homines nudi frequenter appareant.

§. 15. Inter celeberrima, quae nobis antiquitas transmiſit, ſacrificiorum monumenta, iure ſuo computari meretur ſolenne illud ſacrificium *Marci Aurelii*, quod poſt impetratam a Marcomannis, Sarmatibus et Vandalis, uictoriam, Ioui ante templum illius obtuliſſe credi-
Tab. LVIII. tur; cuius anaglyphum hodieque Romae in Capitolio uiſitur. Schema illius *Tab. LVIII. Fig. 1.* exhibemus. Iouis hoc templum eſſe, ante quod ſacrificium hoc peragitur, ipſa Iouis aquilae inſidentis ſtatua in frontiſpicio collocata, comprobat. Imperator ipſe ſacra faciens, indutus

23) Columnam Traianam illuſtrauit I. P. *Bellorius* ſimul et *Antoninianam*; idem *Ciacconii* latinam explicationem in compendium italice redegit, ſimilibusque documentis auxit. Praefertur fere *Raph. Fabretti* expoſitio, *Romae* 1683. fol. cum monumentorum aliorum explicatione.

1.



e Columna Traiana.

4.



Beger.






1. Sacrificium quatuor taurorum a Traiano ad portam celebratum. 2. Sacrificium eiusdem generis ab eodem Traiano oblatum. 3. Sacrificium unius tantum Tauri ab eodem Imperatore peractum. 4. Aliud sacrificium eiusdem generis a muliere oblatum.

1.



Marmor Romanum.

3.



Admirand. Rom. Antiq.

4.



Admirand. Rom. Antiq.

5.



e museo Petavii.

2.



e Columna Traiana.

1. Sacrificium a M. Aurelio post reportatam a Marcomannis Victoriam ante Templum Iovis oblatum. 2. Sacrificium Traiano ad exercitum veniente peractum. 3. Taurus ad Sacrificium destinatus et a Victimariis percussus. 4. Taurus, quem duo Victimarii ad Sacrificium ducunt. 5. Victimarius formae insolitae.

indutus eſt toga, quam ita compoſuit, ut caput ſimul tegat; pateram is effundit in tripodem flammas emittentem. En! exemplum ſacrificii in tripode facti, cuius plura alibi deprehenduntur. A latere Imperatoris Salius eſt, Martis Sacerdos, apice, quem capite geſtat, cognitu facilis. Hic autem ſodali ſuo M. Aurelio honoris cauſſa adeſſe uidetur; quod ipſe octennis in idem Collegium Saliorum fuit admiſſus; in quo *Saliatu*, ſcribit *Capitolinus* cap. 4. *omen imperii accepit:* coronas enim omnibus in puluinar ex more iacientibus, aliae quidem aliis locis haeſerunt, huius Aurelii uero corona ueluti manu capiti Martis aptata eſt. Non mirandum igitur, quod hic Imperator ad imperium euectus, idem collegium ſingulari beneuolentia proſecutus eſt, et in hoc tam ſolenni ſacrificio Salium, qui adſiſteret, arcerſiuit. Ante tripodem Camillus uiſitur, breuiſſima tunica indutus, et acerram thure plenam tenens. Tibicen lauro coronatus, unica tantum hic tibia canit, quum alibi duplici utantur. Victimarius laureatus pro more ad zonam usque nudus eſt, pannoque tantum fimbriato, qui ad genua usque dependet, uentrem et crura tegit; manu dextra taurum tenet, manu ſiniſtra ſecurim, altera parte acuminatam, et altera in malleum deſinentem. Qui pone illum cum ſitula conſpicitur, aquam forte ad aſperſionem deſtinatam geſtat. Pone Imperatorem Senator apparet, uolumen manu tenens, et toga ingentis amplitudinis indutus. Quotquot porro ſacris his interſunt, iis calceus uel malleus pedes tegit, quorum una forma eſt, a caligis, compaginibus, ſoleis aliisque calceorum generibus diſcrepans; unde haec ſimilis calceamentorum forma religioſam quandam caerimoniam arguit, et peculiarem aliquem ritum indicat. In tabulato aedificii paraſtatis ornato uiros duos contra leones, et tertium contra taurum, pugnantes cernimus; quod pro nudo ornamento haberi poteſt, ſicut bigae illae et quadrigae in frontiſpicio templi.

§. 16. In ſacrificio ſequente *Fig. 2.* a Traiano ad exercitum ueniente oblato Tribunos, Primipilares et ſigniferos ipſi obuiam uenire uidemus; ara ignita fructibus undique cingitur; Camillus cum acerra et ueſtimento toto conſpicuus eſt, eiusque capitis ornatus in acumen terminatur; taurus a uictimario lauro coronato ductus, ſerta habet a cornibus dependentia, eiusque corpus medium panno floribus diſtincto et fimbriato tectum eſt; nec alius hic ſacerdos conſpicitur praeter Imperatorem, qui, poſtquam ex equo deſcendit, ſacrificaturus eſt. Quod huic proximum eſt ſacrificium *Fig. 3*, ex marmore Romano eductum eſt. Vnus uictimariorum taurum ſecuris dorſo percutit, ipſe cum ceteris laureatus uidetur; pone illos qui tunica indutus conſpicitur, forte Sacerdos erit. Taurus ſequens *Fig. 4*, quem duo uictimarii ad ſacrificium ducunt, ornamento capitis ſingulari, ſertisque hinc inde dependentibus, admodum eſt conſpicuus. Formae minus ſolitae uictimarium exhibet *Fig. 5.* ex Muſeo D. *Petauii* eductum. Malleum ille tenet, et ueſte indutus eſt hodiernae parum abſimili, crucibusque inſuper paruis diſtincta; unde dubium facile ſubnaſci poſſet, an haec ueſtis ſit antiqua, et priſcis profanorum ritibus conformis. Sed quum cruces eiusmodi etiam alibi, cum primis autem in monumentis Aegyptiorum, non raro occurrant, et, quod ad ueterum uſus atque ueſtes attinet, nouae ſubinde et diuerſae ſuperueniant notitiae: haec minime nos morantur, quin pro ueſte antiqua hanc etiam accipiamus. Dextra, quae temporis iniuria delapſa uidetur, pateram tenet ad libationem forte adhibendam.

§. 17. Quae iam protulimus ſacrificia, ea, nulla peculiari nota diſtinguuntur, quibus conſtet, quibus illa Diis fuerint oblata: quae uero ſequuntur ex certis ſignis atque ſymbolis, ad quae numina pertineant, diſtinctius ſeſe produnt. Initium faciamus a *Taurobolüs* 24), Magnae Matri Deum ſ. Cybelae, et aliquando eidem et Attidi dedicatis. Hic uero cultus, licet antiquiſſimis profanae religionis ſaeculis coepiſſe uideatur; mirum tamen de illo apud ſcriptores eſt ſilentium. Qui primus fereque ſolus de hiſce Tauroboliis mentionem facit, eſt *Iulius Firmicus Maternus*, qui, poſtquam in libro de erroribus religionum profanarum, Chriſti ſeruatoris noſtri ſanguinem, pro genere humano effuſum eo, quo par eſt, modo extulit, ita pergit: *neminem apud idola profuſus ſanguis iuuerit; et ne cruor pecudum miſeros homines aut decipiat, aut perdat, polluit ſanguis iſte non redimit, et per uarios caſus homines ad mortem premit. Miſeri ſunt, qui profuſione ſacrilegi ſanguinis cruentantur. Taurobolium et Criobolium ſcelerata te ſanguinis labe perfundit. Lauentur itaque ſordes iſtae, quas colligis; quaere fontes ingenuos;* ex quibus haud obſcure apparere uidetur, profanos illos Taurobo-

 lia

24) Nomen ipſum idem eſt, ac *caedes bouis*, uti *Criobolium* caedes arietis. Plures ſcriptores, qui illuſtrarunt, indicat *Fabricius* in bibliogr. antiquar. c. 11, 6. quibus adde, *Nathan.* Frid. *Kaus* de taurobolio, *Lipſ.* 1738.

lia et Criobolia pro baptiſmo ſanguinis habuiſſe, quem ideo forte commenti ſunt, ut baptismo Chriſti apponerent. Caerimoniae Tauroboliorum a *Prudentio* in Martyre Romano uerſibus ſequentibus uerboſe deſcribuntur:

Agnoſcis illum, quem loquar, miſerrime
Pagane, ueſtri ſanguinem ſacri bouis,
Cuius litata caede permadeſcitis?
Summus Sacerdos nempe ſub terram ſcrobe
Acta in profundum conſecrandus mergitur,
Mire infulatus, ſecta uittis tempora
Nectens, corona tunc repexus aurea,
Cinctu Sabino ſericam fultus togam.

Tabulis ſuperne ſtrata texunt pulpita
Rimoſa, rari pegmatis compagibus,
ſcindunt ſubinde uel terebrant aream,
Crebroue lignum perforant acumine,
Pateat minutis ut frequens hiatibus.

Huc taurus ingens fronte torua et hiſpida,
Sertis reuinctus aut per armos floreis,
Aut impeditus cornibus deducitur,
Nec non et auro frons coruſcat hoſtiae,
Setasque fulgor bractealis inficit.

Hic ut ſtatuta eſt immolanda bellua,
Pectus ſacrato diuidunt uenabulo,
Eructat amplum uulnus undam ſanguinis
Feruentis, inque texta pontis ſubditi,
Fundit uaporum flumen, et late aeſtuat.

Tum per frequentes mille rimarum uias
Illapſus imber tabidum rorem pluit,
Defoſſus intus quem Sacerdos excipit,
Guttas ad omnes turpe ſubiectans caput,
Et ueſte et omni putrefactus corpore.

Quin os ſupinat, obuias offert genas,
Supponit aures, labra, nares obiicit,
Oculos et ipſos perluit liquoribus,
Nec iam palato parcet et linguam rigat,
Donec cruorem totus atrum combibat.

Poſtquam cadauer ſanguine egeſto rigens
Compage ab illa flamines retraxerint,
Procedit inde Pontifex uiſu horridus,
Oſtentat udum uerticem, barbam grauem,
Vittas madentes, atque amictus ebrios.

Hunc inquinatum talibus contagiis
Tabo recentis ſordidum piaculi,
Omnes ſalutant, atque adorant eminus,
Vilis quod illum ſanguis ac bos mortuus
Foedis latentem ſub cauernis lauerint.

Hanc uero Magni Cybeles Sacerdotis conſecrationem, uiri quidam eruditi, de conſecratione Pontificis Maximi, perperam interpretantur.

§. 18. Praeter haec Taurobolia, erant etiam *Criobolia*, quae, quod ipſum nomen indicat, mactatione arietis fiebant. Vtraque haec ſacrificia nonnumquam coniunctim fuiſſe celebrata, ex inſcriptionibus nonnullis patet. Interdum etiam ſola reperiuntur, uel cum *Aegiboliis*, in quibus capram mactare ſolebant. Sacerdotes, qui per Taurobolia conſecrati fuerunt,

1.



Lugduni repertum.

2.



Maffei.

3.



Admiranda Rom. antiq.

5.
e Columna Traj.



e Columna Traiana.

4.



Maffei.

6.
Maffei.



7.



1. Inscriptio Taurobolia et Criobolia respiciens. 2. Sacrificium Iovi Hammoni oblatum. 3. Sacrif. Cybeles in antro montis Idæ peractum 4. Sacrificium aliud eidem Deæ oblatum. 5. Aliud a Traiano ad oram maris in honorem Neptuni celebratum. 6. Aliud eiusdem generis. 7. Sacrificium a Traiano ante theatrum eidem Neptuno vel Tempestati oblatum.

fuerunt, ueſtes ſanguine iſto maculatas nec abluebant, nec deponebant, ſed per totum, quo durare potuerunt, tempus geſtabant. Putabant autem, eiusmodi initiationibus ſeſe in æternum renaſci. Nec ſoli Sacerdotes hoc modo initiabantur, ſed etiam alii, qui eumdem religionis felicitatisque gradum optabant 25). Regenerationes etiam eiusmodi erant, quarum uirtus per uiginti tantum annos durare credebatur. Haec Taurobolia atque Criobolia ab integris quoque ciuitatibus et prouinciis celebrabantur; ſaepius etiam a priuatis. Non raro occurrunt etiam Magiſtratus et Sacerdotes aliorum numinum, qui Tauroboliis initiabantur, uel qui ſacrificia haec edebant pro ſalute Imperatoris et ſua. Archigalli quoque nonnumquam, numine Deae afflati, monebant, hanc eſſe Deae uoluntatem, ut Taurobolia inſtituantur. Iuſſa uero eiusmodi diuina uel ſomnio, uel uiſione, uel alia ratione fieri dicebantur. Haec Taurobolia nonnumquam per plures dies celebrabantur, ut ex nonnullis inſcriptionibus patet.

§. 19. Antiquiſſima, quae Taurobolia reſpicit, inſcriptio (earum ſcilicet, quas quidem nos uidimus) illa eſt, quae Lugduni in monte, cui hodie nomen *Fourvieres*, reperta eſt, quaeue Antonino Pio imperante A. C. 160, uti quidem ex Conſulatus nomine colligimus, facta fuit 26). Schema illius exhibemus *Tab. LIX. Fig. 1.* Hic in medio inſcriptionis tauri caput conſpicitur, ita, ut totidem uerſus infra illud legantur, quot ſupra idem poſiti ſunt. Caput illud globulis ornatur, qui ueluti margaritae filo traiecto iunguntur, et per formam ſemicirculi inter utramque tauri aurem in fronte dependent. Ad alterum lapidis latus (nos, ut ſpatio tabulae parceremus, illud ſupra lapidem poſuimus) apparet caput arietis eodem, quo tauri caput, modo exornatum; unde haud incongrue inferas Taurobolium cum Criobolio hic eſſe coniunctum; licet in inſcriptione prioris tantum mentio fiat. Ad alterum latus gladius conſpicitur formae plane inſolitae. Obſeruatu dignus eſt capulus, lamina oblonga et lata eſt, acie ancipiti, una cum unco laminae forma concinnato; cui uſui deſtinatus ſit hic gladius, non facile augurari licet *). Inſcriptio ita legenda eſt: **Tab. LIX.**

Taurobolio Matris Deum Magnae Idaeae.
Quod factum eſt ex imperio
Matris Idaeae Deûm
Pro ſalute Imperatoris Caeſaris
Titi Aelii
Hadriani Antonini Auguſti Pii Patris patriae
Liberorumque eius
Et ſtatus Coloniae Lugdunenſis
Lucius Aemilius Carpus Septemuir
Auguſtalis item Dendrophorus
Vires excepit et a Vaticano
Tranſtulit aram et Bucranium
Sub impendio conſecrauit
Sacerdote
Quinto Sammio Secundo ab Quindecimuiris
Occabo et corona exornato
Cui ſanctiſſimus ordo Lugdunenſis
Perpetuitatem Sacerdotii decreuit
Appio Annio Atilio Bradua Tito
Clodio Vibio Varo Conſulibus
Locus datus decreto Decurionum.

25) Patet ex multis inſcriptionibus haec ſacra et publico et priuato nomine frequenter peracta fuiſſe: ita ut aut pro imperatorum ſalute et longa uita, aut pro ſua quisque, imo et feminae pro aliorum, taurobolium acceperint. Idem et repetebatur, ſi quidem eius uirtus uiginti ultra annos durare non credebatur. An *Iulianus* Imperator, idem ſacrum expertus ſit, pluribus diſputat et dubitat *van Dalen.*

26) Vid. explication d'une inſcription antique trouvée depuis peu a Lyon, ou ſont decrites toutes les particularitez des ſacrifices, que les anciens appelloient *tauroboles*; quae *Pariſiis* 1705. in 8. prodiit.

*) Quidni *iugulando boui*?

Supra gladium leguntur haec uerba: *cuius Mesonyctium factum est V. Id. Decemb.* Quod initio dicitur *Taurobolium factum esse imperio Matris Idaeae Deum*, uulgaris est usus in inscriptionibus; uti et illi, qui uota persoluebant, dicebant: ea iussu numinis fuisse facta, idque uel somnio, uel alio modo. *Lucius Aemilius Carpus* erat Sextumuir aut Seuir, quod Romae genus Sacerdotii fuit; ut aliae quoque ciuitates suos habuere Sextemuiros. *Dendrophori* munus religionem spectat, a ferendis arboribus, seu arborum ramis, sic denominatum; quo nomine Siluanus quoque nonnumquam ex eadem ratione insigniri solet. *Vires tauri excepit*, *Dalenio*, optimo huius sacrificii interpreti, in erudita de Tauroboliis dissertatione 27), idem est, ac guttas illas seu pluuiam sanguinis, de qua supra dictum, capite, uultu, ueste etc. excipere. *Occabum* cultrum siue secespitam denotat, nec non armillam.

§. 20. Sacrificium sequens *Fig. 2.* Ioui Hammoni oblatum, ab ipsius capite cornuto, nec non ab aquila subtus posita, dignoscitur. Sacerdos lauro coronatus ex patera infundit in flammam, in ara rotunda. Quod *Fig. 3.* hoc excipit sacrificium, a *Bellorio* publicatum, sacra Cybeles in antro montis Idae, quo summopere delectabatur, celebrata sistit. Ara magna quadrata et ignita uariis fructibus, sine dubio etiam strobilis, onusta est; qui sacerdotis munere fungitur, sine dubio unus e Gallis est, Magnae Matris Sacerdotibus, qui omnes Eunuchi fuerunt, de quibus supra pag. 5. plura diximus. Hic dextra fruges in ignem coniicere uidetur; sinistra paropsidem fructibus plenam tenet; post eum duo alii comparent, quorum alter tympanum, (consuetum Cybelae ministerium est), pulsat, alter tibiis canit eius generis, quod iam supra uidimus. Sub brachio Galli sacrificantis uas in rupe positum est, quod pro praefericulo accipere liceat. Quod *Fig. 4.* depingitur sacrificium, nuper a *Maffeio* equite publicatum et explanatum, eidem Cybelae oblatum uidetur. Statuam hic cum thyrso turri, basi peculiari innixae, insistere uidemus. Basin Cl. *Maffei* pro terra habet, quam cum Cybele eandem esse, iam saepius monuimus; turrim uero pro illa turri accipit, seu moenibus turritis, quibus Cybele coronari plerumque solet; quod homines urbes moenibus atque turribus cingere prima docuerit; hinc facili negotio concludit, hocce sacrificium Cybelae fuisse oblatum, eamque statuam ipsam esse Cybelen; parum curans thyrsum, quem manu tenet, qui pro Bacchi plerumque symbolo habetur; quandoquidem id satis notum est, quod numina ista profana symbola sua haud raro inuicem communia habeant. Sacerdos scrofam pedibus tenet, ut dispiciat, num uictima ad sacrificium apta sit, nec ne. Aliter capiti hostiarum uinum uel aquam infundebant, sique uictima aspersionem hanc facile pateretur, hoc pro signo infirmitatis accipiebant, illamque ad sacra facienda minus aptam iudicabant. Sacerdos hic sedet, ut significetur, Deam Opem, quae eadem erat cum Tellure, firmam esse atque stabilem; quod, post *Varronem*, etiam *Augustinus* de Ciu. Dei L. VII. confirmat. Quercus prope Deam posita, ipsi etiam sacra fuit; instrumentum uero ab arbore suspensum, cymbalum esse uidetur, quo in mysteriis Cybeles utebantur.

§. 21. Sacrificium sequens *Fig. 5.* a *Traiano* ad oram maris uel Neptuno, uel Ventis, uel Tempestati, uel Tranquillitati, pro felici huius Imperatoris nauigatione oblatum uidetur. Ara in ora extrema locatur, & taurus iam mactatus humi prostratus est. Ipse Imperator, Camillus ceterique omnes ad implorandum numinis patrocinium manus extendunt; Imperatoris caput fascia, seu diademate redimitur, quod alibi uix obseruatur. Cuidam eorum, quae paullo ante nominauimus, numinum et forte Tempestati in primis, quod *Fig. 6.* exhibemus, sacrificium offerri putat Cl. *Maffeius.* Adest tibicen, uictima mactatur, quodque hic singulare est, nulla flamma nec ara comparet. Neptuno item, uel alii praedictorum Numinum offerri uidetur sacrificium sequens *Fig. 7.* ante theatrum in porticu quodam persolutum. Ara in extrema portus ora quadrata est, sertis ornata & solito elatior, ad zonam usque Traiani pertingens. Flamma, quam in ara uidemus, uariis fructibus, et inter eos strobilo quoque circumdatur. Caput Traiani, qui sacerdotis munere fungitur, hic non obuelatum est, isque pateram pro more in ignem effundit. Camillus acerram manu tenens, hoc loco etiam uelato capite comparet, ornatusque capitis a fronte in acumen exsurgit; quod alibi frustra quaesieris. Tibicen duplici tibia canens, et uictimarius, qui tauri iam percussi et prostrati capiti manum imponit, lauro coronantur. Vero autem simile est, sacrificium hoc ad impetrandam felicem nauigationem nauibus istis, quae in portu uisuntur, fuisse peractum. Obiter hic

27) Quae est *prima*, inter *Anton. van Dale* dissertationes nouem, antiquitatibus et marmoribus, cum romanis, tum potissimum graecis, illustrandis inseruientes etc. cum figuris *Amstelodam.* 1702. 4.

1.




Eggelingius.

4.



ex arcu Constantini.

2.



3.



Maffei.

1. et 2: Vas summo artificio ex onyche confectum, in quo mysteria Bacchi et Cereris repræsentantur. 3. Sacrificium Apollini oblatum. 4. Sacrificium aliud eidem Deo a Trajano oblatum.

hic notandum, quod Neptuno et Tempeſtati, item Plutoni tauri nigro colore mactati fuerint. De ſacrificiis uero Diis inferis oblatis, infra plura dicemus, ubi de funeribus agetur.

§. 22. *Cereri* mactabantur uictimae, uerres, ſus et ſcrofa, aries item et ouis. Monumentum *Tab. LX. Fig. 1.* et *2.* prolatum, inter pulcherrima numerandum; nec ad Cereris Tab. LX. tantum, ſed et Bacchi myſteria illud referendum uidetur. Exhibetur illud in uaſe artificioſiſſimo in Muſeo *Ducis Brunsuicenſis* ſeruato, et ex onyche una formato, tertia circiter parte maiore, quam in ſchemate comparet. Publicatum et erudite explicatum eſt hoc monumentum a doctiſſimo *Ioh. Henrico Eggelingio* in diſſertatione A. 1682. ab illo Bremae edita 8), Vas illud formae ſingularis anſa et tubo reflexo, quo liquor effluere ſolet, inſtructum eſt, et, *Eggelingio* auctore, in eorum praeprimis uaſorum numero habendum, quae, quod liquor ex illis guttatim deſtillabat, *guttorum* nomen ferebant. In tres partes diſtinctum eſt, duabus auri laminis illud ambientibus. Pars ſuprema, uaſis collum eſt, ſiue guttur; pars media eaque amplior, maiorem figurarum numerum complectitur; pars tertia ſeu inferior ſenſim ſenſimque magis coarctata, peculiaribus quoque ſchematibus ornatur, quae omnia Cereris et Bacchi myſteria exprimunt. In media uaſis parte Ceres primum, paruo quaſi templo ſiue ſacello incluſa, cernitur, facem utraque manu geſtans, qua forma filiam Proſerpinam quaerens effingi ſolet; pone illam ipſa Proſerpina conſpicitur, nudis pedibus incedens, et ſiniſtra papauer tenens; Cererem duo pueri praecedunt, quorum alter, ueſte talari indutus, caniſtrum fructibus plenum tenet, alter nudus eſt: *Eggelingius* pro Vertumno et Pomona habet; ſed ſchema cum illius explicatione non plane conſpirat. Priorem hanc partem praealtus lauri ramus a ſequenti ſeparat, in qua Ceres curru duobus draconibus iuncto uehitur; lateri illius inhaeret Triptolemus, ueſte indutus, (alibi nudus fingitur) draconumque habenas dirigens; ante hos dracones Bacchus humi ſedens conſpicitur, caniſtro nixus, ſiniſtramque uuae, uti uidetur, imponens; ſupra Bacchum in aere praeteruolat iuuenis, quem pro Zephyro 9) habent. In tertia parte, quae extenſo uelo obumbratur, ſacerdos mulier apparet, quae porcellum tenet, eundem Cereri forte oblatura; hanc alia excipit, quae hoedum, cuius cornua prehendit, et diſcum uariis fructibus repletum Baccho, cuius ſacerdos creditur, in ſacrificium offerre uidetur; poſtremo duae aliae adhuc uiſuntur mulieres, quarum altera ſedens, caniſtrum fructibus plenum tenet, dextra uero ſpicam; altera ad dextram illius conſiſtens calathum itidem uariis frugibus refertum capite geſtat; forte utraque pro Canephora habenda. Vaſis pars inferior uariis quoque ornamentis, quae ad Bacchi Cererisque cultum pertinent, eſt conſpicua. Ab initio ſtatim calathus exhibetur uariis fructibus, quibus mappa ſubiecta uidetur, onuſtus; iuxta hunc duae faces decuſſatim poſitae uiſuntur, quae Cereri propriae ſunt, et in omnibus fere ſacrificiis occurrunt; caniſtrum deinde aliud ſequitur, cuius pars ſuperior tubo uaſis inde naſcente occupatur; ſub caniſtro pateram uidemus, et e regione illius praefericulum inuerſum, tibiasque colligatas, quibus in ſacrificiis utebantur; ſupra praefericulum comparet tibia alia pluribus fiſtulis compacta, cui caput humanum, forte Bacchi uel Bacchantis imminet; partem extremam occupat uas aliud fructibus plenum, item calathus, cui ſerpens inſidet, quo in Orgiis Bacchi nihil eſt frequentius; caput illud barbatum, quod agmen claudit, ornatus gratia, iunctum hic uidetur, ut in monumentis aliis bene multis ſolet. Non ingratum tandem, quod ſperamus, erit Lectori, ſi poſt *Eggelingium* hic paucis referamus, quo pacto egregium hocce monumentum Gazae Brunſuicenſi acceſſerit. Olim in Muſeo *Ducis Mantuani* uiſebatur; quum uero urbs Mantua an. 1629. capta diriperetur: gregarius miles illud ſurreptum *Franciſco Alberto* Inferioris Saxoniae Duci obtulit, qui centum ipſi aureos pro eo muneri dedit. Ille cimelium hocce coniugi *Chriſtinae Margarethae* Mecklenburgenſi per teſtamentum reliquit; haec pari modo idem tranſtulit ad ſororem *Sophiam* Brunſuicenſem, quae illud poſtea eadem ratione filio *Ferdinando Alberto*, Duci Brunſuicenſi, reliquit. Gemmarum mercatores adusque ſexaginta, alii uero octoginta millia imperialium pro eo obtulerunt; in *Sophiae* autem Principis inuentario pretium illius centum quinquaginta millium imperialium eſſe dicitur.

§. 23. Pergimus ad ſacrificia Apollini oblata. Primum *Fig. 3.* ſingulare quidpiam prae ſe fert. Apollo ſeminudus ambabus manibus lyram tenet, et praealto ſtylobate arae formam referente nititur. Coram illo mulier infantem nudum in lance tenet. Cl. *Maffeius* hoc

Ll 2

8) Quae tomo VII. *Gronouii* recuſa exſtat.

9) Niſi *Iocum*, aut *Amorem* huic conſortio magis conuenire, quis putet; certe infra §. 28. fine *Cupido* ſocius eſt.

hoc priuati cuiusdam uotum esse autumat, quo infanti oblato numinis illius tutela atque patrocinium procurari debuit; idque secundum ueterum morem, qui infantes nono ab ortu die ad statuam numinis deferebant, sub cuius praesidio illos constituerent: quod fere obseruabant, priusquam infanti nomen imponerent. Aliam idem uir eruditissimus coniecturam profert, dum has primitias humanas esse asserit, quas Cretenses ex tributo, quod Athenienses singulis nouenniis persoluebant, Delphos mittere consueuerunt; sed haec sunt incerta. Sacrificium sequens *Fig. 4.* ex arcu Constantini, Traiani arcus spoliis ornato, depromtum multis nominibus insigne est. Apollo seminudus inter duas lauros stylobatae insistens, lyram tenet tripodi innixam, quem serpens pluribus gyris amplectitur; ante illum ara quadrata sertis coronata posita uisitur, ad cuius dextram Imperator Traianus manum ad illum tendit, sinistra hastam tenens; caput Traiani circulus luminosus, seu nimbus, circumdat, qualem olim pictores sanctis addere solebant 30); quod genus ornamenti Romani et Diis et Imperatoribus suis tribuebant.

§. 24. In sacrificiis *Marti* oblatis maxima et praecipua perhibentur *Suouetaurilia*, siue sacrificia uerris, ouis et tauri, quae pro lustratione, seu expiatione agrorum, urbium, rerumque aliarum plurimarum fieri solebant, ut nimirum illas Deorum praesidio dignas redderent; eaque in *maiora* et *minora* distinguebantur. *Minora* dicebantur, in quibus uictimae iuniores et minores offerebantur; quales fuere porcellus, agnus, uitulus. *Maiora* fuerunt, quae animalibus maioribus persoluebantur; uerre scilicet, ariete et tauro. Idem autem ordo, quem nomen Suouetaurilium prodit, perinde in omnibus fere eius generis sacrificiis uisitur; adeoque uerres primus ubique procedit, hinc aries, postremo taurus. Haec animalia, ut optime obseruauit *Fabretus* in Columna Traiana p. 143. antequam in sacrificium offerrentur, tribus plerumque uicibus circa rem lustrandam a dextra ad sinistram circumagebantur. Narbonensis lapis *Tab. LXI. Fig. 1.* admodum singularis. Viuum ille suem mensae uel arae insistentem exhibet, et ad utrumque illius latus galeam, quorum sinistrae aceruus armorum scutorumque adiectus est; ex quo haud inepte colligas, hoc sacrificium ad arma lustranda fuisse paratum. Verum enim uero, licet apud Romanos Suouetaurilia Marti praecipue offerrentur; apud Graecos tamen eadem aliis quoque numinibus Neptuno scilicet, Aesculapio et Herculi, forte etiam aliis, peracta fuisse, legimus; eaque peculiari nomine Trittya, τριττύα 31), nuncupata fuerunt. Prima, quae *Fig. 2.* proferimus Suouetaurilia, ex columna Traiana *Tab. VII.* desumta sunt. Imperator in castrorum praetoriorum ingressu ex patera in aram ignitam uinum effundens, uelato capite sacrificat, sinistra breuem baculum seu uolumen gestans; ante illum Camillus nudato capite conspicitur, dextra manu praefericulum, sinistra, quam hic non uidere licet, acerram forte tenens. Tibicen uictimarii ceterique omnes, quos sacris hisce interesse uidemus, solo Imperatore et Camillo exceptis, lauro sunt coronati. Tubicines, qui pompam praecedunt, et lituis personant, ideo forte hic admissi sunt, quod sacrificium hoc Marti, Belli Deo, fiat. In iis, qui ad dextrum tabulae latus apparent, unus manu sinistra lancem fructibus uel placentis repletam gestat, alius uero uas tenet ad aquam lustralem forte destinatum. Ex tribus uictimariis primus uerrem, medio corpore foliis uel ramis arboris praecinctum, secundus arietem, tertius securi instructus taurum ducit, eo, quem iam aliquoties obseruauimus, modo ornatum. Tres hae uictimae cum ductoribus a dextra ad sinistram procedentes castra circumeunt, quam circuitionem pro more ter repetebant. Quae *Fig. 3.* et *4.* sequuntur Suouetaurilia, eadem fere forma sunt; discrimina, certe leuiora sunt. Sic qui *Fig. 3.* praecedit, sus hic lauri ramis cingi uidetur, quum alias fascia praecinctus appareat, nec a uictimario, sed alio puero laureato eodem, quo aries, modo ducitur; maior quidem, sed a praecedentibus uictimariis ueste quodammodo differt, qui taurum adducit, et ipse lauro coronatus. *Traianus* hic etiam togatus sacrificat, toga minime succincta, nec uelato capite, quum alias plerumque uelatus appareat; pateram quoque hic in tripodem flammigerum, arae loco, effundit; Camillus laureatus longo decoratur capillitio cincinnis ad humeros usque defluentibus; tibicen coronatus est; tubicines duo militari ueste et galea tecti, praecedunt; pone hos quatuor alii galeis cristatis, aut uexilliferi, aut alio quodam

Tab. LXI.

30) De *Nimbis* pluribus egit I. *Nicolai,* Ienae 1699. 12. et alii, quos *Fabricius* laudat in bibliograph. antiq. c. 8. §. 18. quibus addendus D. *Martin, de la religion des Gaulois,* in quo libro plura legere memini de nimbis.

31) De sacrificio trium animalium τρίττυς inde dicto, uid. *Eustath.* ad Odyss. Λ. constabat, aut duabus ouibus et boue; aut, boue, capra, oue; aut, apro, ariete, tauro; aut, sue, capro, ariete; ut *Potterus* exponit.



1. Sacrificium ad lustrationem armorum Marti oblatum. 2. Suovetaurilia ad introitum castrorum Prœtorianorum a Traiano peracta. 3. et 4. Suovetaurilia alia. 5. Sacrificium Mercurio oblatum. 6. Sacrificium Dianæ Venatrici a Traiano oblatum. 7. Sacerdos Dianæ cervum in Sacrificium offerens.

1.





Admirand Rom. Antiq.

2.



l'Abbé Faurel.

3.



admiranda Rom. Antiq.

4.



1. Iphigenia Dianæ immolanda. 2. Dianæ Sacerdos cervum ad Sacrificium ducens. 3. et 4. Mysteria Bacchi circa aram rotundam per anaglyphos expressa.

dam militari munere fungi uidentur. De uexillis ceterisque signis militaribus infra de re militari plura dicemus. Hoc loco tamen in primis notari meretur, aquila illa plane singularis, quae in tribus istis signis militaribus, quae in dextro schematis latere conspiciuntur, medio insistit; fulmen enim unguibus tenet; non fulmen illud trisulcum, Iouis plerumque aquilae adiunctum, sed in unam tantum utrinque cuspidem desinens; eadem aquila annulum rostro tenet, qui ad suspendendum ab eo pannum certi coloris, uel fasciam, uel aliud quid, quo legio alia ab alia distingueretur, destinatus uidetur. In suouetaurilibus *Fig. 4.* ex marmore Romano, quod nunc Venetiis esse dicunt, hoc singulare uidetur, quod pone Sacerdotem uir quidam praefericulum teneat, araeque arboribus tectae compareant.

§. 25. Sacrificium sequens *Fig. 5.* ante templum, in cuius frontispicio columnarum loco duo Hermae sunt, *Mercurio* adscribendum uidetur, cuius templum Romae, non columnis, sed Hermis, ornatum erat. Mulier sacrificans, cujus capilli modo singulari concinnati sunt, uas tenet rotundum, ex quo proferre quidpiam uidetur; coram illa puella lancem placentis, forte, onustam sinistra, dextra praefericulum attollit; ara quadrata est et peculiari margine ornata. Totum schema eburneum est unius circiter pedis.

§. 26. Elegantissimum *Fig. 6.* sequitur monumentum, quod sacrificium *Dianae Venatrici* oblatum refert, et ex *Constantini* arcu desumtum est. Dea uenantis habitu dextraque hastam tenens stylobatae insistit, in capite lunam bicornem gerens; ante stylobaten ara est ignita; Imperator Traianus capite uelato pateram in ignem effundit; tres adstant milites hastati. Diana inter duas arbores consistit, utpote uenatrix, quae siluas et saltus permeare soleat; in trunco alterius arboris apri caput defixum est, quod Imperator Deae ideo offerre uidetur, quod uenationi illius felicem successum procurauerit. Sacrificium *Iphigeniae*, cuius schema *Tab. LXII. Fig. 1.* exhibemus, in horto magnae Hetruriae Ducis in uase quodam conspicitur. Tab LXII. Dea cum arcu lunam bicornem in fronte gerens stylobatae insistit; ante illam sedet Iphigenia, uictimae loco immolanda, demisso capite sortem suam dolens; Achilles Deam precatur, ut hac uictima placata Graecis fauentior sit. Vlysses post eam consistens pede basin pulsat; hic autem is ipse fuit, qui, Clytaemnestra matre decepta, ceu Achilli nupturam adduxit, sed reuera Dianae immolandam; moestus Iphigeniae pater Agamemnon magno uelo obtegitur; ceteros, qui tanquam spectatores adstant, non nouimus; nemo uero ignorat, Dianam, ut Iphigeniae parceret, pro ea ceruam substituisse 32). Hisce Dianae sacrificiis duo alia iungimus *Tab. LXI. Fig. 6.* et *LXII. Fig. 2.* exhibita. In primo uisitur puella, Dianae forte sacerdos, quae dextra lauri ramum tenet, sinistram uero ad ceruum, propriam huius Deae uictimam, immolandum extendit; inter hanc sacerdotissam atque ceruum ara cernitur ignita, eaque rotunda. In altero schemate sacerdotissa cerui cornua prehendit, haud dubie ut ad sacrificium ducat.

§. 27. Mysteria et sacrificia *Bacchi* nullam facile monumentum melius exprimit, quam marmor Romanum ex Museo Reginae Sueciae. Schema illius *Tab. LXII. Fig. 3.* et *4.* proferimus. Ara est rotunda, circa quam in anaglyphis repraesentantur caerimoniae Bacchicae, et sacrificia numini isti oblata. Singula anaglypha, quasi plures eiusdem comoediae actus, columnis et arboribus distinguuntur. In prima tabula Bacchans exhibetur, uas magnum utrinque ansatum, forte uino repletum, portans; Faunus sequitur altera pellem, altera itidem uas tenens, qui summopere agitatus uidetur; inter ambos ara, pro more sertis ornata, posita est; ab utraque huius anaglyphi parte columna uisitur, cui uas magnum impositum est. Coetus sequens est trium Faunorum Silenum, ut solet, ebrium sustinentium; balteo hic Silenus quasi ex pampinis constructo praecinctus est, et corona ex iisdem foliis ornatus, altera manu uuam tenet; disterminatur hic coetus arbore, in cuius trunco quid lacerta 33) significet, nescio; pellis leonina ab arbore ad columnam praecedentem extensa tentorii uicem sustinet. In altera imaginis parte coetus alius arboribus tensisque uelis operitur, interpositis pilis et columnis, in quarum cacumine uasa quaedam posita sunt. Primas in hac turma Bacchus nudus tenet, pallium brachio gestans, et a Bacchante, uel Fauno, sustinetur; pampinis idem coronatus est, et dextra thyrsum fert, ad pedes uero illius tigris conspicitur. Vicina Faunorum caterua tota in mactandis et coquendis duobus suibus est occupata. Olla enim ingens igne supposito alterum e suibus coquendum recipit, sus alter ab arbore pendet. Ex ceteris

32) *Ouid.* Metam. 12. v. 32. seqq. Flentibus ante aram stetit *Iphigenia* ministris. Vid. et Euripidis tragoedia *Iphigenia* in Aulide.

33) Siluarum incola, et siluae forte symbolum: ut *Horatius* fere innuit, Carminum 1, 23, 6. seu uirides rubum dimouere lacertae.

Faunis alius alii sertum offert; tibicines quoque duo, quorum alter duplici tibia canit, caterum ornant; alius ex Faunis pelle exornatus utrem uini humero gestat; scala tandem hic apposita aulaeis affigendis et extendendis inseruiisse, uero admodum simile est.

Tab. LXIII. §. 28. Non minus obseruatu dignus est coetus sequens *Tab. LXIII. Fig. 1.* et *2.* Bacchans primum femina duplici canens tibia ad aram strobilis aliisque frugibus onustam comparet; iunctae huic sunt Bacchantes plures aliae, quarum duae tympana pulsant; satyri quoque iis intermixti sunt, quorum unus duplici tibia ludit, et alius pelle praecinctus baculum tenet recuruum, more litui aut uirgae auguralis; huic proximus est puerulus pelle pariter opertus, baculumque similem tenens; sub pedibus maioris illius satyri, serpens ex calatho emergens, conspicitur, qualis in mysteriis Bacchicis saepius uisitur. Pone hunc calathum puerulus alius leoni insidet, quem baculo urgere uidetur. Currus porro Bacchi sequitur duobus Centauris iunctus, quorum alter tibiis canit, alter lyram pulsat. Bacchus ipse, pro more coronatus, curru uehitur, Sileno, qui Fauni aures habet, innixus et thyrsum tenens diotamque uertens. Bacchans mulier ad dextram illius similiter thyrsum gestat; sub curru tigris est. Pone hunc Bacchi currum Bacchantes aliae hircum immolaturæ uidentur, quarum altera uas magnum, utrinque ansatum, manu tenet; ara inter illas posita, strobilis, aliisque frugibus repleta est; sed et Bacchans alia strobilos ex proxima pino decerpere uidetur; puerulus, qui hirci barbam arripit, altera uuam tenet. Imago sequens, a praecedente minime separanda; primo loco etiam Bacchum curru duobus Centauris iuncto uectum nobis offert; Centauri iisdem cum superioribus illis instrumentis utuntur; *Cupido* illis imminens, signo militari instructus est, dextramque Bacchi humero imponit. Ipse Bacchus, uini plenus, caput reclinat et, brachio super Ariadnen extenso, uinum effundit in pateram magnam Bacchantis, quae currum sequitur. Ante Centauros cista illa mystica tantisper hians, et serpentem forte inclusum tenens uisitur. Satyri et Nymphae currum praecedentes totum Orgiorum furorem exprimunt. Satyrus in primis horridus uas tenet, ex quo liquorem effundit; Bacchans alius os quoddam grande tenet, quo minari uidetur; Nympha sequens baculum et uuam habet; hanc Bacchans alius sequitur, qui claua ictus comminatur; postea Silenus asino uehitur, a quo facile excuteretur, nisi alii ebrium sustinerent; cymbalum tamen sinistra tenet. Bacchans sequens uuam attollit, sinistra baculum recuruum comprehendens; Nympha sequens tympanum erigit; ex sequentibus alius puerulum collo gestat, alius duplici tibia canit; qui tandem comparet elephas Indicam Bacchi expeditionem forte denotat.

§. 29. In Orgiis Bacchi sequentibus *Fig. 3.* et *4.* ex uilla Borghesia depromtis, Bacchus femineo capitis cultu ornatus thyrsum tenet, Musa uicina lyram pulsat, et tigris thyrsum ore prehendit; Faunus similiter thyrsum gestat humero reclinatum, sinistra uero animalis cuiusdam pellem tenet. Alter eodem fere cultu ornatus, Silenum hedera coronatum et, ob ebrietatem, lapsantem ad lagenam inuersam sustinet. Imago posterior saltationem Bacchicam repraesentat; Tres Nymphae saltantes diuersis instrumentis ludunt; prima quidem crotalis, secunda lyra, et tertia cymbalo; praeter has Faunus duplici tibia canit, et Bacchans Nympham secundam arrepta fascia post se trahere uidetur.

§. 30. Schema sequens *Fig. 5*, ex marmore uillae Montaltae desumtum, Bacchanalium ritum exprimit. Res agitur ante binas aedes, quae in fundo tabulae repraesentantur. Ad laeuam conspicitur Herma, hinc uir in lecto sedens, mulierque in altera lecti parte recumbens, idque ante mensam tripodem uariis uasis, lagenis et fructibus onustam; quatuor item laruae occurrunt, quae communia Bacchanalium symbola sunt; senex porro ueste talari indutus comparet, cui Faunus calceos exuit; num hic Sacerdos Bacchi fuerit 34), certo dici nequit. Alter Faunus iunior pone senem uerte illius sese contegere uidetur; tertius Faunus thyrsum gestat, certissimam Bacchanalium notam; exinde Silenus duplici tibia ludens, et post eum Faunus alius, qui gestibus Bacchicam turmam referre uidetur, apparet. Mulieres tandem duae sese mutuo amplectentes, quarum altera lagenam tenet, agmen claudunt. Faunus denique procul a caterua muro insistens et manum extendens, uel strobilos ex proxima pino decerpere, uel serta, quibus domus cingitur, affingere uidetur.

Tab. LXIV. §. 31. Nullum autem ex Bacchicis schematibus elegantius est eo, quod *Sponius* in *Miscell.* publicauit; et quod *Tab. LXIV.* exhibemus. In quinque quasi pompae partes diuisum est, quae coniunctim coetum unum efficiunt. Ab initio huius pompae eaedem ferme figurae uidentur

34) An ithyphallum quis suspicetur potius? Certe ii muliebri ueste usi, Bacchi comites, et cetera ebrios simulabant, nisi ipsi essent.



1. et 2. *Coetus Bacchicus Bacchum in Indiam proficiscentem comitans.* 3. et 4. *Orgia Bacchi.* 5. *Ritus Bacchanalium.*



CELEBERRIMVS BACCHI COETVS.



1. Apaturia in honorem Bacchi peracta. 2. et 3. Sacrificia duo alia eidem Deo oblata. 4. Sacrificium vel Iunoni Lucinæ vel Veneri oblatum. 5. Sacrificium Herculi peractum. 6. Sacrificium aliud, quod Silvano forte offerebatur. 7. Aliud Pani oblatum. 8. et 9. Duo sacrificia quæ Priapo oblata videntur.

F

dentur, quas paulo ante oſtendimus, ita quidem; ut ex uno marmore in aliud tantum translatae uideantur. Prope Hermam enim, mulier quaſi moerens conſpicitur; hinc uir atque mulier alia lecto inſidens ante quem tripus frugibus onuſta; in demiſſiore ſcabello quatuor itidem laruae comparent; puerulus porro ante aram rotundam humi ſedens folia uitis et uuas tenet; tres Nymphas, quae manus iungunt, (tres forte Gratiae 35) ſunt); excipit uir cymbalum pulſans, et ſenex pedem alii calceum ipſius tollenti porrigens; qui poſtea tibia canit, Sileni formam refert; in parte huius pompae ſecunda qui agmem ducit, ciſtam uuis plenam capite geſtat, ad eiusque pedes canis decumbit; ex ſequentibus unus utrem magnum portat; dein tres ſequuntur uictimarii, quorum primus taurum, ſecundus arietem, et tertius ſuem ducit; alius porro arboris ramos, alius ſignum militare gerit; tandem haec turba armato milite clauditur, prout tertia pompae huius pars eiusdem formae militem ab initio ſtatim exhibet; proxime illum alius quis equum conſcendere nititur; poſt hunc uir libro aſſidens ſcribere quidpiam, et alius coram illo ſcribenda illi dictitare uidetur; alius ſedens ſibi adſtantem alloquitur; hinc duo iterum ſequuntur milites armati, duaeque mulieres, quarum altera lyram pulſat, altera tibiis canit. Quarta pompae pars primo iterum uirum armatum exhibet proxime aram, cui alius innititur; puer praefericulum tenens, uinum effundit in craterem, ſeu pateram, uiri cuiusdam altera manu puerulum comprehendentis; hinc bacchantes uiri feminaeque magno numero ſequuntur; in his autem bacchans mulier cymbalum, alii uuas tenent; rurſus alius bacchans corneam tubam inflat, aliae crateras et lagenas ferunt. Parte tandem quinta mulier primo uiſitur manu uuas oſtentans; poſt eam Silenus aſino uectus, quem uiri duo, ne cadat, uix fulciunt; hinc tibicines duo, item Satyrus unus uuam, et Bacchans manibus ambabus cadum uini plenum, tenens; denique uir cum uua. Horum omnium ſingulatim rationem reddere non ualemus. Si uero uiri quidam eruditi hanc pompam pro Suouetaurilibus uenditare uoluerunt, tantum abeſt, ut ſententiae illorum ſubſcribamus: ut potius aſſeramus, uix aliquid praeter tres iſtos uictimarios cum animalibus in ſacris illis locum habere: immo ſi et hoc ſimul reſpicimus, quod tria iſta animalia contra Suouetaurilium nomen aeque atque ritum inuerſo ordine a ſiniſtra ad dextram procedant, nihil omnino ſupererit, quod nos in partes eorum pertrahere ualeat.

§. 32. *Maffeius* eques monumentum ſequens, *Tab. LXV. Fig. 1.* exhibitum in Gemm. Tab. LXV.
Antich. Tom. III. p. 65. ſacrificium hoc Baccho, non Manibus (poſteriorem ſententiam Aeneas *Vicus* defendit) oblatum putat, illud pro feſto, quod Athenienſes *Apaturia* 36) uocarunt, habere mauult. Hoc autem feſtum in honorem Bacchi celebrabatur tribus menſis Octobris diebus. Prima dies *Coena* uocabatur, qua ad coenam communem conueniebant ſingulae tribus; ſecunda *Anarrhyſis*, qua ſacrificabant. Nomen uero hoc componitur ex ἀνὰ, *ſurſum*, et ἐρύειν, tollere, unde *Homerus* ſaepe ἀνέρυσαν uſurpat, quod uictimae in illo ſurſum tollebantur, ut mactarentur; tertia dies *Cureotis* dicebatur, quod κοῦρος iuuenem ſignificat, et illa die iuuenes in tribum introducti cum aliis ciuibus ſcriberentur. In hoc autem ſacrificio uir galeatus, quem mactat, arietem ſublimem tenet. At, mihi inde non conſtat, hoc ſacrificium Baccho eſſe oblatum. Quid? quod Cl. *Maffeius* ipſe fateatur, idem etiam uel Marti, uel Mercurio, tribui poſſe. Ceterum hic mos erigendi uictimas in monumentis non niſi raro occurrit. Vir tamen ille, qui utrem uino repletum in uas ſuppoſitum effundit, pro *Maffeii* ſententia facit. Sacrificium ſequens *Fig. 2.* quo uir quidam magnum utrem uino repletum in uas ſuppoſitum effundit, a *Maffeio* Baccho oblatum putatur, nec diſſimulandum, quod uitis pampinos extendens ſententiae illius fauere uideatur; ſed quid ſtatua Dei galeati cum clypeo columnae impoſiti cum Baccho commune habeat, nos quidem latet. Vero multo ſimilius eſt ſacrificium *Fig. 3.* quo duo Fauni ad aram ignitam caprum immolant, Baccho fuiſſe oblatum.

§. 33. Sacrificium ſequens *Fig. 4.* quod *Gronouius Iunoni Lucinae* pro muliere praegnante oblatum eſſe cenſet, Cl. *Maffeius* Veneri potius tribuit. Ramus certe, quem mulier ſacrificans in ignem coniicit, myrtus eſt, Veneri ſacra, cui uix in aliis ſacrificiis locus eſt; columna, cui globus impoſitus eſt, ad aram pertinere uidetur. *Fig. 5.* ſacrificium *Herculi* oblatum

35) Veroſimilius forte κανηφόρους dixiſſet; licet in talibus monumentis non ſemper ratio omnium reddi poſſit. Virgines certe ſcimus Bacchicis feſtis interfuiſſe; *Gratias* non ſcimus.

36) Ratio nominis uaria redditur, ab ἀπάτη, quod fraude uſus Melanthius, uellere caprino indutum quendam ſe uidere pone aduerſarium clamans; quem reſpicientem facile obtruncarit. Alii ἀπατούρια per α coniungendi, quod his ſacris liberi cum patribus irent in publicum, ut in ciuium numerum et ipſi ſcriberentur.

latum offert, ut in parte poftica nummi Poftumi exhibetur. Imperator uelato capite facrificat, fimpulumque finiftra tenet, dextra uero pateram in ignem effundit, Hercules ipfe prope altare confpicitur cum fpolio leonis clauae innixus; uictimarius quoque comparet taurum fecuri percuffurus. Monumentum fequens *Fig. 6.* facrificium Siluano (uti uidetur) oblatum exhibens, magnae inter eruditos contentioni anfam praebuit, quod fculptores Romani illud omnibus partibus abfolutum atque perfectum repraefentarunt, quale in delineatione arcus *Conftantini* A. 1690. edita uifitur. Hercules ibi clauam humero geftans cum pelle et capite leonis exhibetur; prope illum arbor uidetur, ex qua tibia Panis dependet, eique caput leonis affixum eft; pone Herculem uir quidam confpicitur coronam capiti illius imponens; Imperator Traianus nudo capite facrificat ad aram quadratam ignitam, haftam finiftra tenens. Verum contradicit huic imagini *Fabrettus* in Col. Trai. p. 170. oftendens, 1.) nullum in marmore uero Traiani caput confpici; 2.) ex Vertumno factum effe Herculem et 3.) ex capite urfi caput leonis. Nos imaginem damus, qualem *Fabrettus* exhibet, qui hic Traianum Siluano facrificare autumat. Sed in editione arcus Conftantini A. 1690. in ima tabula legitur *Siluano facrum;* atque hic, uti quidem mihi uidetur, omnes Siluani notae conueniunt, quamuis ob corruptionem ftatuae non omnia diftincte difcerni poffint. Nam 1.) ftatua prope arborem confiftit, uti Siluanus fere femper repraefentatur, 2.) Panis tibia in aliis eiusdem fchematibus quoque obferuatur; ad id multi Panem atque Siluanum eundem effe cenfent; 3.) Caput urfi Siluano optime conuenit, et melius forte, quam Vertumno; 4.) notandum, quod in eodem arcu Conftantini proxime hanc tabulam alia fit, in qua Traianus uenando urfum perimit, cuius caput forte in hac tabula Siluano, tanquam Siluarum Deo, offert, quemadmodum et fupra *Tab. LXI. Fig. 6.* eundem, poft aprum in uenatione captum, eiusdem caput Dianae Venatrici offerre uidimus. Ita uix quicquam dubii remanet, quin credamus, facrificium hoc Siluano fuiffe perfolutum.

§. 34. Sacrificium fequens *Fig. 7. Pani* Deo oblatum et ante templi oftium peractum, admodum folenne fuiffe uidetur. Templum hoc a tribus lateribus apertum eft et aduerfum frontifpicio latus murus eft; frontifpicium duae tantum columnae efficiunt. Quod fingulare hic occurrit, Panis caput eft, extra limites templi columnae impofitum, et tetri quid prae fe ferens, ex fumma quippe fronte cornua erumpunt, aures caprinae funt, labrorum pili extra uultus latitudinem extenduntur, barba admodum denfa et longa eft; arbor quoque magna prope columnam Deum Siluarum et agrorum defignat. Ara rotunda fertis coronata eft, uictimarius arietem mactandum humeris geftat, et altera manu uas quoddam tenet. In ara nec lignum, nec flamma confpicitur. In altera imaginis parte paxillus in terram defixus eft, qui fuperne adeo latus eft, ut fuperficiem arae paene adaequet. Qui facrificuli munere functurus eft, iuuenis fpeciem prae fe fert, arae adftans inftrumentum aliquod manu tenet paruae palae parum abfimile; forte inftrumentum eft in extifpiciis ad exploranda uictimarum uifcera ufitatum. Ceterum tres uiri et mulier huic facrificio interfunt; quorum duo lauro coronati funt, uel alius arboris ignotae ramis. Quin Pani hoc facrificium oblatum fit, nullum plane eft dubium.

§. 35. De *Priapo* notandum, quod Lampfaceni putarint, eum eundem effe cum Baccho, ipfique afellos mactarint. In facrificio fequenti *Fig. 8.* Priapus cum thyrfo, Bacchi Symbolo, columnae infiftit. Mulier ipfi fructus offert ad aram rudi more exftructam; caput animalis ad arae latus pofitum *Maffeius* pro afini capite accipit. Ex altera parte puer ciftam fructibus plenam capite geftans, dextra uero papilionem, animae fymbolum, tenens, confpicitur. *Fig. 9.* aliud exhibetur facrificium, quod eidem Priapo offerri creditur. Arae uicem columna fuftinet, plurimique facris his interfunt, quorum unus alterum coronat. In

Tab. LXVI Sacrificio Mineruae, *Tab. LXVI. Fig. 1.* fpectabile eft, quod ante Deam ipfam duae mulieres, fingulae ad aras fingulas ignitas facrificent. Sacrificium hoc incruentum eft, nec diftingui poteft, quid in ignem coniiciant; utrum fructus aliqui, an placenta uel farina fuerit; ex facerdotibus altera uelata eft. Poft facerdotem uelatam, comparet iuuenis manu baculum recuruum tenens, finiftra fructum quempiam facrificio deftinatum; agmen claudit tibicen. Serpens, quem *Fig. 2.* uir genua flectens manu comprehendit ante aram ignitam, fine dubio Aefculapii facrificium denotat. Aliud eiusdem Aefculapii facrificium denotat. Aliud eiusdem Aefculapii facrificium exhibet *Fig. 3.* ubi caput arietis columnae uel arae rotundae infidet; cui mulier pateram tenens uinum aut alium liquorem infundit: uir lapidi infidens ferpentem manu tenet, *Fig. 4.* iuuenem alatum confpicimus altero pede globo infiftentem, qui

ferpenti

2.



Maffei.

1.



Gallerie Justinienne.

3.



Maffei.

4.



la Chausse.

5.



Maffei.

6.



Maffei.

7.



Maffei.

8.



le Marechal d'Etrées.

9.



Monum. Brix.

1. Sacrificium Minervæ oblatum. 2. et 3. Sacrificia Æsculapio destinata. 4. Sacrificium a Victoria Hygieæ oblatum. 5. et 6. Sacrificia Laribus oblata. 7. Sacrificium rusticum minus solenne. 8. Sacrificium rusticum magis solenne. 9. Sacrificium ex anaglypho Brixiensi depromtum, in quo singularia nonnulla observantur.



1. Monumentum Brixianum sacrificium Marti oblatum referens. 2. Aliud Sacr. Brixianum Veneri forte oblatum. 3. Sacrificium Iovi ab Hercule oblatum. 4. Sacrificium pro salute Imperatoris peractum. 5. Sacrificium Apollini oblatum. 6. Sacr. Hygieæ oblatum. 7. Aliud Dianæ destinatum. 8. Aliud Marti dicatum. 9. Severus Imperator Iovi Conservatori sacrificat. 10. Lupercus.

ſerpenti bibituro pateram offert; adeſt quoque columna ſeu ara rotunda, cui uas fructibus plenum impoſitum eſt. *Cauceus* hoc pro ſacrificio habet Saluti uel Hygieae oblatum 37) a Victoria: ſed non ſatis liquet. Ex ſequentibus ſacrificiis tria a Cl. *Maffeio* edita ſunt, quaſi Laribus oblata. In primo *Fig. 5.* qui ſacrificat, ſedet, quod in ſacrificiis Diis Laribus peractis moris fuiſſe, idem *Maffeius* pluribus exemplis docet; comparet praefericulum magnum, ara item rotunda, ſertis coronata et ſub arcu poſita, qui forte ſacrarium domeſticum denotat. *Fig. 6.* Mulier manum arae imponit, altera malum uel globum tenens; ruſticus affert calathum fructibus plenum, et hircum cornibus comprehenſum ad ſacrificium ducit; columna magnum uas ſuſtinet, eidemque haſta innixa comparet, quae uitis pampinis quaſi operitur. In ſchemate tertio *Fig. 7.* qui ſacra faciunt, pro ruſtico et illius uxore habentur. In ſacrificiis ejusmodi domeſticis et ruralibus nullae erant uictimae, ſed ea placentis, uino et fructibus perſoluebantur; pone mulierem Cupido duplici tibia canit.

§. 36. Quod *Fig. 8.* profertur ſacrificium, ex elegantiſſimo anaglypho Ill. Mareſc. *d'Etrées* prodit, et repertum eſt Lugduni in monte Fouvieres dicto; eſt autem illud ex candido marmore, longitudine pedis unius et nouem pollicum, altitudine uero ſexdecim pollicum. Arbores duae, quae ſacrificii ſchema utrobique terminant, ſacrificium hoc ruſticum et in agro factum eſſe probant. Sacerdos uelatus eſt pallio, ſ. toga, ſub quo pallio tunicam habet zona praecinctam, et ſupra zonam tantillum reductam, ne nimis effluat; pateram hic dextra tenet, qua liquorem in ignem effuſurus uidetur, ſiniſtram praefericulo imponit. Pone ſacerdotem apparet Camillus, comam praelongam habens, ueſtitus tunica et ſuperindutus chlamyde; hic altera manu acerram, altera uolumen, tenet. Ara tripodis quaſi forma concinnata eſt, cuius pars ſuprema tam profunda eſt, ut ollam pene referat; ſuper uaſe hoc excauato haud dubie crates erat, quae ignem ſuſtinebat. Tripus, ſi quidem ita appellari poteſt, paraſtatis exornatur atque columnis cum epiſtylio, in quo lapis erigitur, qui uas illud concauum ſuſtentare uidetur. Vt ad tripodem aſcendatur, quatuor circumquaque gradus poſiti ſunt. Ad alterum arae latus uictimarius ſ. puer nudus potius comparet, qui hircum immolandum ad ſacrificium adducit.

§. 37. In marmore Brixiano anaglyphum habetur, ſacrificium repraeſentans, cuius uictima eſt aries, quod *Fig. 9.* in ſchemate exhibemus. Ara flammas emittit, & Sacerdos pateram in ignem effundit; pone ſacerdotem duo uictimarii arietem ducunt, ambo lauri ramum tenentes atque lauro coronati; quodque magis ſingulare eſt, non tunica tantum, ſed etiam chlamyde ſuperinducta ueſtiti ſunt; contra ea ſacerdos ſola tunica praecincta eſt indutus, et coma illius faſcia quadam in modum diadematis ligata. Ante aram ex altero latere iuuenis eſt, lauro coronatus et tunica cum chlamyde tectus, qui dextra inſtrumentum triangulo ſimile tenet, cuius baſi annuli nonnulli inſerti ſunt; idque mechanicam aliquam fortaſſis artem denotat; ubi ſimul ipſum ſacrificium pro toto aliquo artificum corpore oblatum fuiſſe, uero admodum ſimile eſt. Quod *Tab. LXVII. Fig. 1.* conſpiciendum traditur, ſacrificium Tab. etiam inter monumenta Brixiana comparet. Ara rotunda ſertis pro more coronatur; ſupra LXVII. aram focus eſt flammas emittens; ſacerdos apicem geſtat, ex quo haud inepte colligitur, hoc ſacrificium *Marti* fuiſſe oblatum; quod Salii, Martis Sacerdotes, ſoli hoc apice tecti fuerint; tunica porro hic ſacerdos indutus eſt, cingulo conſtricta, et ſuperne reducta; praeter hanc tunicam pallio quoque amictus eſt. Dextra lauri ramum tenet, ſiniſtram imponit uaſi peramplo utrinque anſato, in quo ſine dubio liquores effundendi continebantur. Pone ſacerdotem uictimarius ſtat lauro coronatus, qui uictimam ducit taurum, itidem lauro ornatum, ex cuius cornibus globuli rotundi inſerto filo detenti, ad inſtar roſariorum dependent; caſu forte accidit, ut poſt quinque ſexue grana quaedam quaſi cruces occurrant, perinde atque in roſariis. Medium huius tauri corpus itidem magno ſerto praecinctum eſt. Aliud Brixianum ſacrificium exhibemus *Fig. 2.* quod inſolita multa, et uix alibi obſeruata offert. Sacerdotiſſa quaedam tunica induta talari, quam alia ad genua usque defluens maximam partem tegit, ampliſſimum praeterea uelum caput humeros, brachia eiusdem ad cubitum usque operit; ipſa et libat et ſacrificat, pateram in flammam effundens; nudis eadem pedibus eſt, ut et alia mulier illi adſtans, quae foliis arboris incertae coronata eſt, et coelum

37) Niſi malis fortunam incolumitatemque ſiue populi ſiue urbis cuiusdam ſignificari, quae ſalutem perpetuam placet; Victoria certe minus commode intelligatur.

lum respiciens religiosissimum prae se fert animum; siquidem alteram quoque manum extendit, alteram uero pectori admouet: tunica illius frequentibus notis et signis, crucis S. Andreae formam referentibus, conspersa est; ad latus illius canis decumbit; unde forte coniicias, hoc sacrificium *Veneri* fuisse oblatum.

38. His, quae adhuc in medium protulimus, sacrificiis alia nonnulla iungimus, quae passim in nummis exhibentur. Sic nummus regius *Fig. 3.* sacrificium offert, quod ante templum Iouis peragitur, id quod ex aquila in templi frontispicio facile colligitur. Herculi etiam illud offerri, uel exinde concluditur, quod ad alterum templi latus numen illius conspicitur; fortasse adeo simul utrique Deo, et Ioui et Herculi, factum est. Hercules autem pateram tenet, ex qua liquorem in ignem effundit. Cernimus porro uictimarium, cum duobus uiris aliis, quorum quis sacra faciat non dignoscitur; nisi forte ipse Hercules Ioui sacrificium offerre putetur. *Fig. 4.* aliud sacrificium proferimus, ex postica parte nummi *Marci Aurelii* desumtum. Victoria ab uno latere discum tenet fructibus, pro salute Imperatoris in sacrificium adhibendis onustum; id quod ex serpente in ara positum augurari licet. Serpens hic caput erigit et corpus circumplicat; in altero latere urbs Roma manum extendit, imperans quasi, ut sacrificium peragatur; arbor, quae Romam et aram tegit, ostendit sacrificium hoc in agro fuisse peractum. Cudebatur hic nummus M. Aurelio Cos. III, Tribunitia potestate XX, quum Imperator III. esset, quae notae cum A. C. 166. conueniunt. Sacrificium sequens *Fig. 5.* non ita solito more procedit. Vir arae sertis ornatae insidens conspicitur, qui infirmitate quasi laborans, sinistra arae imposita sese sustentare uidetur; dextra lyram tenet, pone lyram uiros duos alios uidemus ad ea, quae peraguntur, admodum attentos, quorum alter lauro coronatur. Mulier illa, uel uirgo, quae sacrificatura uidetur, caput serpentis, columnae circumplicati prehendit; columnae uas quoddam impositum est. Vir quidam eruditus opinatus est, uirum istum arae insidentem esse *Apollinem* 38). Si hoc uerum est, etiam hoc affirmandum erit, sacrificium ipsum eidem fuisse oblatum; nec nouum est, Deos in sacrificiis in eorum honorem peractis ipsos fuisse praesentes. Sacrificium sequens *Fig. 6. Saluti* uel *Hygieae* pro Alexandro Seuero persoluitur. Dea sedens pateram offert serpenti bibituro; ante illam ara posita est, et ex parte opposita ipse Imperator nudato capite et Deae auxilium implorans consistit; lateri illius iungitur miles armatus. In sacrificio *Fig. 7.* prolato nihil non singulare occurrit. *Diana* nuda, quod certe perquam raro cernimus, super ara rotunda constituta est, crescentem pro more lunam capite gestans, et canem uel aliud animal pedibus tenens; extensa porro manu imperare aliquid uidetur Victoriae, nudae, alatae et cristata casside munitae; quae tauri immolandi dorso inhaeret; et quo facilius eum iugulare possit, caput illius erigit. Forte uictor quispiam, ob uictoriam ope Dianae reportatam, hoc grati animi signum excogitauit.

§. 39. Sacrificium sequens *Fig. 8.* inter solenniora computandum. Pro Gordiani enim Romani uictoria, quam A. V. C. 996. a Persis reportauit, oblatum est. Peragitur hoc sacrificium ante templum *Martis* rotundum, in quo esse uidetur tholus. Sub fastigio illius legitur haec inscriptio, ΘΕΟϹ ΟΠΛΟΦΟΡΟϹ i. e. *Deus armiger*: et in ostio Mars ipse uisitur. Arae loco tripus erigitur et Imperator togatus et lauro coronatus in ignem aliquid coniicit. Viri duo Imperatorem sequentes toga et ipsi sunt induti; ad aliud latus duo uictimarii comparent, quorum alter securim erigit, ut taurum percutiat. *Fig. 9.* Alexander Seuerus Imperator *Ioui Conseruatori* sacrificat; qui Deus ad alterum arae latus sceptrum tenet, et supra flammam Imperatori, ueste militari induto lauroque coronato, manum porrigit. Iuxta Iouis brachium signum militare erigitur, sicut duo signiferi, Imperatorem sequentes, similiter eiusmodi signis, minoribus licet, sunt instructi. Quod uero in primis hoc loco obseruari meretur, in eo consistit, quod Iupiter pelle leonis, ut alibi Hercules, tectus est; ipsum etiam pallium nil aliud, quam haec pellis esse uidetur. Quaeritur itaque, cur Iupiter sub hac forma hic compareat? Respondemus: quando ipsi hoc loco signum exercitus Romani militare iungitur, ipse quasi signifer exercitus repraesentatur. Omnes autem signiferi pelle leonina apud Romanos tegi consueuerant. Vero autem simile est, Alexandrum Seuerum, bellum Orientale suscepturum, hunc numum cudi iussisse, Iouemque Conseruatorem hic signiferum

38) Quatenus salutis Deus et ipse habebatur; infirmum autem haud scio, an quis ex positu hoc corporis, autumare queat.

ferum agere, cuius officium erat, legiones et manipulos ducere; quia ſperabat, Iouem uotis et ſacrificiis propitium, in hoc gerendo bello ducem et anteſignanum fore. Hæc fiducia Iouem hic exprimi iuſſerit, manum ſecum iungentem fidemque dantem, ſe Imperatori auxilio futurum. *Lupercus* ille, uel, ſi mauis, *Athleta*, qui *Fig. 10.* ſequitur ex gemma quadam expreſſus eſt. Luperci iuuenes erant, qui Romae, Praeneſte et Nemauſi peculiaria ſue habuerunt ſodalitia. Feſtum diem celebrabant Luperci ſ. Panos Lycei; quod ſollemne Euander ex Arcadia, attulit, ut ex *Liuio* notum. Hac die, menſe Februario, Luperci nudi per urbem currebant flagella geſtantes, quibus obuium quemque percutiebant. Mulieres ſponte illis occurrebant, ut flagellis caederentur; exiſtimantes, id foecunditatem, uel ſi praegnantes eſſent, felicem partum conciliare. En eiusmodi Lupercum, qui exercitio tam uiolento feſſus columna nixus animum reſumit. Nudus eſt, panno tamen oblongo ſ. pelle partem corporis tegit; flagellum palmi ramo ſimile uidetur. Tam exigua eſt Archetypi imago, ut nec pellis, nec flagellum ſatis diſtingui poſſit. Si forte lauri ramus eſſet, crederem, iuuenem eſſe ex numero Athletarum, qui ex exercitio, gymnico, πενταθλῳ, palmam uictor retulit; haec autem exercitia erant pugilatus, lucta, diſcus, curſus et ſaltatio.

§. 40. Non exiguum ita ſacrificiorum uarii generis numerum protulimus. In euentibus ſingularibus, ut, quum fauſto adueniente nuncio ciuitas gaudio perfundebatur, uel quum ingens aliqua calamitas ad placanda numina compellebat, ad centum usque boues, uel totidem alia pecora, immolabantur, quod genus ſacrificii *Hecatombe* dicebatur. Tale fuit illud, quod, teſte *Capitolino*, Imperator *Balbinus* obtulit, quum ipſius Collega Pupienus Maximus Maximinum tyrannum deuiciſſet. *Capitolinus* in uita *Balbini: Hecatombe tale eſt ſacrificium: centum arae ceſpititiae uno in loco exſtruuntur, et ad eas centum ſues, centum oues mactantur. Nam ſi Imperatorium ſacrificium ſit, centum leones, centum aquilae et cetera huiusmodi animalia centena feriuntur. Diogene Laertio* teſte, Pythagoras Hecatomben immolauit, quod demonſtrationem Geometricam reperiiſſet. Quidam exiſtimant, Hecatomben ſemper fuiſſe centum taurorum, dicuntque hoc uel ipſo ſacrificii nomine innui. At non modo *Capitolinus*, paullo ante citatus, ſed plures etiam auctores alii iique antiquiores, Hecatombas uocant centenos boues, ſues, agnos, ceteraque animalia ad immolandum idonea. Athenienſes unum menſium Hecatombaeonem uocabant, quoniam menſe illo, ut tradit *Suidas*, plurimae Hecatombae fiebant. Non deſunt quoque, qui poſtremam ſyllabam uocis Hecatombe, ex graeca uoce ποῦς, pes, deriuatam autumant, et ob hanc etymologiam contendunt, in Hecatombis non centum animalia, ſed *centum* tantum pedes animalium fuiſſe numeratos; quo pacto tantum animalia uiginti quinque ad eiusmodi ſacrificium requirebantur. Sed praeter Hecatombas *Chiliombae*, ſiue ſacrificia mille pecorum, quoque occurrunt. Veroſimile eſt, eiusmodi ſacrificia perraro fuiſſe facta, quod ſaepius repetita nimiam pecorum ſtragem feciſſent.

LIBER QVARTVS.

DE FESTIS GRAECORVM ROMANORVMQVE, DE SVPPLICATIONIBVS, DEVOTIONIBVS, ITEMQVE VOTIS, ORACVLIS, FANATICIS, SORTILEGIS, PRAESTIGIIS ATQVE OMINIBVS.

CAPVT I.

De Festis Graecorum.

Sacrificiis iungimus festa, quorum magnam partem sacrificia faciebant. Ordine uero literarum illa referemus, et a Graecorum festis initium faciemus. Plures autem uiri eruditi quum hoc argumentum iam pertractauerint, *Lilius* scilicet *Giraldus*, *Meursius*, *Castellanus* et doctiss. Episcopus Oxoniensis *Potterus*, eorum lucubrationibus ita usi sumus, ut nostras quoque obseruationes passim adjiceremus; ex iis autem, quae etymologias spectabant, ut et alia, quae ad institutum nostrum minus necessaria nobis uidebantur, resecare non dubitauimus 1).

ACHILLEA in honorem Achillis, de quibus *Pausanias* in Laconicis Lib. III, pag. 202. ACTIA, festum Apollinis, cuius templum in promontorio Actio situm, ubi in illius honorem certamina athleticum, equestre, et nauale agitata; et bos mactabatur muscis, quae illius sanguine satiatae per totum festum non amplius comparebant. AGRIONIA, quod festum *Plutarchus* Sympos. VIII. ita describit: *in Agrioniis mulieres Bacchum quaerunt, ac si aufugisset; postea uero quaerendi finem faciunt, dicuntque, ad Musas aufugisse, et apud illas latere; paullo post, absoluta coena, aenigmata* inuicem *proponunt atque griphos.* Hoc significat, inter pocula quoque Musas eruditionemque decere: si accidat ebrietas, furorem eius a Musis occultari, ab iisque perhumaniter tractari. AGROTERAE s. sacrificium quingentorum hircorum Athenis in honorem Dianae Agroterae quotannis peragendum. Agroterae cognomen Dianae haesit, siue ab Agris, Atticae oppido, siue quod uenationi dedita, in agris semper discurreret. Caussam huius festi instituti refert *Xenophon* ἀναβ. Lib. III. Quum Persae quondam Athenienses magno bello inuaderent; hi uotum nuncuparunt Dianae, tot ipsi hircos se immolaturos, quot ex hostibus uiros occidissent: uerum cum Persarum strages tanta fuisset, ut tot nec hircos nec capras inuenire nequirent, ex decreto quotannis quingentos hircos immolabant.

ADONIA festa fuerunt lugubria, ob mortem Adonidis, quem Venus adamabat, Athenis hunc in modum celebrata: mulieres per urbem, statuis *Adonidis* et *Veneris* primo die luctum et funebrem pompam agebant; alter laetitiae dabatur, quod Venus Adonin a Proserpina recepit, ut dimidium anni cum eo esset. Argis, *Pausania* teste, luctus hic in conclaui templo Iouis uicino peragebatur. Bybli in Phoenicia, (narrat *Lucianus* in Dea Syria), ubi incolae Adonidem ab apro peremtum esse putant, non in urbe tantum cuncti lamentantes sese uerberabant, sed tota regio hoc festum celebrabat. Post luctum funus Adonidis, quasi defuncti agebatur: sed postero die, Adonidem uiuere et in aerem ascendisse perhibebant In eadem regione fluuius erat Adonis nomine, ex Libano in mare defluens, qui certo cuiusuis anni tempore colorem suum mutabat, et totus sanguineus uidebatur; immo ipsa maris plaga ipsi uicina, eodem colore inficiebatur: id quod Bybliis celebrandi huius festi signum erat

1) Pleraeque festorum dierum denominationes, a nominibus deorum locorumque, desumtae sunt; aut praecipuam argumenti partem innuunt. Non pauca uero ratione nominum, incerta sunt.

erat. Antiochiae quoque idem festum publicis gemitibus et planctibus agebatur, teste *Ammiano Marcellino* (l. 22.); qui hoc simul addit, mortem illam Adonidis, in flore aetatis suae peremti, messes adumbrare, quae, quum ad maturitatem uenerunt, falce secantur. Quibusdam in locis festis illis diebus uasa fictilia terrae plena 2), in quibus olera et lactucae germinabant, deferre moris erat; quoniam fabulabantur, Venerem corpus Adonidis in lactucae areola deposuisse.

AEORA, (Αιωρα), in honorem Erigonae aut Aletidis filiae Icari Athenis, cantilenis in Erigonen, celebrata; haec enim cum mortem Icari didicisset, sese suspendit; Deos autem moribunda deprecata fertur, ut si Athenienses mortem patris non ulciscerentur, eorum filiae eadem, qua ipsa, morte perirent. Id illa a Diis impetrauit; et Atheniensium filiae multae sese postea suspenderunt. Huic itaque malo ut succurreretur, Apollinis Oraculum fuit consultum, eiusque consilio hoc festum fuit institutum. Alii aliter originem tradunt.

ANACALYPTERIA celebrabantur post nuptias, quum recens nupta primum in publico comparebat: sic munera quoque, quae ipsi eodem die offerebantur, ab ἀνακαλύπτειν, *reuelare* s. *ostendere*, *Anacalypteria* dicebantur.

ANTHESTERIA Athenis celebrabantur mense Anthesterione, i. e. Nouembri, tribus diebus; quibus et seruis licuit comessari et indulgere gaudiis. Vbi praeteriissent hi dies, proclamatum est, *foras Cares Anthesteria* finierunt. *Carum* enim e gente multi Athenis seruierant.

APATVRIA, tum sollennia alibi, tum celeberrima apud Athenienses fuerunt, quorum Origo haec est. Bello inter Boeotios et Athenienses aborto, *Xanthus*, Boeotorum rex Atheniensium Thymoetem ad singulare certamen uocat: hic quum id abnueret, Melanthius quidam, annuens, eius loco Rex constituitur, atque ante agmina procedens Xanthumque aggrediens, fraude utitur, quae pro uoto successit; Probin' est, strenuique uiri, clamat, ad singulare certamen socium assumere? tunc, cum Xanthus se conuertit, ut uideret, an quisquam se sequatur, Melanthius, occasione arrepta, illum auersum confodit; inde nomen festis diebus uolunt, *Apaturia;* nam ἀπάτη graece, fraus, siue fallacia. Alii aliter exponunt. Celebrabantur per tres dies; prima dies, qua coetus ad coenam conueniebat, uocabatur *Dorpia* i. e. Coena, a δορπος. Secunda, qua sacrificabatur, *Anarrhysis* 3) appellabatur, tertia dies *Cureotis* 4), quod illa die iuuenes tribus suae catalogo inscribebantur.

APHRODISIA in honorem Veneris multis in locis, in primis autem in Cypro, celebrata fuere. Qui eius, per haec sollennia, sacris initiari uolebant, Veneri, tanquam scorto, argentum dabant, uicissimque sal et phallum accipiebant. Corinthi solae meretrices hoc festum celebrabant.

APOLLONIA, Apollini sacra fuere. Eorum institutio haec est. Quum Apollo, Pythone uicto, cum sorore Diana Aegialeam concessisset, et inde expulsus in Insulam Cretam commigrasset; Aegialii autem deinceps pestilentia afflicti essent: uates praeceperunt, ut Apollini atque Dianae septem pueros, totidemque puellas ad numina ista placanda mitterent. Id Diis placuit; et cum his legatis Aegialeam redierunt. In huius rei memoriam templum Pithus Deae s. *Suadae* consecratum est. Hinc mos exortus, ut quotannis septem pueri, totidemque puellae obambularent, qui Apollinem atque Dianam quaerere, simularent.

ARIADNEA in Naxo Insula celebrabantur, bina, in honorem utriusque Ariadnes, quarum altera *Laeta*, seu hilaris uocabatur, adeoque cum instrumentis musicis aliisque laetitiae signis ei celebrabatur; altera illa fuit, quam Theseus praegnantem ad insulae oram reliquit, quaeue ideo *Moerens* et tristis appellabatur; huic cum luctu fiebat; iuuenis decumbens parturientis dolores simulabat. Instituisse putatur Theseus, ut ingrati erga Ariadnen animi crimen expiaret. (Vid. *Plutarchum* in *Theseo*).

ARTEMISIA, in multis Graeciae locis, maxime autem Delphis in Dianae honorem celebrabantur; ubi Deae mullus piscis 5) immolabatur.

ASCLEPIA, in honorem Aesculapii, in tota Graecia praesertim Epidauri 6) celebrabantur.

2) Hae testae, Κηποι, horti dictae, unde *Adonidis horti,* de rebus infrugiferis aut marcidis, prouerbium. *Potterus.*

3) Quia hostiae cogebantur ἀνω ἐρυειν capita, i. e. surrecto capite esse, si placet etymon.

4) A κυρος. Alii a κυρα tonsio; quia iuuenes ad hunc diem nondum rasi, primum radebantur, et post eorum nomina publice scribebantur.

5) Mullus enim leporem marinum uenari, Dianam adeo imitari, credebatur.

6) Ubi habitare deus oraculo, uidebatur. Μεγαλας κληπεια, ob multam pompam, in inscript. nominantur. Ἱερος ἀγων celeberrimus; paetae enim et musici isto die certabant de uictoria.

CARNEA, tum alibi, tum praecipue Lacedaemone locum habebant 7).

CHALCIOECIA, feſtum Spartanorum, quo iuuenes armati ſacrificatum ibant in templo Mineruae Chalcioecaei, quod et ſtatua illius & templum ipſum aenea fuerunt.

CHTHONIA, Hermionenſium feſtum in honorem Cereris, cui plurimae uaccae mactabantur, inſtitutum 8).

CORYBANTICA, Cnoſſi in Creta, celebrabantur in honorem Corybantum, qui Iouis curam habuerant, ne a Saturno comederetur.

CYNOPHONTIS feſtum Argiuorum, diebus canicularibus celebratum, quo omnes, quos eo die offendebant, canes occidebant.

DAEDALA, bina in Boeotia fuerunt; altera minora, quae apud Plataeenſes quotannis celebrabantur; altera maiora, quae ſingulis ſexageſimis annis colebantur ab omnibus Boeotiae populis. Horum ſolennitas et origo pluribus deſcribitur a *Pauſania* Boeot. p. 546. et in *Euſebii* Praep. L. III.

DAPHNEPHORIA, ſingulis nouenniis a Boeotiis celebrabantur. Globus aeneus oliuae ramo imponebatur, ex quo globo alii multi globuli pendebant; ſub globo illo maiore alius minor erat, coronis laureis et floribus ornatus. Globus ille grandior ſolem ſignificat, ſiue Apollinem; alter, qui ſubtus erat ad perpendiculum, Luna fuit; globuli minores ſtellas adumbrabant; coronae numero 365. dies anni ſignificabant. Oliuae ramus ille magna cum pompa deferebatur, *Daphnephorus* audiebat.

DIAMASTIGOSIS ſeu flagellatio, magna Lacedaemoniorum ſolennitas, qua iuuenes nobiliores 9) ante aram in conſpectu parentum ſuorum uehementiſſime flagellabantur, parentibus ad conſtantiam et perſeuerantiam diligentiſſime hortantibus. Sacerdos Dianae ſtatuam leuiſſimam geſtabat, ſed quae tum grauiſſima dicebatur, quum flagellatio leuior eſſet. Si qui inter uerbera exſpirabant, in ſignum uictoriae ante ſepulturam coronabantur. Barbara haec caerimonia poſtea mutata fuit, ſtatutumque, ut pueri tantum ad ſanguinem usque caederentur.

DIONYSIA ſ. DIONYSIACA per totam Graeciam, maximeque Athenis fuerunt celebratiſſima; magnoque illa numero fuerunt *maiora* ſcilicet, *minora*, *uetera*, *noua*, *Nyctelia*; et a ſtatis temporibus, τριετηρικα, πεντετηρικα, et plurima alia, in uarium honorem Bacchi.

ELEVTHERIA, a Graeciae fere omnis legatis celebrabantur Plataeis in honorem Iouis Eleutherii, ſeu Liberatoris, cui Athenis peculiare templum erat ſacrum; illaque die ludi et certamina Gymnica fuerunt.

ELEVSINIA, feſtorum celeberrimum apud Graecos, quod alibi poſt quartum, alibi poſt quintum quemuis annum in Cereris honorem celebrabatur. Nomen Eleuſiniorum ab Eleuſine, Athenienſium pago, deriuatur. Cauſſa originis non una traditur. Tanto ſtudio haec ſacra celabantur, ut, qui ea reuelaret, capitis damnaretur. Cuiusuis autem ſexus et aetatis ad ea admittebantur et iis initiabantur; immo initiationem iſtam neglexiſſe criminis loco habebatur; ceterum omni crimine liberos eſſe illos eſſe oportebat, qui initiabantur. Solennitas haec per nouem dies durabat 10).

ENCAENIA, dedicationes templorum fuerunt.

HECATESIA, Athenis, ſed et alibi, in honorem Hecates, ſ. Proſerpinae, quae inferis praeerat, celebrabantur; Athenis praecipue multa ἑκαταια, i. e. ſtatuae ante aedes et in triuiis erant. Neomeniis ſingulis diuites conuiuium, ſed parcius, in triuiis, (quibus Hecate praeeſſe credebatur), adornabant. Vnde et Εκατης δειπνον dicebatur 11).

HORAEA, quatuor anni tempeſtatibus celebrabantur in honorem Horarum, quae dearum trium in loco erant, et anni temporibus praeeſſe credebantur. Conuiuium in iis ſolenne fiebat ex uariis terrae fructibus.

LENAEA, ſ. *torcularium*, a ληνος, torcular; in Bacchi honorem peragebantur, menſe inde dicto Lenaeone; quo die Poetae carmina in Bacchum, in uulgus edere ſolebant.

LEON-

7) Nominis origo incerta; ab Apolline Carneo ueniſſe, plerique autumant; eius certe in honorem, nouem per dies celebrata. Καρνειοις νομοις, peculiaribus numeris, certabant Muſici, e quibus *Terpander* primus praemium retulit.

8) Nomen a χθων, terra, cuius ipſa dea erat, aut a uirgine quadam, quam Ceres Hermionen abduxiſſe ferebatur. Verboſius morem celebrationis deſcribit *Pauſanias* in Corinth.

9) Cum autem molliores euaderent, poſtea ignobiles, et ſeruiles adeo, ſuffecti.

10) Vid. *Meurſii* ſingularem librum de his feſtis, Vol. 7. theſ. Gronouiani.

11) *Hecate* cetera piaculorum curam habere credebatur; eius ſimulacra et ſacrificia in triuiis multa fiebant.

LEONTICA, idem uidentur esse, quod Mithriaca, quae in pluribus inscriptionibus Leontica uocantur. Hoc festum cum caerimoniis suis ex Perside uenit, ubi magna solennitate celebrabatur. Hoc die, (*Ctesias*, narrat in Athenaeo p. 434.) *Mithrae sacrificatur, ubi Persarum Rex inebriari potest, postea per totum annum id ei nunquam licet.* Maius quidpiam *Duris* ibidem effert; *inter omnia festa, quae apud Persas celebrantur, solum Mithrae festum est, in quo Rex inebriatur et saltat; qua die omnibus per Asiam nationibus saltare uetitum est.*

LERNAEA, quotannis Lernae in honorem Bacchi olim celebrata.

LYCAEA, in Arcadia id ipsum fuisse dicuntur, quod Lupercalia Romae: notanda in iis sunt certamina, quibus uictor armaturam aeream pro praemio reportabat; iisdem hominem immolatum esse dicunt; Lycaon eorum inuentor, putatur. Eiusdem fere nominis festum Apollini, cognomine Lycéo, sacrum erat. Nomen illius ex λύκος lupus, quod genus animalium ex Arcadum terra eliminasse dicitur.

NEMESEA, festum mortuorum, quod a Nemesi, quae mortuorum curam habere et iniurias iis illatas ulcisci credebatur, nomen habet.

OLYMPIA, festum ludorum Olympicorum, de quibus infra Tomo III. plura dicemus.

PANATHENAEA *) magnum Mineruae festum erat, quod Athenis celebrabatur. Erant autem tam μεγαλα, quam μικρα παναθηναια *maiora* illa, singulis quinquenniis; *minora*, trienniis, aut adeo quotannis acta. Primus eorum auctor Erichthonius aut etiam Orpheus traditur. Postea Theseus coactis tribubus omnibus, ut ciuitatem unam constitueret, haec festa restituit et auxit, unde nomen iam παναθηναια, quae olim Αθηναια. In minoribus tres ludi publici locum habebant; in primo facium et funalium cursus agebatur, primo a peditibus, deinde ab equitibus; in secundo athletarum erat certamen, qui de uiribus contendebant; in tertio musices peritiores prae ceteris uictoriae praemia quaerebant. Poetae quoque exercitiis quatuor de palma concertabant; praemium uictoris uas erat oleo plenum, quo ad libitum uictor uti poterat, dum ne illud domum referret. Saltationes quoque in hoc festo uisebantur. Ceterum ualde sumtuosum sacrificium offerebatur; quisque enim pagus bouem conferebat, et ex carnibus, quae supererant, conuiuium publicum instituebatur. Maiori pompa majora celebrabantur Panathenaea. Peplum Mineruae in sollenni pompa circumferebatur; uestis erat alba, non manicata, auro contexta, in qua Iouis, Mineruae atque Heroum res gestae textura repraesentabantur. Vnde ἄξιος πεπλȣ, i. e. qui in Mineruae ueste acu pingatur. Pompae huic intererant omnes senes iuuenesque utriusque sexus.

SCIRI, solennitas erat apud Athenienses, Iudaeorum festo tabernaculorum non plane absimilis; quandoquidem in ea mense Maio, qui exinde *Scirophorion* ipsis nuncupabatur, tentorium, seu umbullam, quae σκιρον dicebatur, circumferebat a Sacerdote Erechthei, aut *Eteobutadis*, i. e. ueris *Butae* posteris.

Soteria, gratiarum actiones erant eorum, qui periculo erepti fuerunt. Dii enim multi uocabantur Σώτηρες, Seruatores, et σώτειραι, Seruatrices 12).

THEOGAMIA, in honorem Proserpinae eiusque connubium cum Plutone, instituta fuere.

THEOPHANIA, in honorem Apollinis celebrata, ex quo tempore primum Delphis apparuit et a populis illis uisus est.

THEOXENIA, dies erant solennes, quibus omnibus simul Diis sacrificabatur. Festum hoc a Dioscuris, Castore et Polluce institutum dicit Scholiast. *Pindari.* Ludi in eo celebrabantur, in quibus uestis, s. χλαινα, praemii loco proposita erat.

THESMOPHORIA, Cereri Thesmophoro, i. e. leges ferenti; erant sacra, et multis Graeciae locis celebrabantur; praecipue autem athenis. Matronae nobiliores ueste candida festum agebant, exclusis ex infima plebe mulieribus omnibus. Solennitas trium quatuorue dierum erat, quibus matronae istae continentiam seruare iubebantur.

*) Vid. *Meursii* librum singularem Vol. 7. *thesauri Gronouiani.*

12) Vid. Cl. Lud. Guil. *Ballhornii*, commentat. de Diis ueterum Σωτηρσι, tomo 2. actor. societ. latin. Ienensis p. 225. seqq. quae non parum augeri potest, si opus sit.

THESEA feſta, Athenis in honorem Theſei octaua cuiusque menſis die ludis et conuiuiis celebrabantur.

TRICTYA, cum Romanorum Suouetaurilibus conueniebant; quod iam ſupra L. III. Cap. IV. §. 24. monuimus 13).

CAPVT II.

De Feſtis Romanorum.

Procedendum eſt ad feſtos dies, ſolennitates et ferias Romanorum Latinorumque *) ex quibus hic prae ceteris commemorari merentur.

AGONALIA, olim AGONIA 1) dicta, et a Numa Pompilio primum inſtituta. Ter illa quouis anno celebrabantur 1.) V. Id. Ianuarii ſ. undecimo illius menſis, 2.) XII. Kalend. Iunii ſ. 21. Maii, 3.) III. Id. Dec. ſ. 13. eiusdem menſis. Plura de his monebimus, ſi de ludis Circenſibus agemus.

ANGERONALIA, Angeronae, ſilentii Deae, quae Romae pro Dea tutelari habebatur, ſacra, quaeue 12. Calend. Ianuarii h. e. 21. Dec. celebrabantur.

APOLLINARES, ludi Romanorum in honorem Apollinis d. 6. Iulii inſtituti. De ludis his infra plura dicemus.

ARMILVSTRIVM 2), quo Romani armati incedebant, et ſacrificii tempore tuba canebant. In iis Salii quoque tripudiebant, caſſidesque geſtabant apice diſtinctas, nec non ſcuta, quae *Ancilia* dicebantur. Alii tamen hoc feſtum a Saliorum feſto, quod 2. Martii, non autem 19. Octob. celebrabatur, diſtinctum eſſe perhibent.

BACCHANALIA, ſ. feriae Bacchi, quae ſingulis menſibus fiebant. Ab initio ter quouis anno celebrabantur, ſed quomodo iſthaec mutata fuerint, docet T. *Liuius*, L. XXXIX. cap. 13. cf. cap. 9. et 19. ubi ſimul oſtenditur, Bacchanalia Romae aliquando peculiari Senatusconſulto fuiſſe prohibita.

CARMENTALIA Romae a matribus familias 18. Cal. Feb. h. e. 15. Ian. agebantur 3) nec licebat iis ferre quicquam ſcorteum, aut quod de cadauere fuerit.

CEREALIA, in honorem Cereris inſtituta fuere, iisque matronae Romanae, candidis ueſtibus indutae, luctum Cereris ob raptam Proſerpinam imitabantur, et cum facibus decurrebant; quaſi filiam iſtam Cereris quaererent. Romani quoque cum albis togis, his ſacris aderant. Gratum hoc feſtum Diis putabant, ſi ab iis celebraretur, qui non in luctu eſſent, uel funeri cuidam praeſentes fuiſſent; ideoque dies anniuerſaria haec Cereris praetermiſſa fuit, quum Romae clades Cannenſis nunciata fuiſſet; eo quod tota ciuitas eo tempore lugeret. Nemini quoque ante noctem comedere licebat, et impuri uoce praeconis a templo Cereris arcebantur.

CHARISTIA, XI. Cal. Martii peracta, quibus cognati et conſanguinei ſibi inuicem in ſignum amicitiae munera mittebant 4).

COMPITALIA, quae in compitis agebantur, et a *Seruio Tullio* inſtituta feruntur. Hic enim ſacraria parua, eaque et lignea Geniis compitorum conſtrui iuſſiſſe dicitur. Agebantur paucis diebus poſt Saturnalia 5).

CON-

13) Plura ſuppeditant *Meurſii* Graecia feriata, et *Faſoldi*, *Caſtellani*, *Ionſtonique* libelli, Volum. 7. *theſ. Gronouii.*

*) Conferenda hic omnino ſunt uetuſta *calendaria*, Volum. 8. theſauri *Graeuiani.* De *diuiſione* item dierum, in faſtos, comitiales, ſenatorios, nefaſtos cet. Sibr. *Siccamae* notas in *calend. romanum* cap. 2. ibidem. De *feſtis* autem, cap. 3. & 4. & 6. Fuerat melius factum, ordinem calendarii hic ſeruaſſe.

1) Ab agendo, *Ouid.* faſtor. 1, v. 317. ſeq. Alii ab ἄγειν, mactare. Alia etyma, quae in *Feſto* Pauli reſtant, nihil iuuant. *Agoniam* priſcis hoſtiam dictam fuiſſe, idem et gloſſae tradunt.

2) Dicitur etiam *armiluſtrum.* Locum *Varronis* de lat. ling. lib. 5. *Nardinus* in *roma* ueteri, & *Graeuius* in praefat. tomo 9. theſ. romani, et *Gutberlethus* de *Saliis* c. 18. capiunt de militibus ſaltantibus, non de *Saliis.* Sed, cum *Varro* dicat a *luendo* dici, et armatos *ſacra feciſſe*, et quidem *ancilia* gerentes quae ſunt *Saliorum*: ueroſimilius uidetur de *Saliis* accipi, quam de luſu militum. Saliorum feſtus dies inde a calendis incipiebat Martii; numerus dierum ſollennium uarie traditur; uide *Gutberlethum* c. 15. Militum luſus alius eſt.

3) In honorem Carmentae, matris Euandri.

4) Vid. *Ouid.* faſtor. 2, v. 617.

5) Nullo ſtato die; ut *Auſonius* idyll. 25.

Et *numquam certis* redeuntia feſta *diebus*,
Cum ſua per uicos *compita* quisque colit. In honorem Larium erant, *Ouid.* faſt. 2, 616. inde dies *compitalitius*, *compitalitiorum*, adde *Macrobii* Saturnal. 1, c. 7.

CONSVALIA, Deo Conso sacra fuerunt. Ara illius subterranea fuit in Circo, ubi ipsi sacrificabatur. Illa die equi et muli non laborabant 6).

FAVNALIA in honorem Fauni constituta nonis 7) Dec. agebantur in siluis pratisque, ubi hirci mactabantur, et uinum libabatur.

FERALIA, Manium erant festa, quibus carnes et fercula ad sepulcrum deferebantur. *Ouidius Fast.* II, 567. hoc festum ab Aenea institutum esse testatur. Mense Febr. agebantur.

FORNACALIA, quibus farina in fornacem mittebatur, quam Fornacem 8) Romani quoque diuino cultu uenerabantur; cuius iam supra Lib. III. cap. IV. §. 4. mentionem fecimus.

HILARIA, Matris Deum Cybeles sacra, et ineunte uere VIII. Cal. Aprilis celebrabantur. Gaudii atque laetitiae hoc festum erat, quo quisque quicquid pulcrum et pretiosum habuit afferebat, et coram Dea praecedere curabat; quiuis etiam, quo ipsi lubebat modo amiciri poterat; ita quidem, ut eo tempore priuatis quoque Magistratus uestimento uti liceret 9).

LARENTALIA s. LAVRENTALIA 10), quae X. Cal. Ian. in honorem Accae Larentiae, uxoris Faustuli pastoris, nutricisque Romuli et Remi celebrabantur.

FERIAE LATINAE uel LATIARES 11), Albae fiebant, iisque quadraginta septem urbes Latinae cum Magistratibus suis adesse solebant. Durabant illae per dies quatuor, quibus Ioui Latiali sacra fiebant. Qui ad sacra illa accedebant, alii agnos, alii lac, alii caseos etc. afferebant; communis uictima taurus erat, cuius singulis populis pars sua dabatur. Haec solennitas primum per biduum tantum celebrabatur, dein tertius dies et tandem quartus addebatur.

LEMVRIA aut LEMVRALIA, ad placandos daemones s. manes, quos Lemures uocabant, instituta fuerunt. Lemures enim mali erant genii, qui noctu terrorem incutiebant, et ad quos eliminandos fabas proiiciebant; quo facto statim domo aufugiebant. Nonnulli 12) putant, Lemuria pro Remuria dici, quod sub Manibus, praecise manes Remi a Romulo occisi intelligantur.

LIBERALIA in honorem Bacchi, cui nomen Liberi Patris, peragebantur; alioque nomine etiam Bacchanalia, Dionysia et Orgia uocabantur. Liberalia tamen a Bacchanalibus differebant, quod haec singulis mensibus, illa uero quouis anno semel tantum nempe XVI. Cal. Aprilis i. e. 17. Martii celebrabantur. Vetulae hedera coronatae sedebant cum Sacerdotibus Bacchi, focumque habebant, et liquores ex melle confectos, et praetereuntes monebant, ut emerent, et Baccho libarent. Publicum quoque illa die conuiuium erat, quo liberum cuique erat dicere, quid uellet. Instituta fuere haec sacra ad fertilitatem uinearum impetrandam.

LVPERCALIA, celeberrima Romae sacra fuerunt in honorem Luperci, (i. e. Panis, qui lupos arceret) instituta. Iuuenes in primis solennia ista peragebant, ritu ab Euandro praescripto 13). Iuuenes autem primum Luperco s. Pani Lyceo capras uictimae loco mactabant; dein peracto conuiuio, uino ebrii, coetum pastorum in duas turmas diuidebant, et induti pellibus mactatarum pecudum iocantes discurrebant. In solennitatis illius memoriam iuuenes illo Februarii die nudi discurrebant, gestantes flagella atque cultros, quibus capras mactauerant; sanguine frontem tingebant, et lana lacte madida rursus abstergi curabant: dein omnes profusis ridere cachinnis iubebantur; praeter capras etiam canem illa die mactabant; flagellis obuios quosque percutiebant. Mulieres, in iisque nobiliores quoque, sponte se illis obiiciebant, ut caederentur, quod fecunditatem ictibus istis, uel, si praegnantes essent, facilem partum, procurari putabant. Hoc autem festum non Romae tantum, sed etiam alibi, Praeneste in primis et Nemausi, fuit celebratum. Ceterum duo fuerunt Lupercorum sodalitia, Fabiorum scilicet et Quintiliorum, quibus deinde tertium adiectum est Iuliorum, in honorem I. Caesaris adhuc uiuentis 14).

6) Ita *Dionys. Halic.* lib. I. adde *Ouid.* fastor. 3, 199.

7) Erant et ibid. Febr. seu die 13. in calendar. *Heinsii* Ouidiano, et *Demsteri*.

8) Vid. *Ouidius* 2. fastor. 525. seqq. Facta dea est *fornax* cet.

9) Vid. *Macrob.* Saturn. I, c. 21.

10) Dicuntur etiam *Larentinalia*, *Macrobio*.

11) Unde *confectum Latiar*, *Cic.* ad Quintum fratr. ep. 4. *Turnebus* tamen aliter legi uult, lib. 24, aduers. c. 34. de *latinis*, quae stato nullo tempore erant, uid. *Macrob.* Saturn. I, c. 16.

12) ita *Ouidius* lib. 5. fastorum, v. 479. seq. vid. et v. 421, 22.

13) Vid. *Ouid.* lib. 2. fastorum v. 267. *Liuius* I, 5.

14) *Sibrandus Siccama* in fastos pag. 63. tomo 8. *Graeuii* thes. dicit, Fabios, seu ut appellat, *Fabianos*

MATRONALIA 15), in Martis honorem a Matronis Romanis ipſis Martii Calendis peragebantur. Origo ſacrorum iſta profertur: quod Sabinae a Romanis raptae, belli, inter duos populos graſſantis, finem fecerint; id autem commodi inde ſperabatur, ut Mars ipſis eandem fortunam concederet, quam Romulo, Rheae et Martis filio, conceſſerat; ut fecunditas, quam Martius menſis terrae dat, Matronis quoque impertiretur. Calendis Martii templum Iunoni Lucinae in monte Esquilino dedicatum fuerat; Iunonis autem, quae nuptiis praeerat, Mars filius erat. cf. *Ouid. Faſt.* III. v. 170. ſeqq.

MEGALESIA 16), a μεγάλη, magna, in honorem *Magnae Matris Deûm*, ante templum eius, in monte Palatino, celebrata fuere.

PALILIA, Deae Pali, quae erat pecudum, ſacra fuerunt. *Dionyſius Halicarnaſſenſis Parilia* 17) uocat. Iſto die populus ſe ſuffimento purgabat, cui ſanguis equinus, cineres ex Fordicidiis (i. e. bobus praegnantibus; nam *bos forda*, idem ac praegnans) a Veſtali aduſtis, ſtipulae item fabales erant admixti; paſtores ouilia paſſim eodem modo purgabant, dum oues aqua et ſulphure adſpergebant, herbaque Sabina et lauro igne ſuccenſis circum ouilia ſuffibant; quo pecora purgari, uariosque ab iis morbos et tabem depelli credebant; lacte quoque, ſapa et milio, precibus pro ſalute et incolumitate pecorum adiunctis, Deam Palen placabant, et tandem conuiuia celebrabant. Veſperi foeni uel ſtipularum aceruos accendebant, quorum flammas paſtores tranſiliebant; tibiae quoque cymbala atque tympana ſacris iſtis adhibebantur. cf. *Ouidius* 18) *Faſt.* IV. v. 721. ſeqq. Roma quippe illa die Aprili menſe fundata putabatur.

QVINQVATRIA uel QVINQVATRVS 19) Mineruae feſtum, Graecorum Panathenaeis parum abſimile. Celebrabatur XIV. Cal. Aprilis, quae dies Mineruae natalis credebatur. Hac die diſcipuli Magiſtris munera dabant; puerorum uero maxime feſtum, in cuius laetitiae partem uiri quoque ſiue parentes accedebant, et ludis ſpectaculisque gladiatorum intererant. Praeter haec magna Quinquatria, minora quoque celebrabantur Idibus Iunii.

QVIRINALIA, Quirino ſ. Romulo erant dicata, *ſtultorum Feriae* etiam dicebantur: quod, qui illa die ſacra ſua peragere non poterant, uel qui Fornacalium diem ignorauerant, ut culpam et ignorantiam ſ. ſtultitiam ſuam expiarent, Quirino ſacrificabant 20).

ROBIGALIA 21) VI. Cal. Mai. agebantur in honorem *Robigi*, ſeu Dei rubiginis, cui haec ſacra fiebant, ut rubiginem a meſſibus depelleret. Ouis autem ſacrificabatur, et canis, quorum uiſcera huic Deo cum uino atque thure in ſacrificium offerebantur.

SATVRNALIA, a. u. c. 257. 22) in Saturni honorem inſtituta in Italia menſe Decembri, in Graecia uero ante Romam conditam celebrabantur. Antiquitus, teſte *Macrobio*, Saturnal. 1,7. XIV. Cal. Ianuarii et ab illo tempore, quo Iulius Caeſar duos Ianuario menſi dies addidit, XVI, peragebantur. Illa die Senatus non congregabatur, ludi litterarii claudebantur; Romani ſibi inuicem munuſcula mittebant, quae *Saturnalia* 23) dicebantur; pileum quoque, libertatis notam eadem die geſtabant, et peculiari ueſtimento erant induti; immo heri ſeruis tunc magnifice conuiuantibus ad menſem miniſtrabant. Plurium etiam dierum illae feriae fuerunt; nam quia I. Caeſar Saturnalia diebus duobus prius, quam ante peragebantur, poſuit, ad quartum, immo ad quintum usque diem haec ſolennitas protrahebatur.

TERMINALIA, *Varrone* l. 5. (cap. 3.) teſte, a tempore, quo celebrabantur, ultimo ſc. Februario, quo tunc temporis annus terminabatur, nomen acceperunt. Alii, et ex iis Dionyſius in primis, Deo Termino, hoc feſtum ſacrum fuiſſe contendunt. Numam nimirum illud

bianos Romulo; *Quintilianos* Remo addictos fuiſſe; quod fallit. Clare enim *Ouid.* faſtorum 2, v. 377. Quinctilios Romuli fuiſſe ſocios.

15) Dicuntur etiam *feriae matronales.* His matronae munera inuicem dabant et accipiebant, uti uiri ſaturnalibus.

16) Scribuntur etiam *Megalenſia*, et, ludi *Megalenſes.* *Cicero* fere iisdem uerbis deſcribit c. 12. de aruſp. reſponſis.

17) *Parilia* plerique MSti *latini*, ut obſeruat *Heinſius* ad *Ouidii* faſt. lib. 4, 721. et *Harduinus* ad *Plinium.*

18) *Velleius* lib. 1, 8. Parilibus Romam condidit Romulus.

19) Nomen explicat (quinta ab idibus), *Varro* de lat. lingua, lib. 5, c. 3. et affert etiam Tuſculanorum *Sexatrus* et *Septimatrus*; grammatici quidam, *quinque atria*, aut ab *atro* die, qualis erat poſt idus, (quaſi *quinque* ab *atra* die,) nugantur cet. Vid. *Ouid.* lib. 3. faſtorum, v. 810. ſeqq. et lib. 6, v. 651.

20) Vid. *Ouid.* lib. 2. faſtorum, v. 513.

21) *Plinius* lib. 17. iam a Numa inſtituta dicit. Alii ibidem, ad VII. cal. legunt; non, ut hic, VI.

22) Ita *Liuius* certe tradit.

23) *Saturnalitia* ſcribendum; de re omni uid. *Macrobius* in Saturnal. et *Lipſii* Saturnal. ſermonum libri 2. Saturnalibus quinque, ſi adduntur *ſigillarium* dies 2, qui eos excipiebant: non raro, *ſeptem* Saturnales numerantur; Sigillaria, a ſigillis et formis, icunculis Deorum, quae tum uenalia puerorum cauſſa erant.

lud in honorem Iouis Terminalis ideo inſtituiſſe dicit, ut diſcordia abeſſet, quam alieni fundi concupiſcentia parere poſſet; dum terminis lapideis agros diuiſit, ne quispiam in alterius poſſeſſionem irreperet; ſi quis uero terminos illos eruere uel transferre auderet, eius caput Diis deuotum erat, et cuiuis illum impune occidere licebat. Nullum autem in Terminalibus illis animal immolabatur, quod terminos cruentare pro ſacrilegio habebatur. Sequiori uero tempore, (tradit *Plutarchus* Quaeſt. Rom.) 24) animalia quoque, ut ſcrofa, uel agnus in iis mactabantur à ruſticis magno numero conuenientibus.

CAPVT III.

De Supplicationibus, tum publicis, tum priuatis, Lectiſterniis et Puluinaribus, et de Euocatione Deorum.

§. 1.

Supplicationes 1) pluribus de cauſis fiebant; uel ad placandam numinum iram, uel ad peſtilentiam morbosque ſedandos, tum etiam ad calamitates 2) alias tollendas; in gratiarum item actionem pro beneficiis acceptis, et reportata uictoria. Celebrabantur autem, ſacrificiis et conuiuiis per totam urbem inſtitutis; non licebat illa die lites ſequi, nec coetus agere pro cauſis publicis priuatisue. Abſtinendum erat ab opere ſeruili; paucis miniſteriis, quae neceſſaria maxime eſſent, exceptis 3). In plures dies decernebantur, tres ſc. octo; quindecim, quadraginta, quinquaginta, immo ſexaginta. Duces, qui ob reportatam ab hoſtibus uictoriam, uel ob aliam feliciorem expeditionem bellicam, *Imperatores* ab exercitu nominabantur, litteras (quod lauri ramis hae colligatae fuerunt, *laureatae* uocabantur) ad Senatum mittebant, quibus petebant, ut imperatoris titulus ipſis confirmaretur, et Supplicatio decerneretur; et hanc ſupplicationem nonnumquam triumphus ſequebatur, ut *Cicero* Ep. Fam. XV, 5. 4) Praeter ſupplicationes eiusmodi *publicas* aliae erant *priuatae*, quae frequentius *precationes* uocantur, quae quouis tempore a priuatis fierent; qui omnia a Diis impetrare poſſe credebant. A Ioue pluuiam, a Cerere meſſem, a Baccho uindemiam, ab Aeſculapio ſanitatis amiſſae reſtitutionem petebant.

§. 2. *Lectiſternia* 5), quorum frequens in Hiſtoria Romana mentio fieri ſolet, a lectis, quos ueteres ante aras ſternere ſolebant, nomen mutuata ſunt. Apponebantur etiam *puluinaria*, quae quid fuerint, non ſatis notum eſt. *Seruio*, Virgilii interpreti Georg. L. III. lectulus, in quo Deorum ſtatua reclinabatur. *Acron* in Horatium dicit, tabulatum eſſe, in quo numina ſtabant, ut eminentiora conſpicerentur. Non deſunt, qui, lectiſternia et puluinaria unum idemque faciunt. Verum ex collatis auctorum locis contrarium fere patet. Lecti prope aras poſiti his ſollemnibus, arborum ramis, floribus, herbisque odoriferis ornabantur, et eadem ornamenta etiam ante templum erant. Ex mactatarum uictimarum carnibus illa de conuiuia fiebant. Senatores cum uxoribus et liberis, nonnumquam cum tribubus omnibus atque ordinibus, nec non Pontifice Maximo, iuuenes item, tirones, uirgines, coronati omnes laurique ramos geſtantes, et cum pompa thenſas 6) et fercula Deum ferentes cantus ſacros canebant, ad ſupplicandum *Diis*, ut illos propitios redderent. Quando lectiſternia decernebantur, a litibus et altercationibus ceſſabatur, et uincti a uinculis libera-

24) Adde *Ouid.* lib. 2. faſtorum, v. 655. ſeqq. de die uid. Ioſephum *Scaligerum* p. 314. et *Lalamantium*, p. 275, tomo 8. *Graeuii*, et *Puteanum* de bis ſexto pag. 425. ibidem.

1) Dicebantur etiam antiquitus, *Supplicia.* Vid. *Feſtum*; et *Salluſtium.*

2) *Liuius* lib. 10, 23. *ob prodigia.*

3) Vid. *Macrob.* Saturnal. lib. 1. c. 19. Iſtae feriae erant *indictiuae.* Vnde ſaepius occurrit, *ſupplicationem decernere, indicere.*

4) Adde *Caeſarem* lib. 2. de bello gall. fine.

5) *Lectiſternia* fere omni tempore in templis ſaltim quibusdam erant, ubi dii et deae in lectulis ſeu puluinaribus collocari ſolebant. Vnde, *ad omnia lectiſternia* ſupplicatum eſſe, idem eſt, ac ad omnia templa; *Turnebi* aduerſ. lib. 30, c. 32; *Liuius* l. 22, 1. *Puluinar* pertinet ad *lectiſternium*, quod ſine hoc non eſſet. Inde eſt, quod diſtingui alibi ſolet, alibi pro eodem haberi. Gloſſae: *puluinar*, ςρωμνη θεȣ. Saepe puluinar, area ipſa, et nidus, in quo ſtatua cubaret, ſtaret, ſederet; gloſſae eaedem, *puluinar*, *καθιδρυμα*, ein Gebäu, Geſtelle, Sitz; quod *Liuio* lib. 21, c. 62. *puluinarium.*

6) *Thenſa*, cum ſit uehiculum deorum, i.e. cui ſimulacra imponebantur: apparet, dicendum fuiſſe, *thenſas* deduci ſolitas fuiſſe cum pompa; non autem, *ferri.*

berabantur. Initio tribus illa Numinibus parabantur, Ioui fc. Iunoni et Mineruae, ubi Iouis ftatua in lecto decumbebat, Iuno uero et Minerua fedebant. Expofitis hunc in modum lectis feptem epulones multa nocte ex carnibus immolatis et facris, cibum capiebant. Infequentibus faeculis ad Deos quoque alios caerimonia ifta pertinuit. De quo conf. *Liuius* V, 13. *Arnobius* Lectifternii Cereri facti mentionem facit. En duo iftiusmodi monumenta, quae puluinaria referre uidentur; machinae fcilicet duae minores puluino munitae. Prior *Tab. LXVIII. Fig. 1.* in anteriore facie quatuor exhibet figuras, quarum duae funt alatae; altera tympanum pulfat, altera uirum nudum uacillantem, fulcit; tertiam non fatis nouimus. Alterum puluinar *Fig. 2.* quoad ornatum ab illo multum differt; fupra puluillum pannus grandis, cuius orae funt fimbriatae, extenfus eft, et fub puluillo uas ingens floribus repletum confpicitur.

Tab. LXVIII.

§. 3. *Euocationes Deorum* a Romanis tum praecipue fiebant, quum urbem aliquam obfidere uellent. Conftat enim, (*Macrobius* Saturnal. III, 9.) omnes urbes incerti alicuius Dei effe tutela: Romani itaque peculiari carmine Deos illos, quos oppugnandae urbis tutelares putabant, euocabant; quod aliter urbem capi poffe non credebant, aut fi poffet, Deos habere captiuos, nefas ducebant; eandem ob caufam ipfi Romani et Deum, in cuius tutela urbs Roma effet, et ipfius urbis, Latinum nomen ignotum effe uoluerunt, ne nomine ifto compellari et euocari poffet. Idem auctor, Euocationis formulam his uerbis tradit: *Si Deus, fi Dea eft, cui populus ciuitasque Carthaginenfis eft in tutela; teque maxime ille, qui urbis huius populique tutelam recepifti, precor uenerorque, ueniamque a uobis peto, ut uos populum ciuitatemque Carthaginenfem deferatis, loca facra, templa, urbemque eorum relinquatis, absque his abeatis, eique populo ciuitatique metum, formidinem, obliuionem iniiciatis, proditique Romam ad me meosque ueniatis, noftraque uobis loca, templa, facra, urbs acceptior probatiorque fit, mihique populoque Romano, militibusque meis praepofiti fitis, ut fciamus intelligamusque, fi ita feceritis, uoueo uobis templa ludosque facturum.* Titus *Liuius* lib. V. c. 21. Euocationem a Camillo factam ita refert: Dictator Camillus ita a Veiis Deos euocauit: *Tuo, inquit, ductu Apollo Pythice, tuoque numine inftinctus pergo ad delendam urbem Veios, tibique hinc decimam partem praedae uoueo: te fimul Iuno Regina, quae nunc Veios colis, precor, ut nos uictores in noftram tuamque mox futuram urbem fequare, ubi et dignum amplitudine tua templum accipies.* Hetrufcos fulmen coegiffe, facris quibusdam, *Plinius* tradit II, 55. Eorum imitatione Rex Numa faepius illud euocauit; quum uero Tullus Hoftilius illud, omiffis ritibus folitis, *euocaffet* 7), ipfe fulmine percuffus, periit.

CAPUT IV.

De Deuotionibus et Votis.

§. I.

Quod Romani *deuotionem* dicebant, ex ipfa deuouendi formula clarius intelligitur. Dictator quippe, aut imperator, euocationem faciens, referente *Macrobio* Saturn. III, 9. haec dicebat: *Dis pater, Veiouis, Manes, fiue uos quo alio nomine fas eft nominare, ut omnes illam urbem Carthaginem exercitumque, quem ego me fentio dicere, fuga, formidine terrore que compleatis, quique aduerfum legiones exercitumque noftrum armatelaque ferent; uti uos eum exercitum, eos hoftes, eosque homines, urbes agrosque eorum, et qui in his locis regionibusque, agris urbibusque habitant abducatis, lumine fupero priuetis, exercitumque hoftium, urbes agrosque, capita aetatesque eorum, quos me fentio dicere, uti uos eas urbes agrosque, capita aetatesque eorum deuotas confecratasque habeatis illis legibus, quibus quandoque funt maxime hoftes deuoti, eosque ego uicarios pro me fide magiftratuque meo, pro populo Romano, exercitibus legionibusque noftris do, deuoueo, ut me meamque fidem imperiumque, legiones exercitumque noftrum, qui in his rebus gerundis funt, bene faluos finitis effe. Si haec ita faxitis, ut ego fciam, fentiam, intelligamque, tunc quisquis hoc uotum faxit, ubi ubi faxit, recte factum efto: ouibus atris tribus. Tellus mater, teque Iupiter obtefior.* Quum *Tellurem*

7) Fulmen *elici*, faepius, quam euocari, dicebatur; et Ioui *Elicio* facra infaufta fecit Tullus, *Liuii* lib. I, 31. *Ouid.* faftor. 3, 327. *Eliciunt* coelo te, Iupiter; cet.



1. 2. Pulvinaria duo. 3. M. Curtius pro Romanorum salute cum equo in voraginem flammas sulphure pestifero admixtas eructantem sese præcipitans. 4. Eques, forte idem Curtius in ignem insiliens. 5. Votum J. O. M. a D. Aurelio equite Romano et sacerdote factum. 6. Votum eidem Jovi oblatum ab Octavia Successa, ipso Jove jubente. 7. Votum Jovi et Herculi positum.

Tab. LXIX.



1. Votum pro fausto itinere susceptum. 2. Votum pro felici partu forte exhibitum. 3. Votum Aesculapio factum. 4. Auriculæ votivæ pro impetranda aurium valetudine. 5–15. Oculus, digiti, manus, pedes Aesculapio vel alii numini, vel ut membra hæc sanaret, vel in gratiarum actionem pro impetrata valetudine oblati.

rem dicit, manibus terram tangit: cum Iouem dicit, manus ad coelum tendit; quum uotum recipere dicit, manibus pectus tangit Dictator Imperatorque, qui soli deuouere possunt.

§. 2. Praeter hunc deuouendi modum, alii priuatorum erant, qui se pro exercitu deuouebant, qualis Deciorum, patris et filii, itemque M. Curtii, qui, pro Romanorum salute, cum equo in uoraginem, flammas pestiferas eructantem, sese praecipitem dedit. Is hodieque in marmore uisitur Romae in uilla Borghesia, ubi Curtius cum equo cadens, non sine admiratione spectantium, exhibetur; tanto artificio opus illud elaboratum est; huius monumenti schema *Fig. 3.* proferimus, quam potuimus accuratissime, licet archetypum non attingat. Huic schemati *Fig. 4.* aliud iungimus, quod ad eandem historiam spectat, quum in illo eques se in ignem praecipitet. Neque solum inter Romanos fuerunt, qui se pro patria deuouerent, uerum in Graecia etiam occurrunt exempla. Codrus, Rex, pro Atheniensibus sese deuouit, Menoeceus, thebanus, pro patria. Ad eundem sese deuouendi modum reuocari etiam possit Mutii Scaeuolae factum, qui coram Rege Porsena, manum in ignem coniecit; cuius facinoris memoria in gemmis haud paucis insculpta seruatur 8).

§. 3. Vota tum apud Graecos, tum apud Romanos, adeo fuere frequentia, ut multis in monumentis obseruentur, immo fatendum sit, ingentem statuarum, anaglyphorum aliorumque monumentorum numerum, uota referre, uel suscepta, uel soluta. Quae tamen in marmoribus occurrunt uota, ea uotorum potius solutiones dicenda; etsi usu uulgari ista quoque uota nuncupentur. Haec autem uota suscipiebantur pro salute et incolumitate Imperatorum, aliorumque imperii procerum; item prouinciarum et ciuitatum caussa; pro expeditionibus militaribus, et pro felici exitu cuiusuis negotii, maxime in periculis: et quando res ex uoto successerat, uota nuncupata soluebantur. Priuati quoque homines uota suscipiebant pro salute sua, pro felici alicuius itineris exitu, et negotii cuiusuis. Immo, quum magno rei optatae impetrandae desiderio uehementius agitarentur: haud raro in iis subnascebatur opinio, Deos, quos per somnum uel uidisse, uel audiuisse, uel uisione percepisse, sibi persuadebant, ut eiusmodi uota facerent, praecepisse. Hinc euenit, ut saepius in monumentis inscriptum uideamus, *ex imperio*, *ex praecepto Deorum* 9): aliquando etiam Dei cuiuspiam, ut *imperio domini Siluani*, *ex praecepto Iouis*, *ex monitu Isidis*, *ex oraculo*, *ex uaticinatione*, *ex religione*, *iussu numinis*, *somnio monitus etc.* quae formulae in monumentis passim occurrunt. Etsi autem haec deorum monita a fraude, et lucri gratia a sacerdotibus, uatibus, fanaticisque proficiscerentur; certum tamen esse uidetur, multos reuera putasse, se id, quod in marmore sculpebatur, aut uidisse, aut audiuisse; tantum praeiudicata ualebat opinio.

§. 4. Secundum uarias religiones diuersosque animi affectus, uota ista nuncupari solebant numini uel uni, uel pluribus, uel omnibus; siquidem non defuerunt, qui, ut omnia simul numina sub uno nomine complecterentur, nouum sibi numen finxerunt, quod Pantheum nominarunt, eique uota fecerunt. Repraesentarunt hoc Pantheum sub figura Numinis, in quo pleraque omnia reliquorum numinum symbola conspiciebantur. Illud autem exploratum habemus, exceptis Sarcophagis, Epitaphiis, urnis, inscriptionibusque sepulchralibus, quae cetera monumenta omnia numero superant, uota nobiliorem maioremque partem reliquorum monumentorum complere. In his conspicimus, quid superstitio stultis addictos religionibus mortales suscipere et facere, compellat.

§. 5. His praemissis, potiora quaedam uotorum monumenta proferemus. Quum uero tantus eorum sit numerus, ut uel maius quoddam uolumen describendis iis minime sufficere possit: ea tantum, quae supra dicta confirmare ualeant, uel prae ceteris obseruari mereantur, hic ob oculos ponere lubet. Lapis, cuius imaginem *Fig. 5.* proferimus, qui aut ara, aut basis est, a D. *Aurelio Iuliano*, equite Romano, Sacerdote loci, ubi lapis erat positus, Ioui Optimo Maximo pio affectu oblatus est. In utroque latere aquila uisitur cum inscriptione, qua significatur, alteram esse legionis quintae Macedoniae, alteram uero legionis quartae scutariorum. Quod *Fig. 6.* sequitur monumentum, uotum, iussu diuino factum, ostendit; quandoquidem sub aquila fulmen unguibus tenente, cuius capiti caput humanum imminet, haec uerba leguntur: *Ioui Optimo Maximo iussa Octauia successa posuit*, h. e. iubente Ioue. Votum sequens *Fig. 7.* quod arae formam habet, Ioui O. M. et Herculi inuicto positum fuit a *Caio Tuticano Calliato*. Votum pro fausto itinere susceptum *Tab. LXIX. Fig. 1.* exprimi- Tab. LXIX.

Qq tur:

8) *Mutii* factum, quid cum deuotione commune habeat, nemini facile adparebit; nec enim Romanis inde salutem impetratum iuit, eorumque damnum in se deriuare uoluit.

9) Quod et alibi locum habet; ita *Taurobolia* etiam monitu diuino suscepta; uid. v. *Dalen*, supra allegatum. Ita, aedes, templa, dedicari solebant.

tur: in ſiniſtro monumenti latere mulier conſpicitur ſedens, dextra palmam tenens, ſiniſtram uero globo imponens, cum inſcriptione: *ſaluos ire;* ad latus ſiniſtrum mulier alia ſedet, altera manu cornu copiae tenens, altera temonem, qualis Fortunae iungi ſolet, cum inſcriptione: *Saluos redire:* poſitus eſt hic lapis a *Lucio Vectio Semproniano*, Auguſti Liberto. Votum ſequens *Fig. 2.* ex Muſeo *Kircheriano*, felicem partum exhibere uidetur, uotumque eſſe Iunoni Lucinae a duabus mulieribus poſitum, quarum altera infantem ſinu geſtat.

§. 6. Votum ſequens *Fig. 3.* aram exprimit, Aeſculapio dicatam; caua eſt, et inſtar columnae concinnata, quales ſupra uidimus, ubi de Aris actum eſt. Sic uota fiebant Aeſculapio; nec mirum eſt, ſi inter tot aegros, qui Aeſculapii opem ſupplicibus precibus inuocabant, aliqui ualetudinem recuperarunt. Non praetermittenda hoc loco uidetur tabula, quam *Gruterus* edidit, ex qua ſtupendam daemonum credulos homines decipientium fallaciam, uel potius ſacerdotum fraudem, qui alios ſubornabant, ut morbos et miracula fingerent, intelligere licet. Tabula iſta quatuor conſtat teſtimoniis ſeparatim poſitis; quae idiomate latino ita exhibemus. I. *His diebus Aeſculapius Gaium quendam caecum oraculo monuit, ut iret ad ſacrum altare et adoraret; indeque a parte dextra ad laeuam ueniret, poneretque quinque digitos ſupra altare, manum extolleret, et ſupra ſuos oculos poneret, et recte uidit, populo praeſente et congratulante, quod uiuae uirtutes (ſeu magna miracula) fierent ſub Imperatore noſtro Antonino.* II. *Lucio pleuritico, et deſperato ab omnibus hominibus, oraculum reddidit Deus, ut ueniret, et ex triplici altari,* τριβώμῳ, *tolleret cinerem, et cum uino miſceret, poneretque ſupra latus; et conualuit, et publice gratias egit Deo, populusque illi congratulatus eſt.* III. *Sanguinem uomenti Iuliano, ab omnibus hominibus deſperato, oraculum reddidit Deus, ut ueniret, et ex triplici altari ſumeret grana ſtrobili, et comederet una cum melle tres dies; et conualuit, et ueniens publice gratias egit, praeſente populo.* IV. *Valerio Apro, militi caeco, oraculum reddidit Deus, ut ueniret et acciperet ſanguinem ex gallo albo, melli admixtum, et collyrium conficeret, et tribus diebus illo lineret oculos; et uiſus ei reſtitutus eſt, uenitque et gratias egit publice Deo* 10). Praeterea rei antiquariae periti bene multi putant, oculos iſtos, aures, pedes, crura aliaque corporis humani membra, quae hodieque in multis Europae Muſeis extant, uota fuiſſe Aeſculapio oblata. Mos quippe offerendi Deo figuram membrorum aegrotantium, aut aliqua tabe laborantium, tum ut ſanarentur, tum in gratiarum actionem, pro impetrata ualetudine, ad uetuſtiſſima tempora pertinet. Exemplum huius rei legimus in ipſo ſacro Codice 1. Sam. VI. ubi Philiſtaeos legimus a Deo caſtigatos, quod arcam foederis tangere et inſpicere auſi fuerint, Deo offerentes imaginem membri laeſi auro expreſſam, ut ſanitatem impetrarent. En *Fig.* 4. duas auriculas uotiuas, quas ſcilicet uouerant ii, qui putabant, ſe deorum ope aurium uirtutem recepiſſe: fortaſſe uotum eſt pro impetranda aurium ualetudine, non in gratiarum actionem oblatum. Hae duae auriculae inauratae fuere; certe adhuc ueſtigia quaedam auri in iis cernuntur; maxima pars iniuria temporis excidit. Oculum, digitos, manus, pedes uaria forma Aeſculapio, uel alii numini, oblatos exhibent figurae ſequentes 5 — 15. In his autem membris pedes in primis ſub Mercurii tutela fuiſſe dicuntur, quod *Fig. 6.* comprobare uidetur, qua pes alatus exprimitur. Sed obſtat alius *Fig. 15.* cui ſuperne ſerpens conuolutus inhaeret, quippe qui certum Aeſculapii ſignum eſt, et ſubindicare uidetur, ipſum Aeſculapio fuiſſe conſecratum. Eodem fundamento nixi aſſerimus, oculum *Fig. 5.* Apollini fuiſſe oblatum, quod hoc numen, *Plutarcho* teſte, oculi forma non raro fuit repraeſentatum; quoniam Sol, qui idem cum Apolline fuit, totum orbem reſpicit, et ideo *Oculus* quoque *Iouis* nonnumquam dicitur; uti Latini Apollinem interdum *Caeliſpicem* uocant.

§. 7. Vota etiam nonnumquam occurrunt ſuſcepta tantum, et nondum ſoluta, cuius generis illa fuerunt, quae pro diuturna Imperatorum uita ſuſcipiebantur, et alia huiusmodi. Ab initio haec uota fiebant pro republica Romana, pro conſeruatione illius, pro liberatione, ſi in periculis uerſaretur, poſt cladem acceptam, ſiue cum hoſtium exercitus imperii fines inuaſerat, et respublica de belli exitu erat ſollicita. Haec uota pro quinque annis ſuſcipiebantur; item pro decem, quindecim, uiginti annis, ut rerum conditio ſuadebat. Talia ſuſcepta ſunt poſt cladem ad Thraſymenum acceptam, teſte *Liuio*, Dec. III. l. 2. In more erat, narrat *Suetonius* in Auguſto, uota ſuſcipere quouis luſtro. Aliquando etiam decennalia fuerunt. Impe-

10) Vid. *Theodoretus* ſermone 8. aduerſus graecos, ὅτι τυγχάνουσιν ὧνπερ αἰτοῦσιν οἱ πιστῶς ἐπαγγέλλοντες, ἀναφανδὸν μαρτυρεῖ τὰ τούτων ἀναθήματα, τὴν ἰατρείαν δηλοῦντα· οἱ μὲν γὰρ ὀφθαλμῶν, οἱ δὲ ποδῶν, ἄλλοι δὲ χειρῶν προσφέρουσιν ἐκτυπώματα, καὶ οἱ μὲν ἐκ χρυσοῦ etc. Qualia nec hodie fieri deſierunt.

Imperatorum tempore uota ſuſcipiebantur pro Imperatore tunc regnante; quae uota quinquennalia fuerunt et decennalia 11); quin etiam uicennalia et tricennalia; nonnumquam tempus longius reſpiciebant.

CAPVT V.

De Oraculis.

§. 1.

Exortam aeuo noſtro quaeſtionem, utrum oracula daemonum miniſteriis conſtiterint, an uero 1) ſacerdotum, aliorumue religionis adminiſtrorum fraudibus atque officiis, hic denuo diſcutere, non eſt animus. Vulgatior fere eſt ſententia, oracula olim reuera a daemonibus profecta eſſe, qui non modo ſupplices quoslibet, ſed etiam ſacerdotes, aliosque miniſtros, ſedulo circumuenerent. Sunt tamen inter eruditos non pauci, quibus et ipſe aſſentior, qui omnia illius generis oracula atque reſponſa a ſacerdotibus utriusque ſexus prolata, meros opinentur fuiſſe fraudes ad quaeſtum paratas; licet non omnino diffitendum ſit, malignas Diaboli artes non ſemper a prodigiis iſtis fuiſſe ſeiunctas: quod et ipſa Sacra Scriptura paſſim innuere uidetur. Nos de oraculis dicturi, non quaeuis cum *Dalenio* Deorum reſponſa atque monita per Sacerdotes, fanaticos, ſortes, uel alio modo tradita, ſub iis comprehendimus, ſed de praecipuis tantum, Delphico ſcilicet, Dodonaeo et Trophoniano uerba faciemus.

§. 2. De oraculi Delphici origine iam ſupra 2), quum de Pythia loqueremur, nonnulla dicta ſunt. Alii de origine illius alia ab iſtis diuerſa referunt. Haec autem quocunque modo ſeſe habeant; hoc ſaltem monemus, quod non quibusuis diebus hoc oraculum adire licuerit, ſed quod certi dies fuerint definiti, quibus Apollo per Pythiam oracula fundebat. Praeter Pythiam alii quoque Prophetae et Poetae adfuiſſe perhibentur, qui reſponſa iſta, maximam partem obſcura atque ambigua, explanarent, et certis carminibus exprimerent. Antequam Oraculum adiretur, illud conſulturos ſacrificare, uictimam uero membris omnibus contremiſcere, oportebat, aliter denuo ſacrificium fuit repetendum. Sacerdotes uero, *Plutarcho* teſte, ut uictima tremiſceret, aqua illam frigida largius adſpergebant, et plane inundabant. Pythia ipſa priusquam tripodem conſcenderet, aquam bibebat ex fonte Caſtalio.

§. 3. Oraculum Dodonaeum 3) cum lebetibus in fragmento *Stephani Byzantii*, quod in Bibliotheca *Coisliniana* emendatius edidimus p. 286. pluribus deſcribitur. Duae ibi columnae fuerunt paruo ſpatio disiunctae. Harum alteri uas aeneum, eiusdem magnitudinis, qua lebetes tunc temporis erant, impoſitum fuit; alteri inſiſtebat puerulus tenens flagellum aereum plurimorum funiculorum, et quidem mobile, ita, ut, uento flante, funiculi iſti in uas aeneum impellerentur, idque tactu reſonaret; quo fiebat, ut dum uentus flaret, ſonus numquam ceſſaret. Quum uero Dodone aer continuis quaſi uentis commoueretur, aes illud fere ſemper reſonabat; unde prouerbium ſubnatum: *Aes Dodonaeum*, quod de illis dicebatur, qui uerboſiores eſſent, et finem loquendo numquam facerent. Alii cum *Demone*, a *Stephano Byzantio* excitato, loco uaſis uel lebetis illius aenei, plures tripodes ſubſtituunt, quorum alter alteri adeo uicinus fuerit, ut, ſi quis unum tetigiſſet, ceteri omnes reſonarent. Rurſus alii de Columbis Dodonaeis, quae uatum loco oracula ediderint, mentionem faciunt. Ex duabus ſcilicet columbis *Statius* alteram in Libyam auolaſſe dicit, ubi oracula Iouis Hammonis redderet, alteram Dodone manſiſſe. Ibidem etiam quercus uel fagus erat, (cui columba inſederat); unde Iupiter Dodonaeus aliquando etiam Phegonaeus dicitur, quod in fago habitaret.

11) De *uotis decennalibus* uid. *Noriſius* Vol. I. theſauri Sallengriani; et *Pagius* in Diſſertatione hypatica; atque tomo I. critic. in Baronium.

1) Quae *Dalenii* eſt ſententia; quam et de *Fontenelle* amplexus eſt; eam magno conatu refutandam, et patres praecipue, quorum iſta altera fere eſt, defendendos ſuſcepit liber, *hiſtoria de ſilentio oraculorum paganiſmi*, contra D. *van Dale*, eiusque defenſorem *de Fontenelle*, ad uerbi incarnati maiorem gloriam et catholicae ueritatis, ab eccleſia et SS. patribus aſſertae confirmationem, propugnata e gallico latine, 1725. 8. tribus partibus. Scriptores alios recenſet *Fabricii* bibliotheca gr. lib. I. c. 17.

2) Pagina 90.

3) Idem fragmentum exſtat uolum. 7. theſauri Gronouiani, cum *Iac. Gronouii*, *Triglandii*que notis. Ediderat antea etiam *Abr. Berkelius* in 12.

§. 4. Celeberrimum Graeciae oraculum illud erat in antro Trophonii; eo, nonniſi praemiſſis certis quibusdam caerimoniis atque ritibus, ire licebat; qui ſecus fecerant, uindictae diuinae ſeſe obnoxios faciebant. Debito itaque et eo, quo decebat, ritu, ut in antrum illud aliquis deſcenderet, in aedicula quadam Boni Genii et Fortunae per aliquot dies commorandum, in eaque uaria expiationum genera ſuſcipienda erant. Illic enim degens calidis aquis abſtinebat, Hercyna fluuio ſeſe abluebat, et Trophonio eiusque filiis, porro, Apollini, Saturno et Ioui, cognomento Regi, Iunoni Heniochae, et Cereri, quam Europam uocabant, et Trophonii nutricem fuiſſe perhibebant, immolabat; ubi ex uictimarum carnibus largus ei cibus ſuppeditabat. Aderat quoque uates, qui caeſarum uictimarum exta inſpiciebat, et conſulenti Oraculum, ex iis uaticinabatur, utrum Trophonius ipſi propitius esſet, nec ne. Nulla exta mentem Trophonii plenius declarare credita, quam arietis, quem, qua nocte in antrum intrabant, inuocato Agamedis numine (is frater Trophonii), ad foueam mactabant. Si haec omnia rite ſe habebant, ritu ſequenti in ipſum antrum deſcendebatur. Sacerdotes eo deſcenſurum noctu ad fluuium Hercynam ducebant; ubi pueri duo ex oppidanorum liberis, annos circiter tredecim nati, (Hermae dicebantur), illum oleo ungebant et abluebant. Hinc ad duos amnis fontes haud longe inter diſtantes ducebatur; ex quorum uno aqua ipſi bibenda fuit, *lethes* dicta, eo, quod omnium eorum, quae antea curae fuere, obliuionem induceret; ex altero fonte *mnemoſynes* aquas potabat, ne aliquid eorum, quae in antro uiſurus eſſet, ex animo effluerent; adorabat quoque ibidem ſtatuam Trophonii, a Daedalo factam, quam Sacerdotes, non niſi hoc ritu, oſtendebant. His peractis, tunica linea atque taeniis praecincta indutus, pedibus uero ſoleas, ad incolarum modum adornatas, geſtans, ad Oraculum pergebat. Erat autem oraculum ſupra lucum in monte, ubi ſedem illius crepido duorum circiter cubitorum alta, et ex ſaxo albo conſiſtens, ambiebat; obeliſci autem aenei oſtia muniebant. Antrum manu factum erat, clibano parum abſimile, quatuor cubitos longum, et octo profundum, nec gradibus deſcendebatur, ſed ſcalis: qui deſcendebat, offas melle ſubactas tenens, pedes prius in cauernam immittebat, quos mox totum corpus attractum ſequebatur. Nec uno eodemque modo, qui deſcenderant, futura cognoſcebant, ſed ex uiſis alii, alii ex auditis. Tandem per idem foramen redibant, ſed pedibus iterum praeeuntibus. Hoc modo redeuntes a Sacerdotibus in ſolio, quod *Mnemoſynes* dicebatur, proxime poſito collocabantur, quaeque uel uidiſſent, uel audiſſent, iis referre oportebat. Denique reducebantur in cellam iſtam Boni Genii et Fortunae, in qua primum aduenientes aliquamdiu commorati erant; hic autem aliquantiſper attoniti et ſui neſcii, nec adſtantes agnoſcentes perſeuerabant; reſipiſcebant tamen, et poſtea ſolito modo ridebant. Haec *Pauſanias* lib. IX. refert, qui ſe ipſum haec omnia expertum eſſe teſtatur. Omnes autem, qui antrum illud ingreſſi fuerunt, feliciter regreſſi dicuntur, praeter unum Demetrii ſatellitem, qui nullo praeuio apparatu, nec oraculum ſciſcitandi cauſa, ſed aurum et argentum, quod ibi ſe reperturum ſperauerat, ablaturus ſe iſtuc intromiſerat; cuius cadauer alibi narrabatur apparuiſſe.

Capvt VI.

De Fanaticis, Sortilegis, Praeſtigiis et aliis Ominibus.

§. 1.

F*anatici* a *Fanis* ſiue templis nomen habent. In templis quippe commorantes, enthuſiasmo ſaepius correpti et diuino numine afflati, Bacchantium more geſtus immanes exhibebant, et oracula quoque fundebant. Plerumque in templo Bellonae commemorantur; unde cum Bellonariis pro iisdem habentur; hi brachia cultris atque pugionibus incidentes, ſanguine Bellonae ſacrificabant. *Prudentius* et illos, qui brachia cultris ita lacerabant, fanaticos uocat. Id ipſum indicat *Lampridius* in Heliogabalo, qui eo usque dementiae uenit, ut caput 1) inter Fanaticos praeciſos iactaret. Vnde apparet, Bollonarios, qui brachia incidebant, eosdem eſſe cum Fanaticis Bellonae; iactatio uero illa capitis, illis cum Gallis et Agyrtis, fuit communis. Fanaticorum nomen, non ſemper dedecori fuiſſe, uidetur, quod in Epitaphiis quoque nonnumquam conſpicitur; a multis tamen Scriptoribus, ita, uti etiam hodie,

1) Vnde *Quinctilianus* lib. XI, 3. pronuntiat *caput iactare*, quod *fanaticum* ſit.

die, accipitur cum turpitudine quadam coniunctum; ſic *Cicero* de Diuin. L. II. de philoſophis quibusdam dicit, ipſos eſſe ſuperſtitioſos ac paene fanaticos.

§. 2. Qui ad diuinandum ſortes iaciebant *Sortilegi* dicebantur, iſtudque miniſterium inter ſacra et ipſum putabatur; raro tamen in antiquis marmoribus occurrunt. Sortes ceterа et inter Graecos et Romanos uſitatiſſimae fuerunt. In pyxide 2) ſcilicet ſortes ponebant; eas puer extrahebat; quaeuis autem ſors peculiares ſuas habebat notas, quibus diuinatio conſtabat. Praeter hunc adhuc alii, iique uarii, ſortes iaciendi fuere modi, maxime apud Graecos, quibus ſortes quotidiano paene in uſu erant.

§. 3. *Praeſtigiae* duplici ſenſu accipiuntur. Vel enim ſignificant, iocos quosdam manu agili, et ſubitis motibus, ſenſus ſubterfugientibus, prolatos, ut uideantur aliquid diuini, uel potius Diabolici, praeferre, licet reuera humanam artem non excedant, nihilque illiciti habeant; uel ſignificant faſcinationes, incantationesque, quibus daemonis alicuius operatione, additis carminibus et faſcinis, morbi curabantur, res amiſſae reperiebantur, aliaque ſimilia procurari ſolebant. Peculiaris incantationis ſpecies erat, quae ad ſpeculum fiebat, qua *pueri*, ut tradit *Spartianus* in Seuero, *praeligatis oculis, incantato uertice reſpicere dicuntur;* qui mos in ſpeculum inſpiciendi ἐνοπτρομαντεία uocatur 3). Praeſtigiatrices etiam Theſſalae, quibus magnum cum luna fuiſſe commercium credebatur, ſpeculo ad diuinandum utebantur; in quo ſanguine ſcribebant ea, quae reſpondere uellent. Qui uero ipſas conſulendi cauſſa adierant, illarum reſponſa legebant non in ſpeculo, ſed in ipſa luna; uti quidem illae perhibebant; carmina quippe unum cogere credebantur; quod *lunam deducere* 4) dicebatur. Has praeſtigias et incantationes etiam apud quosdam Chriſtianos in uſu fuiſſe, uel ex eo patet, quod SS. Patres Eccleſiae 5), aduerſus artes eiusmodi diabolicas et profanae religionis reliquias, acrius paſſim inuehantur.

§. 4. Tandem de *Ominibus* agendum, quae apud Romanos praecipuam religionum partem faciebant; nec minus apud Graecos, qui ipſa pluribus nominibus exprimebant: qualia ſunt κληδών, φήμη, οἰωνὸς, οἰωνισμα et σύμβολον. Omen autem nil aliud eſt, quam ſignum quodpiam, ex quo bonum malumue augurium capiebatur. *Omina* modo *bona* ſunt, modo *mala*, et utraque ad duo genera reuocari poſſunt, ad *omina* nempe *rerum* et *uerborum*. *Omina rerum* ſunt, quum ex caſu quodam, aut aliqua re ſuperueniente, augurium captatur ſeu bonum, ſeu malum. Sic tempore Neronis, quum ille Britannicum bellum ſuſciperet; ſtatua Victoriae decidens, terga uertere deprehenſa eſt; quod uictoriam Romanis terga uertere ſignificabat. Sic Omen etiam accipiebatur ex iis, quae domo egredientibus primum occurrerent: eunuchus et ſimia uerbi cauſſa peſſimi ominis fuerunt; quapropter, ſi qui domo egreſſi in eos inciderent, ſtatim domum redibant. Mali quoque ominis erat tinnitus aurium; itemque ſi duobus amicis ſimul ambulantibus inter ambos lapis forte eſſet, uel ſi puer uel canis 6) intermedius accederet; ut autem id, quod praeſagiebatur, malum uitaretur, alapam puero incutiebant; canem uerberabant. Inter mala omina referebantur palpitationes 7) membrorum. Sternutatio 8) bona habebatur, ſi poſt prandium, melior ſi ad dextram fieret; mala uero, ſi horis matutinis; hinc, ſternutante quodam, dicebatur, Ζευ σωσο·, *Iupiter ſerua.* Aethiopis etiam occurſus inter mala omina recenſebatur, perinde ac noctuae, quemadmodum de *Pyrrho* narratur, (*Aelian.* hiſt. animal. X, 37.) quum Argos inuaderet, noctua in eius haſta inſedit, diuque ſubſtitit, ille uero periit.

§. 5. Ex *nominibus* omina ſumebantur, quum nomina forte prolata aliquid boni malique ſignificabant; ut, quum Auguſtus ſe ad Actiacam pugnam conferret, obuiam habuit ho-

2) Vrna; unde ſortes *deiici*, et *exire* dicebantur; item, *educi*. Conferantur pluribus I. Caeſ. *Bulengeri* libri, V. de *ſortibus*, auguriis, *ominibus*, Volum. V. theſ. Graeuiani.

3) Vid. praeter *Peuceri* celebrem, etſi minus praeſtantem librum, de uario genere diuinationum, et *Potteri* archaeol. lib. II. c. 18. praecipue catalogum ſcriptorum de ſingulis diuinationum generibus ordine alphabeti, pag. 416. ſeqq. bibliothecae antiquariae.

4) *Virgil.* Eclog. VIII, 69. *carmina* uel coelo poſſunt *deducere lunam.* Vid. *Caeſarii* quaeſt. 55. Luna et Hecate φαρμακειαις praecipue adeſſe credebantur. Liberari luna credebatur tinnitu tympanorum et aeris.

5) Patres praecipue ſaeculorum VI. priorum, *in homiliis* talia tangunt; ſed quae non omnino omnia ad graecorum romanorumque ſuperſtitionem pertinent. Erant ſimilia, ſed non eadem aut ab iisdem.

6) Omen a *canum* occurſu et latratu indicat *Tzezes* chil. XIII. v. 213. et Caſaubonus ad Theophraſti charact.

7) *Saliſſatio*, ſeu παλμος. Vnde *Iſidorus* etymol. lib. VIII. c. 9. *Saliſatores*, exponit.

8) Erat etiam *ſternutatio* luminis, ſeu ſtrepitus, quem ſubinde candela edit, ominis boni loco. Diuini quid ſternutationi ineſſe Ariſtoteles adeo tradidit, problem. ſectione XXXIII. ὅσα τῶν μοχθηρά.

minem aſinum ducentem, homo *Eutyches*, i. e. *Fortunatus*, aſinus uero *Nicon*, i. e. *Victor*, appellabatur; hoc ille uictoriam ſibi praedicere interpretatus eſt, eaque reportata in loco caſtrorum templum conſtruxit, in eoque aſinarii et aſini ſchema collocari iuſſit. In hoc ominum genere etiam id ponendum eſt, quod Craſſo accidit, quum ad infeliciſſimam contra Parthos expeditionem egreſſurus eſſet. Forte enim eo tempore quidam ficus ex Cauno allatas dum uenderet, clamabat *Cauneas*, quae uox ita ferme pronunciabatur, quaſi diceret, *caue ne eas.* Hiſtorici, tum Graeci, tum Romani, infinita pene omina referunt, caſuum maxime infelicium. Omen malum credebatur, quicquid funeſti aliquid prae ſe ferebat, plerumque autem ea poſt rem peractam aduertebantur. Alia uero etiam omina per ſe bona erant, praecipue cum a Diis peterentur, nullam rem pro fauſto omine determinando: ut quum Vlyſſes Ioue duo fauſta ſigna feliciter opprimendorum inferendae uxoris ſuae procorum precatus eſſet, ſtatim Iouem tonantem audiuit, et puellam Deos precantem, ut auerterent, ne importuni illi homines die ſequenti in aedibus Vlyſſis cibum ſumerent. Hoc boni ominis loco accipiens, quod ſuſceperat, feliciter peregit. Nonnumquam etiam ii, qui futurorum euentuum ſignum aliquod capere uolebant, templum intrabant, et ad idoli aurem accedentes, id ſignificari ipſis ab eo poſtulabant, ſtatimque aures obdurabant, donec extra templum ueniſſent; tunc, apertis auribus, quam primam uocem audirent, eam omen accipiebant. Signa ominum aliquando etiam ex accipientium arbitrio pendebant: ſic e. c. Hadrianus Auguſtus Tribunatum perpetuum ſibi obuenturum putauit, quod paenulam perdidiſſet, quam Tribuni plebis ingruente pluuia geſtabant, Imperatores uero numquam.

§. 6. Inter omina etiam illud referri poteſt, quod *tripudium ſoniuium* 9) uocabant, quod poſtremum nomen ex ſono petebatur; uerbi cauſſa, quum ab aue uolante aliquid decidebat; item quum ſaxum uel arbor ſua ſponte et nemine pellente cadebat. Profani quippe ex omnibus huiusmodi caſibus omina capiebant. *Tripudii ſoniuii* meminit *Cicero* ad Fam. I, 6. *Plinius* XV, 22. uerum ex ſcripturae et litterarum ſimilitudine accidit, ut in multis Ciceronis exemplaribus *ſomniis*, pro *ſoniuiis*, legatur; et in aliquot Plinii, *ſomnium* pro *ſoniuium*. At critici peritiores ueram lectionem reſtituerunt, nixi teſtimoniis *Feſti* in uoce *ſoniuium*, et *Seruii*, Virgilii Interpretis, in Lib. III. Aeneid. v. 90.

9) Veteres uarie tradunt de *ſoniuio*. *Seruius* in Virgil. caſum arboris eo refert, et quemcunque ſonum; alii, cum pullo excidit puls, quadrupediue aliquid ex ore; adeo conueniret cum ſoliſtimo. Vid. *Scaligerum* ad Feſtum.

TOMI SECVNDI
PARS SECVNDA,
RELIGIONEM AEGYPTIORUM, FIGVRAS ABRAXEAS ET RELIGIONEM ARABVM, SYRORVM, PERSARVM, SCYTHARVM, GERMANORVM, GALLORVM, HISPANORVM ET CARTHAGINIENSIVM EXHIBENS.

LIBER PRIMVS.
DE RELIGIONE AEGYPTIORVM.

CAPVT I.
De origine idololatriae apud Aegyptios, et illorum Cneph ſ. Cnuphis.

§. 1.

Aegyptiorum religio profanarum religionum omnium a plerisque mater exiſtimatur: quibus uero principiis, quoue potiſſimum tempore ſimulacrorum cultus in Aegypto coeperit, de eo nil certi definiri poteſt. Sunt, qui putant, idololatriam tempore Moyſis in Aegypto nondum inualuiſſe, et licet Aegyptii iam tum ſuperſtitioni quam maxime dediti fuerint, magnorumque praeſtigias, quibus daemonum ope credulam plebem nimium quantum decipiebant, magni fecerint; nulla tamen ab iisdem tunc temporis falſis numinibus ſimulacra fuiſſe erecta. Contrarium alii non ſine magna probabilitatis ſpecie uel inde efficiunt, quod uitulum, iſtum aureum, ab Iſraelitis erectum, ad exemplum Apidis, qui inter praecipua Aegyptiorum numina referebatur, conflatum eſſe cenſent 1).

§. 2. Haec autem quocunque modo ſeſe habeant, et quantacunque uiſa fuerit Aegyptiorum ſuperſtitio, non tamen diffitendum eſt, uaria uerae religionis ueſtigia apud eosdem fuiſſe deprehenſa. Inter illos enim non pauci, immo magna Aegypti pars, Thebais ſcilicet, *Plutarcho* teſte, in Iſide et Oſiride, Deum unum, principio carentem atque immortalem credebant, quem lingua ſua *Cneph*, ſeu, ut *Strabo* dicit, *Cnuphis* 2) appellabant. Idem teſtatur *Porphyrius* apud Euſebium Praep. lib. ult. dicens, Aegyptios olim unum tantum Deum coluiſſe, quem *Cneph* uocarunt, et ſub figura ſerpentis, ouum ore tenentis, repraeſentarunt. Alii duo admiſerunt principia, alterum bonum, alterum malum, de quo poſtea. Hoc loco id ſi addere liceat, in lapide quodam ſepulcrali, quem *Aulus Herennuleius Hermes* ſibi, uxori,

1) Animalia certe quaedam iam in honore ſummo fuiſſe, conſtat ex *Exodi* VIII, 26. Ceterum de religione aegyptiorum uid. pluribus hiſtoria uniuerſa ex anglico translata tom. I. Quo autem nomine iſta religio priſca, uera aut uerae proxima dici queat, facilius eſt opinari, quam certo in alterutram partem ſtatuere. Clementiſſime ſtatuunt, qui ex *Iamblicho*, aliisque ſerioribus de uetuſtiſſima eius indole ſententiam ferre non dubitant: quos inter recentiores eſt celeb. *Michaelis* §. 103. *introduct.* in N. T. De aliorum uariis commentis et coniecturis, excitati ſunt plurimi ſcriptores, in notis S. V. *Baumgartenii* ad hiſtoriam nominatam. Minus exactum autem hic habemus interpretem *Montfauconium*; ſed hoc quidem hic non fuit eius conſilium. Eſt ad id haec omnis cauſſa ſatis incerta.

2) De *Cnepho* uel *Cnuphi*, i. e. Agathodaemone, uerboſius et diligentiſſime egit cel. P. E. *Iablonskius*, copticae linguae inter paucisſimos gnarus, in *pantheo aegyptiorum*, parte I, cap. 4.

ri, liberis posterisque suis, poni curauit, et quidem altero illius latere, conspici duos serpentes erectos et cauda nixos aduersis capitibus, quorum alter ouum ore tenet, alter idem auferre nititur; quorum schema *Tab. LXX. Fig. 1.* exhibemus. Si mentem nostram expo- Tab. LXX. nere de hoc symbolo fas sit, ad duplex illud principium respicere hoc schema nobis uidetur. Veteres Aegyptii bonum agnoscebant principium, quod mundum creasset, idque ἀλληγορικῶς per serpentem, ouum ore tenentem (hoc ouum mundum creatum significabat) exprimebant. Hic itaque serpens, qui ouum ore tenet, bonum erit principium, quod mundum creauit, ipsumque sustentat. Sed et iidem malum principium ponebant; cuius alterum serpentem, imaginem credere licet; quod mundo damnum inferre perpetuo nitatur. Ista certe opinio, quae omni fere Oriente olim communis, & Manichaeorum maxime fuit, nec hodieque uniuersa exsulat 3).

CAPVT II.

De Iside.

§. 1.

Tomo huius operis primo tetigimus numina, quae scriptores passim confundere, aliudque pro alio sumere solent. Caussa eius rei ea fere esse uidetur, quod eaedem uirtutes atque operationes diuersis saepe numinibus tribuantur; ex quo hoc simul sequi credebatur, eadem una numina sub diuersis nominibus fuisse culta. Idem de Aegyptiorum in primis numinibus asserendum est; *Isis* enim atque *Osiris*, praecipua illorum numina, quibus tota illius populi superstitio fundatur, si uarias scriptorum de iis opiniones colligas, omnes omnino profanae religionis Deos Deasue uariis licet usa nominibus, complecti uidentur; ita quidem, ut si Isis nominetur, sub nomine hoc Cererem modo, modo Iunonem, Lunam, Cybelen, Mineruam, Venerem, Dianam, Proserpinam, immo, ut uno uerbo dicam, Deas fere omnes intelligere liceat; et pari modo sub Osiridis appellatione Iouem, Bacchum, Apollinem, Plutonem, Oceanum, Deosque ceteros omnes comprehendere facile possis. Nullus quidem scriptor solus omnia et singula Deorum Dearumque nomina Isidi isti atque Osiridi tribuit, at omnes simul sumti hoc faciunt. *Apuleius* solus in Metam. L. XI. Isidem uocat Cybelen, Mineruam, Venerem, Dianam, Proserpinam, Cererem, Iunonem, Bellonam, Hecaten 1) et Rhamnusiam: unde haec Isis quoque *Myrionymos*, i. e. mille nominum Dea, uocata fuit. In marmoribus quoque haec communio obseruatur; quando uni Isidi praeter symbola illi propia, etiam aliarum Dearum symbola iunguntur.

§. 2. Aegyptiorum superstitio, ut paullo ante monuimus, ab initio non adeo absurda atque inepta fuisse creditur, quam fuit sequenti tempore. Duo principia admittebant, (exceptis Thebaidos populis, qui unum tantum agnoscebant) alterum bonum, alterum malum; bono generationem acceptam referebant, malo corruptionem tribuebant. Bonum principium malo quidem praestantius atque potentius autumabant, non autem eo usque, ut bonum illud mali principii operationes uel impedire, uel destruere omnino posset. Malum principium in corporibus sublunaribus uim exserere suam credebant, et exinde fieri non posse, quin bono semper repugnet. In bono principio tria quasi principia secunda agnoscebant, quorum primum partes et officium patris, secundum matris et tertium filii tueatur. Pater *Osiris* 2) mater *Isis* et filius *Orus* 3) appellabatur. Malum principium *Typhonis* nomen gerebat. Osiris in mundo idem esse credebatur, quod in homine mens et ratio est. *Typhon* locum tenebat prauorum animi affectuum, qui cum ratione perpetuum bellum gerant; quapropter etiam ἄλογος, i. e. *ratione carens*, dicebatur. *Isis*, utpote femina, ex se boni maliue recepta-

3) Vid. *Plutarchi* librum de *Iside* et *Osir.* qui tamen non tam Aegyptiorum antiquiorum, quam aliorum sententiam de duplici numine contrario congerere uidetur. De duplici principio rerum omnium, altero passiuo, seu nocte, et actiuo, s. spiritu aeterno infinito, agit celeb. *Iablonskius* lib. I. panthei Aegyptiorum, cap. 1. §. 12. seqq. De omni ista caussa, instar omnium est incomparabilis commentarius *Beausobrii, histoire de Manichée.*

1) De *Iside*, Luna, uid. *Iablonskii* pars II. lib. III. c. 1. idem cap. 2. de *Sothi*, seu Iside oriente in sidere caniculae, agit; quod nomen non commereatur in hac tractatione.

2) De *Osiride*, seu sole, diligentissime agit excit. *Iablonskius* lib. II. c. 1.

3) De *Oro* seu *Horo*, aegyptiorum *Apolline* agit idem parte I. lib. II. c. 4.



1. Duplex Ægyptiorum principium, bonum et malum. 2. Isis maxima Ægyptiorum Dea. 3. Eadem. 4. Eiusdem Isidis protome. 5, 6, 7. Tres Colossales Isidis statuæ. 8, 9. Duæ Isides. 10. Eiusdem Deæ protome.

receptaculum erat, ſed ad bonum ſemper ſe conferebat. Typhon contra, ut principium mali, quod in omnibus mundi partibus radices egerat, ad malum perpetuo inclinatus erat. In humano corpore bonus habitus ab Oſiride proficiſcebatur, morbi uero a Typhone. In coelo et in elementis, quicquid ordinem rectum et motus aequalitatem ſeruabat, Oſiridem repraeſentabat; quod autem ab ordine illo deflectebat, Typhonis erat imago; cuius generis eclipſes ſolis atque lunae, tempeſtates, inundationes, terrae motus etc. eſſe exiſtimabantur. Hae de numinibus ſuis, *Plutarcho teſte, in libro de Iſide et Oſiride* 4), Aegyptiorum opiniones fuerunt. Ego autem non perſcrutabor, utrum populus ille, a principio ſuperſtitionis et temeratae a ſe religionis, talem ſibi numinis ſui naturam et indolem commentus ſit, an potius Philoſophi, ut portentoſo illarum gentium cultui colorem aliquem, ſeu rationis umbram inderent, hanc Theologiae formam deſcripſerint; id quod Philoſophos, tum Graecos, tum Romanos, domeſticorum numinum interpretes et deſcriptores, fere feciſſe notum eſt. Omnia hic eo redeunt, quod ex mente Aegyptiorum Oſiris rerum omnium pater, Iſis uero earundem mater ſit dicenda; alterique horum numini Deorum omnium, et alteri omnium fere Dearum proprietates tribuendae ſint. Ceterum de Iſide atque Oſiride ſexcentas olim fabulas Aegyptii commemorabant: quarum omnium ineptiſſima illa fuit, qua Oſiridem et Iſidem gemellos iam in utero matris connubio iunctos fuiſſe, Iſidemque inde grauidam filium Orum peperiſſe fabulati ſunt. De morte Oſiridis, nec non bello ab Oro contra Typhonem ſuſcepto, et uictoria ab Oro reportata, ſimilia paſſim commenta leguntur.

§. 3. Longe celebrior autem Iſidis, quam Oſiridis cultus erat, et frequentiſſime illa in marmoribus occurrit; Oſiris uero rarius. Iſis omnium rerum parens atque natura exiſtimabatur; hinc in marmore quodam Capuano ita compellatur: *Te tibi una, quae es omnia Dea Iſis, Arrius Babinus V. C.* In urbe Saï, tradit *Plutarchus*, in templo Mineruae, quae eadem atque Iſis eſſe putabatur, haec inſcriptio uidebatur: *Sum quidquid fuit, eſt et erit, nemoque mortalium mihi adhuc uelum detraxit* 5); conferri poteſt *Apuleius* Metam. L. XI. ubi Iſidem perquam magnifice loquentem, et ſumma quaeque de ſe ipſa praedicantem, introducit. De Iſidis et Oſiridis origine multa eaque diuerſa narrantur; *Diodorus Siculus* Iſidem Oſiridis coniugem appellat, *Plutarchus* eam pro coniuge et ſorore illius ſimul habet, quemadmodum Iupiter quoque a Mythologis Iunonis et frater et coniux dicitur. *Lactantius* et *Minucius Felix*, Oſiridem Iſidis filium appellant; *Euſebius* praepar. L. III. c. 3. in una eiusdem perſona et matrem et coniugem, nec non ſororem Oſiridis, ſe deprehendere ait. De Iſidis patre uero ſi quaeratur, a quibusdam pro Io illa, Inachi filia, ſumitur, quae opinio uulgatior eſt; alii parentes eius eſſe dicunt Neptunum atque Callirhoen; alii pro Argi et Iſmenes illam filia habent; alii porro Mercurii, alii Promethei filiam dicunt. Io iſta, Inachi filia, apud Poetas admodum celebris eſt; qui Iunonis illam Sacerdotem fuiſſe tradunt et a Ioue adamatam, a Iunone uero zelotypia permota, in uaccam fuiſſe permutatam, atque Argo traditam, ut eam cuſtodiret. Alii fabulantur, Iouem ipſum eam in uaccam candidam conuertiſſe, ut nulla adulterii ſuſpicio Iunoni ſupereſſet; Iunonem uero ab illo uaccam poſtulaſſe, quam negare Iupiter non auſus fuerit. Argus ille, cui uacca cuſtodienda commendata fuit, centum oculos habuiſſe dicitur. Iupiter Iun miſeratus Mercurio praecepit, ut illam liberaret, etiam interfecto cuſtode, ſi res aliter fieri non poſſet. Mercurius paſtoris formam induit et tibia cecinit, ipſumque uirga ſua tetigit, ut ſomno impleret. Sed quum Mercurius uaccam iamiam abduceret; iuuenis quidam, nomine Hierax, Argum imprudenter expergefecit; Mercurius uero, ne praedam ſuam dimittere cogeretur, Argum lapidis ictu interfecit, Hieracemque in accipitrem conuertit. Hac re Iuno usque adeo indignata eſt, ut Argum quidem in pauonem mutarit, qui tot oculos in cauda ſua geſtat, quot Argus in capite habuerat, uaccam uero illam, immiſſo ipſi oeſtro, penitus in furorem impulerit; quo impulſu mare, quod dein ab ipſa *Ionium* appellabatur, natando traiecit, et in Illyricum profecta, Haemum montem ſuperauit, atque in Thraciam deſcendit: hinc ſinum quoque Thracicum, qui ab ea *Boſpori* nomen accepit; nando ſuperauit, et in Scythiam uenit; exinde in Europam et Aſiam,

donec

4) Is libellus etiam ſeparatim editus eſt *graece* et *anglice*, Cantabrigiae 1744. 8. cum uariorum notis; et *germanice* Breslauiae et Lipſiae 1748. cum notis; ſed tum anglicanam editionem nondum noueramus. Ceterum *Plutarchus* uix eſt ſatis locuples teſtis de religione aegypt. antiquiſſima; quippe qui tempora confudiſſe, et ſeriores graeciſſantesque iam, interpretes ſequi, et de ſuo non parum addere, uidetur.

5) Conferatur laudatiſſimi *Iablonskii* lib. I. caput 3. de Neitha, ſeu Minerua, §. 7.

donec tandem in Aegyptum ad oram Nili peruenit, ubi mulieris formam recepit filiumque Epaphum, quem ex Ioue ſuſceperat, peperit. Poſt hunc partum Io in numerum Deorum relata, ſub illo nomine ab Aegyptiis culta eſt.

§. 4. Etſi uero Iſis pro Deabus, ut ſupra monuimus, fere omnibus habebatur; ex cultu tamen Aegyptiorum apparet, quod illa in primis cum Graecorum Cerere conueniit. Ex Aegypto cultus huius Iſidis in Graeciam tranſiit, Romae uero non niſi ſumma cum difficultate receptus eſt, quo facto, apud Romanos haec Dea eodem, quo cetera numina, honore afficiebatur. Primum quod ex Iſidis ſchematibus proferimus *Tab. LXX. Fig. 2.* ex Muſeo D. *Rigordi*, Maſſilienſis, eſt, et hoc ſingulare habet, quod Iſis ſedens puerumque Orum lactans, corpus quidem muliebre, ſed uaccae caput habeat; quo ſine dubio ad Iun, in uaccam mutatam, reſpicitur; unde hoc ſimul colligitur, utramque, et Iſidem et Iun, pro una eademque habitam fuiſſe. Globus inter illius cornua, ipſam, mundum, ſ. rerum omnium naturam eſſe, indicat. Caput auis, quod in fronte illius conſpicitur, in imaginibus Iſidis non raro occurrit. In imagine ſequenti *Fig. 3.* Iſis globum, cui pinnae imponuntur, capite geſtat; caput uolucris cum roſtro oblongo Ibidis eſſe uidetur. Protome Iſidis ſequens *Fig. 4.* nil praecipuum profert. Aliud ornamentum capitis in Iſide eſt planta Aegyptiaca, ſeu flos *loti*, qui tamen frequentius in ſchematibus Graecis et Romanis, quam Aegyptiacis, apparet. Quae *Fig. 5, 6 et 7.* ſequuntur, tres Coloſſales Iſidis ſtatuae haud ita pridem Romae in uinea Veroſpiorum erutae ſunt; capitis ornatum et ueſtem ex ipſo conſpectu agnoſcere licet. In his tertia, cuius pars ima confracta ſeu mutilata eſt, omnium ſingulariſſima eſt; ornatus quippe capitis plane ſingularis calathum exhibet; cultum reliquum et cincinnos, qui brachiorum et pectoris partem tegunt, oculorum aſpectu melius, quam longiori deſcriptione intellexeris. Quae *Fig. 8.* ſequitur Iſis, ex Muſeo *D. Rigordi* prodiit, et lagena magna, quam capite geſtat, admodum ſpectabilis eſt: hac autem lagena Nili aquam, unde omnia ad uitam neceſſaria Aegyptii ſe accipere fatebantur, ſignificari, uero admodum ſimile eſt. Iſis ſequens *Fig. 9.* ex Muſeo *Ill. Dn. Foucault* depromta eſt; tunica ea induta eſt, ita tamen, ut brachium dextrum cum dextro pectoris latere nudum ſit, quo forte Orum lactatura fingitur. Alia *Fig. 10.* ex gemma, protomen Iſidis refert, florem lotum capite geſtantem, manu dextra ſiſtrum tenentem: ceterum more Romano uel Graeco concinnata eſt.

Tab. LXXI. §. 5. Iſis illa, quam *Tab. LXXI. Fig. 1.* exhibemus, quae ex Muſeo D. *Fauuelii*, Abbatis, prodiit, omnino ſingularis eſt. Ornatus capitis loti flos eſſe uidetur, ueſtem haud uulgarem a tergo baculo erigi putares. Iſis alia *Fig. 2.* erecta conſiſtit, dextra ſiſtrum, ſiniſtra uero uas anſatum, tenens. Iſidis protome ſequens *Fig. 3.* ornatum capitis habet, obſeruatu maxime dignum. Iſis alia *Fig. 4.* Orum lactans ſaepius in muſeis occurrit; ſupra iam uidimus eam, cum capite uaccae, haec autem et plures aliae mulieris faciem habent. Sequens *Fig. 5.* globum manu geſtat; quid capiti illius impoſitum ſit, neſcio. Pro Iſide quoque uel Oſiride uel etiam Oro haberi ſolent monumenta alia, quae formam humanam referunt, ſed ab humeris ad pedes usque eodem, quo Mumiae, modo faſciis ligata ſunt, et non niſi uultum, interdum etiam manus oſtendunt. Haec autem, quum in ſepulcris potiſſimum et iisdem cum Mumiis locis inueniantur: uero admodum ſimile eſt, has figuras Deos Manes forte exhibuiſſe, quos Aegyptii cum defunctis ſuis ſepeliebant, et faſciis colligebant, ut ipſa corpora defunctorum. Forte eiusmodi figurae etiam in aedibus Larium uices obibant; cui ſententiae *Kircherus* ideo fauet, quod magnus eorum numerus in Muſeis paſſim inueniatur. Haec ſchemata uel fictilia ſunt, uel ex marmore, eoque uel nigro Aegyptiaco, quod baſaltum uocant, uel ex marmore uiridi guttato, aut ex marmoribus aliis confecta, ſaepius etiam uariis hieroglyphis ſunt onuſta. Quam *Fig. 6.* primum hic proferimus eiusmodi ſtatuam, ea ex *Muſeo Brandenburgico* prodiit, et manu utraque inſtrumenta quaedam tenet, non ſatis nota. Quae *Fig. 7.* exhibetur, in Muſeo noſtro aſſeruatur, et hoc peculiare habet, quod mammarum uice parua quaedam uaſa rotunda in utroque pectore gerat. Hisce imaginibus *Fig. 8, 9, 10, 11.* quatuor alias iungimus à *P. Bonanno* publicatas, quae nihil ſingulare habent, praeter quartam, quae a zona tantum usque ad pedes colligata eſt; ultima *Fig. 12.* ex muſeo noſtro (*Sangermanenſi*) prodiit.

Tab. LXXII. §. 6. En *Tab. LXXII. Fig. 1.* Iſidem ſpecie plane portentoſa a *Begero* publicatam, qualis nimirum in *Muſeo Brandenburgico* uiſitur. Haec enim cornibus et auribus bouis inſtructa eſt, quae tamen non capiti illius, ſed operimento potius inhaerent; nam in capite utrinque aures humanae ſuo loco conſpiciuntur. Pileus ille cornutus haud inepte referri poteſt ad galeam,




1. 2. Isis, nobilissima Ægyptiorum Dea. 3. Eiusdem Isidis Protome. 4. Isis Orum, filium suum lactans. 5. Isis alia. 6–12. Varia Isidis eadem fere cum Mumiis forma repræsentatæ Schemata.



1. Protome Isidis, forma plane singulari. 2. Isis Orum puerum intra genua tenens. 3. Isis elegantiori Romanorum habitu repræsentata. 4. Eadem non minori elegantia. 5. 6. Eiusdem Isidis protomæ duæ. 7. Isis loti flori insidens.

5.




1.



Sponius.

6.



2.



Admiranda Rom. Antiq.

3.



Kirker.

4.



Kirker.

1. Anaglyphum Isidis mysteria repræsentans. 2. Anaglyphum aliud pompam Isiacam referens. 3 et 4. Alia eiusdem Isidis pompa. 5 et 6. Duo sistra.

galeam, ex capite bouis adornatam, quam Mercurius, teste *Plutarcho*, Isidis capiti imposuisse dicitur: iam supra, cornua maiora in capite Isidis, aliquoties uidimus, sed tam accurate depicta nondum. Circum caput huius Isidis corona etiam radiata cernitur, aliaque ornamenta minora, quae facilius oculis dignoscuntur, quam uerbis exprimuntur. Isis sequens contracta demissaque *Fig. 2.* ex Museo D. *Foucault* est; inter crura Orum puerum tenet, qui fasciis colligatus basi insistit, ad quam gradibus plurimis adscenditur.

§. 7. Quas adhuc Isidis imagines dedimus, pleraeque Aegyptiaco more elaboratae, parum artificii prae se ferunt. Graeci uero atque Romani, qui Aegyptiaca numina tandem etiam adoptarunt, elegantiorem illis formam indiderunt. His quippe numinibus Romae aditus diu interclusus fuit; et quamuis aliquoties cultus illorum in hanc urbem inferri coeperit, tamen Dii Aegyptiaci urbe rursus expulsi, templa etiam illorum diruta et solo aequata fuere 6); donec tandem sedem suam ita figerent, ut loca publica multa Isidis et Serapidis nominibus insignirentur, illorumque cultus deorum nulli concederet. Nescio, an portentosa Numinum figura in causa fuerit, cur illa Romani ab urbe prohibuerint; hoc certum est, quod numina haec Aegyptiaca in Graecia graeca, Romae uero Romana uestimenta induerint. En eiusmodi Isidem *Fig. 3.* elegantiori apud Romanos cultu adornatam; magno illa solio insidet, et ad utrumque latus aquilam habet, sculpturae elegantia pulcherrimis Romanorum statuis nihil concedens. Capitis ornatus cum ceteris Isidis ornamentis nihil commune habet, ita, ut, nisi inscriptio Isidem proderet uix pro Iside a quoquam agnoscenda fuerit. Non minus elegans est Isis sequens *Fig. 4.* ab Aegyptiaca forma prorsus discedens, a peritissima artificis manu. Velata est, et florem capite gestat; tunica illius talaris est, quam uestis alia, ad genua usque defluens, tegit, utrique adhuc palla superimposita uidetur, cuius magna pars ad tergum reiicitur; uix autem alibi Isis tot uestimentis induta comparet: manu altera sistrum tenet, altera uas quoddam, praefericuli formam referens, id quod ad Nili forte aquas respicit, quae Aegyptiis uitam praestare credebantur. Quae *Fig. 5.* exhibetur Isis, a *Cauceo* ex gemma descripta est, nec tantum capitis ornatu, sed etiam sistro dignoscitur: in sequenti *Fig. 6.* idem *Cauceus*, uelum stellis distinctum Isidem innuere credit. *Fig. 7.* Isis Perseae arboris florem capite gestans loti flori insidet, et toto corpore fasciis districta est, manuque flagellum tenet. Isides huiusmodi in gemmis *Abraxeis*, ut uocant, non infrequenter occurrunt.

§. 8. Duo praeterea anaglypha hic sunt explicanda, quorum alterum a *Sponio* in *miscellaneis* proditum est, alterum libro, cui titulus *Admiranda romanarum Antiquitatum*; utrumque Isidis mysteria repraesentat. In primo *Tab. LXXIII. Fig. 1.* tres mulieres conspiciuntur, pro Isidis sacerdotibus habendae. Prior duo uasa tenet, quorum utrique impositus est *Harpocrates*, Isidis filius; de quo paullo post plura. Secunda uas aliud cum eodem Harpocrate gestat. Tertia similiter uas habet, cui *Apis*, Isidis alumnus, impositus est; quod, iudice *Fabreto*, forte significet, Isidem ipsam esse naturam, omnium animalium nutricem. Sacerdotes autem Aegyptii et sacerdotissae Deos suos in pompis gestabant. Iidem caput radebant; sacerdotes uero mulieres id ipsum non fecisse, ex anaglypho sequente *Fig. 2.* constat, quod pompam Isiacam refert, ibi sacerdotes abraso capite apparent, sacerdotissae non item. Prioris mulieris figura omnes Isidis notas prae se fert, unde fortasse colligatur, sacerdotes mulieres in cerimoniis Isidis formam mutuatas esse. Capite gestat aut florem loti, aut aliud quoddam ornamentum ex iis, quae supra Isidi adiecta uidimus; brachium sinistrum serpente circumuolutum est; dextra uas ansatum tenet. Imago secunda est sacerdotis uel ministri ad zonam usque nudi, qui abraso capite petasum alasque Mercurii gestat, uel fortasse pileum cum accipitris alis; manibus uolumen tenet, in quo forte Isidis mysteria descripta fuerint. Tertia imago uiri est, qui huius cerimoniae princeps et sacerdos praecipuus esse uidetur. Hic quoque capite est abraso, et magno uelo tegitur, quod in brachia et ad dimidias tibias defluit; brachia tenent amphoram, aqua repletam. Similes amphorae gestabantur in pompis *Osiridis*, ut tradit *Plutarchus*; quibus significabatur, aquas Nili fertilitatem dare regioni: calcei et tibialia huius sacerdotis ex foliis Aegyptiacae papyri texta uidentur; nam, *Apuleio* teste, soleae et calcei ex foliis illius plantae concinnabantur. Quarta eaque ultima imago aeque ac prima ipsam Isidem refert 7); longo enim, ut illa, capilli-

Tab. LXXIII.

6) Vid. *Hauercampius* ad *Tertulliani* apologeticum, cap. VI.

7) Quod parum est uerosimile. Poterant sistra et symbola alia gerere in sollemnitatibus; nec tamen ideo Isidis aliquot, cum una fuerit, repraesentabant.

pillitio cincinnisque ornatur; manu dextra ſiſtrum, Iſidis ſymbolum tenet, ſiniſtra ſimpulum, quo in ſacrificiis utebantur. Ceterum obſeruandum eſt, ſtatuas has omnes, excepto ſacerdote ſ. ſacri principe, manibus pedibusque eſſe nudas, ſacerdos autem uultum tantum oſtendit, ipſamque manum uelo obtegit, quo undique circumdatur.

§. 9. Iſidis huius pompa etiam exhibetur in marmore uillae Mediceae, Romae, quod publicauit *Kircherus* in Oedipo p. 24. Marmor illud duas exhibet facies, in utraque tres figurae comparent. Prima *Fig. 3.* eſt mulieris tympanum pulſantis; ſecunda altera manu ſiſtrum tenet, altera palmam; tertia baculum habet, in cuius extremo uas amplum, cui bos aut Apis impoſitus. Altera facies *Fig.* 4. primo mulierem exhibet, duos culullos tenentem, quorum alteri Deus quidam Aegyptiacus flagello inſtructus inſidet, alteri auis, quae pro ibide forte habenda. Secundae figurae culullo aliud Dei Aegyptiaci ſimulacrum inſidet. Tertia figura pulſat inſtrumentum triangulare muſicum uiginti chordarum.

§. 10. Quum *ſiſtri*, quod familiare admodum Iſidis ſymbolum eſt, iam ſaepius mentio facta ſit, pleniorem eiusdem deſcriptionem hic ſubiungimus. Inſtrumentum illud oblongum eſt cum capulo, cuius medium uacuum, ita, ut pars ſuperior latior ſit inferiore, et plerumque in dimidium circulum deſinat. Media illa pars uacua transuerſis ſiue aeneis, ſiue ferreis uirgis inſtruitur, modo ternis, ut *Fig. 5.* modo quaternis, ut *Fig. 6.* In cacumine huius ſiſtri ſaepius forma felis, uel ſphingis, uel loti, uel globi, uel aliud quid ſimile conſpicitur. Vſus huius ſiſtri in myſteriis Iſidis idem erat, ac cymbali in myſteriis Cybeles, ut in templis ac pompis ſtrepitus ederetur crumatum ſtrepitui ſimilis. Ceterum de ſiſtris conferri meretur eruditiſſimus P. *Bacchinus* 8), in ſuo de ſiſtris opuſculo accurate concinnato.

Capvt III.

De Oſiride.

§. 1.

De origine *Oſiridis*, quum iam ſupra Cap. II. §. 1. ſeqq. actum ſit: ſupereſt, ut ſchemata potiora proferamus, quibus ab Aegyptiis in marmoribus aliisque monumentis exhibebatur. Corpore plerumque humano effingitur ad caput usque, quod ipſum ſaepius humanum eſt, nonnumquam uero accipitris caput imponitur. Primum ſchema, quod *Tab. LXXIV. Fig. 1.* ex muſeo noſtro proferimus, faſciis quaſi inuolutum eſt, ut Mumiae, altera manu flagellum, altera lituum tenens; flagellum illi additur, quod pro ſole habebatur, ad excitandos in curſu equos. Sequens Oſiris *Fig. 2.* eſt D. Equitis *Fontaine*, nobilis Angli, qui ornatu capitis ab aliis multum differt. Ingentem ſcilicet globum capite geſtat, bicorni luna nixum. Globus omnium fere Deorum Aegyptiorum capitibus imponi ſolet. Iſte abraſo capite, *Fig. 3.*, ambabus manibus baculum faſcia circumuolutum tenet; forte pro *Oro* quoque ſimulacrum hoc accipi poſſet. Duo ſequentes Oſirides *Fig. 4. et 5.* ex muſeo illuſtriſſimi Dni *Foucault*, ornatu capitis differunt a prioribus: pilei in acumen deſinunt, quorum alter peponis coſtas imitari uidetur; quid prior ille *Fig. 4.* manu teneat, non ſatis liquet. *Fig. 6.* eſt protome ex MScpt. D. *Peireſcii* deſumta, qui codex in Bibliotheca S. Victoris aſſeruatur. Ornatus capitis duobus conſtat cornibus, tribusque pyramidibus, quibus totidem globuli impoſiti ſunt; quod peculiare prorſus eſt, ex aure illius ſiniſtra catena dependet ad humerum uſque defluens; quo myſterio 1), ego quidem ignoro.

Tab. LXXIV.

§. 2. Oſiridem etiam cum capite accipitris effingi iam monuimus; cauſam indicat *Plutarchus* de Iſide; quod ſcilicet haec auis uiuida oculorum acie rapidoque uolatu alias praecellat; id quod Oſiridi, qui ſol eſſe creditur, conuenire putatur. Hinc Sacerdotes Aegyptii, *Aeliano* (L. VII. c. 9. in hiſt. anim.) *teſte*, multos accipitres, ceu Apollini, ſ. ſoli ſacros, alebant, unde et ipſi *Hieracoboſci*, i. e. nutritores accipitrum dicebantur. Oſiris ille *Fig. 7.* ex *Muſeo Brandenburgico*, protome tantum eſt, in cuius anteriore parte caput accipitris obſeruatur; capillitium autem & humeri, hominis ſunt. *Fig. 8.* ſeq. non tantum cum capite accipitris

8) Exſtat uolumine VI. theſauri *Graeuiani*, cum notis *Tollii*; uid. et *Hier. Boſſii Iſiacus*, ſeu de *ſiſtro*, uolumine II. theſauri *Sallengriani*.

1) Forſitan ornatus iſte ingenio artificis tribuendus ſit; quod ſaepe accidit.



1–5. Osiridis, Isidis fratris simul et conjugis schemata quinque. 6. Protome Osiridis. 7. Protome ejusdem cum capite accipitris. 8. Idem Osiris sub forma integri accipitris. 9. 10. Idem cum capite accipitris. 11. Isis et Osiris, eorumque filius Orus. 12. Osiris vel Orus. 13. Osiris.

cipitris sed sub forma integri accipitris effingitur, qualis in obeliscis et aliis Aegypti monumentis saepe uisitur. Aliud Aegyptiacum schema *Fig. 9.* damus, quod in corpore humano caput auis habet, cuius abruptum rostrum est; uerisimile autem est, caput Ibidis fuisse, quam auem gens superstitiosissima diuinis honoribus prosequebatur. Ornatus capitis aliorum Aegyptiacorum numinum morem refert; in anteriore enim facie solis imago cernitur; nouum argumentum, Osiridem eundem Aegyptiis fuisse cum sole. Romana quoque schemata eundem cum accipitris capite exprimunt, quale illud est *Fig. 10.* et elegantiori quidem figura, sinistra crucem 2) gestat.

§. 3. Aliquoties uidimus puerum Orum in matris sinu gremioque. Hic *Fig. 11.* Isidem, Osiridem atque Orum simul reperimus in schemate ex MSct. *Peirescii.* Orus inter Isidem et Osiridem positus, tunica induitur; caput Osiridis excidit; Isis, quae illi manum porrigit, ueste amicitur admodum singulari, quae ex pinnis concinnata uidetur. Vtrum autem altera figura *Fig. 12.* ex museo Cl. *Rigordi* Osiridem, an potius Orum referat, haud ita facile est arbitratu; hic autem locatur, quod grandem amphoram capite gestat, qua aquarum copia, et Nilus praecipue, denotatur. Cum hoc Osiride ille, quem *Fig. 13.* exhibemus, in multis conuenit. In isto amphora est conspicua, et sola; hic uero canistrum uidemus, cui amphorae quaedam species imposita est. De illo non satis constat, utrum Osiris an Orus sit; hic uero duo canes ad utrumque basis latus positi, Osiridem esse, omnino suadent. Hi autem canes (*Aeliano* teste L. X. c. 45. Hist. Anim. et *Plutarcho*) Isidem in Osiride quaerendo adiuuabant, et occurrentes feras abigebant. Conspirat et *Diodorus Siculus*, qui Anubin, Deum canino capite, Isidis et Osiridis custodem esse, tradit, hincque canes per Aegyptum magno in honore fuisse habitos.

§. 4. Aegyptii, ut narrat idem *Diodorus* L. I. Typhonem, Osiridis fratrem perhibebant: Hic in Aegypto regnarat cum iustitia et ex legum aequitate. Typhon, homo uiolentus atque impius, fratrem occidit, eiusque corpus in partes uiginti tres dissecuit, quas complicibus dedit, ut hoc quasi uinculo colligati et eiusdem criminis rei, ad ipsius imperium tuendum ac defendendum adstringerentur. Verum Isis, Osiridis et soror et coniux, ipsorumque filius Orus, Osiridis mortem ulti sunt, Typhone cum sociis illius trucidato. Isis porro singulis Osiridis partibus sedulo collectis, praeter uirile membrum, ex cera atque aromatibus statuam concinnari curauit, eadem qua Osiridis statura, sacerdotesque, quibus illam commisit, iurare compulit, nemini unquam indicaturos, quo loco statuam Osiridis posuissent.

Capvt IV.

De Serapide.

§. 1.

Serapis, qui saepius etiam *Sarapis* uocatur, celebre erat Aegyptiorum numen: unde in inscriptionibus bene multis etiam *magnus Deus* dicitur. Saepe pro Ioue et Sole, quin etiam pro *Plutone* nonnumquam sumitur. Quum itaque maximus Aegyptiorum Deus esset: primus quoque locandus a nobis fuisset, et cum Iside in principio huius libri ponendus. At praeterquam quod eruditissimi quique putant, Serapin eundem esse atque Osirin, fratrem et coniugem Isidis: multi existimant, cultum Serapidis Ptolemaeorum demum tempore in Aegyptum inductum fuisse. *Clemens Alexandrinus* protrept. p. 42. multorum opinionem recenset, cultusque initium ad Ptolemaeorum tempora 1) refert; quod non modo forma exterior, sed et nomen istius numinis ante tempus illud in Aegypto ignorabatur. Verum quidem est, Serapin pro Osiride postea habitum esse: at utriusque semper tam dissimilis forma fuit, quam diuersum nomen. Inde uero arguitur, Serapidem in Aegypto notum non fuisse, antequam ea in Graecorum ditionem peruenerit; quod *Herodotus*, qui L. II. religionem Aegyptiorum pluribus recenset, et uariis in locis Deos illorum plerosque memorat, Isidem sc., Osiridem, Orum, Menden et alios, de Serapide, qui tamen Deorum Aegyptiorum maximus

2) Vnde qui id operae pretium putant, crucis imagini honorem quemdam quaesitum inter Aegyptios iuerunt.

1) Confer. S. V. *Baumgarten* ad tom. I. histor. uniuersae. nota (304.) et, qui antiquitatem similiter pluribus defendit, *Iablonskii* lib. II. c. 5. de *Serapide, siue sole inferno.*

mus poſtea cenſebatur, nusquam mentionem faciat. Aliud argumentum deſumimus ex tabulis antiquioribus Aegyptiacis, quae primam puramque Aegyptiorum religionem exhibent; ut ſunt *menſa Iſiaca*, ubi Serapidis forma nusquam deprehenditur; quum tamen menſa haec totam Aegyptiorum Theologiam complectatur, et magna minoraque numina in ea compareant, Serapis uero nusquam. Sed haec cum Patrum nonnullorum ſententia parum conſpirant. Hi enim putant, Ioſephum, Iacobi filium, ob beneficium olim praeſtitum, in Aegypto inter Deos fuiſſe relatum, et Serapidem uocatum. Verum pro meris haec agnoſcimus coniecturis, a quibus, uti a multis aliis, diſſentire cum ratione, et licet et decet.

§. 2. Circa etymologiam 2) Serapidis non morabimur; quam uarii uarie tradunt: uid. *Plutarchum*, *Suidam*; et *Auguſtinum* de Ciu. Dei L. XVIII. c. 5. pergimus potius ad imagines illius; quas inter nulla fere pulchrior ea, quam *Tab. LXXV. Fig. 1.* ex Muſeo Dn. Abbatis *Fauelii.* Sedens hic Deus ſiniſtram manum erigit, qua fortaſſe tenuit aliquid, quod temporis iniuria excidit. Capite calathum geſtat, quod familiare eſt illius ſymbolum; notatur eo rerum copia, quam Serapis, qui pro Sole habetur, mortalibus omnibus ſuppeditat. Barbatus repraeſentatur, et, excepto calatho, eadem cum Ioue forma conſpicitur; et in inſcriptionibus haud raro pro Ioue accipitur. Quae *Fig. 2.* ſequitur Protome, e ſolo calatho, Serapis eſſe deprehenditur. *Figura 3.* Plutoni ſimillimus eſt, ubi haſtam tenet, Cerberumque canem ad pedes habet; praeterea ſiniſtram erigit et circum legitur inſcriptio: εἷς Ζεὺς Σάραπις, i. e. unus Iupiter Sarapis.

Tab. LXXV.

§. 3. Iſidis Serapidisque figurae ex gemmis quoque, quae annulis ſignatoriis inſertae fuerunt, habentur; quoniam, *Plinio* teſte, mos erat, ut Harpocratis, ceterorumque Deorum Aegyptiorum imagines in digitis geſtarentur. Primum huiusmodi ſchema *Fig. 4.* Serapidem ſolito cultu monſtrat. Aliae gemmae Iſidem cum Serapide ſimul exhibent, ut *Fig. 5.* unde probamus, Serapidem in Aegypto pro Oſiride Iſidis fratre et coniuge fuiſſe receptum. Iſis hic florem, Serapis calathum in capite habet. *Fig. 6.* tradimus imaginem plane ſingularem. Non uidetur a manu Aegyptiaca profecta, etſi primo intuitu inſolitam illam et peculiarem Aegyptiis formam prae ſe ferat. Caput radiis fulgens calathum geſtat. Coma et barba tales ſunt, quales in Iouis imaginibus ſaepius obſeruauimus. Corpus a capite ad pedes usque amictum ſerpente complicatur, cuius caput ſupra pedes conſpicitur; corpus uero ſerpentis corpus hominis aſcendendo ſtringit, ac gyris multis circumdat, qui ad humeros terminantur; Serapis ſiniſtra caudam illius tenet; quae manus ſola libera uidetur; dextra quippe ſub extremo ſerpentis gyro, et ſub ueſte, tegitur; quin brachium totum ueſte tectum conſpicitur, excepto ſolo cubitu, quem nudum uidemus, quod non ſine arcana quadam ratione factum fuiſſe uideatur. Serpentis uero gyri et flexus ſinuoſi, quatuor ſpatia relinquunt, in quibus duodecim zodiaci ſigna comparent. Eſt autem imago haec nil aliud, niſi *magnus* ille *Iupiter Sol Serapis*, in Graecis atque Latinis inſcriptionibus adeo celebratus. Serpens certe ille, qui multis flexibus corpus eius circumplicat, Solis per zodiaci ſigna curſum innuere poſſit. Crederem porro, corpus illud Serapidis, qui a ſerpente hoc circumdatur, mundum ſiue terram ſignificare, quam radii Solis foecundant. Forſitan et adhuc alia ſub his figuris lateant, quae aliis indaganda relinquamus. Serapis etiam pro Aeſculapio habebatur, teſte *Tacito* in fine Lib. IV. hiſtor. *Deum ipſum, multi Aeſculapium, quod medeatur aegris corporibus; quidam Oſirim, antiquiſſimum illis gentibus numen; plerique Iouem, ut rerum omnium potentem; plurimi Ditem patrem, inſignibus, quae in ipſo manifeſta, aut per ambages, coniectant.* Certe Serapis ualetudinis et ſanitatis inter Deos habebatur. A multis idem cum Aeſculapio creditus; aliis, (in iis *Cicero* de Diu. L. II.) Deus ualetudinis quidem, ab Aeſculapio tamen diſtinguitur. Id indubium, a multis Serapin in morbis implorari ſolitum.

§. 4. Vtrum Iſis illa *Fig. 7.* quae Romae uiſitur, et a ſerpente circumdatur, ad Serapidem praecedentem, tanquam coniugem, referenda ſit, non ſatis liquet; uero tamen admodum ſimile eſt; ideoque hoc loco ponendam duximus. Nihil autem non inſolitum habet haec imago. Torquem collo geſtat, quaſi ex unionibus concinnatum. Strophium illud magnum a collo humeros ornans, ſimile eſt iis, quae non ita pridem in uſu erant. Veſte quadam aperta induitur; cetera uno conſpectu percipias. Serpens illam circumdat, at uno tantum ambitu, multis poſtea gyris ad pectus illius aſcendens; nec dubium eſt, ad religionis partem quandam reſpici.

CAPVT

2) Optime in eam inquirit *Iablonskius* ex lingua coptica.



1. Serapis. 2. Protome huius Serapidis. 3. Idem Serapis cum Cerbero. 4. Eiusdem Serapidis protome. 5. Isis cum Serapide. 6. Magnus Iupiter Sol Serapidis. 7. Isis.



1. Karpocrates, Osiridis filius et silentii Deus. 2. 3. 4. Idem numen. 5. Idem eleganti pateræ insidens. 6. Deus Felis sive Ailurus sub forma felis naturalis. 7–11. Eiusdem numinis, sexus utriusque schemata varia.

Capvt V.

De Harpocrate.

§. 1.

Osiridis et Isidis filius erat *Harpocrates* 1), qui forte idem cum Oro isto, cuius supra mentionem fecimus. De ortu illius portentosa multa narrabant Aegyptii, ut, quae ad uitam et res eius gestas pertinent, uix in ordinem aliquem reduci possint. Ceterum itidem pro Sole 2) habebatur, ut pater illius Osiris. Peculiare illius symbolum et nota, qua ab aliis Diis distinguitur, est, quod digitum ori admoueat; quo Deus 3) silentii indicatur. Quum autem in templis, in quibus Isis et Serapis colebantur, aliud simul esset simulacrum, quod digitum ori admouebat, ut silentium commendaret; non dubitandum, quin hoc ipso significatum fuerit, Deos silentio et uerecundia honorandos esse; aut, ut *Plutarchus* ait, non decere, ut homines, qui Deos tam parum cognoscerent, de iis temere loquerentur.

§. 2. In Museis fere omnibus Harpocratis schemata occurrunt: quae omnia in eo quidem conueniunt, quod digitum ori admotum teneant; in aliis uero aliquantum discrepant. Primus Harpocrates *Tab. LXXVI. Fig. 1.* capitis ornatum habet singularem, cornuque reflexum ad dextrum usque humerum; ceterum basi insidet hieroglyphis ornatae. Secundus *Fig. 2.* sellae insidet, cuius basis itidem hieroglyphis est referta. Qui *Figura 3.* sistitur, alatus est, et sinistra cornu copiae gestat. Alae uulgo Soli tribuuntur, ad indicandam uelocitatem eius in mouendo; cornu copiae significatur, fructuum copiam ab eodem sole subministrari, uitamque omnibus animantibus. Serpens baculo circumdatus longe frequentissimum est in schematibus Aegyptiacis. Dextro eiusdem pedi canis, sinistro noctua 4) assidet; quo forte innuitur, ipsum Harpocratem, utpote solem, animalibus cuiusuis speciei, quadrupedibus scilicet aeque atque auibus, uitam atque incrementum dare. Vel, si mauis, noctua Mineruae symbolum est, serpens Aesculapii, cornu copiae Fortunae, pellis transuersa Bacchi; si quidem, unius numinis symbola cum aliis quoque communicari, iam supra aliquoties uidimus. Intra pedes sequentis Harpocratis *Fig. 4.* testudo comparet, quae alias Mercurio iungi solet. Hic locum forte ideo inuenit, quod Mercurius a nonnullis uel pro patre Isidis habetur, uel saltem Isidi a consiliis erat. Sinistro illius pedi assidens noctua calathum capite gestat, ut Serapis, eademque auis brachio illius dextro insistit, nisi forte alterutra ex his auibus pro accipitre habenda. Praeterea Harpocrates etiam hic praecedentis symbola habet, canem, serpentem, cornu copiae, et praeter haec lunam bicornem in capite, quod radios emittit. Harpocrates ultimus *Fig. 5.* nihil non uulgare habet, neque hic locum habuisset, nisi magna illa, cui insidet, basis, undique figuris ornata, crateri ipsa inuerso similis, commendabilis esset.

Tab. LXXVI.

Capvt VI.

De Fele siue Aeluro.

§. 1.

Aegyptii, (tradit *Herodotus* II, 66.) sacra habent animalia, quae in regione sua nascuntur, quorum numerus non adeo magnus est; etiamsi Aegyptus Libyae, omnis generis animalium feracissimae, sit contermina. Inter alia *Felis*, quae graece αἴλουρος uocatur, tanto honore afficiebatur, ut caedem illius seuerissime punirent; et, si quis, siue per imprudentiam,

siue

1) De *Harpocrate*, siue sole in solstitio hiberno, renouato, multis agit idem *Iablonskius*, lib. II. c. 6. et *Gisbertus Cuperus*, in libro, *Harpocrates* siue explicatio imagunculae argenteae antiquissimae sub Harpocratis figura, ex Aegyptiorum instituto solem repraesentantis. 1687. a quo laudatissimus *Iablonskius* in eo discedit, quod *Cuperus* quotidianum solis exortum subintelligi uoluit.

2) Sed pro renouato, aut oriente in solstitio hiberno; ut docet *Iablonskius*.

3) Graeci Deum silentii interpretati sunt, sed *Iablonskius* refert eo, quod Harpocrates debilis et nondum perfectus natus dicebatur; uitium adeo natiuitatis fuit, digitus ori adnatus. Vid. eum pag. 263. 64.

4) Nisi noctuam quis malit eo interpretari, quod *Plutarchus* tradit, Harpocratem ὑπὸ σκότῳ, in tenebris, natum fuisse.

ſiue de induſtria, felem forte occidiſſet, perinde reus habebatur, immaniſſimoque ſupplicio hoc crimen luebat. Teſte eodem *Herodoto*, Aegyptii, ſuborto incendio, feles motu quodam diuino exagitari credunt; quam ob cauſam illas hoc tempore diligentiſſime cuſtodiunt, quidque agant, ſolerti cura explorantes, incendium ipſum negligunt. Hanc uero cuſtodiam feles nonnumquam ſuperare dicit, dum cuſtodes ipſos tranſiliendo in ignem ſeſe coniiciunt; quod ſi fiat, Aegyptii de illarum morte luctum magnum prae ſe ferunt. Item, ſi felis in cuiusquam aedibus naturali morte obierit; incolae illius domus omnes et ſinguli ſupercilia ebradebant; cadauer ipſum, aromatibus conditum, Bubaſtin deferebatur, ibi in domo ſacra ſepeliendum.

§. 2. Felis, ſeu Deus Aelurus, modo ſub forma felis naturali, modo corpore humano, cum capite felis, depingi ſolebat. In tabula noſtra LXXVI. utroque modo conſpicitur. Schema primum *Fig. 6.* totam felis formam habet, et collare geſtat, cuius anteriori uel mediae parti tabella quaedam, characteribus nonnullis hieroglyphicis notata, inhaeret; qui characteres a ſacerdotibus tantum, et ab iis, qui myſteriis Aegyptiorum initiati fuerunt, legi et intelligi poterant. Qui *Fig. 7.* ſequitur Aelurus, ex Muſeo Dni. *Grauier*, Maſſilienſis, corpus humanum cum capite felis repraeſentat; dextra ſiſtrum tenet, quod nullae uirgae diuidunt; niſi forte temporis iniuria exciderunt. Siniſtro brachio ſitulam anſatam geſtat, manu uero caput numinis cuiusdam Aegyptiaci diſcum geſtantis, qui diſcus in aliis quoque numinibus Aegyptiorum ſaepius conſpicitur.

§. 3. Aelurus ſequens *Fig. 8.* altitudine decem pollices aequat. Vultus formam felis ſimul, et hominis quidpiam, habet; auriculae ſcilicet felis ſunt, corpus humanum eſt. Caput uaſe grandi, in huiusmodi ſchematibus admodum frequenti, oneratum eſt, eique globus impoſitus. In medio circulus conſpicitur, arcani quidpiam complectens. Caput ipſum radios undique ſpargit; uidentur enim radii eſſe; ſaltem omnes hi Dii ad ſolem referuntur. A radiis his ad pectus usque machina quaedam plane ſingularis procedit, quae itidem arcani quid ſubindicare uidetur. Dextra pennam, aut aliud quid parum abſimile tenet; quod ſiniſtra tenuit, excidiſſe uidetur. Brachia ea parte, qua humeris iunguntur, armillis circumdantur; perizoma, quo cinctus eſt, in hiſce ſignis Aegyptiacis frequentiſſimum eſt; Baſis characteribus hieroglyphicis notata eſt. Felis, *Fig. 9.* inſolens admodum ſpectaculum praebet; caput ſolum felem refert, reliquum uero corpus mulierem exhibet; ἐπωμίδα ſ. ſuperhumerale geſtat; ſecundum quod mammae muliebres uiſuntur; tunica indutus eſt, multis lineis atque figuris diſtincta, quae ad malleolos usque defluit; ad pectus uiri caput tenet ſub cuius mento ſemicirculus conſpicitur, uariis itidem lineis diſtinctus; brachio ſiniſtro ſitulam ſuſtentat, qualem in manibus Deorum Aegyptiorum ſaepe uidemus. *Fig. 10.* ſequitur Felis cultu item ſingulari. Feminam mammae indicant, quarum dextra capite leonis tecta eſt; capiti leonis diſcus impoſitus eſt: hinc ſocietas inter duas urbes arguitur, quarum altera leonem forte, altera felem, peculiari cultu proſequebatur. Felis crocotam quaſi geſtat, ſuperne ampliorem, quam infra, lineolis uariis ornatam. Tandem aliud *Fig. 11.* adhuc ſchema ſubiungimus, ex uinea *Burgheſia* Romae productum et notatu admodum dignum. Mulier eſt felis capite; capiti diſcus imminet; ſtatua ſedet, manuque tenet annulum grandem, cui figura T *) uel crux inhaeret, quam crucem in manibus idolorum huius gentis ſaepe uidemus.

CAPVT VII.

De Apide, tauro, Aegyptiorum Deo.

§. 1.

Alius apud Aegyptios celebris Deus erat taurus, *Apis* 1) nomine, quem quidam pro ſigno illo coeleſti habent. Non autem merum ille erat ſimulacrum, ſed uerus taurus, quem Sacerdotes Aegyptii certis quibusdam notis dignoſcebant, quemque, ne diuinitatis nihil haberet, ex uacca, quae a fulmine conceperit, natum perhibebant; cuius rei teſtis eſt *Aelianus*

*) Quae etiam in lingua coptica locum, et uim litterae graecae habet.

1) De *Apide* uid. *Iablonskius* partem II. lib. IV. c. 2. de Apide, tauro memphitico ſacro, incrementi Nili ſymbolo.



1. Apis sive taurus. Deus Ægyptiorum. 2. Anubis. 3, 4. Idem numen. 5. Cynocephalus. 6. Cercopithecus. 7, 8, 9. Sphinges. 10. Ichnevmon, infensissimus crocodili hostis. 11. et 12. Lupi duo ab Aegyptiis divino honore culti. 13. Hippotamus. 14. Ibis ales.

nus in hiſt. var. L. XI. c. 10. 2) De notis illius Scriptores non conueniunt. *Herodotus* in Thalia c. 8. nigrum fuiſſe dicit, qui in fronte formam quadrati albam, a tergo aquilae, et in lingua ſcarabaei figuram, in cauda uero pilos duplices habuerit. *Strabo* atque *Lucianus* uariis illum coloribus diſtinctum fuiſſe tradunt. *Plinius* VIII. 44. in latere Apidis dextro notam albam poſuit ſimilem cornibus lunae creſcentis et ſub lingua nodum, qui cantharus appellabatur ſ. Scarabaeus; Alii Luna bicorni inſignitum fuiſſe tradunt.

§. 2. Cauſſam cultus iſtius ſecundum Aegyptios hanc legimus, quod anima Oſiridis in hoc tauro commorata et ad ſucceſſores eius fuerit transmiſſa. Sunt etiam, qui Iſidem membra Oſiridis, per Typhonem in fruſta diuiſi, uaccae ligneae, quae tela cooperta fuit, incluſiſſe, indeque Buſiris nomen traxiſſe, perhibent.

§. 3. Poſtquam Sacerdotes taurum notis ſolitis inſtructum repererant, Memphim eum deducebant, *Plinius* VIII. 46. *ubi duo erant delubra*, quae thalamos nuncupabant, *auguria populorum. Alterum intraſſe, laetum eſt*, *pergit* idem Plinius, *in altero dira portendit. Reſponſa priuatis dat, e manu conſulentium cibum capiendo. Germanici manum auerſatus eſt, haud multo poſt extincti. Ceterum ſecretus, cum ſe proripuit in coetus, incedit ſummotu lictorum, grexque puerorum comitatur carmen honori eius canentium. Intelligere uidetur et adorari uelle. Hi greges repente lymphati, futura praecinunt.* Potus ei, *Plutarcho* teſte, aqua ex puteo hauſta offerebatur, a Nili potu arcebatur; non, quod aquae illius ob crocodilos eſſent immundae; ſed quod aqua Nili pinguefaceret, nollentque Apin pinguiorem fieri. Vaccam quoque ſemel illi quouis anno fuiſſe oſtenſam, *Plinius* docet, eandem peculiaribus etiam notis, ſed a maculis tauri diuerſis, inſignitam, eodemque ipſam, quo inueniebatur, die, rurſus fuiſſe extinctam. Memphi locus in Nilo erat, quem ob formae ſimilitudinem *Phialam* uocabant, in eoque ſingulis Apis natalibus, quorum ſeptem numerabant, pateram auream argenteamque mergebant. Iſtos per dies nemo, quod mirum uideatur, a crocodilis attingi credebatur; poſt ſeptimum diem hora diei octaui ſexta belluae iſti feritatem rediiſſe perhibebant.

§. 4. Qui repertum Apim ducebant Sacerdotes, centum numero fuerunt, iique certis eundem myſteriis conſecrabant. Qui conſecrationis munere prae ceteris fungebatur diademate redimitus; diesque ipſe conſecrationis omnium celeberrimus erat. Aulam ſeu delubrum, in quo Deus hic Taurus commorabatur, Regem *Pſammitichum* conſtruxiſſe, et columnarum loco ingentes coloſſos altitudine duodecim cubitorum habuiſſe, traditur. Ceterum non fas erat Apim hunc certos uitae annos excedere; itaque Sacerdotes poſt definitum temporis ſpatium in fonte eum enecarunt 3), et alium iisdem notis inſignitum in eius locum ſubſtituerunt. Donec alium inuenirent (nunquam tamen diu quaerebatur) abraſis capitibus, et in magno luctu erant. Funus huius Apidis ſecundum *Diodorum Siculum* l. 1. magnifice celebrabant; quo peracto, Sacerdotes ad functionem iſtam deſtinati uitulum quaerebant, iisdem inſignitum notis, quibus anteceſſor notatus erat; eoque inuento, lugendi finem faciebant. Iidem Sacerdotes uitulum hunc ducebant in urbem, cui a Nilo nomen erat, ubi per quadraginta dies alebatur. Poſtea in nauigium imponebant cubiculi forma concinnatum deauratumque, et quaſi Deum in lucum Vulcani comitabantur. Per quadraginta hoſce dies mulieribus ipſum adeundi et conſpiciendi licentia fuit, ubi in gaudium effuſae, coram eo ſeſe nudabant; poſtea uero ab eiusdem conſpectu perpetuo arcebantur.

§. 5. Sufficiat breuis Apidis hiſtoria. Forma illius paſſim occurrit; uerum notae illae, quas ſcriptores mira uarietate commemorant, nullibi inueniuntur. Commune illius inſigne eſt, quod diſcum in capite geſtet, quem plerisque Aegyptiorum numinibus perquam familiarem nouimus. Quem nos Tab. LXXVII. Fig 1. proferimus, ille ex muſeo illuſtr. D. *Foucault*, eſt, isque, ut *Lucianus* exprimit, latas toto corpore notas habet. Tab. LXXVII.

§. 6. Praeter Apin, taurum adhuc alii in Aegypto colebantur. *Onuphis* 4) ſc. qui praegrandi ſtatura fuit et colore nigro; *Bacis*, Soli ſacer, qui Hermunthi, Aegypti urbe, colebatur, qui, *Macrobio* teſte, (Saturn. 1. 21.) ſingulis diei horis colorem mutabat, eius pili ſemper erecti erant, praeter ceterorum animalium naturam. *Mneuis*, taurus alius, Soli ſimiliter conſecratus, colore niger et pilis itidem hiſpidis ſiue ſubrectis inſtructus, quem mul-

2) Idem ibi narrat, in Apide conſpici ſymbolum, unde conſtaret, τȣ φωτος ειναι το σκοτος πρεσβυτερον.

3) Id tradit *Ammian. Marcellinus* lib. XXII, c. 14. et *Plinius* lib. VIII, c. 46.

4) De *Onuphi*, tauro ſacro Hermunthite, et de *Mneuide*, tauro Heliopolitano, agit *Iablonski* lib. 4, c. 4. eius autem pantheon integrum perlegendum eſt ei, qui de plurimis aliis numinibus, aut nominibus potius uariis Aegyptiorum religione celebratiſſimis doceri uoluerit.

ti Apidis patrem dixere. Forte tres illi boues unum eundemque ſub diuerſis nominibus indicant. Vaccas quoque paſſim in Aegypto ſacras fuiſſe, *Strabo* teſtatur L. XVII. his uerbis: *qui Momemphi habitant, Venerem adorant, et ſacram uaccam alunt, ſicut Memphi alitur Apis et Heliopoli Mneuis.*

CAPVT VIII.

De Anubi et Cynocephalo.

§. 1.

Quae felem atque taurum in Deorum numerum retulit Aegyptiorum nimis ſedula religio, canem quoque uel potius hominem canino capite praeditum, quem *Anubin* 1) uocabant, inter numina numerauit. Cultus illius latius per orbem peruaſit, quam Apidis, qui Aegypti fines non exceſſiſſe uidetur, quum Anubidis ſacra non Romae tantum, ſed per totum fere imperium Romanum celebrata fuerint.

§. 2. Erat autem ille Aegyptiorum Mercurius, uti, *Plutarcho* teſte, in Iſide et Oſiride *Hermanubis* aliquando uocatur; unde Tab. LXXVII. Fig. 2. caduceum tenet. Origo illius aeque incerta ac ceterorum numinum Aegyptiorum. *Plutarchus* l. c. *Sunt*, inquit, *qui putent iuuenem illum, qui Iſidi mortem Oſiridis nunciauit, eundem eſſe quem Anubidis nomine adorant; filius eſſe Nephthes putatur, quae Typhonis terrore praematurum partum edidit: ille autem puer apud Deos eodem functus eſt officio, quo canes apud homines. Diodorus Siculus* quoque ſatellitem et σωματοφύλακα Iſidis et Oſiridis uocat. *Tertullianus* et *Auguſtinus Cynocephalum* eundem appellant, quod nomen Anubidi recte conuenit, quod capite canino effingitur. *Apuleius* Anubin coeleſtium et inferorum Deorum interpretem uocat; quam functionem *Virgilius* quoque, eiusque Commentator *Seruius* Aeneid. l. VIII. v. 698. eidem tribuit.

§. 3. Quem *Fig.* 2. proferimus Anubin, caput habet caninum et ſiniſtra caduceum, dextra uero inſtrumentum aliquod rotundum ad inſtar globi tenet. In dextro latere palma, in ſiniſtro lauri ramus conſpicitur. Ipſe Anubis pallio indutus eſt, quo tamen nuditas illius minime tegitur, uti calceis quoque ſingularibus utitur; ſiniſtro pede crocodilum premit. Inſcriptio Θεοὶ ἀδελφοὶ, i. e. *Dii Fratres*, facile explicatur, quod Anubis Serapidis caput cum cornibus Iouis Hammonis a dextris, Apidis uero tauri caput a ſiniſtris habet. Vtrumque hoc caput calathum gerit. En itaque tres Deos fratres, tria magna Aegyptiorum numina; Serapin, qui idem eſt ac Oſiris, Apin et Anubin. Altera inſcriptio inferius poſita Θεοὺς συνθρόνους ἐν Αἰγύπτῳ 2) illos dicit, i. e. eiusdem throni in Aegypto participes; ſtatuam hanc ſculpi curauit Iſias Summus Sacerdos. In ima imaginis huius parte prope caput crocodili, ſunt praefericulum et patera, et paulo altius puluinar faſciis conſtrictum, quod in Deorum uetuſtis imaginibus ſaepe conſpicitur. Alter Anubis *Fig.* 3. baſi inſiſtens ex muſeo S. *Genouefae* deſumtus eſt; tunica indutus et pallio, uolumen manu tenens. Alius *Fig.* 4. ex lapide muſei noſtri, admodum ſingularis eſt; thorace Romano more indutus arcum tenſum tenet cum ſagitta in modum iaculaturi. Sagittae cum arcu illi tribuuntur, quod omnes Aegyptiorum Dii pro Sole habentur, aut ad Solem referuntur.

§. 4. *Cynocephalus* ſequens ex marmore nigro *Fig.* 5. ex *muſeo Brandenburgico* prodiit. *Plinius* l. VIII. c. 54. Cynocephalos ad ſimiarum genus refert. Quemadmodum Aegyptii per accipitrem Oſirin, Solemue ſignificabant, ſic Cynocephalo Iſidem ſ. Lunam adumbrabant. Addimus huic *Cercopithecum Fig.* 6. Simiae genus, in religionem Aegyptiorum pariter admiſſum.

CAPVT

1) *Iablonskius*, lib. 5, c. 1. exponit de *Anubide*, quem graeci Mercurium interpretari ſolent.

2) Erant enim alibi etiam θεοὶ σύνθρονοι et σύνεδροι; quos ſupra tetigimus.

Capvt IX.

De Sphingibus et quibusdam aliis animalibus, quae ab Aegyptiis diuino honore affici ſolebant.

§. 1.

Inter cetera animalia 1) quae diuino honore Aegyptii colebant, eminent *Sphinges*, quas multi ad ſimiarum genus referunt. In tabulis Aegyptiacis, aliisque monumentis, immo et in numis graecis, multa eiusmodi monſtra occurrunt. Sphinx Thebana, quae Oedipo oraculum edidit, alata fuit; Aegyptiacae uero non ſemper alis inſtructae ſunt. Sphinx illa, quam *Fig.* 7. ex *Boiſſardo* proferimus, alis caret, ſed longos et intextos capillorum cirros exhibet, et baſis, cui inſidet, multis hieroglyphis eſt notata. Conſtabant Sphinges plerumque ex uirgine et leone. Duae ſequentes *Fig.* 8. *et* 9, ex *muſeo Brandenburgico*, ornatu capitis a praecedente differunt; altera longum mammarum ordinem exhibet. Ceterum Sphinx ſapientiae omnibus hominibus neceſſariae ſymbolum, habetur. In numo quodam conſpicitur Minerua Sphingi inſidens, quae clypeo, haſta et caſſide armatur, ut prudentia in bello neceſſaria ſignificetur. Putauere nonnulli, Sphinges etiam mares haberi, fulti loco *Philemonis* apud Athenaeum: ubi dicit *Sphingem tibi maſculum adduxi*, *non coquum.* At hic non eſt uerus uerborum ſenſus. Philemon coquum cum Sphinge comparat, quia ipſe per aenigmata loquebatur. Imo ex eodem forte efficiatur, Sphingas non niſi feminini generis fuiſſe, ſiquidem ille per iocum de Spinge mare, tanquam de re inſolita, loquitur.

§. 2. *Leoni* etiam in Aegypto honor habitus; eiusque uel integra erat forma, uel corpus humanum; quae formae in monumentis, maxime uero in Abraxeis imaginibus, ſaepius occurrunt. *Crocodilus* etiam Aegyptiis ſacer erat. Thebarum Aegyptiacarum et lacus Moeridis incolae, ipſos cultu proſequebantur. Captum aliquem cicurabant; auribus eius gemmas, aliaque aurea ornamenta et anterioribus pedibus addentes. Alimenti loco certam ipſi carnium portionem, quam ſacram appellarunt, porrigebant; defunctum aromatibus condiebant, et in urna ſacra locabant. Prope lacum Moeridis urbs erat, quae Crocodilorum urbs dicebatur. *Achilles Tatius* l. IV. in fine, dentes crocodili numerum dierum totius anni adaequare, dicit; unde *Pignorius* putat, Aegyptios imaginem Solis in nauicula poſuiſſe, quae a crocodilo ferebatur. Crocodilis etiam ad diuinandum utebantur, ita quidem, ut pro bono omine haberent, quum e manu cuiuspiam cibum caperent, contra uero malum, quum abnuerent; quod ipſum de Apide ſupra monuimus. Coptitae quoque Ombitae et Arſinoitae diuinos crocodilis honores tribuebant; et in his Ombitae ceteris ſuperſtitioſiores, gaudebant, quum filios ſuos a crocodilis abripi cernerent. At Tentyritae et Antinoopolitani, qui pro feris illos et ualde pernicioſis habebant, quoscunque poterant, interficiebant. Inter Ibidem et hoc animal tanta eſſe ἀντιπαθεια dicitur, ut ſi Ibis crocodilum uel ala tetigerit, ſtatim immobilis fuerit effectus.

§. 3. Infenſiſſimus Crocodili hoſtis eſt *Ichneumon*, animal perparuum, quod ſecundum *Aelianum* hiſt. anim. l. 1. c. 25. dum crocodilus ſopitus eſt, in guttur eius inſilit, ipſumque ſtrangulat. Putabatur autem Latonae et Lucinae conſecratus. Heracleopolitae diuinis ipſum honoribus proſequebantur. Quem hic *Fig.* 10. proponimus, ex muſeo *Rigardi* Masſilienſis depromtus eſt. Addimus his animalibus duos lupos *Fig.* 11. *et* 12. quorum prior recubans exhibetur; alter arcana quaedam myſteria prae ſe ferens, in peculiari baſi conſpicitur. In auribus illius ſolito longioribus, neſcio quid ineſſe uidetur. Collare geſtat, et, quod magis ſingulare eſt, inter duos ſerpentes, qui caput erigunt, eumque utrinque comitari uidentur, conſiſtit; alter ex ſerpentibus florem Loti in capite geſtare uidetur. *Hircus* quoque; *Mendes* ab Aegyptiis uocatus, in Deorum numero habitus eſt, iisdemque idem ac Pan fuiſſe creditur.

§. 4. Etſi autem *Herodotus* dicat, Aegyptios animalia et iumenta omnia, quae in Aegypto naſcerentur, diuino honore proſecutos, uel ſaltem Sacra habuiſſe: nusquam tamen inueni, quod equis hunc honorem tribuerint. Libenter itaque credam, ſchema illud *Fig.* 13.

1) De animalibus in honore habitis apud Aegyptios, uid. hiſt. uniuerſam tom. 1. §. 528. ſeqq. et quos ſcriptores excitat nota (318) et (317.)

13. caput et pectus equi cum corpore ſerpentino referens, *hippopotamum* ſeu equum fluuialem repraeſentare, quod monſtrum quoddam erat ad equi formam propius accedens, et ad Nili littora uerſans: Aegyptiorum tamen maxima pars Hippopotamum maxime horrebant; eundem pro Oſiridis interfectore habentes.

§. 5. Ex uolucribus denique Ibidem *Fig.* 14. ſubiungimus. Auis haec erat collo oblongo et roſtro adunco, ciconiae parum abſimilis; crura illius praealta ſunt et rigida; cumque caput et collum ſub alis abſcondebat, *Aeliano* teſte, (L. X. c. 29.), cordis humani figuram retulit. Clyſterium uſum haec auis inueniſſe dicitur, quod remedium hoc ſibi ipſa adhibere deprehenſa ſit: certe colli roſtrique longitudo eidem applicando longe eſt aptiſſima. Ceterum feris illa omnibus, ſerpentibusque, qui aut homini, aut frugibus terrae, pernicioſi eſſent, infeſta erat, praecipue ſerpentibus quibusdam alatis, quos uentus ex Libya in Aegyptum depuliſſe credebatur; quos facile interficiebat. Aegyptii porro teſtantur, hanc auem oua ore parere: illamque non niſi in Aegypto uiuere poſſe, et ſi alio transferatur, cibum reſpuere et inedia tabeſcere.

§. 6. Tandem notandum, quod ſi quodpiam, ex his animalibus, quae Aegyptii coluerunt, mortuum fuerit referente *Diodoro Siculo* l. 1. p. 74. ſindone illud inuoluerint, et mortem illius amaro luctu proſecuti ſint, ipſiusque cadauer ſale, oleo et cedro, aliisque aromatibus bene olentibus, conditum conſeruauerint, inque locis ſubterraneis ſepeliuerint. Si quis dedita opera aliquod ex his animalibus occidiſſet: capitalem ſubiit poenam et aſperius adhuc cum illo agebant, qui felem uel Ibidem occidiſſet. Nam ſiue ſponte ſiue caſu id fecerat plebs ſtatim irruit in illum, et excruciatum interfecit; immo perſaepe nulla iudicii iuſtitiaeque forma; quam ob rem ſi qui animalia iſtiusmodi mortua caſu reperirent, ſtatim aufugiebant, et lacrymantes cum gemitu clamoreque nunciatum ueniebant. Tanta enim eorum erga animalia iſthaec erat ueneratio, ut nulla ratione, nullo metu ab eorum morte ulciſcenda deterreri potuerint. Quo tempore Ptolemaeorum unus populi Romani amicitiam quaerebat, utque illius beneuolentiam ſibi conciliaret, quotquot Romanorum ex Italia in Aegyptum appellabant perhumaniter honorificeque excipiebat, accidit ut aliquis eorum imprudenter felem occideret, ubi nec Regis proceres plebis ſedandae cauſſa eo mittentis reuerentia, nec honor principi debitus, nec Romanorum terror infelicem eripere potuit, quo minus immaniter ab irruente plebe opprimeretur.

CAPVT X.

De Canopis, Scarabaeo aliisque monſtris Aegyptiacis.

§. 1.

Inter celeberrimos Aegyptiorum Deos computatur *Canopus* 1) amphorae ſeu ampli cuiusdam uaſis forma conſtans, impoſito capite uiri mulierisue. Iſidis autem plerumque uel Oſiridis, item Anubidis, Aeluri, accipitris, aliorumque numinum capita imponere ſolebant. De Canopo, ſeu aqua, deo, ſingularem narrationem ex Ruffino H. E. l. 2. c. 26. hic referimus. *Ferunt aliquando Chaldaeos ignem Deum ſuum circumferentes, cum omnium prouinciarum Diis habuiſſe conflictum, quo ſcilicet, qui uiciſſet, unus eſſe Deus ab omnibus crederetur. Reliquarum prouinciarum Dii, aeris, aut auri argentique, aut ligni uel lapidis, uel ex quacunque materia conſtabant, quae per ignem procul dubio corrumperetur, ex quo fiebat, ut ignis locis omnibus obtineret. Haec cum audiſſet Canopi Sacerdos, callidum quiddam excogitauit. Hydriae fieri ſolent in Aegypti partibus fictiles, undique crebris et minutis admodum foraminibus patulae, quibus turbida aqua deſudans defaecatior et purior redditur. Harum ille unam cera foraminibus obturatis, deſuper etiam uariis coloribus pictam aqua repletam ſtatuit, ut Deum; et exciſum ueteris ſimulacri caput deſuper poſitum diligenter aptauit. Adſunt poſthaec Chaldaei; itur in conflictum, circa hydriam ignis accenditur; cera, qua foramina fuerant obturata, reſoluitur; ſudante hydria ignis extinguitur. Sacerdotis fraude Canopus Chaldaeorum uictor oſtenditur; unde ipſum Canopi ſimulacrum pedibus perexiguis, attracto collo et quaſi ſugillato, uentre tumido in modum hydriae cum dorſo aequaliter tereti formatur.*

1) De *Canopo* uerboſius egit Cel. *Iablonski* in Pantheo Aegypt. lib. 5. c. 4. quod Ruffinus narrat, exſtat etiam in *Suida.*

§. 2.

Tab. LXXVIII.



1-4. *Canopus ex quatuor partibus exhibitus.* 5-8. *Quatuor Canopi alii formæ diversæ.* 9. *Lapillus scarabæi formam repræsentans.* 10. 11. *Serapis et Apis in caudam serpentis desinentes.* 12. *Caput leonis radiati similiter in caudam serpentis desinens.* 13. 14. *Manus Symbolicæ vota præ se ferentes.*

§. 2. Aliquot hic Canopos proferimus, primus Tab. LXXVIII. *Fig.* 1. 2. 3. 4. a Cauceo publicatus est, et ex quatuor partibus exhibetur, magnamque Theologiae Aegyptiacae partem complectitur; singulae enim facies plenae sunt numinibus Aegyptiacis, praeferuntque Isidem, Osirin, Anubin, crocodilum, accipitrem, cercopithecum, scarabaeum, aliasque figuras. Alius magnus Canopus *Fig.* 5. binas habet manus, quarum altera folium tenet, plenusque hieroglyphicis characteribus conspicitur. Canopus sequens *Fig.* 6. hydriam formae ouatae habet cum capite muliebri. Qui *Fig.* 7. et 8. sequuntur Canopi, multis characteribus hieroglyphicis sunt onusti; alteri caput canis seu Anubis impositum uidetur. Ceterum nostri consilii non est interpretationibus uariis studere. Tab. LXXVIII.

§. 3. *Scarabaeus* 2) quis credat? diuinis apud Aegyptios honoribus afficiebatur. Infinita hodieque in Aegypto scarabaeorum multitudo occurrit, maxime in Mumiarum campo; suntque fictiles, lapidei, marmorei, in basalte, in corneola, in iaspide. Multi etiam in museis passim inueniuntur. Nonnunquam caput scarabaei ad instar solis radiatum est; ut saepius cum capite Isidis conspicitur. Addimus his *Fig.* 9. lapillum in scarabaei formam redactum, cuius altera facies ad formam scarabaei nonnihil rotunda est, altera uero plana; in hac Hercules conspicitur claua nixus, qui pede premit instrumentum quodpiam ignotum, manumque extendit et gestu suo aliquem compellare uidetur. Vti porro *serpens* apud Aegyptios solis symbolum erat, quem illi in tabulis sacris et aliis monumentis libentissime collocabant: ita et Deos ipsos saepe cum capite suo et corpore caudaque serpentis repraesentarunt: qualis est Serapis ille *Fig.* 10. Apis sequens *Fig.* 11. ex museo nostro est, nec non leo iste radiato capite et serpentino corpore *Fig.* 12.

§. 4. His Schematibus multae aliae imagines admodum monstrosae, quae magno numero in Aegypto cum Mumiis reperiuntur, subiungi possent. Ex his alia caput hominis habent, alia canis, leonis et felis; alia monstris similia; sed illis libenter hoc loco supersedemus, nec fere dubitandum est, quin ea sint numina, quasi auerruncantia, quae Aegyptii cum defunctis sepeliebant, ut malos forte daemonas abigerent et manium parentum et consanguineorum suorum quasi προφυλακτήρια essent. *Athanasius* L. I. contra gentes p. 22. ait, multos Aegyptiorum etiam pisces adorasse; cum autem Aegyptius ille esset, et illa aetate uiueret, quâ profana adhuc religio uigebat, ei haud dubie fides habenda 3) sed iste cultus apud Syros maxime fuisse perhibetur.

§. 5. Dii, quos adhuc memorauimus, Aegyptiis fere proprii erant; praeter hos autem, alios habebant, cum ceteris nationibus communes. Inter Deas hasce *Athanasius* refert Ἶσιν, Κόρην καὶ Νεωτέραν, *Isidem* sc. *Proserpinam* et *Deam iuniorem*. Haec Neotera Dea Cleopatra fuisse exinde probatur, quod non tantum in nummo Cleopatrae per Valentium (Vaillant) publicato in nummis Aegyptiis Ptolemaeorum p. 189. hoc nomine insignitur, sed et *Plutarchus* de Antonio refert, quod apud Aegyptios *iunior* 4) *Bacchus* uocatus fuerit, et quod Cleopatra uestem sacram Isidis ceperit, eaque se induerit; unde noua Isis uocata sit. Non praetereundus est hoc loco *Antinous* 5) effeminatus ille iuuenis, ex quo Hadrianus Imperator numen fecit, sacerdotes ad cultum eius instituit, templaque construxit; urbs etiam in Aegypto fuit nomine illius *Antinoopolis* dicta.

CAPVT XI.

De manibus, aliisque membris ab Aegyptiis ut numina cultis.

§. I.

Athanasio teste contra gentes p. 9. nonnulli Aegyptiorum ipsas corporis humani partes in Deorum numerum retulerunt, easque separatim sumtas, ut caput, humerum, manum, pedem; non satis habentes cultum exercere erga corpus integrum. Qui cum in illis regionibus

2) De Scarabaeo uid. *L. Pignorium* ad mensam Isiac. p. m. 22. et 31. 34. edit. 1608.

3) Non Athanasius unus est, qui id prodit; *Herodotus*, *Strabo*, *Clem. Alex.* aliique id tradunt, quosdam pisces a pluribus, aliquos autem a quibusdam tantum Aegyptiis in ueneratione habitos fuisse; eius generis est, oxyrynchus et lepidotus; huius autem, anguilla, phagrus, Maeotis etc.

4) Vid. *Spanheim.* de usu num. diss. 5. pag. 401. edit. 1671.

5) De *Antinoo* plura passim in eodem *Spanh.* opere occurrunt. Eius religio non in Aegypto tantum, sed inter alias quoque gentes locum habuit.

nibus ipſe uixerit, ubi ineptiſſima religio obtinebat, eo magis illi fides habenda eſt. Crura certe, pedes, oculi, quae in uariis Europae Muſeis habentur, rem non dubiam eſſe ſuadent. De manibus praeſertim illud libentius credas, quod multae earum occurrunt, quae fere ſingulae capitibus Deorum, aliisque ſymbolis Aegyptiacae δεισιδαιμονίας notatae ſunt. Manus uero illae, uota fuerunt, uel potius uotorum ſolutiones. Plurimae namque ſtatuae Deorum, aut ad aliquid impetrandum 1) aut in gratiarum actionem pro collatis beneficiis offerebantur, et ſimiliter erant uota, quae poſtea adorationi publicae exponebantur.

§. 2. Prima, quae hic *Fig.* 13. exhibetur manus, certiſſime ex uoto eſt, pro quodam uiro uel muliere in ima parte imaginis prope anſerem decumbente. In hac manu inter digitos erectos ſpectatur Serapidis protome, cui forte uotum fuit. Reliqua autem ſymbola in ſequente occurrunt *Fig.* 14. quae longe maiorem eorum numerum complectitur, eſtque uotum, ut inſcriptione docetur, CECROPIVS V. C. VOTVM S. i. e. *Cecropius uoti compos uotum ſoluit.* Veroſimiliter putatur eſſe uotum Cecropii pro filio aegro, qui uoti compos hanc offerendo manum, uotum ſoluit. Ingens ſymbolorum numerus Antiquarios non deterruit, quo minus ea explicare, conati fuerint: Manum dextram, ſignificare infantem marem; quod manus dextra uirtutis maſculae ſignum eſt: uotum eſſe Hammoni, per caput arietis ſignificato; Iſidi, per ſtrobilum indicatae, et Aeſculapio, quem ſerpens deſignat. Alius ſerpens ualetudinem recuperandam denotat; tripus ſecundum Suidam praeteritum ſignificat, praeſens et futurum, tempora autem curſu Solis, qui idem cum Hammone, reguntur. Vrna Serapidi ſacra fuit, qui elementi humidi praeſes. In alia manus facie eſt crocodilus, quo forte ſignificatur, Iſidem huius ferae amantem propitiam fore; rana etiam uiolentiore modo explanatur. Libra ſignificat infantem menſe Septembri conualuiſſe. Flagellum, Iſidis ſymbolum, ſignificat fortaſſe, matrem Lupercis flagello caedentibus ſeſe obtuliſſe, ut praegnantibus in more erat; Explicationes alias paulo audaciores, omittimus. 2)

LIBER SECVNDVS.

DE

MENSA ISIACA, DE SACERDOTIBVS AEGYPTIORVM, DEQVE CETERIS AD RELIGIONEM HVIVS POPVLI PERTINENTIBVS.

CAPVT I.

De Menſa Iſiaca.

§. 1.

Inter exquiſitiſſima antiquitatis monumenta refertur celeberrima illa *menſa Iſiaca*, 1) quae non Iſidis tantum, ſed omnium omnino numinum Aegyptiacorum formam atque arcana repraeſentat; unde aptius forte Tabula generalis ſacrorum et ſuperſtitionis Aegyptiorum, uocari mereatur. Ipſa tabula poſt captam Romam anno 1525. a fabro ferrario emta fuit, qui illam *Bembo* (unde et *Bembina* tabula nonnumquam audit,) Cardinali magno pretio uendidit. Poſt huius obitum ad Mantuae Ducem peruenit; ex quo tempore in muſeo Mantuanorum principum inter alia ſpectabilia cimelia, praecipuum uiſebatur usque ad annum 1630. quo Mantua ab Imperatoris exercitu capta eſt. Aenea illa fuit, faciesque illius ſuperior nigro tenacioreque encauſto obducta, admixtis argenteis laminis cum artificio admirabili. Inciſa

1) Alia ſunt amuletorum et praebiorum ſigna, manus pollicem indici ſubiicientes ſpecie; exhibet quasdam *Pignorius* pag. 17. Ceterum non omnes huius generis figurae ad religionem trahi poſſunt, quarum, ut hieroglyphicarum aliarum, uſus et uis ſignificandi quaedam eſſe potuit; ſine coniunctione religioſae opinionis.

2) Incertiſſimum eſt hoc interpretationum genus, cui non ſine multa temporis iactura indulgere licet, niſi uanus augur eſſe uelis.

1) Menſae *Iſiacae* exſtat *Laurent. Pignorii expoſitio* ad Caeſar. *Baronium* Cardinalem, Francofurti typis *Matth. Beckeri* 1608. 4. cum ipſa tabula in aes inciſa.

cisa fuit imago illius in aes per Aeneam Vicum Parmensem, idque quanta fieri potuit accuratione, inde pluries edita fuit. Verum hinc certe non sarcitur damnum ex ea amissa partum. Post captam enim Mantuam, quamuis summa adhibita fuerit diligentia, nunquam tamen reperiri potuit, et uero admodum simile est, militem quendam illam adeptum esse, laminas argenteas euulsisse, et labefactasse totam, ignarum scilicet, se pluris illam integram uenditurum fuisse iustis antiquorum monumentorum arbitris.

§. 2. Arcanam hanc seu mensam seu tabulam explicare multi tentauerunt. Sed felicius, quam ceteri, rem suscepisse et exsecutus esse putatur *Pignorius;* qui tamen ipse meras coniecturas expromit; *Kircherus* uero rem post illum aggressus omnia explanat, nunquam fere dubitat, nec ullum ipsius explicationem aenigma remoratur. 2) Tota tabula symbolica et aenigmatica uidetur. Certe tam diuersorum schematum peculiari ordine positorum congeries arcani aliquid arguit. Verum utrum aliqua hic historia numinum Aegyptiacorum, an aliquod obscurum et inuolutum Systema religionis istius, uel caerimoniae religionis eiusdem uel aliqua praecepta moralia hic repraesententur, satis certo affirmari nequit. Omnium fere Deorum Aegyptiacorum formae in hac tabula conspiciuntur, quas aliorum monumentorum adminiculo facile internoscere licet. Ipsam tabulam hic proferre superuacuum duximus.

CAPVT II.

De Sacerdotibus et Sacrificiis Aegyptiorum. 1)

§. 1.

Aegyptii quidem omnes satis superstitiosi, magis autem Sacerdotes, qui mysteria et religionis sacra tractabant, *Herodoto* in Euterpe c. 37. testante tertio quoque die totum corpus radebant, ne quis pediculus aut aliae sordes corpus inquinarent. Iidem ueste tantummodo linea et calceis byblinis utebantur; aqua frigida quotidie lauabantur, et bis quidem interdiu, et bis noctu; infinitas quoque alias caerimonias obseruabant; quae cultus assiduitas non paucis quoque commodis pensabatur. Singulis quotidie cibi sacri cocti praesto erant, et carnes bubulae anserinaeque abunde suppeditabantur, nec uino carebant. De piscibus gustare nefas illis erat: fabas Aegyptii non nisi raro et paucas serebant; si quae prouenirent, eas non edebant; sacerdotes uero ne respicere quidem illas audebant, hoc legumen immundum arbitrantes. Ceterum Sacerdotes unius Dei plures erant, quorum unus summus autem Pontifex erat; mortuis autem filii substituebantur.

§. 2. Boues mares Epapho sacros esse putabant; hos autem Sacerdotum aliquis explorabat, an digni essent, qui huic numini mactarentur; si enim pilum in aliqua corporis parte nigrum reperisset, nequaquam mundum censebat. Si uero taurus omnino mundus erat, notabatur alligato cornibus byblo, posteaque signabatur terra sigillata, annulo impresso: qui uero taurum hoc signo non notatum immolasset, capitis damnabatur.

§. 3. Sacrificia ritu sequenti peragebantur. Postquam pecudem dicto modo signatam arae admouerant, pyrum incendebant, uinum in uictimae caput effundebant, Deoque inuocato ipsam mactabant; caput amputabant, et reliquum corpus excoriabant. Capiti autem multa imprecati, illud asportabant in forum, graecisque negotiatoribus uendebant, si nundinae essent. Si graeci nulli adessent, in flumen proiiciebant. Exsecrabantur autem caput illud his uerbis: *Si quid infortunii aut sacrificantibus aut Aegypto toti futurum sit, in hoc caput conuertatur.* Atque inde fuit, quod nullus Aegyptiorum caput ullius animantis comederet.

§. 4. Victimarum delectus ustionisque caerimonia, non uno modo in diuersis templis constabat. Antequam Isidi sacrificarent, ieiunabant, et fusis precibus bouem mactabant; pellem detrahebant, aluo tota uacuabant, intestina uero reliqua et adipem intus relinquebant, crura truncabant et extremos lumbos, humeros etiam atque collum: quibus peractis reliquum corpus implebant panibus puris, melle, uuis passis, ficis, thure et myrrha, aliisque

2) Id unum maxime reprehendendum, quod incertarum rerum audacissimum et securum interpretem agit: quem qui sequatur, uana omnia amplectatur necesse est.

1) Vberius de istis exponitur in *histor. uniuersa* ex anglico tom. 1. de Templis. §. 541. de Isidis templo §. 624. de thebanis pag. 596.

que aromatibus. Sub haec incendebant ſacra, oleumque abunde infundebant. Dum haec ſacra comburebantur, ſeſe uerberabant, et poſt uerbera dapes ex uictimae reliquiis apponebantur. Tauros et uitulos Aegyptii omnes immolabant; uaccas non item, eo quod Iſidi ſacrae fuerunt. Ob differentiam ſacrorum Aegyptios inter et Graecos, nec Aegyptius nec Aegyptia Graecum unquam oſculabantur, neque unquam aut cultro, aut ueru, aut olla, aut alio inſtrumento eorum utebantur, immo neque carnibus immolati bouis ueſcebantur, ſi eae cultro aut ſecuri Graeci cuiusdam diſſectae fuiſſent. Tauros, ſi qui morerentur, extra urbem ſepeliebant, uaccas in flumen proiiciebant.


§. 5. Dies feſtos Aegyptii quamplurimos habuerunt, in quibus ſex prae ceteris celebriores fuere. *Primus* Bubaſti celebrabatur et Dianae ſacer erat, quae ſolennitas omnium maxima fuit; *ſecundus* Buſiri in honorem Iſidis, ubi ampliſſimum erat huius Deae templum; *tertius* Sai, Minervae dicatus; *quartus* Heliopoli in honorem Solis; *quintus* Buti in honorem Latonae, et *ſextus* Papremi in honorem Martis. Si Bubaſtin conueniebant, uiri mulieresque in ſcaphas conſcendebant, et inter nauigandum mulieres aliae crotala pulſabant, aliae cum uiris cantabant, manibusque plaudebant. Quum ad locum quendam aduentabant, ex mulieribus quaedam cantum non intermittebant, dum aliae loci illius mulieribus occlamando probra ingerebant, aliae ſaltabant, aliae pudenda reuelabant; idque faciebant ad omnes urbes, quas flumen alluebat. Quum ad *Bubaſtin* urbem peruentum erat: ſacrificia magna offerebant, feſtumque agebatur, in quo plus uini inſumebatur, quam per totum annum; totus quippe coetus ſeptingentorum millium fuiſſe fertur, non numeratis paruulis. In *Buſiridis* feſto poſt ſacrificium viri mulieresque ſeſe uerberabant; quam caerimoniam Cares maxime in Aegypto habitantes adhibebant; id adjicientes, quod gladiis uulnera ſibi in frontibus infligerent. In feſto, quod *Sai* celebrabatur, ſacrificia offerebantur, lucernis extra domos et ſub dio per noctem totam lucentibus, in quibus oleum cum ſale ponebatur; atque non Sai tantum, ſed et per totam Aegyptum eadem nocte accendebantur. *Heliopoli* atque *Buti* praeter ſacrificia nihil peculiare erat. At *Papremi* ſacrificiis alia caerimonia truculenta addita. Sacerdotes ſc. numero pauci, ſole iam inclinante ſimulacrum Dei ſui, quod in ſacello quodam ligneo deaurato poſitum erat, currui quatuor rotarum cum ipſo ſacello imponebant; maior ſacerdotum numerus clauis erant armati, et mille uiri uectibus inſtructi. Sacerdotes ſtatuam numinis cum ſacello currui impoſito in templum transferre conabantur; obſiſtebant illi mille uiri, hinc fuſtibus ac uectibus uehementer pugnabatur, nec ſine multorum caede talis pugna peragi poſſe uidebatur; affirmabant tamen Aegyptii, ex percuſſis neminem unquam interiiſſe. Haec omnia vero, quae ex *Herodoto* recenſuimus, cum iis quae alii Auctores referunt, non omnino conſpirant. Si *Herodoto* credimus, uinum Aegyptii potabant, a quo alii eosdem legibus prohibitos perhibent; quae tamen uarietas cum rei ueritate facile conciliari poteſt; nam fugax aeuum conſuetudines ſaepius immutat.

§. 6. Supereſt ut ſacerdotes nonnullos, quales in uariis Muſeis conſpiciuntur, ob oculos ponamus. Sacerdos omnium ſingulariſſimus eſt, quem Tab. LXXIX. *Fig.* 1. *et* 2. ex parte dextra atque ſiniſtra exhibemus. Toto fere corpore nudus apparet, femora tantum breui praecinctorio tegens; capitis ornatus a ceteris, qui abraſo plerumque capite comparent, longe diſſimilis eſt; pinnae enim praealtae, quales in numis aliisque Aegyptiacis monumentis occurrunt; at, quod inſolentius, calamiſtratos hic ſacerdos capillos habet; utraque manu quandam quaſi aram complectitur, quae ad zonam eius pertingit, et ex qua funes quidam dependent; quibus ex altera parte ſex aues, anſeribus non abſimiles, ex altera piſces aliquot, cum floribus atque foliis, ſuſpenduntur. Quid haec omnia ſignificent, explicare non audemus; hoc unum monemus, quod anſeres in Aegypto ſaepius ad ſacrificia adhibiti fuerint. Qui *Fig.* 3. *et* 4. ſequitur ſacerdos, uel ſi mauis Deus quispiam Aegyptius, multis quoque nominibus ſpectabilis eſt. Ornatus capitis eſt ſingularis; ingens poculum, latum et profundum, quod in anteriori facie quandam quaſi cauernam habet capiti inſerendo, ut poculum tiarae ſeu pilei loco ſit, in poſteriori uero facie totam ſuam habet profunditatem latitudinemque. A tergo duas quaſi taenias habet, quales fere ſunt mitrae Epiſcoporum. Ornatus ille ſub mento in acumen deſinens familiaris eſt Aegyptiis, tum ſacerdotibus, tum Diis; quae inferiora colli et humeros exornant in acumina parua deſinunt. Collaria ſimilia in imaginibus Iſidis uidimus, quae perinde in denticulatum limbum deſinebant. Corpus medio pectore faſcia ligatur, et e regione brachia ſimiliter uinciuntur. Duo haec brachia propter corpus extenſa ſunt, ſtipitesque haec imago manibus tenet, qui uti uidetur, magna parte dirupti fuerunt; femora renesque panno undique cinguntur; ſedes tandem ſolida, in qua conſidet uariis hieroglyphicis onuſta eſt.

Tab. LXXIX.

§. 7.

Tab. LXXIX.



1. 2. Sacerdos Aegyptius ex utroque latere. 3. 4. Sacerdos vel Idolum Aegyptium a parte antica et postica. 5. 6. Duo Sacerdotes Aegyptii. 7. Mulier Aegyptia saxum tenens mysterio ignoto. 8. 9. Sacerdotes duo Aegyptii, volumina manibus tenentes. 10. 11. Sacerdotes duo alii, quorum alter capitis ornatu maxime conspicuus. 12. Sacrificium, quo anser immolari videtur.

§. 7. Qui Sacerdos *Fig.* 5. genu flexo manus ambas aperit, et ad humerorum altitudinem erigit, abraſo capite, ut ſolent Sacerdotes Aegyptiorum, prodiit ex muſeo *D. Foucault. Fig.* 6. ex Romano quodam Muſeo a Cauceo publicatus fuit; priori illi ſat ſimilis eſt, niſi quod collare quoddam geſtet, collum et humerorum partem operiens, ſiniſtra litterae T figuram tenet. Aliud Schema *Fig.* 7. mulierem exhibet Aegyptiam genibus flexis, et ingentem lapidem tenentem, quo myſterio, ignoratur. Qui *Fig.* 8. ſellae inſidet ſacerdos, uolumen manibus tenet, quo Sacra religionis deſcripta putes. Eiusdem formae uolumen ſequens quoque ſacerdos *Fig.* 9. exhibet; qui pileum geſtat. Sacerdotes autem uel e capite abraſo uel ex uoluminibus hieroglyphicis notis repletis, optime dignoſcuntur; quae myſteria ſacerdotibus praecipue reſeruata fuere. *Fig.* 10. et 11. ſine dubio duos etiam ſacerdotes repraeſentat, quorum prior brachia amiſit; poſterior machinam geſtat in capite prorſus ſingularem, et genu flectit, inque qualibet manu uaſculum rotundum tenet. Subiungimus his omnibus *Fig.* 12. ſacrificium, quod eques Maffeius Aegyptiorum eſſe putat. Quae immolatur uictima, auis eſt, anſeri parum diſſimilis; anſeres uero ab Aegyptiis ſaepius in ſacrificium fuiſſe oblatos, ſatis notum eſt.

CAPVT III.

De Templis Aegyptiorum atque Obeliſcis. 1)

§. 1.

Ordinis ratio iubet, ut de *templis Aegyptiorum* aliquid dicatur. Horum forma *Strabone* teſte L. 17. p. 554. talis erat: *Ante templum ſtratum pauimentum erat iugero latum, ac ter quaterue longius, qui magnus aditus* δρόμος *ſ. curſus uocabatur. Haec longitudo utrinque Sphingibus ornabatur, relicto inter Sphingas uiginti cubitorum, aut paulo maiore ſpatio. Poſt Sphingas magnum ueſtibulum occurrebat, et ulterius aliud, poſteaque tertium. Numerus uero ſeu Sphingum ſeu ueſtibulorum non ſemper et ubique idem erat; poſt ueſtibula magnus pronaos ſeu nauis occurrit, ac deinde pars interior templi mediocri magnitudine. Simulacrum aut nullum, aut beſtiae cuiusdam. Pronaos alas utrinque habebat muris diſterminantibus, templa altitudine aequantibus. Muris impoſitae erant praegrandes ſtatuae Hetruſcis conſimiles, et antiquiſſimis Graecorum figuris;* id eſt rudi more concinnatae, ut ſunt fere omnes ante publicatae. Integra eiusmodi templorum ſchemata nulla habemus, quamuis multa paſſim eorum rudera inueniantur. Quum enim gens Aegyptiorum omnium fuerit ſuperſtitioſiſſima: ingentem quoque templorum numerum habuit; quorum reliquiae eo facilius reperiuntur, quod eorum ſtructuram ſolidiſſimam fuiſſe conſtat.

§. 2. Frequentiſſimi in Aegypto erant *obeliſci*, 2) qui non in urbibus tantum, ſed etiam in agris ornamenti loco ponebantur, characteribus hieroglyphicis fere inſigniti. Omnium maximus erat ante celebratum illum Labyrinthum Aegyptiacum, cuius Cretenſis Labyrinthus, *Plinio* teſte, centeſimam ſolum partem exaequabat. Habuerunt uero multos etiam minores, quos non in templis tantum, et prope ea, ſed et in domibus ſuis atque larariis erexerunt. Inter illos, qui ſuperſunt, maximus eſt ille, quem Rameſſem Aegypti Regem concinnari iuſſiſſe, et Thebis poſuiſſe dicunt, qui hodieque Romae conſpicitur. Quum enim *Conſtantinus* Magnus illum Thebis elatum Conſtantinopolim translaturus et ibidem in Hippodromo poſiturus eſſet: Alexandriae Conſtantino interim mortuo manſit, donec filius eius Conſtantius deuicto Magnentio ipſum inde Romam transportari et in circo maximo erigi curaret. Collapſum id monumentum, *Sixtus V.* ante Eccleſiam S. Iohannis Lateranenſis tolli curauit. Erat hic Obeliſcus magnitudine adeo immani, ut difficillime id confici potuerit; ſed quoniam confractus, in multa fruſta erat, pars parti facilius impoſita fuit. Schema illius hic communicare ſuperſedemus, quod praeter characteres hieroglyphicos, quibus ſingulae facies repletae ſunt, nihil peculiare habet; quorum interpretationem ex ſagaciſſimorum confeſſione, non ſine errandi periculo tentare licet.

1) De iisdem idem corpus conferendum. Tom. 1. de templis §. 541. de Iſidis templo §. 624. de Thebanis p. 596.

2) Confer. celeb. *Georg. M. Boſii* utiliſſimum *commercium epiſtolicum* de Obeliſco Seſoſtridis, Auguſti etc. *Gryphisvvaldae* a fautoribus quibusdam editum 1751. ubi pag. 2. de erectis a *Sixto* 5. quatuor obeliſcis occurrit; et ſcriptores quidam de hoc Obeliſco illis, qui tom. 1. hiſt. uniuerſ. not. (372. B.) excitantur, addendi.

LIBER TERTIVS

De Figuris Abraxaeis. 1)

§. 1.

Quis putaret portentoſam illam Aegyptiorum ſuperſtitionem ab hominibus Chriſtianam religionem profitentibus unquam adoptatum, et cum ſacris eius commixtum iri? quis monſtroſam illam atque ineptam de diis opinionem cum ſanctiſſimae ueraeque religionis myſteriis coniunctum iri crediſſet? Hoc tamen ſecundo poſt Chriſtum natum ſeculo fecere *Gnoſtici*, *Baſilidiani* et *Valentiniani*, qui cultum ueri Dei cum cultu profanorum, maxime Aegyptiorum, quin et Graecorum et Romanorum miſcentes, gemmas uariis figuris atque characteribus notarunt, easque mulierculis uirisque rudibus et incautis ad conſeruationem ualetudinis, et remedia morborum offerebant. Nulla unquam ſuperſtitio latius manauit, ut ex ingenti numero eiusmodi lapillorum, qui quotidie colliguntur, arbitrari licet.

§. 2. Ad hasce ſculpendas praeſtigias uario lapillorum genere utebantur, corneola ſcilicet, iaſpide, giada Orientali, lapide Azulitano, achate cuiusuis coloris et ſpeciei, inprimis autem marmore illo Aegyptiaco, quem baſaltem uocabant. Amethyſtum quoque non raro adhibebant. Haec offerebant tanquam remedia contra uarios morbos, aegritudinem pectoris, febrim, mulierum ſterilitatem etc. nec deerant Medici, qui illis, ut φαρμακοις, utebantur. Haec ſuperſtitio late peruagata eſt per Gallias, Hiſpaniam, Italiam, ceterasque Europae regiones. Et fortaſſis adhuc quaedam illarum rerum ueſtigia apud illos ſuperſunt, qui praeſtigiis et arti magicae operam dant.

§. 3. Eiusmodi gemmas Muſea innumeras paene paſſim ſubminiſtrant, in quibus cum nominibus ſacris *Iao*, quod idem eſt atque *Iehoua*, *Sabaoth*, *Adonai*, frequentius cum nomine *Abraxas*, quod fictum numen denotat, figurae uiſuntur ſiue galli, ſiue canis, leonis item, ſimiae, Sphingis etc. Iſis quoque, Oſiris, Serapis, Harpocrates, Canopus, Scarabaeus, et quicquid Aegyptii in Deorum numerum retulerant. Quum uero Abraxae nomen in gemmis illis frequentius inſculptum ſit, inde factum eſt, ut gemmae ipſae Abraxarum nomen ſortirentur. Nos miſſis iis, quae *Patres* nonnulli, *Irenaeus* ſcilicet, *Tertullianus*, *Hieronymus* atque *Auguſtinus*, de Abraxis teſtati ſunt, hoc tantum monemus, quod aliqui in litteris uocis *Abraxas* ſeparatim ſumtis numerum 365. quot quidem diebus annum conſtare notum eſt, deprehendiſſe ſibi uiſi ſint. Eundem numerum alii in uoce *Mithras*, quam cum uoce *Abraxas* ſaepius coniungunt, comprehenſum eſſe autumarunt; quum tamen hae litterae numerum tantum 360. adaequent. Si uero loco Mithras Meithras, littera ι in ει mutata, ſcribas, uerus inde numerus naſcetur. Quicquid ſit, certum uidetur, Pſeudochriſtianos illos ſub nomine Abraxas et Mithras ſolem adoraſſe et putaſſe, Ieſum Chriſtum, Solem Iuſtitiae, ſolem hunc eſſe materialem, quem in coelo conſpicimus.

§. 4. Omnes autem gemmae iſtae atque lapilli, quorum magnus ubique numerus deprehenditur, ſi colligantur, ad ſeptem claſſes commode referri poſſunt. *Prima* claſſis illa Abraxaeorum ſchemata continet, quae caput galli habent; *Secunda* eorum eſt, quorum uel caput uel corpus leonis eſt, quibusue inſcriptum nomen Mithrae ſaepius uidemus; *tertia* eorum, quae uel inſcriptionem uel figuram Serapidis habent; *quarta* eorum, quae uel Anubin, uel Scarabaeos, uel Serpentes, Sphingas aut ſimias praeferunt; *quinta* eorum, quae figuras humanas repraeſentant, easque uel alatas, uel alis carentes; *ſexta* inſcriptionum eſt, absque figuris et inſcriptionum Hebraicarum; *ſeptima* denique eorum, quae inſolitam plane et portentoſam formam prae ſe ferunt.

§. 5. Abraxae cum galli capite fere ſemper corpore brachiisque humanis ſunt inſtructi, loricamque antiquo more geſtant, atque altera manu clypeum, altera flagellum; crura plerunque in ſerpentes deſinunt, quorum caput pedum eſt loco; praeterea nomen *Iao* ſaepius in clypeo, aut alio loco ſcriptum eſt; *Abraxas* uero nomen infrequentius legitur, et ſi occurrit, in poſtica potius facie, quam in antica uiſitur, quae galli caput offert. Gallus ſine dubio Solis ſymbolum eſt, qui flagellum tenet ad equos concitandos; aliquando etiam Sol uocatur; galli autem caput huic tribuitur, quod auis haec Solis praenuncia eſt; ubi ſimul

1) Plures ſcriptores excitauit *Fabricius* in bibliographia antiquaria p. 433. adde *Seldenum* de diis Syris ſyntagm. I. c. 2.



Tabula hæc cum sequente figuras Abraxæas in septem Classes divisas complectitur: quales sunt: I. Galli caput exhibentes. 1. 2. 3. II. vel totum leonem, vel caput leonis in serpentem desinentis repræsentantes, 4. 5. 6. III. Inscriptionem vel figuram Serapidis habentes, 7. 8. 9. IV. a) Anubin referentes, 10. 11. 12. b) Scarabæos exhibentes. 13. 14. 15.



c) Serpentes efferentes, 1, 2. d) Sphingem alatam, 3. e) Simiam, 4. V. figuras hominum Deorumque referentes e.c. Solem, 5; Solem et Lunam 6. Isidem, 7. Fortunam, 8. Carpocratem, 9. Jovem, 10. Mercurium, 11. Dianam 12. Canopum 13. Hominem alatum, 14. VI. Inscriptiones absq; figuris, 15. et VII. formas insolitas et portentosas habentes, 16 et 17.

mul notandum, ſchemata haec omnia cum galli capite uel ad Solem ipſum, quem antiqui illi haeretici pro Chriſto habuere, uel ad operationes illius referri, quemadmodum figurae Aegyptiacae pleraeque omnes. Conferas cum his Tab. LXXX. Fig. 1. 2. et 3. in quibus Tab. Figura 2. ob nomina Angelorum *Michael*, *Gabriel*, *Vriel*, *Raphael*, *Ananael*, *Proſorael*, in- LXXX. primis ſpectabilis eſt.

§. 6. Secundae claſſis ſchemata uel totam leonis formam exhibent, ut *Fig*. 4. uel homines leonino capite, ut *Fig*. 5. uel cum capite leonis et corpore ſerpentis, qualis *Fig*. 6. Primus ille leo, qui apem ore tenet, ad Samſonis forte hiſtoriam reſpicit. Haeretici leonem quidem pro Mithra ſ. Sole accipiunt, ſed myſteria Chriſti cum profana religione miſcentes hoc ipſo locum illum Sacrae Scripturae: *Vicit leo de tribu Iudae*, reſpexiſſe uidentur. Qui diſtricto gladio cum clypeo exhibetur, ut inſcriptio poſtica docet, *Gigantum interfectorem* ſiſtit. Tertius in poſtica parte uocem XNOYBIC habet, pro quo nonnulli ANOYBIC forte legendum putant. 2)

§. 7. Ad tertiam claſſem illos lapillos referimus, qui aut inſcriptionem aut figuram Serapidis habent. Prioris generis eſt *Fig*. 7. a *D. Capello Senatore Veneto* productus, qui Iſidem flori loti inſidentem ſiſtit, ante quam ſimia eſt aut cercopithecus cum inſcriptione εἷς Ζεὺς Σέραπις, *unus Iupiter Serapis*. Poſterioris generis ſunt duo ſchemata ſequentia *Fig*. 8. *et* 9. in illo quidem Serapis Cerberum trino capite ad pedes habet, quo id confirmatur, quod ſupra monebamus, quod Serapis a nonnullis pro Plutone habitus fuerit; in hoc Serapis calathum capite geſtat cum inſcriptione graeca διαφύλασσε, *cuſtodi me*, unde apparet, hosce lapillos quaſi προφυλακτήρια datos fuiſſe.

§. 8. Ad Claſſem quartam pertinent ſchemata, quae uel Anubin, uel Scarabaeos, uel Serpentes, Sphinges item ac Simias exhibent. Anubin repraeſentant lapilli *Fig*. 10. 11. 12. Scarabaeos, erga quos magna erat Baſilidianorum ueneratio, *Fig*. 13. 14. *et* 15. Serpentes *Fig*. 1. *et* 2. quorum prior, qui ex muſeo noſtro prodiit, plane ſingularis eſt, a capite quippe ad Zonam uſque ſerpens eſt, inferne autem homo; inſcriptio intelligi nequit; poſterior, Tab. a Chiffletio publicatus, lunam bicornem capite geſtat, caudae uero ſtella magna adhaeret. LXXXI. Sphinges atque Simiae ſimiliter in hisce lapillis occurrunt. *Fig*. 3. ex *muſeo S. Genouefae*, Sphingem exhibet alatam, cui ſerpens oppoſita eſt; ornatum capitis geſtat Aegyptiacis numinibus proprium: in poſtica parte circa uiam legitur haec inſcriptio: HON. PATR. BIB. quae *R. P. Molineto* interprete ſignificat *Honori Patris Biberi* aut *Liberi*, ſi quidem transmutatio litterae L in B locum habet. Simiam ſupra Tab. LXXVII. *Fig*. 6. ex muſeo noſtro dedimus; quam hic ex *Muſeo D. Capelli Fig*. 4. exhibemus, illa caput Solis adorare uidetur; litterae graecae circumſcriptae legi nequeunt.

§. 9. Ad quintam claſſem lapilli referuntur, in quibus Abraxas ſub forma hominis prodit. In aliis huiusmodi gemmis ſeu homines ſeu Dii ſine alis ſunt; in aliis alas habent modo duas, modo quatuor, interdum ſex. Primus, qui alas non habet, eſt Sol radiatus *Fig*. 5. ex *muſeo S. Genouefae*, qui flagellum tenet, quaſi ad equos concitandos; inſcriptio non intelligitur; in facie poſtica legitur uox *Cheroubi*; Cherubini autem et Angeli in ſuperſtitiones Baſilidianorum admittebantur. In alio *Fig*. 6. a *Chiffletio* producto, Sol et Luna ſimul conſpiciuntur. *Fig*. 7. ſequens eſt Iſis loto inſidens ex *muſeo S. Genouefae* educta. Ex eodem muſeo *Fig*. 8. fortunam proferimus cum cornu copiae et gubernaculo. Schema ſequens *Fig*. 9. quod *Chiffletius* exhibuit, Harpocratem exprimit, coronam lauream ſiniſtra tenentem. Ab eodem Chiffletio quoque habemus Iouem cum ſigno Sagittarii et inſcriptione, *Satouel*, *Fig*. 10; Mercurium cum inſcriptione *Michael*, *Fig*. 11. et Dianam ſedentem, addito nomine *Gabriel*, *Fig*. 12. nec non Canopum, undique aquam effundentem, *Fig*. 13. Exemplum figurae hominis alati exhibet *Fig*. 14. Super huiusmodi alis hoc primum ſeſe menti offert, quod quum figurae illae Abraxeae ad Solem referantur, alae illae curſus eius uelocitatem denotent.

§. 10. Ad claſſem ſextam illos lapillos retulimus, qui in utroque latere nudas inſcriptiones ſine ſchemate habent. Ex multis hoc loco unum tantum ex *muſeo S. Genouefae Fig*. 15. protuliſſe ſufficiat. Inſcriptio haec plane memorabilis in altera lapidis facie incipit, in altera deſinit, et ſic ſe habet, ΙΑΩ, ΑΒΡΑCΑC, ΑΔΩΝΑΙ, ΑΓΙΟΝ ΟΝΟΜΑ, ΔΕΞΙΑΙ ΔΥΝΑΜΕΙC ΦΥΛΑΞΑΤΕ ΟΥΕΒΙΑΝ ΠΑΥΑΕΙΝΑΝ ΑΠΟ ΠΑΝΤΟC ΚΑΚΟΥ ΔΑΙΜΟΝΟC, ubi in uoce ΟΥΕΒΙΑΝ

poſt

2) *Gronouius* certe in Obſeruationum libro nouo Dauentriae 1652. pag. 52. exempla frequentioris commutationis litterarum *α* et *χ* protulit; unde uerosimile fieri queat et hic ita eſſe. Sed certiſſimum non eſt.

post E 3) excidisse uidetur I, nam legendum ΟΥΕΙΒΙΑΝ. Sensus autem hic est *Iao, Sabaoth, Abrasas sanctum nomen, dextrae seu propitiae potestates, seruate Vibiam Paulinam ab omni prauo daemone;* qua inscriptione confirmatur Abraxaeos huiusmodi lapillos, quasi προφυλακτήρια datos esse, et Iao, Abraxas et Adonai habita fuisse potestatum coelestium nomina, hominibus propitiarum.

§. 11. Septima denique schematum Abraxaeorum classis illos lapillos comprehendit, in quibus schemata monstris similia exhibentur; qualia fig. 16. et 17. uidere licet, quorum inscriptiones non leguntur.

§. 12. Ex hac itidem officina Basilidianorum Gnosticorumque exiit magicum illud inuentum *Abrasadabra*, quo utebantur olim ad curandam febrim, quam uocabant Hemitritaeum πυρετὸν, aliosque morbos; quod inuentum *Quintus Serenus Sammonicus* in carminibus memorat, ubi suadet, ut in charta describatur,

Inscribes chartae quod dicitur ΑΒΡΑCΑΔΑΒΡΑ
Saepius, et subter repetas, sed detrahe summam,
Et magis atque magis desint elementa figuris
Singula, quae semper rapies, et cetera figes,
Donec in angustum redigatur littera conum:
His lino nexis collum redimire momento.
Et sub haec
Talia languentis conducunt uincula collo;
Lethales abiget miranda potentia morbos.

Forma uocis Abrasadabra litteris in fine abiectis saepius repetitae et in conum desinentis haec est:

Α Β Ρ Α C Α Δ Α Β Ρ Α
Α Β Ρ Α C Α Δ Α Β Ρ
Α Β Ρ Α C Α Δ Α Β
Α Β Ρ Α C Α Δ Α
Α Β Ρ Α C Α Δ
Α Β Ρ Α C Α
Α Β Ρ Α C
Α Β Ρ Α
Α Β Ρ
Α Β
Α

Haec autem uox ex Abrasax formata prorsus uidetur, et iam supra uidimus in multorum lapillorum inscriptionibus, eos ad morbos curandos fuisse datos. Huiusmodi praestigiae in omnibus fere Christianismi saeculis usurpatae sunt.

LIBER QVARTVS.
DE DIIS ARABVM, AETHIOPVM, PHOENICVM, SYRORVM, PERSARVM, SCYTHARVM ET GERMANORVM.

CAPVT I.
De Diis Arabum ante Muhamedem, et Diis Aethiopum.

§. 1.

Quosnam Arabes 1) ante Muhamedem Deos coluerint, non ita perspicuum est. *Herodotus* hac de re L. 3. c. 8. ita loquitur: *Arabes arbitrantur non alios quam Bacchum et Vraniam*

3) id non necessario statuendum est. Nam ε olim ad sonum ι saepe accedebant.

1) ad c. 1. et 2. uid. pluribus *Seldenus* de diis Syris Syntagmate 2, c. 2. et cap. 4. praeter alios scriptores, quos recenset *Fabricius* in bibliographia. p. 249.

niam Deos esse: capillos tondent, quia Bacchus tonsis est capillis: tempora abradunt, capillosque in circulum tonsos habent. Bacchum uocant Vrotalt, Vraniam Alilat. Conspirant cum *Herodoto*, *Strabo*, qui lib. 16. dicit, Arabes Iouem solum et Bacchum adorasse, et *Arrianus*, qui dicit Arabiae Deos esse coelum et Bacchum; quis enim dubitauerit, quin coelum, Iupiter et Vrania his locis unum idemque significent. Secundum *Stephanum* Byzantinum Deus Arabum uocabatur Dusares, qui et monti excelso et ipsi genti Arabicae nomen dedit; nam, Arar bes uocantur Dusarenii. *Philostorgius* apud Photium tradit, Homeritas, celeberrimam inteo Arabes nationem circumcisos fuisse; quem ritum ab Ismaele, Abrahae filio, Patriarcha sumutuati uidentur; hic tamen mos cum Aegyptiis atque Troglodytis illis communis erat. Nilus in historia caedis monachorum in monte Sinai, dicit, Arabas Soli atque Lucifero sacrificasse. Certae quoque turri, quam Acara uel Alquebila uocabant, et ab Ismaele gentis auctore structum esse putabant, diuinos habuisse honores dicuntur.

§. 2. Religionem Aethiopum *Strabo* l. 17. p. 565. ita describit: *Deum putant alterum immortalem, qui omnium causa sit, et alterum mortalem, qui nomine careat et non cognitus sit: plerumque autem eos, a quibus beneficium acceperunt, et regios* βασιλικὰς *pro diis habent, reges suos dicunt communes omnium custodes esse, ceteros uero priuatim eorum, quibus bene fecerunt. Ex iis, qui ad Zonam torridam habitant, nonnulli sunt, qui pro Atheis habentur: ii solem oderunt et detestantur, quum eum exoriri vident, eo quod eos urat et infestet, atque ad paludes confugere cogat. Meroes incolae Herculem, Pana et Isidem colunt, et praeterea alium quendam Deum barbaricum. Mortuos alii in flumen abiiciunt, alii circumposito vitro domi seruant, alii in fictilibus thecis illos circum templa defodiunt.*

CAPVT II.

De Diis Phoenicum et Syrorum 1).

§. 1.

Idolorum profanus cultus antiquissimus erat in uastissima illa regione, quae Syriae nomen obtinebat, quatenus non Syriam modo propriam, sed etiam Mesopotamiam, Phoenicen et Palaestinam complectebatur. Idola uetustiora iis, quae Labanus habebat, non cognoscimus: in sacra scriptura uocantur *Teraphim*, quae pro exiguis statuis habentur, quales in museis quam plurimae uisuntur; in domibus olim seruatae, ut Lares apud Romanos; quandoquidem Rahel Labani filia illa sub se abscondit. Idolorum ergo cultus in Labani familia fuit non quidem recens inductus; quoniam Tharam quoque Abrahami patrem idola coluisse legimus; qui cultus impius deinde etiam in Iacobi Patriarchae familiam, occasione forte Rahelis irrepserat; qua re comperta Iacobus et statuas eiusmodi et inaures earum sub terebintho defodit. Genes. XXXV, 2—4.

§. 2. Aliorum quoque numinum in sacra scriptura mentio fit, ut *Beelphegoris*, quem *Hieronymus* in Oseae c. 9. pro Priapo habet, inductus forte in sententiam illam rebus circa hoc idolum gestis et scelere Ebraeorum, de quo Num. 25, 3. Solo nomine noscuntur *Chamos* et *Beelzebub* Dii Moabitarum et *Moloch*. Quantum ad *Baal* et *Bel*, cuius frequentissima mentio passim fieri solet, cuiusque cultus per totum fere orientem sese diffudit, is pro Ioue vulgo accipitur, item pro Saturno et Sole, quin pro omnibus fere numinibus. Imo quidam putant, nomen hoc esse genericum, ut Θεὸς Deus, ita ut *Beelphegor Malachbelus* idem sit, ac Deus Phegor, Malach Deus. De Idolo Michae in monte Ephraim nihil aliud scimus, quam illud a Micha fuisse erectum, sacrarioque in domo illius aedificato, peculiarem ad cultum illius institutum esse sacerdotem, et idolum hoc in tribu Dan pro numine quopiam habitum esse.

§. 3. Philistaei et Phoenices aliud colebant numen, cuius templum Azoti constructum, in eoque statua illius posita fuit. Quum Israelitis a Philistaeis deuictis, arca quoque foederis in manus hostium peruenisset, hi illam in templo *Dagonis* ad statuam illius collocarunt, quasi idolo suo occasionem de Deo Israelitarum triumphandi daturi, Sed postero Die redeuntes Dagonem ante arcam foederis prostratum repererunt. Existimantes autem statuam hanc casu prolapsam esse, in pristinum restituère locum: quumque eodem sequenti die accessissent, Dagonem iterum, capite manibusque truncatum, in terra proiectum, inuenerunt; et tunc demum

1) De Phoenic. Diis uid. *historiam uniuersam* tom. 2. §. 247. *seqq.* de Syris §. 189. seqq. et *Seldeni* Syntagmata duo.

mum intelligebant, uictoriam ſuam de Iſraelitis nil minus eſſe, quam Victoriam a Dagone de Deo Hebraeorum reportatam; quod etiam plaga Azotiis immiſſa et miraculo arcae a uaccis currui iunctis nemine ductore in locum debitum reportatae, confirmatum eſt. Ex his autem ſimul apparet, Dagonis illius formam fuiſſe humanam; adeoque illos non audiendos, qui piſcis illi corpus 2) tribuunt; quamuis hoc facile admittamus, quod plurimi piſces huic Deo conſecrati, et apud Phoenices in magno honore fuerint. Ceterum *Philo Byblius* quandam Deorum Phoeniciorum Genealogiam, quam Euſebio teſte Demonſt. Euang. l. 1. ex Sanchuniathone Berytenſi mutuatus eſt, confecit. Sed quum multi eruditorum haud ſine ratione dubitent, pro meris iſta fabulis habenda eſſe cenſemus.

§. 4. Celebris Phoenicum Dea fuit *Aſtarte*, quae in Hebraico textu *Aſtoreth* uocatur 3. Reg. 11. 5. et 33. Salomon, qui ad ea usque tempora regum omnium ſapientiſſimus erat, ut mulieribus, uariarum regionibus religionumque morem gereret, earum illecebris uictus eo usque impietatis deuenit, ut numinum illarum cultum adoptarit. Inter numina illa refert Sacra Scriptura *Aſtarten* Deam Sidoniorum, quam *Venerem* eſſe *coeleſtem* plurimi putant, alii Iunonem, alii Deam aliam. *Lucianus* in Dea Syria illam Lunam eſſe dicit, atque Europam, Agenoris filiam, eſſe. In numis Beryti Caeſareae, Aeliae Capitolinae, aliisque ſaepius illa comparet. Nonnulli rei antiquariae periti, auctore *Cicerone* de Nat. Deorum lib. 2. pro Venere Byblia eandem habent. Idem *Cicero* l. c. 3. quartam Venerem eam eſſe dicit, quae Aſtarte vocatur, quae ex Tyro originem duxit et Agonidi nupſiſſe dicitur. Quod ad formam eius attinet caput modo radiatum, modo pinnis murorum exornatum habet; quae illi tribui ſolent ſigna, palma ſunt, haſta, cochleae, Centauri, quarum explicationem aliis relinquimus.

Tab. LXXXII. §. 5. Eximium illud monumentum 3) Romanum eſt, quod Tab. LXXXII. *fig. 1.* exhibemus, in quo duo numina Syrorum ſiue Palmyrenorum efferuntur, quorum alterum *Aglibolus*, alterum *Malachbelus* vocatur: addita eſt huic monumento magna inſcriptio graeco partim, partim Palmyrenico charactere expreſſa. Marmor hoc olim in hortis Carpenſibus erat, iam in hortis Principum Iuſtinianeorum prope ſanctum Ioannem Lateranenſem conſpicitur. Hi uero Dii repraeſentantur in frontiſpicio templi duabus Corinthii ordinis columnis ſuffulto. Inter duas imagines arbor eſt, quam pro pinu habent: ad dextram huius arboris conſiſtit *Aglibolus* Deus, qui uelut adoleſcens tunica, quae uix ad genua pertingit indutus depingitur; ſupra tunicam pallium geſtat, ſiniſtraque manu tenet baculum breuem ſeu volumen; brachio dextro mutilus eſt. Ad ſiniſtram poſitus eſt *Malachbelus*, qui itidem iuuenili habitu exhibetur; coronam radiatam capite geſtat, et militari ueſtitu et paludamento ornatus eſt; ad humeros lunae cornua prominent; ſiniſtra baculum tenet aut ſceptrum, eodemque latere gladii capulus conſpicitur. Brachium dextrum uerſus pinum in medio poſitam extendit, ſed manus excidit. Inſcriptio graeca haec eſt: Ἀγλιβώλῳ καὶ Μαλαχβήλῳ πατρῴοις θεοῖς καὶ τὸ σίγνον ἀργύρουν σὺν παντὶ κόζμῳ ἀνέθηκε Τίτος Αὐρήλιος Ἡλιόδωρος Ἀντιόχου Αδριανὸς Παλμυρηνὸς ἐκ τῶν ἰδίων ὑπὲρ σωτηρίας αὐτοῦ καὶ τῆς συμβίου καὶ τῶν τέκνων ἔτους Ζ Μ Φ μηνὸς Περιτίου. ubi obſerues, in uoce κόζμῳ ζ pro σ poſitum; quae litterarum mutatio non infrequens eſt: ſenſus hic eſt; *Aglibolo et Malachbelo Diis patriis, ſignum argenteum cum toto ornatu conſecrauit T. Aurelius, Heliodorus Hadrianus Palmyrenus Antiochi filius de propriis pro ſalute ſua et uxoris, et filiorum anno quingenteſimo quadrageſimo ſeptimo* 4), *menſe Peritio.* Haec autem inſcriptio deorum nomina tantum profert, neque explicat, quae horum apud Palmyrenos numinum ratio eſſet. Puto autem illum, qui a dextris eſt Solem eſſe, qui a ſiniſtris Deum Lunam ſ. Lunum. Deum certe Malachbelum Lunum eſſe ex Luna bicorni pone humeros illius exſurgente clariſſime patet: unde colligimus, Palmyrenos ſub his ſchematibus Solem atque Lunam coluiſſe. *Sponius* exiſtimat 5), in uoce *Aglibolus* duas poſtremas ſyllabas *bolus* id ipſum eſſe quod *belus* in altero nomine Malachbelus; cui ſententiae lubens ſubſcribo, quoniam uocales in uocibus ex lingua Orientali ſaepe mutantur; Sic Baal, Bolus et Belus idem erunt. Corona ſceptrumque Malachbeli Regem denotant, quod ipſum nomen Malachbelus exprimit, dum Regem Dominum indicat.


CAPVT

2) Hoc inde non conficitur; caput et manus hominis etſi fuerunt, tamen deſinere cetera moles in piſcem poterat.

3) Praeter alios id illuſtrat *Io. Seldenus* Syntagmatis 2. cap. 1. ubi et plura, quae huc pertinent.

4) i. e. Chriſti CCXXXVI.

5) Errore quadratarii ω pro ν hic poſitum eſſe, iam *Scaliger* et *Seldenus* opinati ſunt.



1. *Aglibolus et Malachbelus, Dii Syrorum vel Palmyrenorum. 2–12. Dii veterum Germanorum, quales fuere, 2. Chrodo 3. Büsterichus. 4. Prono. 5. Triglia 6. Porevith 7. Suantovith. 8. Radegast 9. Siwa. 10, 11, 12. Flyns.*

Caput III.

De Diis Persarum et Medorum.

§. 1.

Quanquam scriptor aliquis recentior 1) contendat Persas ueteres uere orthodoxos fuisse, et unum tantum Deum credidisse: ipse tamen fatetur, duo illos admisisse principia, increatum aliud, aliud creatum, quod postremum mundus erat; quem uero Soli et igni cultum exhibebant, mere ciuilem fuisse perhibet. Sed si Scriptores ueteres, *Herodotum*, *Strabonem*, *Xenophontem*, *Iustinum*, *Curtium*, aliosque conferamus, uno illi omnes ore testantur, Persas olim solem et ignem coluisse, iisque tanquam numinibus sacra fecisse. De religione Persarum nihil antiquius occurrit iis, quae refert *Herodotus* in Clio c. 1. 31. *Neque statuas, neque templa, neque aras Persae construunt, immo haec construere apud illos insaniae loco habetur, quod non putent, quemadmodum Graeci putant, Deos humanam originem habere. Celsissimis conscensis montibus sacrificant Ioui, totum coeli ambitum sic appellantes: soli quoque sacrificant, lunae, telluri, igni, aquae et uentis; non aliis illi Diis olim sacrificabant.* Ex quibus apparet, Persas olim non Solem tantum et ignem sed mundum ipsum eiusque partes ut numina coluisse. *Dehinc uero ab Assyriis et Arabibus didicere vraniae i. e. Veneri coelesti, quam illi Mithram uocarunt, sacrificare.* Subiicit deinde Medos, eadem in religione fuisse. Consentit cum *Herodoto Strabo* L. XV. ita loquens: *Persae nec statuas nec aras habent, coelum Iouem putant, colunt Solem, quem Mithram uocant, item Lunam et Venerem et ignem et tellurem et uentos et aquam. Sacrificant in loco mundo cum precationibus et coronatam hostiam statuunt; postquam Magus carnes in portionem distribuit, sua quisque accepta portione abeunt, nulla parte Diis relicta: dicunt enim Deum nihil uelle, nisi hostiae animam: quidam omenti partem, ut fertur, igni imponunt. Praecipue igni et aquae sacrificant, igni arida ligna imponentes ademto cortice et superiniecto adipe: deinde infuso oleo ignem accendunt, non insufflantes, sed uentum circum mouentes: si quis insufflet, aut mortuum quidpiam coenumue in ignem iniiciat, is morte plectitur: Aquae sacrae peragunt hoc modo: ad lacum, uel fluuium, uel fontem accedunt, scrobeque facta, hostiam ibi iugulant, cauentes ne aqua proxima sanguine intingatur, quod illam immundam efficeret: postea carnibus myrto lauroque impositis, eas Magi tenuibus uirgis comburunt, libaminaque deinde olei cum lacte et melle commixti effundunt, non in ignem, nec in aquam, sed in terram. Incantationes autem diu faciunt, fasciculum uirgarum myricinarum tenuium tenentes. In Cappadocia, ubi magnus Magorum numerus, qui Pyraethi uocantur, et multa Persicorum Deorum templa, non cultro uictimas mactant, sed stipite, quo illas quasi malleo percutiunt. His sunt magna septa, quae Pyraethia uocant, in quorum medio ara, in qua multos cineres et inextinctum ignem seruant Magi: eo quotidie intrant, et incantationes faciunt unius horae spatio, fasciculum uirgarum tenentes, tiarasque gestando pilosas, usque adeo demissas, ut ipsis labia genasque operiant.*

§. 2. *Sacrificia Persarum*, sic pergit Herodotus, *ita fiunt: aras non erigunt neque ignem accendunt; apud eos nec libamina nec tibicines, non coronae sunt, non farina; sed is qui sacrificium offert, uictimam ducit in locum purum nitidumque, Deumque, cui sacrificare uult, inuocat, tiaram gestans myrto ornatam. Sacrificanti non licitum est sibi soli precari, sed omnibus Persis bona apprecatur atque Regi, in omnibus autem Persis et ipse comprehenditur: ubi autem in portiones hostiam sacram concidit et carnes coxit, substrata herba tenerrima, maximeque trifolio, hic omnes superponit carnes. Haec ubi ipse fecit, adstans Magus Theogoniam cantat, quam cantilenam sic illi uocant. Sine Mago non licet illis sacra facere: pauco intermisso tempore, qui sacrificauit, carnes aufert iisque ad libitum utitur.* Tanto illi Solem honore prosequebantur, ut si uir quidam lepra aut alio morbo, qui dedecori esset, afficeretur, putarent, id ideo illi accidisse, quod peccasset in Solem. Eandem erga ignem reuerentiam adhibebant, cuius diuinum quoddam numen credebant; ideoque a comburendis defunctorum cadaueribus abstinebant, profanationis et sacrilegii in loco habentes.

1) Qui haud dubie *Thomas Hyde* intelligendus est, in de *religione Persarum*, ipso huius seculi initio, superstitionis et idololatriae maculam a Persis remotum iuit; quod ipsum ratione religionis Aegyptiorum etiam fecit *Banier*. Qua ratione si agere liceret, omnem impium iniustumque cultum a genere uniuerso humano plane amoliri posses.

§. 3. De magis *Diogenes Laertius* ita fere loquitur (in Prooemio): Chaldaei circa Astronomiae rationes praedictionesque occupantur, Magi Deorum cultui uacant, et preces illis ac uota et sacrificia offerunt, quasi soli ab iis exaudiantur; de Deorum substantia ac generatione differunt, quos esse ignem, terram et aquam arbitrantur: signa statuasque improbant ac reprehendunt; et eorum inprimis, qui mares esse Deos feminasque dicunt, errores improbant. De iustitia uerba faciunt, atque iniqua arbitrantur ignea funera: iustum esse putant cum matre filiaue commisceri. Diuinationem praeterea exercent, asseruntque sibi Deos apparere, plerumque daemonibus aera esse, qui tenuiter ac ueluti ex euaporatione acutius cernentium oculis sese insinuent: exteriorem cultum, et auri usum uetant. His uestis candida; lectus humus; esca olus; panis, caseus cibus; arundine pro baculo utuntur, quam infigunt caseo, ut sic euehant et comedant. *Aristotele* teste duo admittebant principia, bonum malumque daemonem; bonus, Iupiter erat, *Oromasdes*; malus, Pluto, *Arimanius* 2). Inter eos autem, qui duos admittebant Deos, alium bonum, alium malum, Zoroastres Magus inprimis nominandus est, quem annis 5000. Troiano bello antiquiorem narrant.

§. 4. Solem itaque et ignem a Persis ut Deos cultos fuisse, dubio quum careat, adhuc monendum, quod *Mithras* Deus promiscue pro Deo sole atque igne ponatur, ut multi scriptores asserunt, humana forma in antris repraesentatus; etsi priscis temporibus, ut supra dictum, nullas Persae statuas habuerint; consuetudo tamen cum uicinis gentibus, multa noua attulit, qua ratione et simulacrorum superstitionem irrepsisse ualde est probabile. Nullum quidem Mithrae schema adhuc uidimus, quod uel ex Perside in istas partes transierit, vel in ipsa Perside delineatum fuerit. Sed uerosimile est, eandem illius ibi fuisse formam, quae Romam et in Romanum imperium, in quo Mithrae cultus saeculis maxime secundo et tertio admodum celebris erat, inducta est. Tomo primo Tab. XLI. aliquot eius protulimus imagines, ubi de Mithra eiusque cultu actum est. De Mithra 3) quoque supra mentionem fecimus, de schematibus Abraxaeis loquentes, in quibus ille sub leonis figura saepius repraesentatur.

§. 5. Quantum ad uicinas Persis nationes spectat, Babylonii teste *Herodoto*, statuam Iouis habebant, templumque Ioui Belo dicatum. Parthi putabant Arsacen post mortem in numerum astrorum relatum, teste *Ammiano Marcellino* lib. 23. Harum nationum et uicinarum plurimae equos Diis mactabant. Persae Soli equum immolabant, quod et Armeni, atque Massagetae faciebant. Paeones Solem in disci formam redigebant, longoque conto imponebant.

CAPVT IV.

De Diis Scytharum.

§. I.

De *Scytharum Diis* qui primus uerba fecit *Herodotus* est, qui in melpomene c. 59. tradit, ipsos Vestam plus quam alios Deos omnes colere, alios item Deos honorare et uictimis placare, Iouem scilicet et tellurem, quam Iouis uxorem esse putabant, et post eos Apollinem, Venerem coelestem, Herculem, Martem et Neptunum; quos uero omnes Scythicis nominibus, a graecis longe diuersis nominabant. Vestam enim uocabant *Tabiti*, Iouem *Papaeum*; Terram *Apiam*; Apollinem *Etosyrum*; Venerem coelestem *Artimpasam*; Neptunum *Thamimasadem* 4); neque simulacra, neque aras neque templa habebant, nisi unius Martis, quem acinace repraesentabant.

§. 2. Sacrificia semper eadem modo peragebant. Anteriores uictimae pedes uinciebant, pone eam stabat sacerdos, qui postquam partem ueli sibi detraxerat, hostiam feriebat, eaque collapsa Deum, cui sacrificabat, inuocabat. Victimae porro collo laqueum circumdabat et contorto baculo illum strangulabat. Non accendebat ignem, neque libabat, sed postquam strangulauerat, detracta pelle hostiam coquebat. Quum uero regio lignorum inopia laboraret, carnem ab ossibus separabant, ossibusque incensis igne illo carnem simul coquebant in lebetibus; si non adesset lebes, carnem in aluo hostiae cum aqua ponebant, et sic omnia (nescio quo pacto) coquebant. Decoctis carnibus sacerdos carnium et intestinorum partem ante se proii-

2) Vid. pluribus de religione Persarum, *historiam uniuersam* tom. 4. §. 159. sqq.

3) Adde *Wormium* de corrupt. antiq. hebraeor. uestigiis lib. 2. cap. 10. ubi ex hebraeo *pluuiam* interpretatum it; ut sit, *sol Mithra*, sol pluuius s. Iupiter ὑέτιος.

4) Vid. *histor. uniuersam* tom. 4. §. 618.

proiiciebat pro primitiis. Boues aliaque animalia aliis Diis mactabant, equosque praesertim; at pro Marte ritus erat proprius.

§. 3. Templa, quae aeque lata ac longa, nec admodum alta erant, ex congestis sarmentis construebant: eo quippe quotannis sarmentorum centum quinquaginta currus onerarios deportabant, atque in eorum uertice ueterem acinacem ferreum ponebant, qui ipsis pro statua Martis erat. Huic acinaci ex equis ouibusque annuas offerebant uictimas. Ex captis in bello centesimum quemque immolabant, sed non eodem modo, quo pecora. Nam postquam capitibus illorum uina libauerant, inter uas quoddam magnum eosdem iugulabant, iisque in uerticem sarmentorum deportatis sanguinem in acinacem infundebant. In imo deinde ante templum mactati uiri humerum cum brachio et manu praecidebant, et in aerem coniiciebant, quo peracto, recedebant, humero quo cadebat, relicto. *Lucianus* in Ioue Tragoed. scribit, ipsos non acinacem tantum, sed et *Zamolxin* quempiam, Deum coluisse. Ex hac uero Scytharum religione nullum uestigium relictum est.

CAPVT V.
De Diis Germanorum.
§. I.

De Diis ueterum Germanorum non nisi pauca dici possunt, licet *Elias Schedius* satis amplum uolumen de hac materia ediderit 1), sed pleraque ad rem non pertinent *). I. Caesar de B.G.L.6.c.21. Germanos eos tantum Deorum numero habere perhibet, quos cernunt, et quorum opibus aperte iuuantur; Solem scilicet, Vulcanum (sub quo ignem forte intelligit) et Lunam. Cum his uero minus conueniunt, quae apud *Tacitum* de religione Germanorum leguntur: ita ut dubium sit, utrum Caesar Germanos satis cognouerit, an illa, quae refert, ad aliquam solum Germanorum nationem pertineant. Forte a tempore I. Caesaris ad tempora usque Taciti aliqua in religione Germanorum mutatio facta est. Apud *Tacitum* Hist. l. 4. c. 64. Tencterorum, nationis Germanicae ad Rhenum, Legatus communibus Diis et praecipuo Marti grates agit, quod Agrippinenses in corpus nomenque Germaniae redissent. Gothi etiam, qui pro natione Germanica uel Teutonica uulgo habentur, Martem quasi Deum suum habebant, ut tradit *Iornandes* cap. 5. ipsique captiuos immolabant. Idem *Tacitus* Libro de mor. Germ. c.9. Germanos Mercurium maxime coluisse, eique certis diebus hostias humanas immolasse dicit. Hinc liquet, Martem atque Mercurium praecipuos fuisse Germanorum Deos. Herculem quoque Germani ualde colebant, eiusque laudes, quum pugnatum irent, decantabant; et uictimas ipsi tanquam maximo bellatori immolabant, ut eum sibi propitium redderent.

§. 2. *Pars Sueuorum*, pergit *Tacitus* de mor. germ. c. 9. *et Isidi sacrificat: unde causa et origo peregrino sacro, parum comperi, nisi quod signum ipsum, in modum liburnae figuratum, docet religionem aduectam: ceterum nec cohibere parietibus Deos, neque in ullam humani oris speciem assimilare, ex magnitudine caelestium arbitrantur: lucos ac nemora consecrant, Deorumque nominibus appellant secretum illud, quod sola reuerentia uident. Auspicia sortesque, ut qui maxime, obseruant. Proprium gentis, equorum quoque praesagia ac monitus experiri: publice aluntur iisdem nemoribus ac lucis, candidi et nullo mortali opere contacti, quos pressos sacro curru Sacerdos ac rex uel princeps ciuitatis comitantur, hinnitusque et fremitus obseruant. Est et alia obseruatio auspiciorum, qua grauium bellorum euentus explorant. Eius gentis, cum qua bellum est, captiuum, quoquo modo interceptum, cum electo popularium suorum, patriis quemque armis committunt: uictoria huius uel illius pro praeiudicio accipitur.* In principio huius libri scribit: Germanos celebrare *Tuistonem* Deum terra editum, et filium *Mannum*, Originem gentis conditoresque: Manno tres filios assignabant, e quorum nominibus proximi Oceano *Ingaeuones*, medii *Herminones*, ceteri

1) Amstelod. 1648. 8. et Halae Magd. 1728. 8. studio M. *Io. Iarkii* et cum praefatione *Io. Alb. Fabricii*. Scriptores plures commemorat *Fabricius* in bibliographia, pag. 254. quibus *Westphalii* monumenta inedita rerum Germanicarum tom. 4. et *Io. Ge. Stredowsky* sacra Morauiae historia lib. 1. cap. 5. 6. 7. 8. addere licet; et. *I. I. Masconii* historiam Germanorum, lib. 2. §. 35. seqq.

*) Est quidem a multis in eo reprehensus *Schedius*, quod nimium indulgeat ingenio, et tum audacioribus utatur coniecturis, tum saepe etiam aequo longius excurrat: quorum tamen alterum excusat *Fabricius* exemplo *Cluuerii*, alterum autem *Seldeni*, ratus, pensari utrumque eruditissimis rebus, quae eius libro comprehenduntur.

Iſtaeuones uocentur. Germani, pergit idem *Tacitus*, haec carminibus antiquis celebrabant, quod unum apud eos memoriae et annalium genus erat. Erant quoque illis carmina, quorum relatu, quem *Barditum* uocabant, accendebant animos, futuraeque pugnae fortunam ipſo cantu augurabantur; terrebant enim, aut trepidabant, prout ſonuerat acies. Nec tam uocis ille, quam uirtutis concentus uidebatur: affectabatur praecipue aſperitas ſoni et fractum murmur, obiectis ad os ſcutis, quo plenior et grauior uox repercuſſa intumeſceret. Eodem *Tacito* teſte, Germani *Herthum* quoque ſiue *Hertam* i. e. Terram matrem colebant, eamque interuenire rebus hominum credebant. *Herthus* autem ſiue *Hertha* nomen erat Matris Deum, quam Germani cum Attide honorabant.

§. 3. In uita Caroli M. a *Petro Pithoeo* publicata, annalibusque Veterum Francorum ab eodem editis, memoratur Saxonum Idolum, cui nomen *Irmenſula* 2) aut *Ermenſeul*, quod in Eresburgi arce, a Carolo M. expugnata, repertum eſt. Putant nonnulli eſſe Mercurium, ſimilitudine nominis Ἑρμῆς ducti; alii Martem eſſe arbitrantur. *Henricus Chriſtianus Henninius* in obſeruationibus ad Epiſtolas Tollii p. 31 cuiusdam Dei germanorum, cui nomen *Chrodo*, cuiusque ſchema Tab. LXXXII. *Fig. 2.* proferimus, mentionem facit: in ſtylobate ſenis cuiuſdam figura conſiſtit, nudo capite, qui pedibus magnum piſcem calcat; indutus eſt tunica ad mediam tibiam defluente et praecinctus faſcia, cuius extrema hinc inde dependent: manu ſiniſtra rotam tenet, dextra caniſtrum, fructibus floribusque plenum; quidam exiſtimauere eſſe Saturnum. Eodem libro p. 34 repraeſentatur alius ueterum Germanorum Deus nomine *Buſterichus*, *fig. 3*, cuius ſimulacrum uiſitur in arce Comitum de Schwartzburg, quae Sondershuſa dicitur: erat olim in arce Rottemburgenſi in monte ſita. Simulacrum hoc eſt ex metallo minus noto, manumque dextram Capiti imponit; ſiniſtra, quae femur tangebat, delapſa eſt.

§. 4. *Samuel Groſſerus* in hiſtoria Luſatiae typis data Lipſiae in fol. 1714. multorum huiusce regionis numinum figuram nomenque protulit. Primus Deus eſt *Prono*, qui iuſtitiae et fori curam gerebat *Fig. 4*: haſtam ille tenet atque clypeum, qui formam habet ſcutorum infimi aeui; ſecundo ſchemate repraeſentatur ille *Chrodo*, cuius paulo ante mentio facta eſt; hunc autem Groſſerus Slavos in ſilua Hercinia pro Saturno coluiſſe dicit; Tertium eſt *Trigla Fig. 5.* triplici uultu, eratque Diana illa Triuia dicta, quam plurimi eandem eſſe dicunt cum Hecate; Quartum Idolum eſt *Poreuithi* 3), *Fig. 6*, uir quinque capitibus inſtructus, qui ſpoliis praeſidebat. Quintum Idolum eſt *Suantouith Fig. 7.* ſtatua quatuor capitibus inſtructa; eratque Deus in regione illa praecipuus, quem pro Sole uel Apolline habebant; Sextum eſt *Radegaſti Fig. 8.* qui haſtam tenet et caput bouis in pectore geſtat, cuiusque capiti, aquila inſidet; ſeptimum eſt *Sivvae Fig. 9.* quae pro Venere habetur, ab aliis pro Dea uitae; octauum quendam *Flyns* repraeſentat, qui tribus diuerſis formis exhibetur. Prima *Fig. 10.* eſt forma hominis, magno pallio tecti, qui leonem humeris et capite ſuſtinet, magnamque facem tenet; ſecunda *Fig. 11.* ſceleton humanum eſt, leonem ſimili modo geſtans; tertia *Fig. 12.* hominis ſedentis rudi barbaroque modo concinnati, qui facem ſimiliter geſtat, corona exornatur, monſtroſosque pedes habet.

CAPVT VI.

De Religione Gallorum.

§. 1.

De religione Gallorum ueterum 1) multa nos docet I. Caeſar, quae monumentorum auctoritate firmantur; quotidie quoque alia monumenta e tenebris emergunt, quae quamplurima notatu digna oſtendunt, neque a *Caeſare*, neque ab alio ſcriptore commemorata. Eorum

2) De *Irmenſula*, *Chrodone*, *Büſtero*, ceterisque hic et §. 4. nominatis, et pluribus aliis, ſcriptores uide in *Fabricii* bibliogr. p. 255. et *Weſtphalii* praefationem ad tom. 4. p. 206 ſeqq. ubi et omnium imagines occurrunt.

3) Cum nomina *Poreuith*, *Suantovith*, *Rugievith*, in ultima ſyllaba conueniant, ſiue S. *Vitum* ſiue ſlauicam uocem, *lumen*, habere aliquis uelit: fuerunt, qui *Poriorum*, ſeu Poruſſorum, *Rugiorum* et *Venetorum* ſ. Vendorum nomina praepoſita putent, apud quos idem, ſed non eadem forma deus is fuerit.

1) Conf. *Jacques Martin*, benedict. congregat. S. Mauri, *de la religion des Gaulois*, Paris 1727. 2. uol. 4.



Numina Veterum Gallorum, qualia fuere 1. 2. 3. 4. Mercurii diversæ formæ. 5. Aesculapius. 6. Deæ Mairæ. 7. Krutzmannus sive Hercules Argentinensium. 8. Diana. 9. Dea Nehalennia. 10. Duo Druides, Sacerdotes Gallorum.

Eorum autem, quae dicentur, multa non ad Gallos modo, sed etiam ad Germanos et ad Hispanos spectant, et forte ad alias quoque nationes finitimas, quae in religione multa cum Gallis habuerunt communia. *Caesar* de Bello Gallico Lib. VI. c. 16. sq. ita loquitur: *Natio est omnis Gallorum admodum dedita religionibus, atque ob eam caussam, qui sunt affecti grauioribus morbis, quique in praeliis, periculisque uersantur, aut pro uictimis homines immolant, aut se immolaturos uouent, administrisque ad ea sacrificia Druidibus utuntur; quod, pro uita hominis nisi uita hominis reddatur, non posse aliter Deorum immortalium numen placari arbitrantur: publiceque eiusdem generis habent instituta sacrificia. Alii immani magnitudine simulacra habent; quorum contexta uiminibus membra uiuis hominibus complent, quibus succensis, circumuenti flamma exanimantur homines. Supplicia eorum, qui in furto, aut latrocinio, aut aliqua noxa sint comprehensi, gratiora Diis immortalibus esse arbitrantur. Sed quum eius generis copia deficit, etiam ad innocentium supplicia descendunt. Deum maxime Mercurium colunt; huius sunt plurima simulacra: hunc omnium inuentorem artium ferunt, hunc uiarum atque itinerum ducem, hunc ad quaestus pecuniae mercaturasque habere uim maximam arbitrantur. Post hunc Apollinem et Martem et Iouem et Mineruam: de his eandem fere, ac reliquae gentes, habent opinionem: Apollinem morbos depellere; Mineruam operam atque artificiorum initia transdere; Iouem imperium caelestium tenere; Martem bella regere. Huic, quum proelio dimicare constituerunt, ea, quae bello ceperunt, plerumque deuouent. Quae superauerint animalia, capta immolant; reliquas res in unum locum conferunt. Multis in ciuitatibus harum rerum exstructos tumulos locis consecratis conspicari licet. Neque saepe accidit, ut, neglecta quispiam religione, aut capta apud se occultare, aut posita tollere auderet; grauissimumque ei rei supplicium cum cruciatu constitutum est. Galli se omnes ab Dite patre prognatos praedicant, idque ab Druidibus proditum dicunt. Ob eam caussam spatia omnis temporis, non numero dierum, sed noctium finiunt; et dies natales, et mensium, et annorum initia sic obseruant, ut noctem dies subsequatur.* Mirum certe, *Caesarem*, quum Deos Gallorum enumerat, omisisse *Ditem* patrem aut Plutonem, a quo illi se prognatos gloriabantur. Victimas humanas, etiam *Dionysius Halicarnassеus*, Gallos suo tempore Saturno mactasse tradit.

§. 2. Vulgo creditur Mercurium, quem *Caesar* praecipuum Gallorum numen dixit, eundem esse cum *Theutate*, de quo *Lucanus* Pharsal. L. I. v. 144 ita canit

Et quibus immitis placatur sanguine caeso
Theutates, horrensque feris altaribus Esus.

cum quo conferri meretur *Lactantius* L. I. c. 21. *Galli Esum atque Theutaten humano cruore placabant.* Nec desunt, qui credant, *Hesum* uel *Esum* 2) esse Deum Martem et *Tharamin*, alium Gallorum Deum, eundem esse atque Iouem. Galli Apollinem etiam sub *Belleni* nomine (ita quidem putatur) colebant. Hercules quoque Gallorum Deus non praetermittendus est, quem cum Germanis habuere communem; sed si *Luciano* in Herc. Gall. credendum est, longe alia Gallis de Hercule suo sententia erat, quam Germanis.

§. 3. Mercurius itaque praecipuus Gallorum Deus erat, quem *Theutaten* appellabant, quae uox nomini *Thoth* uel *Thouth*, qui Aegyptiorum et Phoenicum Mercurius erat, finitima est. Nec minus certum est, Hispanos, qui in religione cum Gallis in multis conspirant, Mercurium agnouisse cognomine Theutaten. In noua Carthagine tumulus erat nomine *Mercurius Theutates*, teste *Tit. Liuio* Dec. 3. l. 6. c. 44. tumuli quippe terraeque acerui, qui in uiis erant, Mercurii (Ερμαῖοι λόφοι) uocabantur. Hunc Galli artium inuentorem, uiatorum Ducem et negotiatorum Deum habebant, et ad quaestum pecuniae opportunum, quae dotes magnum cultorum numerum pellicere poterant. Ex monumentis sane ad Mercurium pertinentibus, quae in Galliis detecta sunt, in diesque deteguntur, arguitur, eius cultum in hisce regionibus celeberrimum fuisse, non ante Caesarem modo, illiusque aeuo, sed etiam postquam Galli a Romanis subacti sunt. Qui *Tab. LXXXIII. Fig. 1.* prior offertur Mercurius a *D. Abbate Charlet Lingonensi* mihi transmissus est; prope Lingonas ille repertus est, crumenam altera manu, altera baculum tenet; quodque in eo singulare apparet, pinnae capitis animalis cuiuspiam auriculas non inepte referunt. Imago Mercurii *Fig. 2.* Bellouaci reperta Tab. LXXXIII

2) *Hesum*, uulgari errore pro Marte haberi, contendit *I. Georg. Eccardus*; ipse *Deum felicitatis* siue *sanitatis* habet, cuius symbolum uiscus fuerit. Vid. *Eccardi* epistolam ad *I. G. Krausium* in nouis litterar. 1718. Lips. latinis p. 173.

reperta anaglyphum est, in quo Mercurius praeter morem barbatus repraesentatur; petasum gestat dissimilem aliis, quibus ornari uulgo solet; pinnae solito sunt altiores; uestis paludamentum Romanum fere refert; dextra marsupium tenet, sinistra caduceum sine pinnis; inscriptio ita legitur: *Sacrum Mercurio Augusto Caius Iulius Healissus uotum lubens soluit merito.* Mercurii Augusti nomen forte significabit illius temporis Imperatorem forma Mercurii hic exhiberi. Si res ita se haberet, mirum non esset, si barbatus Mercurius appareat; sed nullum hic Imperatorem ex facie cognosco: attamen frequentissime in nummis aliisque monumentis occurrunt Imperatores et Augustae, Deorum forma, ut ii omnes, qui rem antiquariam uel primis labiis attigerunt, non ignorant.

§. 4. Monumenta Mercurii sequentia *Fig. 3.* et *4.* cum multis aliis in monte quodam Lotharingiam inter et Alsatiam reperta sunt: nomen monti *Framont*, quasi *Pharamundi mons*, uel *ferratus mons;* etymologia incerta. An ante subactas a Romanis Gallias haec monumenta posita sint, ignoratur; sed quae inscriptionem habent Latinam, illa omnino post additas Imperio Gallias concinnata uidentur; quum autem illa, quae inscriptione uacant, eodem sint sculpturae genere, rudi scilicet atque barbaro, eodem et ipsa tempore confecta uidentur. Primus hic Mercurius *Fig.* 3. petasum, pinnis ornatum, rudiuscule concinnatum habet, et quoddam quasi pallium; manu dextra marsupium tenet, quod marsupium esse uix crederemus, nisi commune esset Mercurii symbolum; sinistra manu caduceum fert; ad pedes illius animal quodpiam conspicitur, quod adeo barbare effictum, ut uix internoscas. Alter Mercurius *Fig. 4.* cuius pars capitis excidit, caduceo innititur, alteraque manu marsupium tenet, praecedenti non multum absimile; Ad eius pedes Gallus, Mercurii symbolum, conspicitur. Mulieris hic mammas habere uidetur, in quo a priore differt; sed quod in utroque obseruatu dignissimum est, in ima uentris parte duos annulos grandiores, alterum alteri inclusos habent, quo forte significatur, Mercurium nullius esse sexus.

§. 5. *Mars* Gallorum idem fuisse putatur, qui Hesus uel Esus, quem commemorauere *Lucanus* et *Lactantius;* huiusce Dei, quatenus a Gallis colebatur, nulla adhuc imago uisa est. *Iupiter*, qui idem esse putatur, atque *Tharamis* 3), in Anaglyphis Parisiensibus repraesentatus uisitur, aliis Iouis schematibus, quae Tomo primo magno numero dedimus, non est absimilis. Quod ad *Apollinem* Gallorum spectat, multi putant, illum eundem esse cum *Beleno*, quod admodum uerisimile uidetur; id enim probant hi *Ausonii* uersus de Professoribus Burdigalensibus

Carm. 4.

Tu Baiocassis stirpe Druidarum satus
Si fama non fallit fidem,
Beleni sacratum ducis e templo:
Et inde uobis nomina
Tibi paterae: sic ministros nominant
Apollinaris mystici.

et Carm. 10.

Non reticebo senem
Nomine Phoebitium,
Qui Beleni aedituus
Nil opis inde tulit.
Sed tamen, ut placitum,
Stirpe satus Druidarum
Gentis Aremoricae,
Burdigale Cathedram
Nati opera obtinuit.

Haec nomina *Apollinaris* et *Phoebitius*, Belenum hic memoratum Apollinem esse significant, a Gallis Aremoricis eo nomine cultum, quemadmodum Aquileiae Belenus colebatur; multae etiam urbis istius inscriptiones sic incipiunt, *Apollini Beleno*, ut uidere est in erudita Diatriba doctissimi *Philippi a Turre* 4) Episcopi Hadriensis. *Elias Schedius* in libro de Diis Germanorum p. 166. sq. Belenum pro sole habet, et numerum dierum totius anni in hoc nomine Graece scripto se reperisse putauit; quemadmodum Basilidiani eundem numerum reperiebant in nominibus Abraxas et Mithras; sed absque ratione sufficiente. Multae passim leguntur inscriptio-

3) Variant MSti codices *Lucani*, cuius notus est uersus, L. I. v. 446. et Tarani scythicae non mitior ara Dianae, alii Taranus, Tharanis, Tarami. *I. G. Eccardus* ex uoce *Taran*, quod Cambris Wallisque *tonitru* significat, illustrat, et Iouem Fulgeratorem esse credit.

4) In monumentis ueteris Antii; quae dissertat. aliaeque de diis Aquileg. leguntur etiam in bibliotheca italica Graeuiana tom. 16. add. et *Seldenus* cap. 1. syntagm. 2. alios nominat *Fabricius* bibliogr. p. 256. Beleni nomine Leibnitius et *Eccardus* Vulcanum intelligebant; uid. excitatam epistolam anni 1718. Forte utrumque locum habeat, si locorum diuersorum temporumque ratio habeatur. Apollinem hoc nomine cultum, dubium non est.

ſcriptiones *Apollini Beleno*, nulla uero *Soli Beleno* 5); etſi phyſice Apollo idem qui Sol habeatur, cultus tamen diuerſa numina faciebat.

§. 6. Alius Deus Gallicus, uti quidem uidetur, a uiro clariſſimo de Boze dono mihi oblatus eſt, fortaſſis Aeſculapius, *Fig. 5.* Vaſculum manu tenet, interula ſeu tunica aperta indutus eſt, Zonaque ſuccinctus, pallium ſiue chlamydem geſtat humeris. Metis et apud Lingonas Deae quaedam colebantur, quas *Mairas* uocabant; earum figuras anaglyphum Metenſe *Fig. 6.* prae ſe fert. Tres numero repraeſentantur, fructus quosdam manibus geſtantes in frontiſpicio templi, in cuius faſtigio haec inſcriptio: *in honorem domus diuinae Dis Mairabus Vicani uici pacis.*

§. 7. Quod ad Herculem Gallorum attinet *Lucianus* in Hercule Gallico de eo ita loquitur: *Celtae Herculem uocant Ogmium* 6), *huncque Deum inuſitata prorſus ſpecie depingunt; decrepitus eſt apud illos et caluus, reliquis capillis plane canis, cute rugoſa et atra, quales uulgo ſunt nautae ſenes; Charontem potius diceres aut Iapetum, aut quempiam ex iis, qui in profundo tartaro ſunt, quam Herculem. Ac licet huiusmodi ſit, tamen cultum et apparatum Herculis prae ſe fert; leonis quippe exuuiis indutus eſt, tenetque dextra clauam, pharetram habet appenſam, et arcum tenſum laeua oſtentat. In ſumma Hercules eſt; crediderim utique, tum in Graecanicorum Deorum contumeliam ſic eum perperam depingere Gallos; tum etiam, ut tali pictura ipſum ulciſcerentur, quod aliquando in regionem ſuam incurſaſſet, praedam abigens, quum, Geryonis armenta quaerens, occidentales regiones percurreret. Nondum dixi, quod in imagine erat maxime mirandum; ſenex ille Hercules hominum ingentem multitudinem trahit, omnes ab auribus reuinctos: uincula, quibus id facit, tenues ſunt catenae ex auro electroque, pulcherrimis monilibus ſimiles: attamen licet tam debilibus teneantur uinculis, neque fugam meditantur, neque uel tantillum reluctantur, aut pedibus obnituntur, ſed lubentes ſequuntur et laeti, ducentem laudantes, et, quod anteuertere uelint, uinculum laxantes, quaſi grauiter laturi, ſi ſoluerentur. Quod autem abſurdiſſimum uidebatur, quum neſciret pictor, ubi ſummas catenas necteret, quia Hercules dextra clauam, ſiniſtra arcum teneret, perforata eius lingua, ex hac illos trahi curauit: ille uero ad eos, quos ſic trahit, conuerſus, ipſis arridet.* Adiicit poſtea idem *Lucianus*, a Gallo quodam aenigma hoc ſibi enucleatum eſſe, qui docuerit, Gallos non perinde atque Graecos credere, Mercurium eloquentiae Deum eſſe, ſed Herculem potius, quod Mercurio longe fortior eſſet; ſenemque depingi Herculem, quod ſecundum Graecos ipſos in ſenectute eloquentia perfecta eſſet; et catenulas illas, linguae Herculis innexas, et ab altera parte auditorum aures uincientes, uim orationis indicare, qua auditores pelliciebat. Vtrum ficta an hyperbolica ſit haec *Luciani* deſcriptio, non diſcutiam; ipſe ſe uidiſſe et admiratum eſſe perhibet. Hercules ille, cuius imaginem *Fig. 7.* exhibet, aeneus eſt, ac uulgaris ſtaturae. Olim in templo Cathedrali argentinenſi in Capella quadam S. Michaelis fuit: hodie Iſſiaci uiſitur in uilla quadam Mareſchalli d'Etrées prope Lutetiam. Germanice hoc ſimulacrum uocabatur *Krutzmann*, id quod lingua priſca Teutonica uirum craſſum denotat, ſiue, ut alii malunt, uirum fortem belloque ſtrenuum. Hic Hercules aliarum huius herois ſtatuarum more delineatus eſt, ſed rudi opere. Manu dextra ingentem clauam tenet, terra nixam, quae nodis exſciſſisque ramis admodum hirſuta eſt. Altera manu leonis pellem tenet, cuius pars in anteriora corporis reducitur.

§. 8. Diana ſequens *Fig. 8.* circa annum 1718. ex terra eruta fuit, in monte, cui nomen Fourcognei, in Lotharingia prope parochiam S. Martini. Archetypum 16. pollicibus altum eſt, ac totidem pene latum. Vultus olim minio depictus erat, cuius ueſtigia remanent; ceterum imperiti artificis eſt. Hanc Dianam Galli magno cultu proſequebantur. Huic *Fig. 9.* addimus Deam *Nehalenniam* 7) ad annum usque 1647, quo in Zeelandia primum detecta fuit, ignotam. *Oliuarius Vredius* in Hiſtoria Comitum Flandriae, in addit. ad lib. 1. prodrom. II. p. 51. huius Deae quatuordecim imagines protulit cum inſcriptionibus, quae nomen illius clarius indicant. Quum autem iſtiusmodi imagines pleraeque inter ſe ſimiles ſint; unam hic exhibuiſſe ſufficiat. Hic autem Dea haec Nehalennia ſedet, in ſinu calathum ua-

Bbb riis

5) Hoc non impedit, quo minus Belenus ſol fuiſſe credatur. Ceterum conferri poteſt diſſertatio *Huetii*, an ſol et Apollo idem, tom. 1. pag. 422, usque ad p. 438. collectionis Abbatis *Tilladet*, à la Haye 1714.

6) *Ogmius*, *Toland* in collection of ſeveral pieces of Toland, *London* 1726. 8. tom. 1. epiſt. 1. ſect. 11. celticum nomen dicit, idem ualens ac *litterarius*, eruditus; *ogum*, *ogma* dictum fuiſſe alphabetum irlandicum.

7) Vid. *Keysleri* antiq. ſeptentrionales, p. 236. ſqq.

riis pomis et fructibus repletum geſtans; ad latus eius dextrum canis eſt, ad ſiniſtrum calathus alius fructibus plenus. Inſcriptio ita legitur: *Deae Nehalenniae Dacinus Liffionis filius uotum ſoluit lubens merito.*

§. 9. Tandem de *Druidibus* 8), qui apud Gallos ueteres ſacris operabantur, pauca adhuc monenda ſunt. *Druides*, inquit *I. Caeſar* de Bello Gallico Lib. VI. c. 13. ſq. *rebus diuinis interſunt, ſacrificia publica ac priuata procurant, religiones interpretantur. Ad hos magnus adoleſcentium numerus diſciplinae cauſſa concurrit, magnoque ii ſunt apud eos honore. Nam fere de omnibus controuerſiis, publicis priuatisque, conſtituunt; et, ſi quod eſt admiſſum facinus; ſi caedes facta; ſi de hereditate, de finibus controuerſia eſt, iidem decernunt; praemia, poenasque conſtituunt: ſi quis aut priuatus, aut publicus, eorum decreto non ſtetit, ſacrificiis interdicunt. Haec poena apud eos eſt grauiſſima. Quibus ita eſt interdictum, ii numero impiorum ac ſceleratorum habentur; iis omnes decedunt; aditum eorum ſermonemque defugiunt; ne quid ex contagione incommodi accipiant; neque iis petentibus ius redditur, neque honos ullus communicatur. His autem omnibus Druidibus praeeſt unus, qui ſummam inter eos habet auctoritatem. Hoc mortuo, ſi quis ex reliquis excellit dignitate, ſuccedit. At, ſi ſunt plures pares, ſuffragio Druidum adlegitur; nonnumquam etiam de principatu armis contendunt. Ii certo anni tempore in finibus Carnutum, quae regio totius Galliae media habetur, conſidunt in loco 9) conſecrato. Huc omnes undique, qui controuerſias habent, conueniunt, eorumque iudiciis decretisque parent. Diſciplina in Britannia* 10) *reperta, atque inde in Galliam translata exiſtimabatur. Et nunc, qui diligentius eam rem cognoſcere uolunt, plerunque illo diſcendi cauſſa proficiſcuntur. Druides a bello abeſſe conſueuerunt, neque tributa una cum reliquis pendunt, militiae uacationem, omniumque rerum habent immunitatem. Tantis excitati praemiis, et ſua ſponte multi in diſciplinam conueniunt, et a propinquis parentibusque mittuntur. Magnum ibi numerum uerſuum ediſcere dicuntur. Itaque nonnulli annos uicenos in diſciplina permanent; neque fas eſſe exiſtimant, ea litteris mandare, quum in reliquis fere rebus, publicis priuatiſque rationibus (Graecis) litteris utantur. Id mihi duabus de cauſſis inſtituiſſe uidentur; quod neque in uulgus diſciplinam efferri uelint; neque eos, qui diſcunt, litteris confiſos, minus memoriae ſtudere. Quod fere plerisque accidit, ut praeſidio litterarum diligentiam in perdiſcendo et memoriam remittant. In primis hoc uolunt perſuadere, non interire animas, ſed ab aliis poſt mortem tranſire in alios* 11), *atque hoc maxime ad uirtutem excitari putant, metu mortis neglecto. Multa praeterea de ſideribus atque eorum motu, de mundi ac terrarum magnitudine, de rerum natura, de Deorum immortalium ui ac poteſtate diſputant, et iuuentuti tradunt.*

§. 10. *Strabo* quaedam a Caeſare praetermiſſa ſic explicat: *Apud Gallos tria ſunt hominum genera, quae magno in honore habentur, Bardi, Vates et Druides. Bardi cantilenas canunt, poetaeque ſunt; Vates ſacrificant, et rerum naturalium diſciplinae philoſophiam moralem adiiciunt; ut magni iuſtitiae ſectatores habentur; ideoque ipſis negotiorum tum publicorum tum priuatorum iudicium defertur. Antehac illi ciuilia bella ſopiebant, factionesque iam ad proeliandum paratas mutuo reconciliabant. Galli putant, creſcente Druidarum numero, fructuum terrae copiam abundantiamque eſſe. Tam Druides, quam Galli ceteri putant, animas et mundum corruptioni non eſſe obnoxios, ſed tempus futurum, quo ignis* 12) *et aqua dominium obtinebunt.*

§. 11. Inter praecipua Druidarum ſacra nullum maius caerimonia illa, quam circa uiſcum

8) De *Druidibus* uerboſiora exſtant commentaria *I. G. Frikii* diſſ. de Druidis occidentalium populorum philoſophis Vlmae 1731. 4. quam in criticis collect. Lipſ. faſciculo 5. p. 69. ſeqq. excerptam legere licet, melior et auctior prodiit 1744. et *I. Tolandi* excitato loco, plures ſcriptores nominantur in *criticis collectionibus* ad hiſtoriam L. germanicae etc. faſciculo 2. 1732. pag. 327. adde *I. Martin* explication de divers monumens pag. 122. ſeqq. et hiſtor. uniuerſam tom. 4. §. 566. a) id addendum, etiam Germanis tales ſacerdotes fuiſſe, licet Druidarum nomen non legatur, ut adeo non Gallorum tantum fuerint.

9) Correxit iam *C. S. Schurzfleiſchius*, *luco*, in diſſertat. de inſtitutis ueterum Druidarum, Witteb. 1697. 4.

10) *Plinius* et *Tacitus* non conſentiunt; *ſed Caeſari* plus fidei adhibent, qui anglicarum rerum uetuſta monumenta excuſſerunt. Vid. *Seldeni* Acta anglo-britannica; uolum. 2. opp. tom. 2. p. 861. ſeqq. et *Frickium*. *Martin* Gallos primum in Britanniam inuexiſſe religionem; ſed bellorum uariis turbis interpellatam inde denuo repetiisſe, putat.

11) Qui cum Pythagorae μετεμψυχωσει conferunt, non ſatis certi interpretes uidentur. Vid. *Martin* tom. 1. p. 184. ſeqq. et *Frickium*.

12) Vnus omnino *Strabo* haec narrat; quae ſi uera ſint, ad Stoicorum opinationes accedunt.

ſcum ſeruabant, qua de re *Plinius* l. 16. c. 44. *Nihil habent Druidae, ita ſuos appellant magos, uiſco et arbore, in qua gignatur, ſi modo ſit robur, ſacratius. Iam per ſe roborum eligunt lucos, nec ulla ſacra ſine ea fronde conficiunt, ut inde appellati* 13) *quoque interpretatione Graeca poſſint Druidae uideri. Enimuero quidquid adnaſcatur illis, e caelo miſſum putant, ſignum eſſe electae ab ipſo Deo arboris. Eſt autem id rarum admodum inuentu, et repertum magna religione petitur, et ante omnia ſexta luna, quae principia menſium annorumque his facit et ſaeculi poſt triceſimum annum, quia uirium iam abunde habebat, nec ſit ſui dimidia. Omnia ſanantem appellantes ſuo uocabulo, ſacrificiis epulisque rite ſub arbore praeparatis, duos admouent candidi coloris tauros, quorum cornua tunc primum uinciuntur. Sacerdos candida ueſte cultus arborem ſcandit, falce aurea demetit, candido id excipitur ſago; tum deinde uictimas immolant, precantes, ut ſuum donum Deus proſperum faciat his, quibus dederit. Foecunditatem eo poto dari cuicunque animali ſterili arbitrantur, contraque uenena omnia eſſe remedio. Tanta gentium in rebus friuolis plerunque religio eſt.*

§. 12. Eorum, quae *Plinius* hic enarrat, partem non minimam, mire expreſſam in anaglypho Auguſtodunenſi, quod in libro *Auberii* de antiquitatibus Auguſtodunenſibus exhibetur, cernimus. In hoc autem *Fig. 10.* hinc Druida uiſitur, quernis foliis coronatus, quod utique cum uerbis *Plinii* conſentit, qui Druidas ſine fronde iſta nulla ſacra facere docet. Eſt autem forte ſacrificus, quin immo Druidarum Princeps, de quo ſupra Caeſar, qui tantam in ceteros Druidas habebat auctoritatem, ſceptro, quod altera manu tenet, ſignificatam. Alter Druida ad huius latus non quernis foliis coronatur, ſed manu dextra tenet lunam bicornem, qualem ſexta die lunae uidemus. Et hoc conuenit cum ſcrupuloſa illa Druidarum religione, qua uiſci caeremoniam nonniſi ſexta lunae die celebrabant; ut nihil dubii ſubſit, quin luna bicornis ad hunc Druidarum ritum reſpiciat.

§. 13. Druidarum porro ſecta Aſtronomiae ſtudio admodum dedita fuit; et quia illa ſexta dies prae omnibus ad uiſci caerimoniam requirebatur, Aſtronomus Druida hic bicornis lunae figuram geſtat ea magnitudine, qua die ſexta conſpici ſolet. Selaginis etiam, herbae cuiuspiam ſic nominatae, caerimonia, apud Druidas admodum erat uſitata, auctore *Plinio* 24, 11. legebatur illa manu dextra ſine ferro per tunicam, *qua ſiniſtra exuitur uelut a furante, candida ueſte ueſtito, pureque lotis nudis pedibus, ſacro facto, priusquam legatur, pane uinoque, ferturque in mappa noua. Hanc contra omnem perniciem habendam prodidere Druidae Gallorum, et contra omnia oculorum uitia fumum eius prodeſſe. Iidem Samolum herbam nominauere naſcentem in humidis; et hanc ſiniſtra manu legi a ieiunis, contra morbum ſuum boumque, nec reſpicere legentem, nec alibi quam in canali deponere ibique contererepoturis.*

§. 14. Alia Druidarum, eodem *Plinio* teſte, ſuperſtitio erat circa ſerpentum oua 14), quae ex plurimorum ſerpentum conuolutorum ſaliua naſcebantur. Druidae dicebant, ſibilis ſerpentum ea oua in ſublime iactari, ſagoque oportere intercipi, ne terram contingerent; profugere raptorem equo; ſerpentes enim inſequi, donec arcerentur amnis alicuius interuentu. Experimentum autem eiusmodi ouorum hoc eſſe dicebant, ſi contra aquas fluitarent uel auro uincta: atque, ut eſt magorum ſolertia occultandis fraudibus ſagax, certa luna capienda cenſebant: ad uictoriam in litibus obtinendam mire laudabantur. Claudius certe Imperator equitem Romanum e Vocontiis non aliam ob cauſſam occidit, quam quod in lite eiusmodi ouum in ſinu ſuo geſtaret.

§. 15. Diuinatio quoque apud Druidas in uſu erat, eamque immanem in modum exercebant, ut tradit *Diodorus Siculus* lib. 5. p. 308, hominem enim immolabant, ſupra diaphragma ipſum transfodiendo; et ſi homo ille cadebat, ex lapſu illius, palpitatione, defluente ſanguine et motibus corporis diuinabant. *Cicero* tamen L. I. de Diuin. c. 40. cum de diuinatione eorumdem loquitur, nihil eiusmodi prodit. *In Gallia Druides ſunt, e quibus ipſe Diuitiacum Aeduum, hoſpitem tuum laudatoremque cognoui: qui et naturae rationem, quam Phyſiologiam Graeci appellant, notam eſſe ſibi profitebatur, et partim auguriis, partim con-*

13) Hoc ueriuerbium pluribus placuit; alii ex *deru* uoce Celticobritannica, quercus; quod ipſum alicubi Tolandus uult; alibi autem *Drud* praefert, uocem britannicam, quae uindex crudelis, audax, etc. ſignificet. Incertiores etymologias commemorare nihil attinet.

14) Talia colligentem Druidam *Eccardus* reperiſſe ſibi in eo uiſus eſt, quod alii Herculem cum Hydra interpretabantur. Vide noua litteraria 1718. pag. 175. *Martin* ad *ouum mundi* reſpiciendum eſſe auguratur; quod non uidetur.

lectura, quae essent futura, dicebat. Tiberius, teste *Plinio* l. 30. c. 1. Druidas ex Galliis expulit: ex illo tamen tempore eosdem rursus in aliqua existimatione fuisse putant; quandoquidem secundum *Lampridium*, quum Alexander Seuerus ad expeditionem, ex qua numquam rediit, proficisceretur, mulier Druias exclamauit: *Vadas nec uictoriam speres, nec militi tuo credas.* Superstitio illa profanorum Deorum in Galliis regnabat adhuc Saeculo quinto, imo etiam sexto. *Gregorius Turonensis* in uita S. Simplicii narrat, fuisse simulacrum Berecynthiae, quae eadem est atque Cybele, quod curru uehebatur per campos et uineas ad fructuum terrae conseruationem; idololatrae uero illi ante statuam Deae cantabant et saltabant. Impios miseratus sanctus, preces emisit, ac signum crucis edidit: statim idolum in terram delabitur, currus trahentesque boues immobiles fiunt. Populus uictimas immolat, boues stimulat percutitque, sed incassum. Ex coetu quadringenti dicunt: si numen est, iam surgat, boues incedere curet; si ne ipsa quidem potest moueri, hinc liquet, nihil in illa diuinum esse; aliam tunc uictimam immolant, quumque Dea non magis moueretur, Christo nomen suum dedere.

§. 16. De templis denique Gallorum hoc addendum, quod antequam Galli in potestatem Romanorum peruenerint, superstitioni admodum dediti fuerint, et templa plurima construxerint, et quamuis auari admodum essent, ut dicit *Diod. Sic.* l. 5. p. 305. auri plurimum in ea coniecerint, Diisque consecrauerint, ut eos sibi propitios redderent. De forma illorum templorum apud Scriptores nihil occurrit; quum illis diuitias commemorasse suffecerit. I. Caesar, qui Gallos subegit, templa illa omnia expilauit; uti, teste Suetonio, urbes quoque multas diruit, saepius ob praedam, quam ob delictum; unde factum, ut auro abundaret. Templa omnia Octangula fuisse deprehendimus, quam formam Gallos ueteres in aedificiis suis, cuiusuis ea generis essent, libentius adhibuisse comperimus. Pharus Bononiae ad Oceanum, turris magna Nemausi, Matinionensis insuper turris, atque illa, quae in coemiterio Innocentium Lutetiae hodieque uisitur, omnes octangulae sunt. Templa Gallorum octogona, quot quidem eorum ad notitiam meam peruenerunt, haec sunt: 1.) Templum Montis Morillionis in Pictauis, omnium sane spectabilissimum, 2.) Templum in loco, cui nomen *Coursault* prope Dinantium in Armoricis; 3.) Templum in loco cui *Erqui* nomen, in dioecesi Briocensi, cum aliis aedificiis murisque ad templum ipsum pertinentibus; 4.) Templum Aigurandae apud Bituriges, cuius suburbium in Marchia sic dicta prouincia est. 5.) Templum in suburbio Lemouicum prope Ecclesiam poenitentium Nigrorum, quod dirutum, cuiusue nullum uestigium; sed uiri fide digni se illud uidisse testantur, 6.) Templum in loco, cui nomen Vertillac, in Marchia, 7.) Templum in suburbio oppidi, cui nomen Felletium, in eadem prouincia.

CAPVT VII.

De Diis Hispanorum et Carthaginiensium.

§. I.

Cum Gallis Hispani in rebus ad religionem pertinentibus consensisse putantur; superstitionibus tamen sibi propriis in quibusdam dediti fuerunt; de quibus nihil fere amplius scimus; sique Scriptores aliqui longas hac de re dissertationes in uulgus ediderunt, non magnam sane lucem obscurissimis hisce rebus affundunt. *Lusitani*, (*Strabo* lib. 7. p. 106.) *saepe sacrificia offerunt, atque exta curiose scrutantur, non secant ea tamen: uenas etiam laterum explorant, et tactu quoque ad diuinationem utuntur. Exta autem captiuorum ad uaticinia dispiciunt, earumque cadauera sagis operiunt: horum uiscera dissecant, uatesque ex cadauere uaticinium profert. Eorumdem captiuorum dexteras manus amputant, diisque consecrant. Montani omnes simplici more uiuunt, humi cubant, longoque capillitio, ut mulieres, utuntur: in pugnam procedunt crinibus fascia colligatis; capellas ut plurimum comedunt, Martique hircos, captiuos et equos mactant.* Accitani, alius Hispaniae populus, teste *Macrobio* Saturnal. lib. I. c. 19. *simulacrum Martis radiis ornatum magna religione celebrant, Neton* 1) *uocantes.* Callaici ut dicit *Strabo* p. 113. Deos nullos colere a quibusdam dicebantur.

1) Editiones aliae *Necyn.*

bantur. Celtiberi et illi, qui partes Septentrionales Hiſpaniae incolebant, Deum anonymum colebant in plenilunio per totam noctem ſaltantes ante portas ſuas cum familia tota. Paditani Herculem honorabant, templa ipſi conſtruebant et ſacrificia offerebant; iſtic erant columnae 2) illae celeberrimae, quas quidam portas eſſe putarunt.

§. 2. *Gruterus* tredecim inſcriptiones refert in Hiſpania repertas loco, cui *Villa Vitioſa* nomen, quae omnes Deum *Endouellicum* aut *Endouelicum* aut *Endobolicum* reſpiciunt; quo haud curate conficitur, cultum illius iſtis in partibus celebrem fuiſſe; quis autem ille Deus fuerit, non liquet 3) *).

§. 3. Carthaginienſium religionem a Phoenicibus ortam eſſe, dubio caret, eandemque fuiſſe, quae apud Tyrios et Sidonios exercebatur. A maioribus ſcilicet Phoenicibus cultum *Saturni* 4) acceperant, cui filios mactabant. *Phoenices*, teſte *Euſebio* oratione in laudem Conſtantini, *quotannis Saturno immolant dilectos unicosque filios ſuos*; idem *Ennius* de Carthaginienſibus cecinit, *Poeni ſont ſoltei ſos ſacrificare puellos. Iuſtinus* l. 18, c. 6. de iisdem Carthaginienſibus ita loquitur: *quum inter cetera mala etiam peſte laborarent, cruenta ſacrorum religione et ſcelere pro remedio uſi ſunt; quippe homines ut uictimas immolabant, et impuberes aris admouebant, pacem Deorum ſanguine eorum expoſcentes, pro quorum uita Dii rogari maxime ſolent. Ipſos immolabant*, dicit *Plutarchus* de ſuperſtitione, *ceu agnos et auiculas.* Quum ab Agathocle uicti eſſent, (*Diodorus Siculus* narrat l. 20.) *cladem ſuam irato Saturno imputauerunt, quod alios pueros in filiorum, qui mactandi erant, locum ſubſtituiſſent; quod peccatum ut expiarent*, inquit *Plutarchus*, *inter nobiliores primoresque ducentos pueros delegerunt immolandos. Praetereaque fere trecenti, ſeſe reos putantes, ad Sacrificium ſponte ſe obtulerunt.* Conf. *Lactantius* l. I. c. 21. In hoc autem ſacrificio, teſte eodem *Plutarcho*, tibiarum tympanorumque ſtrepitus tantus erat, ut clamor gemitusque mactandorum puerorum non audiretur. Matres ſine gemitu et fletu aderant; ſed ſi gemitus uel inuitis erumperet, pecuniae multa imponebatur, puerque nihilominus mactabatur. Poſtquam urbs ipſorum, a Romanis deleta, inſtaurata fuit, cruentam hanc ſuperſtitionem renouarunt; et licet Tiberius Imperator id uetuerit, et ſacerdotes, tale ſacrificium offerentes, arboribus ante ingreſſum templi poſitis, ſuſpendi iuſſerit: non tamen ideo penitus ceſſatum eſt; uerum res clam exercebatur adhuc *Tertulliani* tempore, quod in Apologia teſtatur. Tanta erga Saturnum reuerentia tenebantur, ut eius nomen ne proferre quidem auderent, *Senem potius quam Saturnum dicentes*, ut dicit *Auguſtinus*.

§. 4. Aliud numen a Carthaginienſibus ſummopere cultum *Iuno* fuit, quam pro ſeruatrice habebant, quod ipſis plus quam aliis gentibus opitularetur. Oues illi mactabant, et tantus iſtic erat Deae huius cultus, ut ipſa Carthago nonnumquam Iunonia nuncuparetur. Vraniam quoque ſiue Caeleſtem 5) illam, quae per totam Africam colebatur, adorabant; ſub hac autem uel Venerem uel Lunam, ſeu potius utramque intelligebant. Iouem item colebant, Apollinem, eiusque filium Aeſculapium; quorum poſtremum inprimis uenerabantur, quod ipſum matre Poena natum eſſe credebant. Templum erat in arce, cui nomen Byrſa, Aeſculapio dicatum. Neptunus, Mars, Hercules, maximaque pars Graecorum numinum Carthagine honorabantur. Cybele quoque in numero Deorum hic cenſebatur, quandoquidem eius miniſtri Carthagine 6) uiſebantur mendicantes eo modo, quem Tomo I. pag. 5. deſcripſimus. Praeter hoſce Deos adhuc alii erant huic religioni peculiares, qualis Dido, alio nomine *Eliſſa* 7) dicta, cui diuinos honores conferebant. *Aſtarte* item, quae quidem

2) *Mela* lib. I. c. 5. eſt mons praealtus, ei, quem ex aduerſo Hiſpania attollit, obiectus; hunc *Abylam*, illum *Calpen* uocant; *columnas Herculis* utrumque.

3) De Deo *Endouellico* exſtat exercitatio *Reineſii* 1636. 4. Altenburgi, et a *Graeuio* recuſa in Syntagmate diſſert. rariorum 1701 4. Vltraj. *Wormius* in de *corruptis* antiq. hebr. ueſtigiis lib. 2. c. 11, magnetem facit hunc deum, ἐνδον βελος, *intus acus*, quod eſt uaticinari.

*) Eſt etiam *Togotis*, alius cuiusdam ueterum Hiſpanorum ἐπιχωριον Θεον, memoria reperta in monumentis antiquis, de quo, quis fuerit, aeque minus conſtat. *Reineſius* in epiſt. XXXV. ad Rupert. p. m. 239. in fin. ſeqq. nonnulla de eo, nec ſine omni probabilitate diſſerit, illumque Deum barbarum et indigenam Hiſpaniae Tarroconenſis, et in hac maxime Carpetanorum, utramque Tagi ripam adcolentium, fuiſſe, contra *Marianam* defendit, qui in praef. ad lib. I. de rege et regis inſtitut. *Dianam* hoc nomine cultam fuisſe coniecit. Conf. etiam epiſt. XXXIV. *Ruperti* ad *Reineſ.* p. m. 205. ubi eiusmodi monumentum, *Togotis* faciens mentionem, exhibetur.

4) Confer. *Seldenus* cap. 6. ſyntagm. 1.

5) Vrania Africana cum Aſtarte et Iunone omnino eadem habenda. Vid. *Seldenum* cap. 2. Syntagm. 2.

6) Hoc quidem argumentum uix ſufficit; niſi aliunde conſtaret.

7) Eliſſam cum Didone eamdem eſſe, ex quorundam ſententia, tradit *Velleius* lib. I. c. 6. Aliud nomen Didoni fuiſſe, ὠειγω narrat *Euſebius*, quod, quale ſit, aut unde hauſerit, ignorare ſe fatetur

cum Iunone eadem eſſe dicitur; nec non *Anna Perenna*, Didonis illius ſoror; immo Hamilcar et Hannibal a Carthaginienſibus inferioris aeui Deorum nomine culti ſunt; quibus tandem addendi *Encaddires* illi et *Abbadires* 8) quorum *Auguſtinus* in Ep. ad Maximum Madaurenſem mentionem facit.

ANTIQVITATIS

EXPLANATIONE ET SCHEMATIBVS ILLVSTRATAE

TOMVS TERTIVS

omnia ea complectens, quae tum apud Graecos, tum apud Romanos ad uitae uſum pertinent;

CVIVS PARS PRIOR DE VESTIBVS, uaria ſupellectili et aliis uaſis, nummis, ponderibus atque menſuris agit.

LIBER PRIMVS

DE

VESTIBVS GRAECORVM ROMANORVM, ALIARVMQVE GENTIVM, ET VARIIS ORNAMENTIS 1).

CAPVT I.

De tunica, calaſiride, chlamyde, chlaena ſ. laena et pallio.

§. 1.

Quae ad cultum Deorum actusque humanos numinum reuerentiam honoremque ſpectantes pertinent, quum hucusque pertractauerimus: Tomo hoc tertio ad ea procedimus, quae uitae uſum reſpiciunt, ab hominibus tum ad neceſſitatem, tum ad commoditatem et uoluptatem, excogitata. Agemus itaque hic de ueſtibus, fibulis, aliisque ornamentis, et calceis; de domibus uariisque earum partibus, nec non praecipuis aedium ſupellectilibus atque uaſis; menſura, aſſe eiusque partibus, monetis, menſuris et ponderibus, nec non de ſeptem orbis miraculis, aedificiis publicis et ſymbolis regionum, urbium et fluminum; quae omnia priorem huius Tomi partem abſoluent. Parte poſteriori de balneis, thermis, connubiis, annulis et ſigillis, theatris et amphitheatris, ludis magnis Graecorum, de circo et pompis, ſaltatione, naumachia, uenatu et piſcatu, deque artibus et uariis earum inſtrumentis agetur.

§. 2. Vti ex omni re antiquaria praecipue ſpectabilis atque utiliſſima fere eſt pars illa, quae circa ueſtes cuiusque generis uerſatur; ita etiam reliquis eſt obſcurior Pari quippe difficultate plurimarum ueſtium, a Graecis Latinisque Scriptoribus commemoratarum, formam examinamus; et quamuis illam uaria nobis monumenta repraeſentent, de uero tamen cuiusuis nomine, dubii ſaepe haeremus.

§. 3.

Voſſius de idololatria lib. I. c. 32. Deriuari poſſit ab הרג, occidit. Nam *Euſtathius* ad *Dionyſium* exponit *Dido*, ἀνδροφόνος, interfectrix uiri; quod cum הרג conuenit.

8) *Abbadir*; Gloſſae *Iſidori* et Priſcianus lapidis mentionem faciunt, in iſtas gloſſas ex Auguſtino, ut centum alia, deriuatum fuit.

1) De re ueſtiaria ſcriptores magno numero collegit *Fabricius* in bibliograph. cap. 18. p. 561. qui plerique habentur tomo 6. theſauri Graeuiani, et tomo 9. *Gronouii*, Ioſ. Laurentii de re ueſtiaria.

§. 3. Vſitatiſſimum apud Graecos ueſtimenti genus 2) erat χιτὼν *tunica*, quae ad genua, et nonnumquam ad talos usque defluebat, atque haec longior in ſpecie ποδήρης χιτὼν, *tunica talaris*, uocabatur. Στολὴ pro quolibet ueſtimentorum genere, tum uirili, tum muliebri, ſumebatur. Tunica Graecorum manicis iisque anguſtis inſtructa fuit, quum Romani 3) manicis latioribus et breuioribus, quae ne quidem ad cubitum usque pertingebant, uterentur; id quod in multis ſtatuis facile obſeruatur. Praeter hanc tunicam exteriorem multi aliam interiorem 4), quae corpori adhaerebat, χιτωνίσκον, (Romanis eſt *interula* uel *ſubucula*) geſtare ſolebant. Ab initio tunicae illae, ſaltem quae uiris in uſu erant, laneae fuerunt. Linearum enim ueſtium uſus ante tempora Alexandri Seueri, qui *Lampridio* teſte (c. 40.) primus lineis ueſtibus utebatur, minus uſitatus erat, nec etiam tum ab omnibus receptus uidetur; uti nec liquet, utrum uox *linum* pro ueſte interiori, interula uel ſubucula, ſumenda ſit, nec ne. Subucula certe, quae *Horatio* L. I. Ep. I. v. 95. idem eſt ac induſium, interiorem tunicam, corpori proxime adhaerentem, quae eo tempore adhuc lanea fuit, denotat. Linteamentorum uſus ad interulas, quae hodie induſia dicuntur, poſterioribus demum ſaeculis inductus uidetur.

§. 4. Mulieres ueſtibus lineis prius, quam uiros, uſas eſſe, uel ex eo colligitur, quod Varro, *Plinio* l. 19. c. 1. teſtante, dicit, in Serranorum familia feminas ueſte linea non uti, gentilitium eſſe; ex quo haud inepte inferimus, ueſtium linearum uſum Romanis mulieribus admodum fuiſſe antiquum; quoniam contemtus illarum in familia illa Serranorum, tanquam ſingulare quid obſeruatur. Inter Graecos lini linearumque ueſtium uſum iam antiquitus obtinuiſſe, uel ex eo patet, quod linum ex uariis regionibus in Graeciam aduexerint; ſiquidem lini Colchidis ſ. Sardonici, lini Aegyptii etc. paſſim mentio fit. Sic etiam *Pauſanias* in Boeot. expreſſe narrat, quod, qui in antrum Trophonii intrabant, linea ueſte fuerint induti. Quo uero tempore Graeci χιτωνίσκους illos ſiue interulas primum ex lino concinnarint, ignoramus.

§. 5. Peculiare ueſtimenti genus erat *Calaſiris* ſeu tunica linea, fimbriis exornata, quam inprimis Aegyptii Sacerdotes, ſub exteriori ueſte lanea, geſtabant, quum templum intrantes ueſtes laneas deponebant; quod non niſi lineis ingredi illis licebat. Sic Calaſiris illa ipſis loco tunicae et interulae ſimul fuiſſe uidetur; eademque etiam Graecis in uſu fuiſſe putatur. Caeterum lini linteorumque uſum ex Aegypto in Graeciam tranſiſſe, uel ex eo conficimus, quod Sacerdotes Iſidis et Anubidis, quibus laneis in ueſtibus templum intrare non licebat, lino ueſtiebantur. Nec defunctorum corpora laneis pannis circumdare licuiſſe, ex eo patet, quod Mumias omnes, ut uocant, lineis faſciis inuolutas uidemus.

§. 6. *Chlamys*, χλαμὺς, uetuſti apud Graecos uſus, etiam ad Romanos tranſit. Hanc ceu pallium tunicae ſuperinduebant; de forma illius nil certi dici poteſt. Quidam chlamydem id ipſum fuiſſe contendunt, quod Romanorum toga; alii ueroſimilius illam a ſago, aut paludamento, non differre perhibent 5). Graeci hoc ueſtimenti genere domi militiaeque utebantur, ut ex pluribus Auctoribus arguitur. A plerisque pro ueſtimento habetur aperto, quod ad dextrum humerum quadam fibula annectebatur, ita ut latus illud omnino apertum eſſet. Ex quorumdam ſententia duo ſunt chlamydum genera, *Macedonica* ſcilicet et *communis*. Macedonicam ab inferiori parte undique clauſam 6) dicunt; communis uero magis extenſa et minus clauſa fuit. Pallio hodierno ampliſſimo ſimillimae uidentur, cuius orae extremae ſeſe quidem contingunt, nec tamen coniunctae et aſſutae ſunt; neutra ergo clauſa fuit. Heſychius et alii Grammatici, itemque *Philoſtratus* in Heroicis *Chlamydis* quoque *Theſſalicae* mentionem faciunt; haec autem qua ratione a Macedonica illa differat, non ſatis conſtat. Chlamydem porro a Romanis quoque adhibitam fuiſſe, multa monumenta docent, in quibus Imperatores, Praetores, tribunos hoc pallii genere, quod etiam paludamentum uocarunt, indutos cernimus. Vero etiam ſimile eſt, *epheſtridem* 7), *mandyan* et *birrum* 8) idem fuiſſe atque chlamydem.

2) Quod proprie induebatur, et corpori preſſius adhaerebat, ἔνδυμα.

3) Imo manicatae tunicae, ſeu dalmaticae, non ſine probro geſtabantur; colobiis enim uetuſtiores omnes uſi, i. e. ſine manicis.

4) Vid. *Philipp. Rubenii* electa lib. 2. c. 20. *Varro* apud Nonium, poſteaquam *binas* tunicas habere coeperunt (Romani): inſtituerunt uocare *ſubuculam* et *induſium*.

5) Vid. *Rubenius*; et *Cuperus* in diſſert. quam apotheoſi *Homeri* ſubiecit p. 137. ſeq.

6) I. e. non ita inciſam, uti ſunt pallia quadrata.

7) *Suidas* ἐφεστρίς, ἱμάτιον ἐρυμαικον. Λεγεται, καὶ μανδύη, καὶ βίῤῥον.

8) Adde *lacernam*. *Byrrus*, *Burrus*, proprie πυῤῥος, eſt coloris ruſſei; ſed inde etiam cuiuslibet coloris.

§. 7. χλαῖνα, *Chlaena*, quam Romani *Laenam* uocabant, heroicis temporibus 9) in uſu iam fuiſſe perhibetur, frigori propulſando idonea: aliae ſimplices, aliae duplices erant, noctuque ſtraguli loco inſeruiebant. Quum Priamus in tentorio Achillis (*Iliad.* 24. v. 645.) pernoctaret, Chlaenae illi duplices datae fuerunt, quibus ſe operiret; nam in bello potiſſimum magnus et uarius illarum uſus fuit, earumque apud ſcriptores frequentiſſima fieri ſolet mentio. Alia item ueſtis, huic perſimilis, nota eſt, *Chlanis* uel *Chlanidion* dicta, ex tenuiore mollioreque panno confecta, quae a mulieribus uiriſque geſtabatur. *Siſyra* quoque ex denſiore panno confecta, quae diurni nocturnique uſus fuiſſe putatur, pro chlaenae ſpecie habetur.

§. 8. *Pallium* apud Graecos ἱμάτιον, φάρος (10), τρίβων et τριβώνιον (11) uocabatur; imo ipſa uox latina *pallium* ad Graecos quoque pertranſiit, πάλλιον. A palliis hodiernis, niſi quod longius fuit, parum differebat. Graecis hoc ueſtimentum proprium fuiſſe uidetur, ut ex his *Suetonii* uerbis in uita Auguſti cap. 98. liquet: *inter uaria munuſcula togas inſuper ac pallia diſtribuit, lege propoſita, ut Romani Graeco, Graeci Romano habitu et ſermone uterentur.* Poſtea uero Romanis aeque atque Graecis in uſu fuit; in eo nullum collare uidebatur; tunicae autem ſuperinduebatur, quod infra *Tab. LXXXIV. Fig. 1.* in imagine Metrodori Epheſii, quae Romae uiſitur, conſpici poteſt; ubi latiſſimum ueſtimentum exhibetur, quod pluries circa corpus conuolui potuerat. Tunica ad pedes usque defluit perinde atque *Fig. 2.* ubi pallium huius Graeci a Metrodori pallio in eo differt, quod illius orae hinc inde interciſae fimbriae formam exhibeant. Tunica ampliſſima zona circa pectus praecingitur, manicae latae ſatis longae ſunt. Graecos hos ſi conſpexeris, circa formam palliorum uix quicquam difficultatis oriri poſſe putaueris: attamen ſecus eſt. Nam quum *Appianus* L. V. de bello ciuili Antonium in Aegypto pallium Graeco more quadratum geſtaſſe ait, quid ſub quadrato hoc pallio intelligatur, dubitatur. Forte pallium eſt quatuor angulis 12) inſtructum, quorum anteriores tantum comparebant, imaque ora rotundi uidentur. Variis illud modis geſtatum eſſe putant, ac quosdam latera duo oppoſita, fibula ad humeros iunxiſſe; ita ut a dextra ad ſiniſtram reductum pallium partem quoque ſiniſtram operiret, adeoque totum corpus contegeret.

Tab. LXXXIV

§. 9. Pruſiae, Praefecti Coiorum ueſtes quas *Fig. 3.* uidere licet, militares uidentur. Chlamydem in humero annexam habet, ſub qua duas tunicas geſtat, quarum interior longior ſuperiore, ad medium femur defluit, utraque cingulo conſtringitur. Gladius eius Romanis longior laminam quaſi habet bipedalem, ſi quidem ad Pruſiae ſtaturam illam metiamur. Vxor illius ſingulari capillorum ornatu conſpicua eſt, tunicaque induitur ad terram usque defluente, etiamſi zona conſtringi uideatur; eadem tunica manicis ad manus usque praetenſis inſtructa eſt; amiculum tunicae ſuperpoſitum Graeci ἱμάτιον ſ. χλαμύδιον uocant, Romani *pallium* ſ. *pallam.* Telamon ſequens *Fig. 4.* etiam ueſtibus militaribus indutus eſt; ſcutum illius peluem magnam formae ouatae refert, caſſis elegans, gladius Pruſii gladio perſimilis. Vxor eius Heſione, tunica diffluente induta comparet, cuius manicae breuiores ſunt, ut brachium fere totum ſit nudum; pallio quoque amicitur, cuius orae extremae interciſae ſunt, ut fimbriatum uideatur; ornatus capitis ſolo capillitio et capillis decuſſatim inflexis conſtat.

§. 10. *Pallium Philoſophorum* 13) ab aliis in eo ſolum erat diſtinctum, quod plerumque admodum erat detritum; unde a τρίβω, *tero*, τριβώνιον dicebatur. Philoſophi uero plerique oſtentationis gratia eiusmodi pallia geſtabant, paupertatem luxusque contemtum affectantes; color niger aut fuſcus erat. Cynici nec comam nec barbam tondebant, et ſordibus pleni nudiſque pedibus incedebant. Huiusmodi eſt pallium Diogenis (*Fig. 5.*) in uilla Burgheſia nudo corpori impoſitum, ut Cynici ſolebant. In aliis monumentis idem in dolio repraeſentatur, unde quaſi teſtudo ex cochlea, caput emittit. Talis apparet *Fig. 6.* altera manu baculum, altera peram tenens; ſedem prope templum habet, e regione canis eſt. Diogenes autem reuera in porticu templi habitabat; quumque Athenienſes pulcherrimam

9) *Ammonius:* ἡ μεν χλαῖνα ἡρωικον φορημα, χλαμυς δε, μακεδονικον. - - χλαινα, τετραγωνον ἱματιον. ἡ δε χλαμυς, εἰς τελειον περι τα κατω συνηκται.

10) Vnde latinorum *parus*, *ſupparus*, *ſeparium*, ἡμιφαριον.

11) Proprie, ἐπιβλημα, περιβλημα.

12) Γωνιαι, πτερυγια, qua apertum erat ad oras imas. Inde *Ammonius* contrarium χλαινης ſeu τετραγωνε ἱματιε, chlamydem deſcribit, εἰς τελειον περι τα κατω συνηκται, inferius non inciſa eſt.

13) Vid. *Scriptores*, quos excitat *Fabricius* bibliogr. c. 18. §. 9.



1. 2. *Duo Græci palliati.* 3. 4. *Græci duo cum uxoribus veste militari induti.* 5. *Diogenes Cynicus cum pallio.* 6. *Idem in Dolio.* 7. *Philosophus alius palliatus.* 8. *Juvenis prætextatus.* 9. 10. *Duo Senatores Rom. cum toga.* 11. *Dux belli togatus.* 12. *Senator Romanus sellæ insidens.* 13. 14. *Scrinia duo, quibus calamos, pugillares, libros reponebant.*

mam hanc porticum construerent, amplissimas ab illis sibi aedes paratas esse gloriatus est. Dolium illius fictile fuit, ut pleraque alia dolia, uino aliisque liquoribus conseruandis destinata; quid larua illa pone canem significet nescio; forte fucatam illam, quam Cynici affectabant, uirtutis speciem, ut plausus sibi conciliarent, respicit. Addimus huic *Fig. 7.* ueterem Philosophum, cuius statua in Museo Iustinianeo exhibetur. Intento hic animo meditari uidetur; altera manu uolumen tenet, in alteram caput reclinat, pallio, ut Diogenes, nudum corpus tegit.

§. 11. Pallium uero illud seu tribonium Philosophis non adeo erat proprium 14), ut non aliis simul usui esset. *Eunapius* illud etiam Sophistis (sed alio colore) tribuit. Priscis enim temporibus etiamsi pauperum esset amiculum, multi tamen alii eodem utebantur; sic Athenis in foro iudiciali gestabatur. Posteriori aeuo M. Aurelius eo a teneris usus est. *Philosophiae uehementer operam dedit*, dicit *Capitolinus* c. 2. *et quidem adhuc puer; nam duodecimum annum ingressus, habitum Philosophi assumsit, et deinceps tolerantiam, quum studeret in pallio et humi cubaret, uix autem, matre agente, in strato pellibus lectulo accubaret.* Nec omnes philosophi priscis temporibus sordidas eiusmodi uestes affectarunt; quandoquidem *Aeliano* Hist. XII, 32. referente, Pythagoras alba utebatur ueste, coronam auream adhibens, et braccis indutus. Empedocles Agrigentinus purpura uestiebatur, aeneis calceis usus. Hippias quoque et Gorgias non nisi purpurea ueste tecti in publicum prodibant. Alii Philosophi lineis uestimentis, quae *Othonae* dicebantur, uti solebant. Hae autem Othonae mulieribus potissimum in usu fuere.

§. 12. *Chrysostomus* alium quoque philosophorum uestitum commemorat, quem Ἐξωμίδα, *Exomidem*, uocat, quem nonnulli cum *Abolla* idem fuisse existimant; nec negandum, utramque hanc uestem Philosophis in usu fuisse. *Exomis* tunica fuit manicis destituta, ita ut non brachiorum tantum, sed etiam humerorum nuditas conspiceretur, unde etiam uesti nomen haesit; nam ὠμὸς humerum denotat. Eadem ueste serui quoque et famuli utebantur 15).

§. 13. Apud Graecos pallium, cui interius pannus assutus 16) erat, διπλοῒς uocabatur; si quidem Acroni, Horatii interpreti, fides habenda; qui ad uersum 25. epist. 17. L. I.

quem duplici panno patientia uelat

obseruat, *duplicem* illum *pannum* idem esse ac Graecorum διπλοΐδα. *Palliolum* uocabatur quoddam quasi cuculli genus, quo caput operiebatur, quodque aegris inprimis et iis, qui ex morbo quodam conualescentes domo exibant, itemque meretricibus, quae per urbem ambulantes latere uoluerunt, in usu fuit. Aurelianus in Epistola, quam *Vopiscus* refert, *tunicas palliolatas* commemorat, quae Salmasio nihil aliud sunt, quam tunicae, quibus adnexa fuere palliola. Aliud adhuc uestimenti genus erat, quod Graece φελόνη uel φαινόλη, latine *penula* 17) dicebatur. *Phelonem Suidas* idem esse dicit, quod Ephestris, eratque pallii species, qua ii utebantur, qui rusticatum concedebant. Quum uero huic tantum usui destinatum fuerit, uerosimile est, id a chlamyde sola panni ratione differre. A scriptoribus posterioris aeui frequentissima huius uestis fit mentio. Aliud tandem uestis genus erat *Synthesis*, quae in conuiuiis potissimum usu ueniebat. Etsi nomen Graecum est, frequens tamen illius usus erat apud Romanos. Imperatores et Senatores perinde ac alii ea induebantur. Formam illius certo definire non licet; uulgo pro pallii specie habebatur, quod sumebatur, et deponebatur.

14) Etiam *ascetae*, pallium nigrum philosophorum sumere olim soliti; quippe philosophiam (uti ista uita ἐξόχως dici solebat) exercentes. Idem pallium *Tertullianus*, cum christianus fieret, sumsit; et alii, qui ad religionem hanc transibant; et plerique omnes clerici, monachique; idem et ῥάκος dictum, unde ῥακοδυτεῖν monachum fieri.

15) Et quidem tam pro pallio, quam pro tunica. *Hesychius*: ἐξωμίς, χιτὼν ὁμοῦ καὶ ἱμάτιον, τὴν γὰρ ἑκατέρου χρείαν παρεῖχε.

16) *Foderatum* diceres sequiori cum aeuo. Sed aliter *Hesychius*: διπλοΐδα, διπλουμένην χλανίδα ἐν τῷ φορεῖσθαι; adeo, quod duplicari a gerente poterat. Alio sensu *Diogenes* Cyn. τρίβωνα διπλώσας dicitur apud *Diogen. Laert.* quia duplici esset usui, pallium seu amictus, et strati loco.

17) Tomo 6. *Graeuii* exstat *I. B. Donii* de utraque *paenula*. Nonnumquam Senatorum uestitus fuit, qui loco chlamydis Constantini lege intra urbem paenulas et colobia gestabant. Glossae: paenulatus, συγκλητικὸς ἀνὴρ, ὁ ἔχων πορφύραν. Plebs romana paenulas nigras amictui habebat. Dicebatur etiam *Canusina* καυνῖνος scil. φαινόλης. Recentiores graeci sacerdotum etiam uestem ita nominant.

CAPVT II.

De toga Romana et Lato clauo.

§. 1.

Toga 1) apud Romanos primum uestis honoris erat, qua nulli plebeio uti licuit. Secundum Artemidorum τήβεννος appellata fuit; quod nomen illi a Temeno Arcade, qui illam ex Arcadia attulit, haesisse creditur; quippe ex Temeno facile Tebennum feceris. Verum secundum *Tertullianum* de pallio c. 1. toga circummeauit a Pelasgis ad Lydos, et a Lydis ad Romanos. In semicirculum illam fuisse concinnatam dicit *Dionysius Halicarnassensis* Lib. 3. Sed uariae de forma illius sunt sententiae. Alii putant, uestimentum fuisse apertum, ut pallium hodiernum; quumque uestis esset et longissima et amplissima, multis illam modis inuolui et plicari, longioresque illius lacinias brachiis imponi facile potuisse. Alii, ex quorum numero *Octauius Ferrarius* est, existimant togam undique fuisse clausam, magno foramine in medio relicto, per quod caput brachiumque educi posset; ita quidem, ut brachium dextrum omnino liberum esset, quae uero ex sinistro illo latere defluebant, attollerentur. Quod autem summopere mireris, etsi Romae aliisque in locis quamplurimae deprehendantur statuae togatae, ex earum tamen conspectu toties repetito controuersia haec dirimi nondum potuerit. Interim multae sunt statuae, quae ex mea quidem opinione pro Ferrario minime stabunt; et licet quaedam occurrant, ubi res cognitu non ita facilis est: aliae certe ita concinnatae sunt, ut haud dubie a summo ad imum apertae uideantur. Toga certe illa, qua Sacerdos, quem supra Tab. XLIII. *Fig. 7.* ex Museo Brandenburgico *Begerus* dedit, caput tegit, ut illi solebant, qui sacrificabant, ita dispofita est, ut eam apertam credere necesse sit; forma quoque semicirculi, quam *Dionysius Halicarnassensis* illi tribuit, eidem sententiae fauet. His accedit, quod priscis temporibus Toga hac non in urbe tantum, sed in bello quoque utebantur; quam, certamen adituri circa corpus conuoluebant, nodoque firmabant; idque *cinctus gabinus* dicebatur; si uero Toga clausa fuisset, idem fieri facili ratione non potuisset. Ex schematibus infra proferendis Lector rem ipse diiudicabit, utrum clausa illa, an aperta fuerit.

§. 2. Materiam Togae lanam fuisse, plurium Scriptorum auctoritate firmatur; posteriori aeuo ex serico, exque alio fortasse panno, concinnabatur. Alba initio plerumque fuit, sed Togam pictam atque praetextam, quae Magistratuum Hetruscorum insignia fuere, ut Romani etiam usurparent, *Macrobio* teste Saturnal. L. I. c. 6. primus instituit Tullus Hostilius 2); coloris uero mutatione facta, ipsam etiam materiam immutatam fuisse, uero admodum simile est; praeterea pro facultate ea utentium modo strictior, modo latior, parabatur. Vtrum porro toga zona fuerit praecincta, an minus: de eo uaria est sententia. Statuae certe togatae nullam zonam praeferunt; nam, si qui Romani, quos marmora exhibent, praecincti uideantur: ipsa tantum toga, quam circa corpus conuoluunt, ac cingulum, uel quendam quasi nodum efficiunt, praecingi credantur. Pars autem illa togae defluens, quam dicto modo firmabant, illud erat, quod *sinum* 3) uocabant, cuius sinus pars summa, quae exstantior et editior fuit, ob rugas nodo constrictas, *umbo* 4) nominabatur. Ex eodem togam praecingendi modo profluxit formula illa, *in procinctu*, quod de illis primum dicebatur, qui ad pugnandum 5) praecincti fuere; sed insequenti tempore de homine ad quamlibet aliam rem parato dici solebat.

§. 3. Romani autem, qui plerumque nudo capite incedere consueuerant, cum sol, aut imber, aut frigus, munimentum suaderent: togam capiti imponebant. Si qui occurrebant, quibus honorem exhibere uolebant, *Plutarcho* in quaestion. Roman. tom. II. operum

1) Vid. *Scriptores apud Fabricium*, pag. 571.

2) Id tamen *Dionysius* et *Florus* L. I. c. 5. tribuunt *Tarquinio Prisco*; uti *Tullo Plinius* L. IX. c. 39. et *Liu.* L. I. c. 8 praeter *Macrobium*. Forte rex uterque eius usum firmauit.

3) De *sinu* uid. *Phil. Rubenii* electa lib. 1. c. 17. is non omni tempore idem fuit; adde *Manutii*, *quaesita per epistolas* lib. 1. pag. 283. in *face critica Gruteri*, tomo 4. exstant etiam tomo 6. *Graeuii*.

4) *Vmbo candidus* inde *Persio* satyr. 5, 33. dictus, pro toga ipsa.

5) Nam olim etiam *togarum* in castris usus fuit, uide *Manutium* p. 288.

rum Francof. in fol. edit. p. 266. ſeq. teſte, ueſtem a capite remouebant; ex quo recte colligitur, quod toga hac caput texerint. In luctu et calamitatibus publicis togam plane deponebant, quod in Saturnalibus quoque per quinque dies fieri ſolebat; idque forte ideo, quod ueſtis haec nimiam ſeueritatem praeferret, quae huic feſtiuitati, qua heri ſeruis miniſtrabant, minus conſentanea eſſet. In conuiuiis tamen geſtabatur, uel potius ſubmittebatur, quod uitandae moleſtiae ergo, ueſtimenta plerumque ad femur uſque demittebant, et togam laeuo humero detractam ſeponerent, ut in tricliniari lecto ab illa parte iaceret; cuius rei exempla apud ſcriptores plurima occurrunt. Defuncti, etiamſi ex infima plebe eſſent, cum toga deferebantur, teſte *Iuuenali Sat.* III., v. 171. ſq. ubi ita canit:

Pars magna Italiae, ſi uerum admittimus, in qua
Nemo togam ſumit, niſi mortuus 6).

Caeterum togae uſus non Romae tantum, ſed etiam per totam Italiam admittebatur, in urbibus municipalibus, et a ſubactis etiam nationibus; ideoque illa Galliae pars, quae togae uſum receperat, *togata* 7) dicebatur. Qui triumphabant, *togam pictam* 8) induebant, quae, uti iam ſupra diximus, ueſtis erat Hetruſca, qua Conſules quoque et Tribuni perinde amiciebantur; itemque Praetores, quando uel ſacrificabant, uel ludis publicis intererant. *Varro* apud *Nonium Marcellum* 9), togas nonnullas commemorat ita pellucidas, ut ſubtus poſita tunica transpareret: *iſtorum*, inquit, *uitreae togae oſtendunt tunicae clauos. Vndulatarum* quoque *togarum* mentionem facit idem *Nonius*, uti et *Plinius undulatam ueſtem commemorat.*

§. 4. *Latus clauus* 10), de cuius forma pluribus, quam de toga, diſceptatur, reuera ornamentum tantum ueſtis erat, quod uero ipſius ueſtis nomen induit, et Senatorum tunica fuit, ut *anguſtus clauus* Equitum Romanorum. Quid ſub eo intelligatur, uariae ſunt eruditorum ſententiae. Nihil morabimur eos, qui uel flores, uel fibulas, uel globulos, quos tunicae affixerint, fuiſſe autumant, et duas tantum ſententias, quae prae ceteris eminent, proferemus. Inter omnes iam conuenit, latum clauum purpureum fuiſſe aſſumentum, quod tunicis inſerebatur, et clauorum aliquam formam habuit; unde nomen ipſum exortum. In hoc uero ſuperſunt diuortia, quod alii purpurea illa aſſumenta rotunda fuiſſe, et caput claui retuliſſe perhibeant, et ſimul addant, ſi aſſumentum illud maius fuerit, tunc *latum clauum*, ſi minus, *anguſtum clauum* fuiſſe nuncupatum; quae *Octauii Ferrarii* ſententia eſt. At *Albertus Rubenius*, cuius ſententiae nos quoque ſubſcribimus, aſſumentum illud non rotundum fuiſſe contendit, ſed oblongum, purpurae lineam ſ. ſtriam, quae clauum longitudine ſua adaequet, referens; quae lineae uel ſtriae togis, tunicis, aliisque ueſtimentis inſerebantur; adeoque *latum clauum* uocatum fuiſſe, quum uirgae illae uel ſtriae latiores eſſent; *anguſtum* uero *clauum*, ſi anguſtiores; id quod Rubenius inde colligit, quod ueſtes clauatae a Graecis μεσοπόρφυρα dicebantur; i. e. quae medias inſertas aut lineas aut taenias purpureas haberent. Vti περιπόρφυρον eiusmodi ueſtem denotat, cuius circumferentiam taenia purpurea exornat; ſic μεσοπόρφυρον ſine dubio ueſtis erit, quam mediam eaedem taeniae permeant*). Conſpirat haec ſententia *Rubenii* cum loco LXX. Interpretum *Eſaiae* III, 21. καὶ τὰ μεσοπόρφυρα, καὶ τὰ ἐπιβλήματα τὰ κατὰ τὴν οἰκίαν αὐτοῦ, καὶ τὰ διαφανῆ Λακωνικά: quem locum *Baſilius* ita explicat: τὸν ἐν τῇ ἐσθῆτι κόσμον τῶν καλλωπιζομένων γυναικῶν, ὡς περίεργον διαβάλλει, πόρφυραν ποτὲ μὲν κατὰ τὰ ἄκρα παρυφαινόντων ποτὲ δὲ κατὰ τὸ μέσον αὐλὴν ἐνθέντων: i. e. *ornatum ueſtis, quem mulieres affectant, tamquam ſuperfluum perſtringit, cum aut ueſtium* oris

6) Confer. tamen *Manutius* pag. 286.

7) De *togata, comata, braccata* Gallia, uid. *Franciſci Morandi* memorias tomo 4. facis criticae pag. 238 ſeq. ita et *togatae* fabulae dicebantur, quae romano more populari uterentur; *palliatae*, quae graecorum palliis; ita *praetextatae*, quae magnorum uirorum perſonis conſtarent.

8) De toga *picta, palmata, purpurea*, uid. *Manutium* p. 278. 280. *Ferrarium* lib. 2, 16.

9) *Nonius* in uoce *uitreum* c. 6. n. 4; exponit, pertenue. Inde etiam *nebulae linteae, textiles uenti* per riſum dici ſolebant. *Nonius* cap. 2. n. 926, *undulatas* et praetextas togas, e *Varronis* libris de uita populi romani, notauit; et exponit, *puras*. *Plinius*, lib. 8, c. 48 etiam mentionem facit.

10) Conferendi ſcriptores de *re ueſtiaria* tomo 6. *Graeuii*, et praecipue *Rubenius*, cuius ſententiam etiam *Graeuius* in praefatione defendit. Plures excitat *Fabricius* in bibliographia antiquaria c. 18. n. 9. p. 571.

*) Vt *Meſoleucos* gemma dicitur *Plinio* L. XXX. c. 10. quam mediam diſtinguit candida lineā, et L. XXVII. c. 11. herba, cum linea media per folium; ſic μεσοπόρφυροι *clauatae* ſunt *tunicae*, purpura in medio illuminatae. Archippus apud Pollucem L. VII. c. 14. *laticlauias ueſtes* πλατυπόρφυρα ἱμάτια uocat.

oris attexebant purpuram, aut eam parti mediae immittebant. En τὸ μεσοπόρφυρον, ſeu togae pannum purpureum oblongum immiſſum in ueſtem, et τὸ περιπόρφυρον in ueſtimenti ora intextum. Quod uero μεσοπόρφυρον pannum oblongum medio togae immiſſum ſignificet, *Hieronymus* ad eundem locum diſertis uerbis aſſerit, ita ſcribens; ſeptuaginta tunicam μεσοπόρφυραν, *clauatam purpura*, transtulerunt. Certe forma illius claui minime rotunda fuit, ut caput claui; nam praeterquam, quod caſu accidit, ut caput claui ſit rotundum, quum alia quadrata ſint, alia ad triangulum accedant, alia diuerſae ſint figurae: clauus certe perinde clauus eſt, licet caput ſuum amiſerit. Id vero, quod clauum efficit et conſtituit uirgula ferrea eſt et acuminata. Longe probabilius ergo dicitur, oblonga illa aſſumenta purpurea ſ. uirgas purpureas, quum latae fuerint, *latum clauum*, quum autem arctae, *anguſtum* clauum dictas eſſe.

§. 5. Hic autem ornatus non tantum in ueſtibus, ſed etiam in mantilibus, mappis et linteis, quae ſupra lectos inſternebantur, uſurpatus legitur. Sic *Lampridius* in Alexandro Seuero c. 37 dicit, in conuiuiis adhibita fuiſſe *mantilia cocco clauata*. Quod in loco quodam *Ammiani Marcellini* deprehenditur, qui l. 16.*) de ueteratore ita loquitur: *quum uidiſſet linteorum thoralium par, duos clauos ita latiſſimos, ut ſibi inuicem arte miniſtrantium cohaererent, menſamque operimentis paribus tectam intrinſecus ſtructuram omnem ut amictus adornauerat principales*; ſimul probat, clauos illos non fuiſſe rotundos ſ. aſſumenta circuli formam referentia, ſed oblonga, ita ut cohaerentia amictum principis, qui purpureus erat, referrent. Huiusmodi porro claui nonnumquam aurei fuerunt, quod ex Epiſtola Aureliani Imperatoris apud Vopiſcum in Bonoſo cap. 15. probatur; ubi inter munera Bonoſo ab ipſo Imperatore data memorat tunicam *ſubſericam auro clauatam*.

§. 6. Ex huiusmodi ueſte *laticlauii* nomen ſubnatum, quod Senatoribus Romanis eorumque filiis, latum clauum geſtantibus, dabatur; qui in gradu inferiori erant, *anguſticlauii* nuncupabantur, quod anguſtum clauum geſtabant. Hinc etiam patrimonium *laticlauium*, cuius *Petronius* mentionem facit, bona et praedia ſignificat, quae ad filios eorum, qui latum clauum geſtarunt, in haereditatem tranſiuerant.

CAPVT III.

De Trabea, Lacerna, Birrho, Veſte pullata, Caracalla, aliisque.

§. 1.

TRABEA ueſtis item erat honorifica; cuius forma non minores, quam latus clauus, controuerſias peperit. Nomen hoc ſortita creditur a quibusdam pannis ſiue faſciis, ipſi ueſtimento ex transuerſo attextis. *Seruius* ad *Virgilii Aeneid.* VII, ex *Suetonii* libro de genere ueſtium tria trabearum genera refert; unum ſcilicet Diis ſacratum et ex purpura confectum; alterum regum, quod aeque purpureum, ſed albo intermixtum: tertium augurale, ex purpura et cocco adornatum. Non deſunt, qui trabeam ſola panni ſ. materiae conditione a toga diſtingui perhibent. Sed uero nobis ſimilior uidetur ſententia Rubenii, qui eam toga breuiorem, nec paludamento, ſiue chlamydi admodum diſſimilem eſſe contendit; unde Salii, qui apud *Dionyſium Halicarnaſſenſem trabeati* dicuntur, a Feſto *paludati* uocantur.

§. 2. LACERNA pallii genus erat priſcis temporibus in bello tantum uſitatum; at poſteriori aeuo in urbe quoque et ruri eodem utebantur 1). Fibula haec ueſtis annectebatur, eique cucullus adhaerebat, qui facile ab ea ſeparari poterat. Tempore hiemali ex lana denſiori et piloſiori, aeſtiuo uero ex leuiori puriorique confici ſolebat. Initio ad aeuum usque Ciceronis plebi tantum uſitata fuit; ſed poſteriori tempore ab omnibus promiſcue geſtaba-

*) C. 4. Qui quidem locus paullo aliter legitur in *Ammiano Marcell.* Lugduni 1600. 8. edito, ita nimirum: *quum uidiſſet linteorum totalium par, duos clauos ita latiſſimos, ut ſibi uiciſſim arte miniſtrantium cohaererent, menſamque operimentis paribus tectam, anteriorem chlamydis partem utraque manu uehens, intrinſecus ſtructuram omnem, ut amictus adornauerat, principalesque res, patrimonium diues, euertit.*

1) Vide *Marcell. Donatum* ad *Suetonii* Auguſt. c. 40. Gloſſae *Iſidori*: *Lacerna* genus cucullae.

ſtabatur; plebs quidem atra ut plurimum, ſeu fuſca, ſenatores uero aliique nobiliores purpurea utebantur.

§. 3. BIRRHVS 2) idem paene fuit, quod lacerna; unde ueteres promiſcue his nominibus utuntur. Nomen ipſum a Graecorum πύῤῥος, rufus, deriuari uidetur. Quum uero birrhus cucullum annexum habuerit, ut lacernae, inde factum, ut nonnumquam pro cucullo, ſiue petaſo, caput operiente habeatur.

§. 4. Quae ueſtis *pullata* dicebatur, non tantum pro ueſtimento lugubri accipiebatur, ſed pro ueſte, quoque populari; unde *turba pullata* nomen accepit, et apud *Quintilianum* Lib. II. c. 12. *circulus pullatus* 3) coronam populi, atris ſeu pullis ueſtibus induti, ſignificat. CARACALLAE forma lacernae quoque perſimilis erat; ſed ueſtis barbara et Gallica 4). Imperator Antoninus, qui hoc ueſtimenti genere utebatur, inde Caracallae cognomen traxit. Sed licet Gallorum caracalla ad femur tantum deflueret, Imperator illam talarem effici curauit. Manicis porro et cucullo hae ueſtes inſtructae fuerunt. In marmoribus uero eiusmodi ueſtimenta nusquam comparent.

§. 5. Alia ueſtis Senatoriae ſpecies erat COLOBIVM 5) ſeu tunica, cuius forma ignoratur. GAVSAPE, *gauſapa* et *gauſapium* ueſtis erat ex altera parte admodum uilloſa; in quo differt ab *Amphimallo*, quod utrinque piloſum erat; utraque hac ueſte ad pellendum frigus utebantur. Gauſape alio nomine *lodix uilloſa* et *mappa uilloſa* nuncupabatur. Ceterum genus hoc ueſtium apud Dacos præcipue uſitatum erat. LACINIA 6) tandem pars tantum ima uel ora togae fuit; quamuis non pro ora integra, ſed pro angulis tantum ueſtis accipiatur.

CAPVT IV.

De Toga praetexta, aliisque.

§. I.

Togae ſpecies fuit PRAETEXTA, qua pueri Romanorum nobiles eo tempore, quo adoleſcentiam attigerant, induebantur. Nomen praetextarum hae ueſtes inde traxerunt, quod orae illarum purpura fuerunt praetextae atque ornatae. Graecis περιπόρφυρα dicebantur; quae uox etiam oram purpuream denotat. Nonnumquam etiam Sacerdotes et Magiſtratus, Conſules ſcilicet et Dictatores illam gerebant. *Fig. 8.* Iuuenem praetextatum ex Muſeo Brandenburgico proferimus. Ora autem purpurea hic non conſpicitur, quoniam forte ſutura texturaque adeo ſubtilis erat, ut in marmore exhiberi non potuerit; quod ipſum de lato quoque clauo notandum; qui, quod purpureus erat, in ſtatuis ex marmore albo confectis exprimi uel perſpici nequibat; quandoquidem marmor nec colorem nec texturam ſubtilem admittit. Hic iuuenis bullam (de hac infra plura) a collo pendentem habet; quod pueris nobilioribus admodum erat uſitatum. Praetextae porro eodem, quo togae, modo praecingebantur; isque cingendi modus *cinctus gabinus* dicebatur. Ceterum ſaepius fuit diſputatum, qua potiſſimum aetate pueri nobiles, poſita praetexta, togam uirilem 1) ſumſerint? Alii dicunt poſt annum decimum quartum exactum, decimo quinto ineunte; alii ſub initium anni decimi ſeptimi demum id factum eſſe contendunt. Sed illa ſententia, qua toga uirilis ſub initium anni decimi ſexti ſumta dicitur, pluribus exemplis roboratur; quamvis ſub Imperatoribus 2) praeter morem ſaepius factum ſit. Idem, quem hic exhibemus iuuenis

2) Dicitur etiam *Burrhus*, uide praeter ſcriptores rei ueſtiariae, *P. Pithoei* aduerſ. lib. 1 16. pro petaſo, adde *Iac. Nic. Loenſis* epiph. lib. 6, c. 5.

3) Quam *pullatam* turbam, i. e. nigris lacernis utentem, *Auguſti* lex arcebat a foro et circo, uid. *Manutium* pag. 288. *Sueton.* in Auguſto c. 40.

4) A *Caracalla* ſupereſſe gallicam uocem, *caraque*, *caſaque*, putauit *H. Stephanus* lib. 4. uariar. ſchediaſmatum, n. 4.

5) *Colobia*, *colobii*, *colobiones*, quaſi ueſtis *mutila*, i. e. ſine manicis, et breuior; iis antiqui romani utebantur; poſt ad homines ſacri inter chriſtianos ordinis tranſiit.

(6) De *Lacinia*, uide interpretes ad *Suetonii Caligulam* c. 35, ut *calcata lacinia* togae etc.

1) Quae etiam toga *pura* dicebatur, quia nulla diuerſi coloris faſcia praetexeretur, uid. *Manut.* p. 277. *Tirones* appellati, qui primum ſumerent.

2) Alii citius alii ſerius; ita *Caligula* anno 19. aetatis ſumſit.

iuuenis uolumen quoddam ſiniſtra tenet, et ad pedes illius arcula rotunda conſpicitur, quam ſcrinium uocabant, in qua calamos, pugillares et libros nonnullos reponere conſueuerant. Tunica eiusdem manicata eſt, ſed manicae breuiores ſunt, et uix ad cubitum pertingunt. Prætexta illius togae formam habet, excepta ora, quae fuit purpurea; quamuis in marmore non compareat; adeoque togae dicebatur praetexta.

§. 2. Senatores duo Romani ſequentes *Fig. 9. et 10.* togam humero ſiniſtro geſtant, quam poſtea in anteriorem partem reducunt, dextro brachio prorſus libero. Haec ſchemata ſi diligentius conſiderantur, magis magisque firmatur opinio, togam ab anteriore parte fuiſſe apertam; uterque uolumen tenet, ſcriniumque ad pedes illorum poſitum eſt. *Fig. 11.* dux exercitus exhibetur lauro coronatus, quod ornamenti genus ad uictoriam forte ab hoſtibus reportatam reſpicit; indutus tamen uidetur toga pacifica. Manicae in tunica illius non ad cubitum pertingunt; ſiniſtra uolumen tenet, et ad pedes ſcrinium habet, ut reliqui. Senator ſequens *Fig. 12.* ſellae ſuppoſito puluinari inſidet, et itidem uolumen tenet. Sed quum *Scrinii* 3) iam aliquoties mentio facta ſit, *Fig. 13. et 14.* duo peculiaria illius ſchemata proferimus, ut illius forma et uſus clarius innoteſcat. In altero ſcilicet *Fig. 13.* uolumina uidemus intus ordinata; claui porro obſerebantur; ſerae formas uarias tum in his, tum in praecedentibus conſpicere licet.

§. 3. Quae apud *Iuuenalem* Sat. II. v. 97. *ſcutulata* ueſtis dicitur, illius denominationem Turnebus *) a uoce *ſcutum* deducit; Salmaſius uero a σκυτάλη *uirga*, quod ueſtium eiusmodi texturae uirgas 4) expreſſerint. Veteres non niſi rarius hac ueſte utebantur, unde nihil certi de forma illius affirmari poteſt. *Paragauda* ueſtis erat militaris, quam *Aurelianus* militibus dediſſe 5) legitur, quae loro modo uno, modo duobus uel tribus, pluribus, conſtringebatur; forma uero illius aeque ignota eſt; nomen ſaltem ex peregrina regione aduectam eſſe, indicat.

§. 4. Ad ueſtes militares *Sagum* quoque refertur. Nomen illius et forma ex Galliis ante amiſſam libertatem acceſſiſſe, creditur. Ceterum ueſtis erat exterior, manicis carens; de qua infra, ubi de ueſtibus militaribus ſermo erit, pluribus agetur. Multi hoc ſagum pro paludamento ſeu chlamyde habent, quibus nos facile ſubſcribimus. Alia ueſtis militaris *Subarmalis* nominabatur; quod nomen ab *armo* ſeu humero traxiſſe uidetur; eo quod humeros tegebat. Alii pro ueſtitu habent ſub armis uel ſub ſago poſito; id quod ueroſimilius eſt.

Tab. LXXXV. §. 5. Tabula ſequenti *LXXXV. Fig. 1.* Imperatorem Traianum hiemali ueſte indutum uidemus, qua in bello cum Dacis geſto uti ſolebat. Tunicam ille breuem latamque habet, cingulo conſtrictam, itemque chlamydem fibula humero dextro annexam; quae tamen nec brachium, nec latus dextrum contegit; ut libero dextrae motu gaudeat. Chlamys fimbriata eſt, et forte pellibus aſſutis duplicata; quod genus ueſtium gauſapas ſupra nominauimus. Traiano huic *Fig. 2.* Titum Imperatorem iungimus, cuius ſchema ex hortis Sellianis prodiit. Sedens ille et dextra baculum tenens exhibetur; ſiniſtram extendit, geſtuque ipſo coetum aliquem maiorem allocuturus uidetur. Tunica praeterea latiſſima indutus eſt, quam toga ſuperpoſita tegit; caligae admodum ſpectabiles ſunt, ut iis ſimiles non niſi raro conſpiciantur.

§. 6. Poſterioribus ſaeculis nouae ſubinde inductae ſunt ueſtium formae, quarum uſus urbanus potius, quam militaris erat. Sic *Fig. 3.* ex columna Theodoſii, a Theodoſio iuniore conſtructa, turbam promiſcuam exhibemus, quae homines ſexu atque aetate diuerſos nobis ſiſtit. Veſtes quippe a praecedentibus omnibus longe diſcrepantes, petaſi plane ſingulares, tunica cum collari, et alia multa obſeruatu digna hic repraeſentantur; quae omnia lectori diiudicanda relinquimus. Veſtis duorum lictorum *Fig. 4.* faſces geſtantium lacerna aut chlamys eſſe uidetur, cuius ora infima fimbriis ornata eſt. In lictore ſequente *Fig.*

3) Inde etiam poſtea magiſtri *ſcriniorum*, ſcrinia principum; *ſcriniarius*; quia ſcrinia monumenta publica, libellos etc. cuſtodiebant.

*) Conf. eius aduerſar. L. 24. c. 19. et L. 27. c. 24.

4) Vide *Scaligeri* coniectanea ad *Varronem* de lat. lingua p. 78. edit. 1565. Stephani.

5) *Vopiſcus* c. 46. in Aurel. ibi uero *Caſaubonus*, *paragaudias* ueſtes legi mauult; et Syriacam uocem docet, quae haud paullo ueroſimilior eſt opinio, quam *Turnebi*, qui ex *παρα* et *gaudium* uel *γαυδα* confuebat.

Tab. LXXXV.



1. Traianus Imp. veste hiemali indutus. 2. Titus Imp. tunica et toga vestitus. 3. Turba promiscua variis vestibus amicta. 4. Duo Lictores cum fascibus. 5. Lictor cum clava. 6–12. Varia capitis tegumenta conspicienda prœbent. 13–17. Matronæ quinque, in quibus diversitas vestimentorum muliebrium repræsentatur.

Fig. 5. hoc peculiare uidetur, quod fascium et securis loco clauam gestet; id quod nusquam me uidisse ingenue fateor. Verum scriptores multa passim praetermittunt, quae uel ignorant, uel quae commemorandi occasione destituebantur.

CAPVT V.

De tegminibus capitis.

§. 1.

Graeci aeque atque Romani capite nudo plerumque prodibant. Athenienses cincinnis capillitium ornabant atque ligabant, iisque cicadas aureas inserebant. Graecos tamen pileos petasosque, quos πῖλιον 1) σκιάδιον, nec non κυνῆν appellabant, habuisse uidentur; quibus uel aestus uel frigoris propulsandi causa utebantur. Equidem σκιάδιον galerum illum fuisse existimo, quem eques *Fig. 6.* ex anaglyphis templi Mineruae Atheniensis eductus, gestat; in quibus anaglyphis multi alii conspiciuntur, idem tegmen gestantes, quod ab hodiernis petasis nostris non multum absimile est. Supra iam diximus, Romanos, ingruente uel frigore uel aestu acriore, sublatam a tergo togam capiti induxisse; suos tamen pileos, petasos atque cucullos et hi habuerunt, quibuscum tecto capite noctu incedebant, et ita quoque rusticabantur. Statuae et marmora nudo illos plerumque capite exhibent; nisi quum sacra facientes repraesentantur, ubi capita sua saepius ueste tegebant.

§. 2. Vt caput ab iniuriis aëris tutum redderent, *cucullum* gestabant, a monachorum caputiis parum absimilem; qui cucullus aut lacernae aut birrho inhaerebat, cuius et nomen et usum ex Galliis uenisse constat. Idem cucullus rusticis quoque usitatus erat; id quod ex anaglypho patet, quod *Sponius* edidit, ubi rustici eiusmodi cucullis, quales *Fig. 7.* exhibentur, tecti oliuas colligunt; hi uero non caput tantum, sed etiam humeros tegebant. Alia quoque fuere tegmina usus non adeo uulgaris. Talis erat pileus *Fig. 8.* cuius forma in nummis haud raro conspicitur, tegminibus capitis nocturnis, quibus hodie utimur, admodum similis. Hic uero seruis in primis dabatur, si libertatem obtinebant; unde factum, ut pileus uulgo pro libertatis signo haberetur. *Mors Neronis*, scribit *Suetonius*, (Ner. c. 57.) *tantum gaudium publice praebuit, ut plebs pileata tota urbe decurreret.* *Petasus* tegminis genus erat, quo in itineribus praecipue utebantur; Graecis perinde atque Romanis usitatus. Petasi nonnumquam occurrunt cum oris, hodiernorum pileorum formam paene referentibus. Hic plures proferimus. Primus *Fig. 9.* in Protome Musei Iustinianei conspicitur; secundus *Fig. 10.* a *Fabreto* ex nummo Stradae erutus fuit. Petasum nostris parum absimilem, qui craterem quasi inuersum exprimit, pastor ille habet, quem *Fig. 11.* exhibemus, qui egregii artificii specimen est. Senem ille refert diurno labore defessum; in tumulo sedens, dextra baculum tenet, quo simul niti uidetur; breuiori porro tunica indutus, lacernam superpositam gestat, uillosam haud dubie, qualis hominem agrestem decet. Ad latus eius sinistrum saccus pendet gestandis alimentis idoneus, cui laguncula uini imminet; calcei quoque notandi sunt; pes ita tectus est, ut articuli minime pateant; sub pede solea est uel lignea uel coriacea, cui funiculi superinducti inhaerent, qui totum calceum firmiter retinent; laguncula tandem cornu exprimit, et fortasse uerum cornu est. Schema sequens *Fig. 12.* uiri est, tegmen capitis turbano persimile gestantis.

§. 3. Quae *infula* uocabatur, fascia fuit lanea, eaque, ut *Isidorus* tradit, candida, ut *Seruius*, albo et croceo colore mixta, qua capilli alligabantur; secundum tempora et ad occiput constringebatur nodo, pendentibus hinc inde fasciae oris; eamque sacrificantes tantum gestasse dicuntur. Attamen inter Sacerdotes, quos supra magno numero protulimus, nescio, utrum uel unus obseruetur, qui hoc capitis ornatu gaudeat. *Causia*, Polluce teste, Macedonum pileus erat, ut *Crobylum* Atheniensium; utriusque formam ignoramus.

1) Πῖλον, πιλίον, πιλίδιον Graeci nominant, uid. *Brodaei* miscellanea lib. I, c. 12. De *Pileo*, ceterisque capitis tegminibus, exstat *Theoph. Raynaudi* commentarius tom, 6. *Graeuii*.

CAPUT VI.

De Vestibus mulierum.

§. 1.

Mulieres tum Graecae tum Romanae aeque tunicas gestarunt atque uiri, sed longiores, easque talares. Romanae mulieres olim togis utebantur, sequenti uero tempore illas uiris reliquerunt; tunicae utrique sexui fuerunt communes. Muliebris tamen a uirili non longitudine tantum differebat, sed manicas plerumque habebat ad cubitum usque protensas. Nec tamen desunt mulierum statuae, in quibus brachium aut prorsus, aut fere nudum est; in tunicis contra uirorum manicae hae fuere breuissimae. Tunicae huic mulieres pallium s. pallam superinduebant leuiorem, quam graeci ἀμπεχόνην appellabant. Id quod graeci ἀναβολὴν uocabant, itidem pallii species erat, in quo autem ab ἀμπεχόνη illa diuersum fuerit, dictu non ita facile est; nec satis apparet, in quo ἀναβολὴ ab alia ueste exteriore, quae a Graecis ξυςὶς nominabatur, discrepauerit.

§. 2. *Aelianus* uariarum historiarum VII, 9. Graecarum ueterum mulierum uestimenta his uerbis enumerat. *Phocionis uxor, pallium Phocionis gestabat, neque opus habebat uel crocota uel Tarentina ueste, uel anabole, uel encyclo, uel cecryphalo, uel calyptra, non tinctis uel coloratis tunicis, sed primum temperantiam sibi induebat, deinde, quae suppeterent.* *Crocota* 1) nomen mutuabatur uel a κρόκος crocus, eo quod colore fuit croceo, uel a κρόκη subtegmen. Vestis *Tarentina* a *Luciano* de Rhetorum praec. sic explicatur, quod uestis sit uenusta et candida, Tarentini artificii opus, ut corpus transluceat. *Anabole* 2) ut paullo ante diximus, pallii genus erat. *Encyclion* ex sola nominis etymologia cognoscitur, et amiculum corpus undique tegens significat. *Cecryphalum* uittam aut fasciam fuisse autumo, qua crines aut caput constringebant.

§. 3. Vestis mulierum Romanarum exterior *pallium* uel *amiculum* dicebatur; quod nonnumquam ad instar ueli capiti imponebant, ut hinc totum corpus ambiret; mulieres modestiores eodem brachia quoque ad manus usque tegebant. Alia uestis exterior fuit *peplum* 3) (πέπλος), apud Graecos pariter atque Romanos usitatum. Has autem uestes a se inuicem haud facile distinguere licet; certe marmora non multum iuuant. Id quod *mafors* et *mafortium* uocabatur, usus recentioris uidetur; uulgo creditur, uocem esse corruptam ex graeca uoce ὠμοφόριον, quo uelum humeros operiens significatur; mafortium quippe simul caput atque humeros tegebat, et inferius defluebat. Φελόνη, s. φενόλη, latinis *penula*, itidem tum uiris tum mulieribus communis erat. *Alexander Seuerus* Imperator usum penulae in urbe uetuit matronis, in rure permisit.

§. 4. In matronarum Romanarum, quas hic proferimus imaginibus, magna deprehenduntur uestimentorum discrimina; sed in cultu capitis longe maiora. *Tab. LXXXV. Fig. 13.* quam primam exhibemus, ea IVLIA est, Tiberii uxor, id quod ex inscriptione, *pietas Augusta*, colligitur; siquidem eadem in nummis quoque huius Augustae legitur. Prope Iuliam ara conspicitur, cui uas magnum atque discus impositus: ara pietatem in Deos significat. Quae *Fig. 14.* sequitur, *Maffeio* iudice, AGRIPPINA est, Neronis mater, quae Isidis Cererisque symbola gestat. Isis quippe ex flore loti, quem capite gestat, Ceres uero ex spicis, quas manu tenet, dignoscitur; fascia s. taenia, quam illa transuersum habet, ad tempora seriora pertinere uidetur; unde, an reuera Agrippina sit, dubium esse possit. Quam *Fig. 15.* sistit, ea PLOTINA est, Traiani Imperatoris uxor; sicut *Fig. 16.* pro SABINA Imperatoris Hadriani uxore habetur; in hac autem capitis ornatus plane singularis est; tunicam gestat ad terram usque defluentem, et supra illam aliam breuiorem, quae ad mediam

1) Vide *Kuhnium* ad Aelian. et *Pollucis* onomasticon.

2) Hinc *anabolicae species* in *Vopisco*, in uita *Aureliani*; i. e. uestiariae merces, uid. *Io. Nic. Loensis* epiph. lib. 4, c. 27. et Marcellum *Donatum, Casaubon. Abolla* hinc dici uidetur; conf. Oct. *Ferrar*, elect. lib. 2, c. 9. quae uirorum etiam et philosophorum fuit.

3) Inde *Mineruae* Peplum; uestis candida, aureis clauis picta sine manicis; quod simulacris fiebat; uti Statii *Scholiastes* ad Theb. 10, v. 56. ubi *Iunoni* etiam consecratur.



1–6. *Matronæ sex, quarum effigie vestimenta muliebria conspicienda trauntur. 7. Vetula, pro Sibylla quadam habita. 8–18. Protomæ variæ, ex quibus diversus capitis muliebris cultus intelligi quodam modo potest.*

diam usque tibiam protenditur; quae omnia palla maxima conteguntur. *Fig. 17.* FAVSTINAE, M. Aurelii Imperatoris uxoris imago est; ornatus capitis matronam refert uelo obtectam, quod uelum nihil aliud esse uidetur, quam palla perampla, quae caput et reliquas uestes obtegit; sinistra pomum tenet.

§. 5. Quae *Tabula* sequente *LXXXVI. Fig. 1.* locum primum tenet, LVCILLA est uxor [a] L. Veri Imperatoris, M. Aurelii Collegae. Capitis cultu illa conspicua est, quod margaritis atque gemmis fulget; triplici quoque armilla condecorata. Quae *Fig. 2.* sequitur, est CRISPINA, uxor Commodi; si quidem *Maffeio* fides habenda; palla haec undique amicitur, et altera manu symbola Cereris, spicas scilicet et papauera tenet; hoc quippe usitatum erat, ut Augustae sub Dearum habitu repraesentarentur. *Fig. 3.* uidemus Alexandri Severi matrem MAMMAEAM, quae supra tunicam ad terram usque defluentem aliam breuiorem gestat, fimbriis decoratam, insuperque aliam exteriorem, pallam scilicet, quae extremo capillitio annexa uidetur. Quae *Fig. 4.* sellae insidet, illa singularis formae est. Matrona, quam *Fig. 5.* exhibemus, utrumque brachium amisit, et duabus uestita tunicis comparet, quarum exterior assutis pellibus duplicata uidetur; quod genus uestium gausape dicebatur. *Fig. 6.* FAVSTINAM, Antonini Pii uxorem refert; capitis enim cultus idem est, qui in nummis etiam conspicitur; tunica uero adeo breuis, ut ad medias uix tibias defluat; supra tunicam pallam s. palliolum gestat, quod manu sinistra reducit; dextra uolumen tenet. Vetula tandem illa, quae *Fig. 7.* caelum respicit, pro Sibylla habetur, quod uero admodum simile est.

[a] Tab. LXXXVI.

CAPVT VII.

De Capitis cultu muliebri.

§. 1.

Postquam de tegminibus capitis uirorum supra iam egimus: nunc etiam de cultu, quo mulieres caput exornabant, pluribus agendum esset; sed quia ornatus ille maximam partem ex crinibus uaria arte contortis atque crispatis consistebat: sufficiat nobis nonnullas proferre protomes, ex quibus uarius ille cultus facilius oculis perspici, quam uerbis describi potest. Sic *Fig. 8. et 9.* duas protomes damus cultu capitis prorsus insignes; densissimis quippe cincinnis adornati capilli praegrandem quasi globum efficiunt. Caput sequens *Fig. 10.* in thesauro Sandionysiano uisitur, in cauo lapidis pretiosi, quem *aquam marinam* uocant, insculptum. Elegantissimi illud artificii est; quapropter sculptor nomen suum addidit his uerbis Εὔοδος ἐποίει i. e. *Euodus faciebat.* Plerique Antiquariorum pro Iulia, Titi filia, habent; quibus et nos facile adstipulamur. Aliud caput *Fig. 11.* est Sabinae, uxoris Hadriani Imperatoris. Sequens *Fig. 12.* Faustinam, Antonini Pii uxorem, refert. Quae *Fig. 13, 14 et 15.* sequuntur capita, eorum cultus maximam partem ex solis crinibus constat.

§. 2. Plane singularis ille capitis ornatus est, cuius *Fig. 16.* conspectum a fronte et a tergo proferimus. Coma illa, quae supra frontem erigitur, quinque uel sex cincinnorum ordinibus constat; ita ut tota machina supra radicem capillorum semipedalis extollatur. Ad posteriorem uero apparatum si transeas, capilli calamistrati, uel, ut aptius loquar, ad modum funium magno artificio contorti sunt; uix autem credas, ex unius mulieris capillis tot praegrandes a tergo funes, totidemque a fronte cincinnos efformari posse. Quid si dicamus, aliunde adsumtos capillos ad eiusmodi amplissimum ornatum conficiendum? Totam hanc machinam acus continet, sine qua magnus ille funium apparatus sine dubio difluxisset. Haec autem acus, quae in ornatum capitis muliebris hic inducitur, res prorsus noua mihi uidetur, quam in nullo monumento ueteri me unquam uidisse recordor. Acus autem discriminalis est, qua secundum opinionem nonnullorum pectinis loco utebantur; seu potius deducendis hinc inde capillis, relicta in capitis medio linea recta, inseruiebat. Haec omnia mutationibus admodum fuere obnoxia; quod de muliebri ornatu inprimis affirmandum; in eum certe plus varietatis inuectum est, quam in consuetudines ceteras omnes.

§. 3. Romae *Plotinae*, Traiani uxoris, caput eſſe putarunt illud, quod in gemma muſei Piccolominei conſpicitur, quod hic *Fig. 17.* exhibemus. Ornatus huius capitis plane ſingularis eſt; tres enim gemmarum ordines ibi conſpiciuntur, qui lapides concinne inciſi diuerſas efferunt facies. Rei autem antiquariae peritiores, Plotinam hic repraeſentari, non ita facile crediturі ſunt. Tandem elegans illa protome, quam *Fig. 18.* ex muſeo Mareſchalli d'Etrées produximus, anaglyphum eſt marmoreum, a tergo planum et uacuum; ornatus uero capitis inter magnificentiſſimos computandus; nam quicquid ex muliebri imaginatione ad ornatum proficiſci poteſt, hic adhibetur.

§. 4. Sic capitis ornatus mulierum, tum apud Romanos, tum apud Graecos, uariis mutationibus ſemper fuit obnoxius. Variorum uero eiusmodi ornatuum diuerſa quoque proferre nomina, non iam noſtrae eſt facultatis. Pauca ſuperſunt nomina eiusmodi antiqua, quorum ſignificationem et uſum proprium uix ac ne uix quidem aſſequimur. Scimus quidem id, quod *calanticam* uocabant, tegmen fuiſſe capitis muliebris; ſed neſcimus, in quo calantica haec differat a *calyptra*, quae ſecundum etymologiam nominis ſimiliter peculiare capitis muliebris ornamentum denotat. *Mitra* mulierum, tradente *Seruio* ad *Virgilii Aeneid.* IX. id ipſum erat, quod calantica, tegmen ſcilicet capitis muliebris. Sed antiquitus mitra apud graecos ſignificabat faſciam aut taeniam aut cingulum; unde *mitram ſoluere* metaphorice ſignificat, cum uirgine concumbere. Aliud tegmen muliebre *flammeum* *) uocabatur ſ. *flammeolum*, quo nuptiarum die uirgines contegebantur. *Caliendrum*, cuius *Horatius* L. I. Sat. 8. v. 47. mentionem facit, et poſteriori aeuo *Arnobius* L. 6. crinium erat additamentum, quod mulieres in capillitium ſuum inſerebant, ut longiores et ſpiſſiores cincinnos pararent.

§. 5. Praeter ea, quae de Veſtibus tam uirorum quam mulierum, deque ornatu capitis hic diximus, multa alia quoque in toto huius operis complexu occurrunt, quae ad ueſtimenta et reliquum corporis cultum pertinent; maxime Tomo V. ubi plurimae conſpicientur uirorum mulierumque ueſtes, et capitis ornatus uarii. Hic autem quaecumque uirorum mulierumque capita, protomes, ſtatuas proferre, non eſt inſtituti noſtri. Iam plurimi de his prodiere libri, quos harum rerum ſtudioſi adeant; quamquam, ut uerum fatear, hinc parum utilitatis et notitiae accedat; exceptis aliquot capitibus *Homeri*, *Socratis*, *Ariſtotelis*.

*) Inde *flammearii*, infectores flammei coloris *Feſto*; quem uide et in Flammeo, quo nubens amiciebatur, boni ominis cauſſa, ut diuortium abeſſet.



1–19. Variæ fibularum et laminarum formæ, quibus vestimenta sua, chlamydes inprimis, connectere, et cingula constringere solebant veteres. 20–24. Variæ armillarum formæ. 25–31. Inaures. 32. Catenula aurea.

LIBER SECVNDVS.

DE FIBVLIS ALIISQVE ORNAMENTIS, CALCEIS ITEM, ET VESTIBVS INFANTIVM ATQVE PVERORVM, DEQVE CETERARVM NATIONVM VESTIMENTIS.

CAPVT I.

De fibulis 1), acubus discriminalibus, armillis, inauribus et torquibus.

§. 1.

FIBVLA, graece περόνη uel πόρπη dicta, omnia fibularum genera comprehendit. Fibulae instrumenta quaedam fuere in Architectonice usurpata; alia eiusdem nominis a chirurgis; alia a musicis atque comoedis ad conseruandam uocem adhibita; fibulae denique, de quibus hic sermo est, illae fuere, quibus ad connectendas uestes et zonam infibulandam utebantur; illaeque uiris pariter atque mulieribus, Graecis, Romanis, barbarisque in usu fuerunt. Viri illas adhibebant in tunicis, chlamydibus, lacernis atque penulis, quas uestes ad dextram modo, modo ad sinistrum humerum annectebant. Saga quoque fibulis connectebantur, sed non omnia. Mulieres, ante pectus, uestibus illas infigebant. Quod ad formam fibularum spectat, arcui cum neruo suo similes erant, quibusdam tamen exceptis. Non enim eandem plane illae formam habebant, sed in multis erant diuersae, id quod ex *Tab. LXXXVII. Fig. 1 — 14.* quarum pleraeque ex museo Brandenburgico depromtae sunt, animaduertere licet. Ex altera arcus ora exit aculeus, multis nonnumquam gyris contortus, qui ad alteram oram protenditur, ibique in quoddam foramen inducitur. Illa uero omnia, quae hic repraesentantur, pro parte tantum fibulae sunt habenda; in opposito enim utroque uestimenti latere pars quaedam fibulae perforata fuit, eaque uel aurea, uel argentea, uel aenea; ex eadem scilicet materia, ex qua fibula ipsa erat confecta; hae uero perforatae laminae partes, altera in alteram inserebantur, quaeque medio alterius inserebatur, foramen unicum tantum habebat, altera uero duo; aculeusque, per foramina haec transiens, duo latera simul infibulando connectebat. Duae etiam laminae istae ornamentis suis minime carebant, illa maxime, quae oppositae partem in se recipiebat. Mirum sane, quod, quum tanta fibularum copia in museis passim conspiciatur, uix aliqua ex aliis fibulae partibus reperiatur, sine quibus uestis infibulari nequibat. Ego quidem nullam adhuc uidi praeter illam, quae in museo huius coenobii conseruatur, quam *Fig. 15.* exhibemus. Haec leonis figuram repraesentat, et ad extremam partem duo habet foramina rotunda, quibus alterius lateris particula aenea inserebatur; ita ut aculeus, per haec foramina transiens, bina ista latera connecteret. Fibularum eiusmodi materia quoduis erat metallum; nam aeneae, argenteae, aureae, et nonnumquam gemmis quoque distinctae fuerunt; nonnullae uariis coloribus ita erant incrustatae, ut incauti lazuli lapidem crederent. Aliquae ex his fibulis uarias animalium figuras exhibuerunt, equum scilicet, siue equitem, auem, piscem, quales *Fig. 16 — 19.* uidere licet. Aliae fuerunt rotundae, et ad hodiernam fibularum formam propius accedebant, ut *Fig. 12.* Nec defuerunt, qui fibulas hasce pro stilis ad scribendum aptis Tab. LXXXVII.

1) Conferendus *Ioh. Bapt. Casalius*, de insignibus, annulis, *fibulis* etc. tom. 9. *Gronouii* et *Marcellus Donatus* ad *Liuii* lib. 39. c. 31. equites *fibulis* donauit.

aptis habuerunt; ſed opinio haec iam diu eſt exploſa, poſtquam tantus ſtilorum numerus ex tenebris emerſit, quorum forma a fibulis iſtis quam maxime differt.

§. 2. *Acus diſcriminales* mulieribus in uſu fuerunt; quod iis crines in duas partes hinc inde ſeparabant; ut linea hac ſeparationis, a uirginibus, quae crines ſuos non ita ſeparabant, diſtinguerentur. Linea haec in medio ſincipitis in multis mulierum ſtatuis obſeruatur; quaedam cincinnos tantum ſine eiusmodi linea exhibent. Praeter diſcriminales illas acus etiam aliae fuerunt crinales, forma circulari, ideo adhibitae, ut capillitium cincinnatum continerent; quae ex quouis metallo, ebore et ſectis calamis conficiebantur.

§. 3. *Armillae*, quas Graeci φέλλια, χλιδῶνας aut βραχιονιςῆρας uocabant, apud Graecos non tantum et Romanos, ſed aliis quoque nationes in uſu fuerunt. *Tab. LXXXVI. Fig. 1.* in ſtatua Lucillae, L. Veri Imperatoris uxoris, iam triplicem eiusmodi armillam uidimus; qualem hic *Tab. LXXXVII. Fig. 24.* ſeparatim conſpicimus. Ceterae *Fig. 20 — 23.* ex ſolida materia et maximam partem ferreae ſunt; aliquando ex auro puro fiebant. Ex his tres priores *Fig. 20.* ex muſeo Brandenburgico a *Begero* eductae ſunt; illarum media ferrea eſt; olim argentea lamina obducta fuit, et ab una parte arietis capite terminatur; reliquae a Bonannio publicatae ſunt in muſeo Kircheriano. Armillas eiusmodi cuiusuis conditionis homines geſtabant, tum uiri, tum mulieres. Sabini ſecundum Liuium brachium dextrum armillis, iisque aureis et quidem grauiſſimis ornabant; illaeque honoris modo, modo ſeruitutis erant notae. Militibus tamquam praemia uirtutis dabantur. Praeter aureas illas, argenteas atque ferreas armillas, etiam eburneis nonnumquam utebantur. Ferreae autem et aeneae plebi et ſeruis in uſu fuiſſe uidentur. Porro, tum uiri, tum mulieres, citra haec ornamenta catenulas quoque aureas geſtabant, quarum formam ex muſeo Brandenburgico exhibemus. *Fig. 32.*

§. 4. *Inaures* apud omnes fere nationes ſemper in uſu fuerunt. Non paucas uidimus, matronarum Dearumque auribus appenſas. Sed puerorum quoque ſeruorumque auribus eiusmodi ornamenta, quamquam minus pretioſa, iungi ſolebant. Si de materia inaurium quaeritur, aureae plerumque fuere, nonnumquam gemmis diſtinctae. Annuli fere formam habuere, quales *Fig. 25 — 27.* exhibemus; iisque nonnumquam globuli ſub piri forma appendebant, ut *Fig. 28 — 31.* Pueri etiam nobilium eodem ornatu utebantur: in Oriente uiri pariter atque mulieres inaures gerebant, ſed impenſis maioribus mulieres, ita quidem, ut, *Seneca* de uita beata, capite 17. teſte, mulier una *locupletis domus cenſum* auribus gereret. Secundum Auguſtinum hae inaures non ſemper ornamenti, ſed nonnumquam ſuperſtitionis cauſſa, capiti appendebantur.

§. 5. Sequuntur *Torques* 2) apud Graecos aeque atque Romanos immo plerasque alias nationes a priſcis temporibus ornamenti loco adhibiti. Tales in collo Dearum ſupra ſaepius uidimus. Militibus in ſignum honoris et praemium uirtutis dabantur. Sic nouimus, Manlium illum Torquati nomen inde traxiſſe, quod hoſti ſuo torquem detraxerit. Alii ex auro erant, alii ex argento; quidam lapillis ornati. Britanni eburneas gerebant. Torquibus atque catenulis *periſcelides* quoque iungimus, quibus mulieres tibias alligabant, et in his etiam magnum luxum ſequebantur.

CAPVT II.

De uariis calceamentorum 1) generibus.

§. 1.

Quod de aliis ueſtimentorum generibus ſupra diximus, id ipſum de calceamentis quoque intelligendum eſt; tot nimirum eorum paſſim uideri formas, ut peculiaria cuiuis imagini nomina adſcribere admodum ſit difficile. Graeci calceos ὑποδήματα et πέδιλα uocabant; κνημὶς uero illis idem eſt, ac Romanis *ocrea*. Romani diuerſas calceamentorum ſpecies his uocibus efferre ſolent: *calceus* (commune hoc nomen eſt, quamuis calceamentorum ſpeciem

2) *Io. Scheffer* de antiquorum torquibus ſyntagma tom. 12. *Graeuii.* Adde et *Ewaldi* emblematum partem 3, exercitat. 2, de torque etc. quae, ut ſolet, omnia corradit.

1) Vide *Benedicti Balduini*, ſutoris, librum, *calceus antiquus* et myſticus, aliosque a *Fabricio*, pag. 573. excitatos.

ſpeciem denotans) *pero*, *mulleus*, *phaecaſium*, *caliga*, *ſolea*, *crepida*, *ſandalium*, *compagus*, *baxea*, *compes*, *gallica*, *ſicyonia*: reliqua calceamenta, quae ad mediam uſque tibiam, uel ſupra eandem pertingebant, *Ocrea* et *Cothurnus* appellabantur.

§. 2. Calceamenta Graecorum, ſi Telamonis, Pyrrhi, aliisque, quae ſuperſunt, ſtatuis fides habenda eſt, eadem pene forma fuerunt cum Romanorum calceis. Philoſtratus quatuor illorum genera refert, λαυτία ſcilicet, σανδάλια, κρηπίδα et πέδιλα i. e. *lautia*, *ſandalia*, *crepidas* et *pedila*. Quid *lautia* fuerint, ignotum eſt; reliqua cum Romanis aliisque communia paullo poſt explicabimus. Pythagoras eodem Philoſtrato teſte in uita *Apollonii* L. 8. p. 387. diſcipulos ſuos ex arborum corticibus calceamenta conficere iuſſit, quae materia ad hunc uſum ſane fragilior uidetur. Firmiora erant, quae Empedocles geſtauit; qui, ſi quibusdam a Strabone citatis auctoribus fides habenda eſt, toti aenei fuerunt.

§. 3. Quoniam uulgares Romanorum calcei eadem forma fuerunt, qua Graecorum calceamenta; de utrisque ſimul agemus. *Calcei* ueterum in duas claſſes commode diuidi poſſunt, quorum prima eorum eſt, qui totum pedem operiebant, ut calcei noſtri hodierni; tales erant *calceus* proprie ſic dictus, *mulleus*, *pero* et *phaecaſium*; ſecunda ſpecies eorum fuit, qui ſoleam unam aut plures pedibus ſuppoſitas, corrigiasque pedem ſuperne uincientes, habebant; ita ut pars pedis nuda maneret; quales erant *caliga*, *ſolea*, *crepida*, *baxea* et *ſandalium*.

§. 4. Calceus et mulleus a perone in eo differebant, quod pero ex corio crudo fieret, calcei uero et mullei ex pellibus ſubactis et aluminatis conficerentur. Initio reipublicae Romanae, quo nullus omnino luxus atque ornatus adhibebatur, omnium cuiusuis conditionis calceamenta ex corio non ſubacto facta putantur: qui munere Aedilitio fungebantur, ii ſoli inſigniori calceamento utebantur, cui nomen mulleus erat. Hi uero non tantum ex corio ſubacto praeparati, ſed punicei ſimul fuere. Iidem olim apud Reges Albanorum in uſu fuiſſe dicuntur, a quibus ad Romanos tranſierint; deinde ad Aediles et magiſtratus praecipuos, qui illis inprimis diebus ſolennibus, in triumphis, ludisque publicis uſi creduntur, eosdem perueniſſe, dubio ferme caret. De colore pariter et de forma ualde digladiantur ſcriptores. Alii quidem arbitrantur Senatorum calceos nigros partim, partim rubros fuiſſe; nigros quidem ea parte, quae tibiam, rubros uero ea, quae pedem operiebat; alii nigros omnino fuiſſe tradunt.

§. 5. Vt autem luxus Romanorum ſequentibus ſaeculis in ueſtimentis et ſingulis ferme illorum partibus augebat; ita in calceis quoque obſeruabatur. Minori quidem impendio uariis inducebantur coloribus, nigro, rubro, albo, flauo, uiridi; quod uiris perinde atque mulieribus uſitatum fuit. Imperator Aurelianus, teſte Vopiſco in uita illius, quod mollitiem iſtam uiros minus decere arbitrabatur, calceos mulleos et cereos et albos et hederaceos (hi uirides erant, ut folia hederae) uiris omnibus interdixit, mulieribus uero reliquit. Maximae quippe in calceis erant impenſae, quod aurum quoque adhibebant, et gemmis illos diſtinguebant. Qui *perones* uocabantur, ruſtica fuerunt calceamenta, ex pellibus non ſubactis confecta, iis, quae Galli hodie *guetres* uocant, haud diſſimilia; in ueterum monumentis rarius illa occurrunt. In ſenatorum calceis circa malleolos apponebatur quaedam fibulae ſpecies, quae *luna* uel *lunula* 2) dicebatur, uereque lunam bicornem referebat, qualem *Tab. LXXXVIII. Fig. 26.* ex muſeo Kircheriano exhibemus.

§. 6. *Phaecaſium* 3) genus calcei fuit ex corio albo, quo, Appiano Alexandrino teſte, Sacerdotes Athenienſes et Alexandrini in Sacrificiis utebantur. Leues hi calcei mollibusque uiris conueniſſe uidentur; quare quum apud Petronium phaecaſiatus quidam ſe militem mentiretur; alius miles inducitur dicens: *age uero in exercitu ueſtro phaecaſiati milites ambulant?*

§. 7. *Caliga* 4) militantium calceamentum erat, denſam ſoleam habens, cui corrigiae quaedam annectebantur coriaceae, quibus pedi iungebantur. Haec uero ligamina in tibia quo-

2) De *lunulis*, malleolo pedum appoſitis, uid. *Iac. Nic. Loenſis* epiph. lib. 4, 24. lib. 5, 2. qui non *fibulae* ſpeciem fuiſſe, ſed extrinſecus, nobilitatis inſigne, tradit. Add. *Barthium* ad Statium tom. I. p. 450.

3) De *Phaecaſio* uid. interpr. ad *Senecae* ep. 113. et de *beneficiis* lib. 7, c. 21. et ad *Petronii* locum.

4) *Iul. Nigroni* liber de *caliga* recuſus per *I. Fr. Nilant* Lugd. Bat. 1711. 12. cum *Balduini* de calceo.

quoque aliquot gyris ſupra malleolos pedem cingebant; ita ut, quae partes ligamentis illis non tegerentur, nudae manerent. Nonnumquam una ex iſtis corrigiis inter pedis pollicem alterumque digitum tranſiens ſoleae anneЄtebatur, ut haec eo firmius pedi adhaereret; id quod ex ſchematibus infra proferendis clarius patebit. Imperatorum, Ducum, Tribunorumque exercitus calceamentum *compagus* uocabatur, et a caligis militum parum differebat.

§. 8. Quae calceamenta *ſolea*, *crepida*, *ſandalia* et *gallica* dicebantur, illa admodum inter ſe ſimilia uulgo creduntur. *Soleae* ad plantas pedis uariis loris et ligamentis fuerunt adſtriЄtae, in quo uero ab aliis calceamentis differebant, ignoramus. Solea et Gallica una cum toga geſtari nequibant; ſenatores tamen ruri degentes iis utebantur, ubi penula ſimul uel tunica erant induti. Mulieres ſoleas et crepidas in urbe pariter atque rure geſtabant; ſed haec non ſola illarum calceamenta fuere; alia etiam habebant, quae totum pedem contegebant. *Gallicae* eae forte fuerunt, quas Galli hodie *galloches* appellant, quod nomen ex *Gallicis* ortum uidetur. *Crepida* 5) ſoleae fere ſimilis fuiſſe uidetur, pedisque partem ſupernam per interualla ſolum operiebat; ligamina maximam pedis partem nudam relinquebant, et nonnumquam non ſupra malleolos tantum aliquot gyris conuoluebantur, ſed ad ſuram usque pertingebant. In quo uero a caligis militaribus differant, non liquet. *Sandalia* 6) cum crepidis eadem eſſe uidentur. Inter crepidas aut caligas militares nonnullae deprehenduntur, in quibus iis locis, ubi corrigiae decuſſantur quaedam quaſi clauorum capita conſpiciuntur. Praeter hosce clauos alii quoque ſubtus in ſolea ponebantur, et quidem frequentes et acuti; quod calceamentorum genus *clauatum* dicebatur.

§. 9. *Baxea*, cuius 7) Plautus mentionem facit, ſandaliorum ſpecies erat, eaque Tertulliano (de pallio cap. 4.) et Arnobio teſtibus, Philoſophorum in primis calceamentum extitit. Quae apud Ciceronem de Oratore I. c. 53. *Sicyonia* uocatur, illius formam intelligere difficillimum eſt. Scriptor ad Herennium, eius uſum in curſu fuiſſe, tradit; ex quo colligitur calceamentum illud leue fuiſſe, ſandaliis forte ſimile. Id quod *Soccus* uocabatur calceo aut crepidae inſerebatur, uulgo *chauſſons* dicuntur; apud ſcriptores nonnumquam pro calceo muliebri ſumitur. Cicero pro Rabirio poſtumo c. 10. ſoccum pro calceamento graeco habere uidetur. *Plinius* VII, 30. *ſoccum comicum* commemorat, et reuera in comoediis geſtabantur. Horatius illius non ſemel meminit. Quum autem eſſet aЄtorum comicorum calceus, ipſa quoque comoedia nonnumquam *ſoccus* appellatur, ut tragoedia *cothurni* nomen habet; quod aЄtores tragici hoc calceamentorum genere utebantur. *Cothurni* autem calceamentorum ſpecies erant, utrique ſexui uſitata, et ita concinnata, ut utrique pedi adaptari potuerit; inde, *cothurno* uerſatilior, homo uarius, inconſtans, diЄtus. Celeberrimus huius cothurni uſus euaſit, quum Sophocles eum in tragoedias inuexiſſet, ut AЄtoribus tot heroes referentibus, eo maiorem ſtaturam adderet; quoniam ſolea ille praealta conſtabat. Color eius puniceus fuiſſe creditur; ceterum nemo illum diligentius deſcripſit, quam Sidonius Apollinaris Carm. II. 400.

§. 10. *Ocreae* graece κνημῖδες uocabantur, et ſecundum Homerum iam belli Troiani tempore in uſu fuerunt. Romani illis etiam utebantur. Aliae ocreae ſecundum eundem Homerum ex aere fuerunt, aliae ex aurichalco, quales Herculis erant. Romani 8) ferreas adhibuerunt, et ne nimii ponderis eſſent, eas ferreis tantum laminibus fuiſſe opertas, uero admodum ſimile eſt.

§. 11. Nunc ad ſchemata, quae uaria iſta calceamentorum genera diſtinЄtius exhibent, progrediendum eſt. Vno illa intuitu *Tab. LXXXVIII.* nobis offeruntur; ubi *Fig. 1 — 8.* aperta calceamenta, in quibus digiti pedum conſpiciuntur produnt; ubi hoc ſimul notandum eſt, quod omnia haec calceamenta ad ſuram usque pertingant, et ex genere eorum eſſe uideantur, quae ſupra *caligas*, *compagos* et *ocreas* nominauimus; neque tamen audemus cui-
Tab. LXXXVIII.

uis

5) *Otthonis Sperlingi* de *crepidis* ueterum diatribe, exſtat tom. 9. Gronou.

6) *Sandalia*, mulierum heroinarum olim fuerunt. Vid. *Iac. Nic. Loenſis* miſc. epiph. lib. I. c. 9. in N. T. haec et ὑποδήματα, idem, uide *Reineſii* epiſtolam a *Fabricio* pag. 574. excitatam. Et ei adde *Sagittarii* de *nudipedalibus* ueterum diſſert. §. 19. pag. 272. faſciculi diſſertat. philologicarum, *Car. Bernizii.*

7) *Plautus* in Menaechm. II. 3, 40. numero plurali uſus eſt; ſingularis *baxa* et *baxia* in *Tertulliano* legitur. *Apuleius* lib. XI. metam. inter inſignia philoſophi baxeas refert, cum pallio, baculo et barbitio hircino.

8) De ocreis uide *Iuſtum Lipſium* de militia romana lib. 3. c. 7.



Varia calceamentorum genera apud Græcos et Romanos, nec non alias gentes usitata, una cum fibula fig. 26. lunæ crescentis formam referente, quam Senatores Romani calceis suis annectebant. 37. caligæ ferreis aculeis munitæ.

uis eorum proprium suum nomen tribuere. Schema tamen quartum *Fig. 4.* quod est Pyrrhi Regis, militari et heroica ueste induti, illud sine dubio esse uidetur, quod graece κνημίδα, latine *ocream* uocabant; id quod etiam de schemate sequente *Fig. 5.* affirmandum. *Fig. 7.* calceamentum est militum Romanorum legionariorum. *Fig. 8.* tempore Theodosii militibus in usu fuit, in eoque pars inferior cruris, et pes prorsus nuda esse uidetur. Sed obseruandum, calceos et tibialia eo tempore ita fuisse concinnata, ut omnes pedum digiti, operti licet, conspicerentur, quemadmodum digiti manus in chirotheca distinctius uidentur. *Fig. 6.* est calceamentum saltatoris; quo nomine illud appallendum sit, ego quidem dicere non ausim; ad cothurnum tamen accedere uidetur. Calceamenta sequentia *Fig. 9 — 13.* omnia clausa sunt. Duo prima *Fig. 9. et 10. phaecasia* esse possunt, quorum alterum oblongo tibiali simillimum est. Mulieres saepius ita calceatae occurrunt, etsi saepius etiam calceos habeant, in quibus pedum digiti comparent. Reliqua calceamenta *Fig. 11 — 13.* Ocreas dici posse puto; in quibus Ocrea illa *Fig. 12.* digitorum quidem extrema exhibere uidetur; quod tamen, ut paullo ante diximus, non impedit, quo minus operta fuerint.

§. 12. Calcei quinque sequentes, *Fig. 14 — 18.* soleae esse uidentur, siue species quaedam sandaliorum, quorum solea sub pede lignea fuit. Quatuor sequentes *Fig. 19 — 22.* undique clausi sunt, eiusque forte speciei, quae uel calcei, uel mullei, uel phaecasii nomine ueniebat. Forma illa, quam *Fig. 19, 20.* exhibemus, in ueterum monumentis saepius occurrit; eo quod uterque sexus eiusmodi calceis utebatur. Calceus ille *Fig. 22.* nostris parum est absimilis. Quod *Fig. 23, et 24.* proferimus calceamenti genus, illud Armeniis, Parthis, Dacis, Germanis et Gallis, uel ut uno uerbo dicam, omnibus illis, quos Graeci et Romani barbaros uocarunt, usitatum erat; hinc Romani captiuum uel seruum depingentes, eiusmodi calceamenta illi tribuere solebant. Calceamentum sequens *Fig. 25.* ex columna Theodosii prodiit, ubi Scythae omnes, qui in triumpho ducuntur, ita calceati sunt.

§. 13. Qui *Fig. 27 — 42.* sequuntur calcei caligaeque a Bonannio publicati sunt. Omnes autem ex eorum numero sunt, quos crepidas, aut soleas aut caligas uocabant, et partem tantum pedis tegebant, reliquam nudam relinquentes. Variae hic comparent corrigiarum dispositiones, quae oculis facilius perspici, quam uerbis describi, possunt. Solea plerumque lignea fuit. In quibusdam corrigiae eo loco, quo iunguntur, densis clauis, quorum capita rotunda fuerunt, firmantur, ut *Fig. 29 et 33.* aliquando corrigia inter pollicem pedis et proximum digitum inserta est, ibique solea iungitur, ut calceum contineat; ut *Fig. 27, 28, 29, 33, 36, 40, 41 et 42.* Quam denique *Fig. 37.* exhibemus caligam, ea ferreis aculeis munita est, ut in glacie aut lubricis itineribus eo tutius incedere liceat.

CAPVT III.

De cunis et bullis, uariisque amuletis, quae puerorum collo appendebantur.

§. I.

Cunas 1) Graeci κοιτίδα uocabant (quae uox paruum lectum denotat) aut σκάφην, scapham, quod illae scaphae formam referebant; cunabula apud eosdem σπάργανα dicebantur. *Bartholinus* diuersas cunarum formas fuisse dicit; alias scilicet clypeo uel scuto similes 2), alias cribro uel scaphae. Plautus in Truc. v, 13. plura iungit: *Fasciis, opus est, puluinis, cunis, incunabulis;* ubi fasciarum nomen sine dubio illa uincula denotat, quibus infantes uinciebantur, incunabula uero pannos infantibus ad munditiem substratos.

§. 2. *Bullae* 3) ornamentum primum fuere, quod ab initio nobilium filiis dabatur; succe-

1) De *Cunis* uid. cap. 14. libri *de lectis* ueterum, *Ioh. Alstorphii.*

2) Quod et ex *Meursio* excitauit *W. E. Ewaldus* in emblemat. sacris exercit. 1. de clypeo Dei symbolo, §. 12, et illud Psalmi 22, 11. in te *deiectus sum* ex uulua ad ritum imponendi natos in clypeum, respicere autumat; quod, ut permulta alia, quae collegit in istis emblematibus, ab omni uerosimilitudine alienum est.

3) Conferatur *Ficoroni* della bolla d'oro de' rob. rom. 1732. 4. Romae. Et *Conyers Middletoni* germana quaedam antiquitatis monumenta, Londini 1745. 4. mai. ad tabulam 8.

ſuccedente uero tempore uſus earum fuit uulgaris. Originem illarum *Macrobius* in Saturnalibus l. 1. c. 6. his uerbis exprimit: *Tullus Hoſtilius - - - ſellam curulem lictoresque, et togam pictam, atque praetextam, quae inſignia magiſtratuum Etruſcorum erant, primus, ut Romae haberentur, inſtituit. Sed praetextam illo ſaeculo puerilis non uſurpabat aetas: erat enim, ut cetera, quae enumeraui, honoris habitus. Sed poſtea Tarquinius Priſcus de Sabinis egit triumphum; quo bello filium ſuum quatuordecim annos natum, quod hoſtem manu percuſſerat, et pro concione laudauit, et bulla aurea praetextaque donauit, inſigniens puerum, ultra annos fortem, praemiis uirilitatis et honoris; nam ſicut praetexta magiſtratuum, ita bulla erat geſtamen triumphantium, quam in triumpho prae ſe gerebant, incluſis intra eam remediis, quae crederent aduerſus inuidiam ualentiſſima. Hinc deductus mos, ut praetexta et bulla in uſum puerorum nobilium uſurparentur. Plinius* uero 33, 1. allata Priſci Tarquinii hiſtoria, ſubiungit: *unde mos bullae durauit, ut eorum, qui equo meruiſſent, filii, inſigne id haberent.* Macrobius deinde, recenſitis uariis circa originem bullarum opinionibus, addit, libertinorum poſtea filiis aliqua de cauſſa praetextam fuiſſe conceſſam, conceſſum item lorum in collo pro bullae decore. Inde quibusdam interiectis, ita pergit: *nonnulli credunt ingenuis pueris attributum, ut cordis figuram in bulla ante pectus annecterent; quam inſpicientes ita ſe demum homines cogitarent, ſi corde praeſtarent, togamque praetextam additam, ut ex purpurae rubore ingenuitatis pudore tegerentur.*

§. 2. Bullae hae intus erant uacuae, ut in iis, eodem *Macrobio* teſte, remedia aduerſus inuidiam includerentur. Plurimae cordis formam habuere, aliae fuerunt rotundae; ut
Tab. LXXXIX. quatuor illae, quas *Tab. LXXXIX. Fig. 1 — 4.* a Sponio allatas proferimus. Earum prima *Fig. 1.* in pectore geſtatur a puero ordinis ſenatorii, praetexta induto. Duae ſequentes *Fig. 2. et 3.* ſunt in protomis puerorum eiusdem ordinis. Bullas uero has non a pectore tantum, ſed nonnumquam etiam a fronte infantum ſuſpenſas fuiſſe, monumentis aliquot, non absque magna probabilitatis ſpecie, comprobatur. Bullas porro plurimas reperimus, uel figuram cordis inſculptam uel ipſam cordis formam circuitu ſuo praeferentes. Duae *Fig. 5.* ex Muſeo Domini *Foucault* eductae, primi generis ſunt; quae *Fig. 6 — 9.* cordis ambitum exhibent, ex uariis muſeis prodiere. Duae ex illis ithyphallos 4) repraeſentant, quales in muſeis magno numero deprehendebantur, qui iis uſibus deſtinati fuere, de quibus *Varro* lib. 6. de lingua Latina, bullarum eiusmodi mentionem faciens, ita loquitur: *pueris turpicula res quaedam in collo ſuſpenditur, ne quid obſit, bonae ſcaeuae cauſſa.* Quae *Fig. 10.* ſequitur, acuminibus cingitur, a quibus oportebat cauere pueros, ne uulnera infligerentur. Quam *Fig. 11.* exhibemus, illa omnium maxima eſt, et ex muſeo Chiggiano prodiit; ex bullis triumphalibus illa fuiſſe putatur, de quibus paullo ante Macrobius; grandior quippe illa eſt, quam ut a pueri collo ſuſpenſa fuerit. *Catuli* nomen illi inſcriptum eſt, et eruditus Cauceus, qui eam publicauit, putat, hunc Catulum eſſe fortaſſe Q. Luctatium Catulum, Caii Marii in quarto Conſulatu Collegam A. V. C. 652. quo ambo Cimbros uicerunt et triumpharunt.

§. 3. Bullarum nomen hic puerorum ornatus ſecundum *Papiam* ideo accepit, quod bullis in aqua commota inſurgentibus ſimilis erat. Nec praetereundum eſt, nobiles pueros, poſtquam annum aetatis 15. attigerant, bullas eiusmodi in collo Deorum Larium ſuspendiſſe. Nec nobilium tantum pueris bullae in collo ſuſpendebantur, uerum etiam equis; deinde ad alios quoque uſus adhibitae fuere. Mos diplomatibus Imperatorum eas annectendi antiquior eſt, quam adhuc exiſtimatum fuit. Bulla etiam nomen, quod olim pro globulis ad collum puerorum appenſis accipiebatur, et deinde pro annexis illis ad diplomata bullis ſumebatur: iam ipſa diplomata ſignificat, et pro ipſis Summi Pontificis litteris accipitur; uti lex illa publica, de electione Imperatoris, *Aurea Bulla* dicitur.

§. 4. Praeter bullas illas uacuas, quae collo puerorum appendebantur, alia adhuc προφυλακτήρια fuerunt, quae *amuleta* dicebantur, eidem uſui deſtinata. Forma illorum ex arbitrio et ſuperſtitione eorum pendebat, qui eiusmodi geſtamen filiis ſuis conceſſerunt. Primum *Fig. 12.* Herculis caput, leonis pelle opertum, repraeſentans, ex muſeo huius coenobii deſumtum eſt; ſecundum *Fig. 13.* ex muſeo illuſtris D. Foucault numinis alicuius caput exhibere uidetur. Schemata alia, ſimiae, equi, canis, muris, auis, piſcis etc. hic ponere noluimus.

CAPVT

4) Vid. *Lilii Gyraldi* dialogiſmum VII. de faſcino pag. 401. uol. 2. facis criticae.



1-3. *Senatorum filii, de quorum collo bullæ dependent.* 4-13. *variæ bullarum amuletorumque species.* 14-16. *Vestitus Hetruscorum in Magno præcipue Duce Etruriæ fig.* 14 *conspicuus.* 17-19. *Vestitus et Cultus Aegyptiorum.* 20-23. *Capita et Diademata Regum Parthorum.* 24-26. *tres Phryges.* 27. 28. *Daci duo.*

CAPVT IV.

De uestibus Hetruscorum, Aegyptiorum, Persarum, Parthorum, Scytharum, Phrygum et Dacorum.

§. 1.

Romanorum uestitui atque cultui Hetruscorum uicinorum, aliarumque gentium uestimenta subiungimus. HETRVSCORVM uestes a Romanis non multum differebant. Schema omnium maximum, Magni Etruriae Ducis *Fig. 14.* uirum abraso capite repraesentat, cuius tunica Romanae similis est; eamque aliud uestimentum tegit, quod togam dixeris, quod et breuius et strictius est. In ima uestis ora inscriptio legitur Etrusca, more Etruscorum, qui statuarum suarum uestibus eiusmodi inscriptiones insculpserunt; quas, si statuae nudae fuerunt, uel in crure uel in femore earum ponebant; cuius rei exemplum infra *Fig. 16.* uidere liceet. Calceamentum huius Etrusci uersu *Virgilii Aeneid.* VIII. 458. indicari uidetur, idque multis uinculis constrictum est. Mulier Etrusca *Fig. 15.* capite carens, Volaterris est in domo cuiusdam equitis; gestat illa infantem, et circa brachia quoque habet inscriptionem Etruscam; tunica illius talaris est, quam pallium muliebre tegit, quod pallam uocant. Mulieres Etruscorum longos capillorum cincinnos alebant, quod passim ex uariis monumentis probatur. Puerulus nudus Etruscus *Fig. 16.* bulla maxima de collo pendente spectabilis est; quo ipso comprobatur, quod supra ex *Macrobio* retulimus; usum scilicet bullarum ab Etruscis ad Romanos peruenisse; brachia huius pueri circumdant armillae et ad tibias usque armillis similes annulos gestat, in femore inscriptionem habet Etruscam, quam hodie nemo legit, neque intelligit; dextra auem tenet.

§. 2. De uestimentis AEGYPTIACIS pauca supersunt. *Herodotus* II, 81. dicit: Aegyptios tunicis lineis fimbriatis, quae *Calasiris* uocabatur, fuisse indutos, iisque uestes laneas imposuisse, quas templa ingressuri deponebant. Ex museo nostro caput Aegyptiacum muliebre *Fig. 17.* proferimus, quod ex lapide nigro Aegyptiaco, quem basaltem uocant, eleganter concinnatum, et capillorum ornatu conspicuum est. Mulier alia *Fig. 18.* manum extendens itidem Aegyptia esse putatur. *Fig. 19.* aliam iungimus a parte antica et postica, quae ueste linea inferne fimbriata, (forte ea, quae *Calasiris* dicta,) induta est; capitis ornatus plane singularis est.

§. 3. De PERSARVM ueterum uestibus nihil certi dici potest. Nam quia tantae antiquitatis nulla monumenta supersunt, nonnisi hariolando de iis loqui licet. Tunicas illi gestabant, aliaque uestimenta, quibus nomen *Candys* erat; quod Xenophon, Dio et alii testantur. Candys autem haec uestis erat exterior, pallio uel chlamydi similis; milites fibula illam annectebant. *Anaxyrides* quoque seu braccas Persae gestabant, quae Gallorum braccis similes putantur.

§. 4. PARTHORVM uestis notior nobis, quam Persarum, quod Septimii Seueri arcu multos cum uestimentis Parthos uidemus. Tunica illi utebantur ad genua usque defluente, cuius manicae ad manum usque protendebantur; lumbos cingulo stringebant et supra tunicam chlamydem s. Candyn, eadem, qua tunica longitudine, fibula nexam habebant. Tiara antrorsum reflexa cydarin Phrygiam referebat; calcei undique clausi, tibialia latissima prope calceos subligata et peronibus fere similia. Parum differunt Parthorum uestes a uestibus Dacorum, Marcomannorum, aliarumque nationum Germanicarum, itemque Gallorum ueterum. Reges Parthorum secundum Plutarchum ueterum Regum Medorum morem imitabantur. Ornatus autem capitis eorum non semper idem est in monumentis uetustis. Rex aliquando cum diademate solo comparet, non alio, quem capillorum ornatu, qualem uidere licet *Fig. 20*, quae caput eiusmodi marmoreum exhibet, quod in museo clarissimi Fauuelii custoditur. Vt enim Reges Parthorum non semper coronam seu tiaram regiam gestabant, sed solum nonnumquam diadematis insigne: sic hoc quoque caput, solo densioris capilli et praelongae barbae cincinnis atque cirris, conspicuum est. Aliud Regis Parthorum caput *Fig. 21.* ex gemma Domini Mareschalli *d'Etrées* conspicimus, quod ab omnibus aliis differt; huius autem capillitium totum comparet, quia nec tiaram, nec coronam, nec

diadema, gestat. *Fig. 22.* genus quoddam tiarae Regum Parthorum, quod ad Armeniae tiarae formam accedit, nobis exhibet. Altius et oblongum est hoc diadema, cuius pars suprema, sicut coronae radiatae, in aculeos definit; quae illi iunguntur, sagittae cum arcu, consueta Parthorum arma fuerunt. Quod *Fig. 23.* exhibemus, Phrygia quasi tiara, et inauribus conspicuum est. Ecquis autem omnem eiusmodi ornatum tot mutationibus obnoxium enumeret?

§. 5. SCYTHAE atque THRACES uestibus utebantur Persicis admodum similibus; braccas quippe et tiaras gestabant. Vestes Scytharum nonnisi in columna Theodosii Constantinopoli uidentur; ubi captiui apparent, quos uiri eruditi pro Scythis habent. Tunicas gestant manicatas ad manus usque pertingentes. Braccae ad malleolos pedis usque protendunt; supra suras ligantur, ita ut braccarum simul et tibialium loco sint. Pallium porro seu chlamydem gestant, quo caput simul operiunt, ut Senatores Romani; nudo enim plerumque capite incedunt.

§. 6. Vestes PHRYGIAE in variis monumentis apparent. Omnes, quas proferimus, imagines, simili tiara antrorsum reflexa, sunt ornatae; reliquae uestes differunt. Primus, quem *Fig. 24.* proferimus, Phryx duplici tunica induitur, quarum longior ne ad genua quidem descendit; calceamentum illius tibiale oblongum uidetur, in quo nulla soleae uel calcei distinctio. Secundus Phryx *Fig. 25.* sedens, caput brachio sinistro suffulcit, et oculis clausis dormienti uel attentius meditanti similis est. Elegantissimum omnium schema, in quo Phrygia uestis plane conspicitur est Paridis sedentis *Fig. 26.*; manu dextra discordiae pomum tenet; supra tunicam chlamys humero dextro fibula rotunda annexa est; calceamentum ad Parthicum accedit.

§. 7. DACORVM uestes columna Traiani exhibet. Tunicis illi induebantur ad genua usque defluentibus, braccisque oblongis, quæ etiam tibialium loco sunt, et circa malleolos nonnumquam constringuntur; calceis utuntur, qui hodiernis non admodum sunt absimiles; chlamys paullo longior est, et tiarae antrorsum reflexae; multi capite nudo incedunt; quales non in hac tantum tabula *Fig. 27. et 28.* sed et sequenti *Tab. XC. Fig. 1. et 2.*
Tab.XC. conspiciuntur. In his autem *Fig. 2.* formam Regis Daci captiui ex parte antica et postica nobis repraesentat; cuius chlamys circumquaque peculiari fimbria ornatur. Tres reliqui Daci a Sponio dati sunt; ubi simul obseruandum, quod aliae quoque gentes uicinae, Germani scilicet et aliae, iisdem fere uestibus usae sint.

CAPVT V.

De Vestibus Gallorum, Hispanorum, Lusitanorum, Maurorum, Numidarum et Carthaginiensium.

§. I.

Gallos atque Germanos iisdem fere cum Romanis uestibus usos esse, uulgo putant; quanquam de Gallorum indumentis, antequam illi a Romanis subigerentur, nulla monumenta comparent. Non pauca tamen suppetunt, quae ad priora Imperatorum saecula pertinent, sed a I. Caesaris temporibus uariis mutationibus fuerunt obnoxia. In amplissimis Gallorum schematibus illa numeranda sunt, quae A. 1711. in Ecclesiae Cathedralis Parisiensis choro effossa sunt. Sex ibi Galli apparent tecti galeris, qui tiaris Parthicis non absimiles sunt; tunicas gestant, quarum manicæ ad manus usque pertingunt; supra tunicam sagum Gallicum manicis instructum; in quo hoc sagum a Romano differebat. Sagum hoc Gallorum clauis porro seu pannis angustis purpureis, qui uirgas referebant, ornabatur; unde ipsa saga *uirgata* dicebantur. Schemata uestium Gallicarum, quae prioribus Imperatorum saeculis in usu fuerunt, inter se non sunt similia. In quibusdam enim imaginibus sagum supra tunicam conspicitur, manicaeque in tunica angustae, in sago latissimae. Sic uestitus est iuuenis ille *Tab. XC. Fig. 3*, qui catellum tenet; secundus uero *Fig. 4.* qui altera manu auem, altera culullum (culullus hic forte indicat Burgundiam, in qua hae imagines repertae sunt, uini esse feracissimam) tenet, amplissimas manicas habet. Strictas contra et angustas manicas uidemus in sequente *Fig. 5*, qui dextra catellum, sinistra uero arculam tenet; quartus

Fig.

Tab. LXXXX.



1. 2. Vestimenta Dacorum. 3–7. Vestitus Gallorum veterum. 8. Puella Gallica. 9. Mulier Gallica. 10. Schema Gallorum prisci œvi pellibus admodum pilosis undique tectorum. 11. Pantomimus. 12. 13. Protomœ duœ Pannoniœ incolarum cultum referre creditœ.

Fig. 6. culullum tenens, sagum habet fimbriis seu incisuris ornatum; sagum uero hoc undique clausum est, et, capite per foramen immisso, induebatur.

§. 2. *Fig. 7.* in aedificio fornicato quatuor uiri mulieresque uisuntur, quibus nuptiae repraesentari uidentur. Sponsus scilicet sponsae digito annulum applicat, et sinistra, nescio, quod instrumentum tenet; reliqui duo (utrum adolescentes an puellæ sint, nescio) malleos tenent; quod in aliis quoque schematibus Gallicis obseruatur; ex his alter arculam tenet; calceamentum omnium, sicut eorum, quos *Fig. 3 — 6.* conspiciendos dedimus, idem est, et tibialibus parum absimile. *Fig. 8.* puellam uidemus cum situla ad hauriendam aquam, quae Lingonibus in Anaglypho habetur; cultus eius capitis apud rusticanas quasdam hodieque in usu est; tunica ad mediam usque tibiam defluens multis incisuris, quasi fimbriis, ornatur; quodque in ueterum munimentis non nisi raro obseruatur, uentrale illa gestat seu praecinctorium. Mulier *Fig. 9.* ex museo Domini *Foucault* non minus spectabilis est; tunica talaris est, cui collare satis latum adhaerere uidetur; manicae ad manum usque protensae singulare quidpiam prae se ferunt; Zona fibula magna, eaque rotunda, praestringitur. Gallam esse ex arcula, quam manu tenet, probatur, quod et Galli alii non pauci cum eadem passim comparent. His *Fig. 10.* iungimus immane quodpiam schema, ex museo Abbatis de *Fontenu* eductum; quod non opportunior illud communicandi locus sese offert. Barbarum illud refert, pelliceis iisque pilosis uestibus indutum; quae pelles tanta arte consutae sunt, ut ne uestigium quidem suturae compareat, tantaque corpori uestis haec arte applicata est, ut nudum quasi hominem repraesentet; quod uestis haec ad imas usque plantas pertingit; barba quoque miro artificio adornata est, et coma ab ima parte in circulum detonsa. Cuius nationis hic uir fuerit, ignoratur; forte etiam Gallus est, sed aeui prisci. In pectore huius Galli olim foramen quadratum et oblongum fuisse uidetur, totum pectus traiiciens. Tandem *Fig. 11.* Pantomimum, uel histrionem, quem *Poldo d'Albenas* in antiquitatibus Nemausiensibus protulit subiungimus; uestem eius et corporis habitum lectori explorandum relinquimus, calcei certe obseruatu sunt dignissimi.

§. 3. HISPANOS et LVSITANOS sagum fibula nexum gestasse nouimus, sed formam illius ignoramus. Nullum enim adhuc monumentum comparuit, ex quo aliquid notitiae accedat. Strabo Lusitanorum uestem militarem et sagum describit L. III. p. 107. MAVRI, Africae populi *comas cincinnis ornant*, scribit idem L. XVII. p. 569. et *barbam comunt, dentes tergunt, unguium excrementa resecant, quumque plures simul deambulant, raro sese contingunt, ne capillorum ornatum labefactent.* NVMIDAE leuiori uestitu utebantur, et pene nudi equitabant. De CARTHAGINIENSIVM uestitu pauca traduntur. *Plautus* eos tunicas gestasse dicit, manicis tam longis, ut manus digitosque contegerent; color porro ruber et purpura apud eosdem admodum in usu fuit. Pellibus etiam caprinis, quas colore rubro tingebant, ad uestem utebantur; sagum quoque induebant, et aures inauribus ornabant. *Figura* denique *12. et 13.* duas protomes subiungimus ob ornatum capitis admodum spectabiles; prioris quippe ornatus calathi speciem prae se fert, posterior pileum habet, qui peponis costas exprimit; utramque *Boissardus* Graecii in Pannonia depinxit, ex quo haud inepte colligitur, ad eiusdem Pannoniae uestimenta siue cultum illas esse referendas.

LIBER TERTIVS.

DOMOS VARIASQVE ILLARVM PARTES, VNA CVM AEDIVM SVPELLECTILI, TRICLINIA INPRIMIS ET MENSAS, ITEM CONVIVIORVM MODVM ET VILLAS COMPLECTENS.

CAPVT I.

De domibus Graecorum et Romanorum in genere.

§. 1.

Descriptione uestium postquam defuncti sumus: in designandis aedium partibus non minus iam laborandum erit; dum neque exterior neque interior illarum figura, satis nota est. Rem ipsam aggressuri hoc ante omnia in genere monemus, quod Graeci et Romani una eademque norma in construendis aedibus suis usi uideantur, uel, ut uerius loquamur, hanc aedificandi rationem, ut multa alia a Graecis ad Romanos descendisse; licet non in omnibus semper consenserint; uti nec apud Romanos una eademque domos construendi forma semper obtinuit.

§. 2. De Graecarum aedium forma tum exteriore tum interiore, nuda nobis nomina innotescunt. Sic domus apud eos οἶκος, cubiculum κοιτὼν et coenaculum ἑστιατήριον siue τρικλίνιον appellabatur. Romae duae fuerunt domuum genera, quorum prius aedificia plebis, mercatorum et artificum, quae in ueteribus Romae descriptionibus *insularum* 1) nomine ueniunt; posterius nobilium, primariorumque uirorum aedes, quas *domos* κατ' ἐξοχὴν uel simpliciter nuncupabant, complexum fuisse dicitur. Sub insularum nomine plures aedes una serie coniunctae intelligebantur; quibus tamen magnificae nobilium domus nonnumquam erant intermixtae; id quod ex ueteris Romae Ichnographia, quae in Septimii Seueri tempora pertinet, cuiusque fragmenta adhuc supersunt, probari facile potest. Primariorum contra uirorum domus magno sumtu uariisque ornamentis ita erant constructae, ut principum regumque palatiis nihil concederent. Aedes uulgares, quoad exteriorem faciem, ab hodiernis parum differebant; nec praetermittendum, quod secundum Hieronymum demissiores in iis fuerint contignationes, quas ueteres Romani *mediana* uocabant; Itali hodierni *mezzanine*, Galli *entresols* appellare solent.

§. 3. Praecipuarum domuum Romanarum magnificentia summa fuit; quod exquisitissima iis marmora adhiberentur, eaedemque auro, argento atque ebore quam maxime fulgebant 2). Primus ad exornandam domum marmora congessit Lucius Crassus, qui A. V. C. 662. cum Domitio Aenobarbo Censoris munere fungebatur; duodecim is columnas ex monte Hymetto, prope Athenas, aduectas in frontispicio domus suae posuit. Minime tamen haec domus cum iis est comparanda, quae subsequente tempore a Sulla longe maiori sumtu constructae fuerunt. Eiusdem quoque gener Scaurus, qui Amphitheatrum struxit omnium splendidissimum, domum quoque magnificam aedificauit, ut ea a Plinio cum iis, quae postea a Caio Caligula et Nerone Imperatoribus constructae sunt, comparentur. Hae tamen aliaeque aedes magnificae, quae in admirationem sui omnes rapiebant, ab iis, quae Augusti tempore excitatae fuerunt, longe superabantur; cuius tempore urbs aliam plane faciem induit 3). In construendis scilicet aut renouandis ornandisque basilicis, templis, domibus et amphitheatris ferme innumeris tanta fuit adhibita marmorum copia, ut, quam luteam seu lateritiam Augustus acceperat urbem, eam marmoream reliquisse diceretur. Sic Imperatores quoque sequentes pulcherrima magnificentiae reliquere monumenta. Caligula quippe

1) De *insulis* uide interpretes *Suetonii* Tiber. 48. Neron. 38. atque 1&os.

2) Vid. *Meursii* de luxu rom. cap. 12.

3) Vid. *Lipsii* de magnitudine rom. lib. 3. c. 5.

quippe palatium construxit omnium, quae tum uisa fuerunt, magnificentissimum; quod tamen ab ea, quam Nero excitauit, domo, et amplitudine et elegantia longe superabatur; pluribus de illa conferri meretur *Suetonius* in uita Neronis cap. 31.

CAPVT II.

De partibus aedium.

§. 1.

Sumtuosam aedium Romanarum structuram atque formam, tricliniorumque in primis, atriorum et cubiculorum situm, cum ob ueterum monumentorum inopiam, distinctius describere, et accuratiorem illorum imaginem adumbrare minime possimus: ea tantum proferemus, quae de singulis aedium partibus passim occurrunt.

§. 2. A *Vestibulo* itaque, quod ingredientibus primum obiiciebatur, incipientes, illud, consentientibus scriptorum plerisque, ante maius ostium collocatum fuisse autumamus. Coelius quippe Gallus apud A. Gellium XVI, 5. *Vestibulum esse* dicit, *non in ipsis aedibus, neque partem aedium, sed locum ante ianuam domus uacuum, per quem a uia aditus accessusque ad aedes est, cum dextra sinistraque inter ianuam tectaque, quae sunt uiae iuncta, spatium relinquitur; atque ipsa ianua procul a uia est area uacanti intersita.*

§. 3. Vestibulum excipit *atrium*, quod quale omnino fuerit, et in quo ab *impluuio* differat, sat certo definiri non potest; hoc saltem ex uariis documentis comprobatur, quod partem domus constituerit, in quo a uestibulo distinguitur; sicut ab impluuio in eo differt, quod opertum et tectum fuerit, *Impluuium* autem, seu *cauaedium*, illam aedium partem denotat, in quam aqua pluuia defluebat. In atrio cereae maiorum imagines constituebantur. Scriptores tamen ueteres, poëtae praecipue, uestibuli, atrii et impluuii uocabula fere promiscue adhibent. Atria porro coenaculi nonnumquam uicem implebant; quanquam et alia fuere loca cibo capiendo destinata, quae *coenationes*, *coenacula* et *triclinia* dicebantur. Hae autem coenationes aulae quaedam maiores erant, quae non in ima tantum domus parte, sed in suprema etiam nonnumquam aedium contignatione fuerunt; quod *Plinius* L.II.c.17. comprobare uidetur, quando in descriptione uillae suae, *hic turris erigitur*, ait, *sub qua diaetae duae, totidem in ipsa sc. turri. Praeterea coenatio, quae latissimum mare, longissimum littus, amoenissimas uillas prospicit:* quibus uerbis coenaculum maius, quod coenationem uocat, a duabus diaetis, quae sub turri erant, totidemque aliis, quae in ipsa turri, sed sub maiori illa coenatione fuere, clarissime distinguit. Haec autem maior coenatio, maioribus conuiuiis adhibita, supremam totius turris amplitudinem occupasse, marisque simul atque agri prospectu gauisa esse, uidetur. Diaetae illae quatuor, totidem coenationes minores forte fuerunt. Nescio tamen, utrum, id, quod *coenaculum* uocabant, id ipsum fuerit, quod coenationis uoce denotabant. Hoc certum est, plerosque id, quod coenaculum uocant, in suprema domus parte locare; quum coenationis uocabulum plerumque de tricliniis, quae in mediocris uel infimae conditionis aedibus erant, usurpetur. Coenacula quoque in circo fuerunt, ubi sub officinis locabantur. *Bulengerus* coenacula haec in theatris quoque et amphitheatris locum habuisse arbitratur.

§. 4. *Triclinium* 1), Graece τρικλίνιον, ui uocis locum denotat, in quo lecti tres strati fuere; res cum nomine a Graecis ad Romanos transiisse, uidetur. Ceterum, quod paullo ante monuimus, id ipsum fuisse uidentur, quod coenationem uocauimus. Si itaque triclinia proprie tres lecti fuerunt, in quibus coenaturi recumbebant: facile intelligitur locus Ciceronis, ubi *triclinia in foro sterni iubebat;* quo procul dubio ipsos lectos intelligit ad coenam paratos. Apud alios scriptores uox triclinii non raro pro coenatione s. loco, in quo coenabatur, sumi solet. Sic apud Athenaeum eiusmodi coenationes οἶκοι τρίκλινοι i. e. *domus trium lectorum* dicuntur; quos idem auctor coenationes esse ait, in quibus aut quatuor, aut septem, aut nouem lecti fuere. Nonnumquam etiam plures sternebantur; sicuti in domibus nobilium primariorumque uirorum plura nonnumquam triclinia deprehendebantur. Quemadmo-

1) Scriptores alios nominat *Fabricius* in bibliogr. c. 19. n. 3. ubi et de lectis, sellis etc.

admodum triclinium de tribus uulgo lectis mensae circumpositis intelligitur: sic *biclinium* duo eiusmodi lectos denotat.

§. 5. Conclauia cubilibus destinata in specie dicebantur *Cubicula*, in iisque nullus erat caminus, sed ingruente frigore, carbones cineresque calidos calefaciendi caussa eo deferebant. In remotioribus secretioribusque domuum primariarum partibus peculiaria erant conclauia, quae a γυνὴ mulier *Gyneceia* uocabantur; quod mulieres ibi a conspectu uirorum remotae lanificium, aliaque negotia muliebria tractabant. Longe autem diligentius ueteres Graeci quam Romani mulieres custodiebant 2). Penes illos uirorum cubicula ἀνδρῶν et ἀνδρωνῖτις, mulierum uero secessus γυναικεῖον et γυναικωνῖτις uocabantur. Virgines seueriori adhuc custodia asseruabantur; quarum cubicula et remotiora, et obserata fuerunt; ex quibus egredi aliaque adire conclauia minime illis licebat; quod etiam de illis, quae haud ita pridem nuptae fuerunt, intelligendum est. Conuiuiis ad quae contribules et uicini conueniebant, numquam adhibebantur. Lacedaemonii tamen secundum Lycurgi leges contrariam ceteris Graecis circa mulieres consuetudinem obseruabant. Virgines detecta facie prodibant, atque in cursu, lucta, telorumque iactu publice exercebantur; ut corpore exercitiis eiusmodi confirmato filios parerent robustiores. Nuptae tamen, uelatae incedebant, nec uirorum conspectui patebant. Idque Lacedaemonii ideo fieri perhibebant, quod uirgines uiros quaererent, coniugatae uero id unum agere deberent, ut maritis propriae essent.

§. 6. Donatus *conclaue* partem quandam domus significare dicit, quae multis cubiculis obseratis constabat, ex quibus in triclinium transibatur. Conclaue etiam pro quouis loco clauso accipitur. Domus cuiusdam ueteris Ichnographiam aut conclauium omnium situm formamque delineare admodum esset difficile, nec sine manifesto erroris periculo tentari posset. Nec dubitandum priscis illis temporibus aeque atque hodie diuersas fuisse conclauium, aediumque dispositiones et formas, quas quisque pro arbitrio suo construebat.

§. 7. *Caminis* 3) utrum ueteres usi fuerint, nec ne, non satis constat. *Vitruuius* nec struendi camini rationem tradit, nec illius uspiam mentionem iniicit; nec ulla in monumentis uetustis, caminorum exempla occurrunt. Hinc plerique concludunt, nullum plane eorum olim fuisse usum, saltem non talem, qualis hodie apud nos obtinet. Quum autem negari nequeat, quod ueteres focos habuerint, in quibus ligna ad calefaciendum et coquendum comburenda reponebant; ad fumum uitandum pellendumque: uel ligno quodam illos usos esse perhibent, quod, *Catone* teste, amurca illitum erat, nullumque fumum emittebat, uel, si pauperes illi fuissent, fenestras aperuisse, quibus fumus exiret. Addunt alii, ueteres omnino focos habuisse mobiles, seu peculiaria quaedam uasa igni imponendo destinata, qualia hodieque usurpantur; caminos uero nostris similes, illos minime habuisse. Sunt tamen aliquot ueterum loca, quae contrarium suadere uidentur. Vlysses antro Calypsus inclusus fumum ex Ithaca egredientem uidere cupiebat; quod tamen fieri non potuisset, si nulli fuissent camini, nostris similes, qui fumum supra tectum emitterent. *Cicero* Ep. Fam. VII, 10. Trebatium hortatur, *ut luculento camino utatur*; et *Horatius* Carm. I, 9. ad pellendum frigus, multum ligni foco imponendum esse monet; quod sane caminum longiori tubo siue canali instructum arguit, cuius auxilio fumus emittatur. *Suetonius* etiam cap. 8. in Vitellii inauguratione, ignem caminum incendisse, tricliniumque deinde absumsisse, refert; quod uix aliter intelligi potest, quam ignem in camini tubo conceptum inde in triclinium transiisse, illudque consumsisse. Quid? quod ex ipso forte *camini* nomine latino, quod ab Italis *camino*, et a Gallis *cheminée* retentum est, nouum argumentum subnasci uidetur, recentiores antiquo nomine retento formam quoque caminorum ueterem imitatos esse? Fatendum, nullum adhuc eiusmodi camini uestigium in monumentis ueterum fuisse repertum; unde hoc saltem coniicere licet, quod, si quidem ueteres caminos habuerint, illorum tubi ex ferro potius, uel alia quadam materia, quam ex lateribus lapidibusque fuerint constructi. His accedit, quod paucissimae ueterum aedes, uel, ut uerius loquamur, pauca tantum illarum rudera, uisa sint, in quibus uix ac ne uix quidem camini uestigium exstare potuit. Templa quidem, theatra, amphitheatra, thermae, aliaque aedificia maiora, eaque paruo

2) Vide 2. dissertationes I. P. *Pfeifferi* de cura uirginum, in collectione et *Zernizii van Arkel* Roterodami 1710. 8 p. 333. seqq.

3) Scriptores qui plura produnt, nominat *Fabricius* in bibliograph. antiq. c. 22. §. 14.



1–10. *Claves formae variae una cum laminis, quibus pessuli serae inserebantur.* 11–13. *Campanulae sive tintinnabula.* 14–19. *Sellae maiores et minores.* 20. 21. *mensae.* 22. *lectus cubicularis.* 23. *Coena feralis.* 24. *Conjuges in lecto triclinari mensae accumbentes.* 25. *Triclinium.*

paruo admodum numero, ad nostram usque aetatem seruata sunt; priuatorum uero domus ad nouas aedificandas passim dirutae sunt. Veteres itaque Romanos caminis s. tubis, per quos fumus emitteretur, usos esse, negari non omnino potest; quandoquidem et *Seneca* Ep. 90. memoria sua inuentum prodidisse ait, *impressos nempe parietibus tubos, per quos circumfunderetur calor, qui ima simul et summa foueret aequaliter.*

§. 8. *Fenestras* ueteribus iam in usu fuisse, idem Seneca loco citato clarissimis uerbis affirmat, dum *speculariorum* perlucente testa clarum lumen transmittentium, mentionem facit; quamuis inter noua inuenta hunc speculariorum usum commemoret. Pellucidas scilicet parabant tabellas, quae luci solisque radiis meatum relinquebant, et incolas ab aëris iniuria tutos praestabant. Ad tabellas autem has pellucidas peculiari lapide utebantur, cui *speculare* nomen erat; cuiusmodi tabellas ipse quoque *Plinius* in uilla sua habuisse legitur. Et quamuis uitrum iam aliquot ante saeculis ad conficiendos calices, pocula et uasa alia in usu fuerit, ex eodemque fenestrae facili negotio construi potuissent; nullibi tamen legitur, ad hunc usum antiquioribus temporibus id fuisse adhibitum. His addendum, quod lapides isti pellucidi testante *Plinio* lib. 22, c. 33. primum in Hispania citeriori prope Segobrigam inventi fuerint. Alii deinde reperti fuere in Cypro, in Cappadocia, in Sicilia, quin etiam in Africa. Florentiae in templo Sancti *Miniatis* fenestrae sunt, in quibus uitri loco tabulae 4) ex alabastrite conspiciuntur, quarum singulae singulas fenestras occupant. Nero Imperator in domo sua aurea ex eiusmodi lapidibus pellucidis templum excitauit, in quo, qui illud intrarunt interdiu, fenestris licet prorsus careret, luce fruebantur. Praeter tabulas istas lapideas ueteres uelis quoque fenestras obtexerunt, qui mos hodieque passim obtinet.

§. 9. *Ianuae* 5) sine dubio eiusdem uetustatis fuerunt ac domus ipsae. A graecis θύραι et πύλαι uocabantur; utrum aliqua inter has uoces differentia sit, inuestigare iam non licet. Secundum Isidorum portae, quae complicari poterant, in specie *ualuae* nominabantur. Portae autem in anteriores et posteriores diuidi solebant; hae Ciceroni Or. post red. in Sen. c. 6. *pseudothyrae* seu *portae falsae* dicuntur. Ceterum postibus illae uulgo haerebant, quos graeci παραστάδας uocabant. Alteri quidem posti ipsa ianua cardinum ope inhaerebat, alteri uero lamina illa perforata fuit affixa, cui serae pessulus inserebatur. Sera haec ut plurimum mobilis fuit, eique catenae nonnumquam appendebant, quibus constringebantur. Paucissimae tantum eiusmodi serae ueteres supersunt; equidem nullas uidi praeter eas, quas supra in scriniis obseruauimus; quae tamen exteriorem tantum serarum formam exhibent. At claues ingenti numero supersunt, quae fere omnes aeneae sunt; ex earumque forma et dentibus, ut uocant, ipsa serarum forma interior colligi quodam modo potest. Aliquas eiusmodi claues atque laminas, quibus pessuli serae inserebantur *Tab. XCI. Fig. 1 — 10.* exhibemus. Tab. XCI.
Illarum aliquae annulo simul instructae fuerunt, ut, cum quibusdam annulorum obsignatoriorum loco eas adhibitas fuisse, putare possis; quod tamen uero uix simile uidetur. Praeter seras hasce et claues, ueteres uectes quoque seu repagula adhibuerunt, quibus portam interius firmabant. Notandum praeterea portas et fores aedium exteriores, priscis temporibus apud Graecos non introrsum trahendo, sed in uiam publicam pellendo fuisse apertas; quapropter qui domibus exibant, intrinsecus fores percutere solebant, ne, si quis forte ante illas foris staret aut praeteriret, improuiso ianuae impulsu laederetur. Romae tamen introrsum fores aperiebantur; quod posterioribus saeculis Graecos quoque imitatos esse constat. Ianuis nonnumquam appensa fuere tintinnabula, quorum usus cetera multiplex erat; quoniam non tantum de collo equorum, boum et ouium suspendebantur, sed et ab illis gestabantur, qui in oppidis praesidio munitis, uigilias lustrabant. In aedibus etiam ueteres iis utebantur, ut dormientes a somno excitarent, ut dicit *Lucianus*. Immo templorum quoque ostiis eadem apponebantur. Aliquot illorum schemata repraesentant *Fig. 11 — 13.*

 CAPVT

4) Ad quindecim circiter pedes altae; ita narrat *Montfaucon*, in *diario italico* pag. 143. 144. qui addendus est aliis a *Fabricio* in bibliogr. antiq. c. 22. §. 12. fine.

5) *Sagittarii* singularis liber *de Ianuis*, Altenburgi primum 1672. 8. eiusdemque *analecta* ad illum 1694. Ienae, in *Thesauro Graeuii* tomo 6. extant.

CAPVT III.

De uaria aedium ſupellectili.

§. 1.

Aedes ueterum potioresque illarum partes, luſtrauimus; iam ad uaria aedium ſupellectilia procedimus. In his primum *lecti cubiculares* a Cicerone ſimpliciter *cubilia*, a graecis communi nomine κλίνη et κοίτη dicti, ſeſe nobis offerunt, iique a lecto triclinari, aliisque lectorum generibus diſtinguendi ſunt. Priſcorum lecti admodum fuerunt ſimplices; inſequenti uero tempore, ut in ceteris omnibus, ita in his quoque quam maximi ſumtus impendebantur; quod nonnumquam toti ex argento conficiebantur, quales Heliogabali Imperatoris erant. Perſae, Xenophonte teſte, lectos habebant argenteis pedibus ſeu fulcris inſtructos; alii gemmis, ebore, auro, et argento fuerunt adornati *). In lectis ponebant ueſtem ſtragulam, ex Gallia introductam, quam a nomine regionis, in qua ex lino candido conficiebatur, *Cadurcum* uocabant. Lecti hi adeo erant ſublimes, ut non niſi ſcamni aut ſcabelli ope conſcendi potuerint.

§. 2. A lectis ad *ſellas* et *menſas* uenimus. Sellae ſeu cathedrae in marmoribus diuerſa forma uiſuntur. Quaedam brachiis, ut uocant, munitae ſunt, aliae iis carent. Aliae non brachiis tantum, ſed etiam dorſo deſtituuntur. Sellae, Lampridio teſte, in Heliogabalo C. 4. uehendis praecipue mulieribus erant deſtinatae, earumque aliae pelliceae, aliae oſſeae, aliae eburnatae et argentatae fuerunt; nonnullae etiam ſecundum Polybium in excerptis totae fuerunt eburneae, quae Romae in magno pretio habebantur. Quas *Fig. 14 — 19.* proferimus, ſellae, in aedibus fuerunt uſitatae, et conuiuarum gratia menſis apponebantur. Quamuis enim perhibeatur, conuiuas antiquitus non ſellis ſiue cathedris, ſed in lectis potius tricliniaribus ad menſam recubuiſſe; notum tamen eſt, iam Homeri aeuo et ſaeculis aliquot ſequentibus, conuiuas circa menſas eodem, quo hodie ſolent, modo ſediſſe. Sed et aliae fuerunt ſellarum ſpecies, ut *ſeliquaſtrum*, ſimpliciſſima et mulieribus inprimis uſitatiſſima. De ſellis balneorum marmoreis, deque ſella curuli, infra dicendi locus erit.

§. 3. Praeter ſellas *Fig. 20. 21.* etiam nonnullas menſarum imagines, una cum lecto cubiculari *Fig. 22.* exhibere libuit. Plures iam ſupra uidimus, et in ſequenti operis decurſu ſaepius adhuc uidebimus.

§. 4. *Arcae* quoque, quas Graeci θήκας uocabant, hic locum habent; item *armaria*, quae tamen in monumentis rariſſime occurrunt. Nec praetereundae ſunt *lucernae*, quorum ingens in muſeis occurrit copia, et quibus deſcribendis multam iam operam impenderunt eruditi. Diſtinguuntur illae in eas, quae in domibus, et in templis in uſu fuerunt; et in eas, quae in ſepulcris condebantur; quas tamen a ſe inuicem dignoſcere, et cui potiſſimum uſui quaeuis deſtinata fuerit, definire ſaepe difficillimum eſt. Aliae porro ſimplices ſunt, quae uel nullo, uel modico admodum ornamento decorantur; aliae artificum commenta ſunt, quae inſolitas et portentoſas nonnumquam imagines exhibent. Fuſius de iis infra tomo quinto acturi ſumus, ubi ſimul quaeſtionem hanc uentilabimus, utrum lucernae aeternae, quae non extinguerentur, extiterint?

CAPVT IV.

De uaria conuiuiorum ratione 1).

§. 1.

De conuiuiis acturi uarium conuiuarum ad menſam accubendi modum primo loco notamus. Priſcis temporibus conuiuas menſae aſſediſſe, iam antea monuimus. Homerus certe

*) Vid. *Meurſium* de *luxu romanorum* c. 10.

1) Conferendi plures ſcriptores tomo 9. *Gronouii* theſauri; et tomo 12. *Gracuiani*; *P. Ciacconii*, toletani, de *triclinio*; alioſque quos recenſet *Fabricius* cap. 19. n. 1. adde *Lipſii* librum 3. lectionum antiquarum.

certe conuiuas ubique circa menſam ſedentes exhibet. Quum e. c. Vlyſſem Alcinoum in aedibus illius conueniſſe refert, Alcinoum ipſi ſellam magnificam admoueri, filiumque ſuum Laodamantem loco cedere iuſſiſſe, dicit. Sic in aliis locis, in quibus de conuiuiis mentio fit, conuiuae ab eo ſemper ſedentes proferuntur 2). Pari modo etiam Aegyptii, Apollodoro teſte, apud Athenaeum Lib. 5. priſcis temporibus apud menſam ſedebant, frugaliterque uiuebant. Sic Romae quoque ſedebatur ad finem usque belli Punici ſecundi, quo tempore ad menſam recumbendi uſus inuectus eſt. Quum uero cibus longe commodius a ſedentibus quam recumbentibus capiatur: quaeritur, cur Romani priſcum illum commodioremque cibi capiendi modum cum alio minus commodo commutarint; idque eo potiſſimum tempore, quo a priſca frugalitate deflectentes luxui et uoluptati adeo dediti fuerunt, ut nationes ceteras omnes, in iisque delicatiores quoque atque molliores, ſuperarent? Ego quidem probabiliorem eius rei cauſſam non uideo ea, quam *Hieronymus Mercurialis* affert, quum dicit: ueteres ad cibum ſumendum tum primum decumbere coepiſſe, quum balneorum uſus magis inualeſceret. Ante coenam quippe balneum intrare ſoliti ex balneo ſtatim in lectum concedebant, in eoque cibum ſibi afferri curabant; qui mos ex Graecia ſenſim Romam et in uniuerſum Imperium Romanum inuectus eſt.

§. 2. Pauca ſuperſunt ſchemata, in quibus conuiuae ſedentes exhibentur; ſed in omnibus fere decumbunt. Aliquando tamen uir recumbens conſpicitur, uxor uero ad lecti pedes ita ſedens, ut pedes illius terram contingant; ſed plerumque tum maritus, tum uxor, aliique conuiuae recumbunt. Multae occurrunt imagines, ubi ambo coniuges ad ſolitam coenam decumbunt; quae ſi in monumentis ſepulcralibus deprehenduntur, coenas ferales repraeſentant; qualis illa, quam ex noſocomio S. Iohannis Lateranenſis *Fig.* 23. proferimus, ubi coniuges ambo ad menſam recumbunt, quibus magnum adſtat famulitium; quatuor ſcilicet ancillae, quarum una diſcum, ſecunda ſcyphum cum cratere, tertia duo uaſa maiora tenet, quarta magnae cathedrae ex tegete conſtructae inſidet, et citharam pulſat. Praeſto etiam ſunt pueri quatuor famulantes, quorum duo nudi ſunt. In eiusmodi lectis triclinaribus, in quibus duo tantum, maritus ſcilicet cum uxore, recumbunt, maritus in primis ceruicali innititur. In alio tricliniari lecto *Fig.* 24. uir in lecto recumbit, mulier ſedet, menſa rotunda tribus nititur pedibus, eisque duae mulieres famulantes adſtant.

§. 3. Verus aptusque conuiuiorum modus, teſte *Varrone*, apud A. Gellium XIII, 11. hic eſt, ut conuiuae numquam pauciores ſint tribus, qui numerus Gratiarum eſt, nec umquam plures nouem; tot enim ſunt Muſae. L. Verus a Capitolino primus duodecim conuiuas ad coenam inuitaſſe dicitur. Pataui marmor eſt admodum labefactatum, cuius ſchema *Fig.* 25. exhibemus, in quo undecim conuiuae numerari poſſunt. Hic autem uera triclinii forma deprehenditur. Tres ſcilicet iuncti ſunt lecti, quorum unus pro baſi habetur, cui duo alii ad angulos rectos adiuncti ſunt; in ſpatio intermedio menſa ponebatur, quae hic prorſus labefactata eſt; per illud etiam famuli intrabant. Vnus ex famulis hic cornu bubulum tenet, quod poculi genus, tunc temporis frequentius, in uſu fuit. Pars lectorum menſam reſpiciens puluinis inſtructa et paullo altior eſt, ut conuiuae cubito commodius inniti poſſint. Lecti hi tricliniares nonnumquam fuerunt circulares, ita ut lunam bicornem referrent, qui tricliniorum modus apud Martialem L. XIV, ep. 87. ideo Sigma uocatur, quod haec Graecorum littera Romanorum C, ſeu lunae bicorni, ſimillima eſt 3). Inter coenandum mappis quoque et mantilibus, illis quidem ad menſam tegendam, his uero ad manus, utebantur; utraque uulgo lintea fuerunt; Heliogabalus uero et Gallienus aureis illa filis contexta habuerunt.

§. 4. Quae adhuc dicta ſunt, conuiuiorum ordinem lectorumque formam praecipue reſpiciunt; ad ipſa conuiuia quod attinet, ea frugalia modo, modo lautiſſima fuerunt. Graeci in primis ſumtuoſa admodum conuiuia et conuiuarum numero et ciborum uarietate, ceteroque apparatu, ſplendidiſſima parare ſolebant. Prae multis aliis commemorari meretur illud, cuius *Herodotus* IX, 16. mentionem facit. Conuiuium ſcilicet, quod Attaginus

 The-

2) Ita etiam in ſacro codice ſaepius. Vide *Fabricium* l. c. n. 2.

3) Vide *Lipſii* antiq. lection. lib. 3. p. m. 68. edit. Plantinae 1585. ceterum ſigma graecorum non antiquitus, ſed ſub imperatoribus demum figuram latini elementi C habuiſſe oſtendit praeter alios *E. Spanhemius* diſſertat. 2. de uſu num. pag. 99. ſeqq. Edit. maioris.

Thebanus paucis ante pugnam Plataeenſem diebus Mardonio parauit, ad quos praecipuos Perſarum, numero quinquaginta inuitauerat. Totidem autem fuere lecti triclinares, et in quolibet bini, Perſa quippe cum Graeco, recumbebant; unde numerus conuiuarum ad centum usque adauctus fuit. Vſus ergo in conuiuiis et coenis accumbendi apud Graecos antiquior erat, quam apud Romanos. Immanis certe amplitudinis fuiſſe oportet triclinium, in quo quinquaginta lecti tricliniares ſternebantur; praeter lectos etiam maximum ſpatium tum ad diſponendas menſas, aliaque uaſa et apparatum, tum ad tranſitum et diſcurſum miniſtrantium, requirebatur.

§. 5. Aegyptii ſecundum *Athenaeum* L. 4. in maioribus conuiuiis nullas menſas apponebant, ſed lances et fercula circumferri iubebant, ut quisque, quod liberet, ipſe ſumeret; quum contra apud Graecos et Romanos, plurimasque nationes alias menſae deferrentur cibis onuſtae, quas deinde ſubmouebant, ut alias ſubſtituerent. Menſae hae ſucceſſiue admotae *fercula* uocabantur. Ferculum enim frequentius illud ſignificat, quam lancem carne ciboue plenam. Lances itaque cum ipſa menſa afferebantur, et cum eadem rurſus amouebantur; quod ſine ullo conuiuarum incommodo fieri potuit. Priſcis uero temporibus, quum conuiuae ſederent, cuiuis conuiuae peculiaris apponebatur menſa; nec tamen dubitandum, quin pro temporum locorumque diuerſitate in his quoque uaria conſuetudo fuerit. Galli ſecundum eundem Athenaeum, quando cum Rege ſuo comedebant, nec panem nec ferculum quodpiam contingebant, niſi Rex prius tetigiſſet, uel deguſtaſſet. Nobiliores Gallorum, eodem Auctore Lib. 6. referente, ad bellum proficiſcentes paraſitos ſecum ducebant, qui cum ipſis ad menſam accumbentes beneficiorum laudes canebant; hique poetae plerumque fuerunt, quos Bardos uocarunt.

§. 6. Elegantiſſimam conuiuii deſcriptionem legimus apud *Philonem* in libro de uita contemplatiua, p. 896. ubi Therapeutarum frugalitatem cum ſaecularium luxu et immenſis ſumptibus comparans, *Graeci*, inquit, *et barbari Romanos imitantur quoad lautitiam delicias-que. Eorum triclinares lecti teſtudinum cochleis ornantur, ebore aut pretioſiore materia; fulgentque gemmis et margaritis, ſtragulae purpureae ſunt auro intertextae, ornataeque floribus atque foliis cuiusuis coloris. Crateres, pocula, cululli, ordine poſita cuiusuis ſpeciei ſunt, uitrea uaſa, phialae, thericlea uaſa, aliaque a celeberrimis artificibus elaborata. Pocillatores, miniſtrique menſae pueri ſunt, minus ad miniſterium, quam ad ſpectaculum et oblectamentum conuiuarum. Alii uinum effundunt, grandiores aquam et mulſum afferunt, picto fucatoque uultu, capillis in circulum attonſis. Tunicae eorum ſubtiliſſimae ſunt: medio corpore ſuccincti faſciis tunicas attollunt, atque ſinus undique dependere curant; ita ut extrema ora et genua tantum pertingat. Hoc cultu conuiuarum iuſſa exſpectant; fercula, embammata, bellariaque*, pergit idem, *a coquis et a dulciariis piſtoribus parata ſunt, qui per conditurам concinnamque ferculorum rationem non guſtui modo, ſed etiam oculis placere nituntur. Menſae ſeptem ordine efferuntur et aliquando plures iis omnibus opertae, quae ſuauiora terra, mare, flumina, aërque ſuppeditare poſſunt. Salſamentorum diuerſitas non minus palatum oblectat, quam ciborum ratio. Poſtea demum fructus cuiuslibet ſpeciei afferuntur.*

§. 7. In cibis 4) uulgares erant, caro bouina, uitulina, ueruecina cum agnis, hoedis et porcis; uolatilia item ſpecie et numero maiora, quam hodie; gallinaceos Indicos quidem non habebant, ſed anſeres, pullos, gallinas, pauones, phoenicopteros (aues puniceo colore) perdices, anates, columbas, palumbos, turtures; quae aues omnes erant domeſticae. Inter alias aues attagenae maxime in deliciis erant, in iisque illae praecipue, quae ex Jonia et Phrygia afferebantur; ficedulam item piperatam amabant, turdum, galbulam, et perdicem campeſtrem, a domeſtica diſtinctam. Ex carnibus ferinis lepus, cuniculus, glis, capreolus, dama, hinnulique ceruorum in delicatioribus eduliis habebantur. Aprum item comedebant, et nonnulli urſum quoque. Piſces in deliciis habebant, congrum, hodie ne coniectura quidem notum, acipenſerem, rhombum, mullum, ſcarum, muraenam, lupum marinum, aliosque plures, et diuerſae ſpeciei conchylia. *Athenaeus* L. I. c. 4. in cibis lautioribus commemorat muraenas Siculas, anguillas πλωτὰς, thynnorum ad Pachynum

4) De luxu in cibis uide *Steph. Nigri* de luxu Graecorum, tomo 8. *Gronou.* et *Meurſii* de luxu Roman. c. 13. 14. 15. *Lipſii* de magnitudine rom. lib. 4. c. 7.



1–3. Pocillatores tres. 4. Culullus. 5–9. Vasa vel mensæ vel culinæ inservientia. 10–14. Capuli aliquot cultrorum. 15. 16. Cochlearia. 17. Lebes cum trulla et colo. 18. Olla coquinaria. 19. 20. duæ patellæ minores. 21. 22. Vasa duo escaria.

chynum captarum sumina, hoedos ex Melo, mugiles e Simetho; ex uilibus conchis Peloridas, maenidas ex Lipara, Thebanas rapas, et betas ex Ascra.

§. 8. Varia porro placentarum genera antiquitus apparabant; sed quorum nomina tantum apud Scriptores reperimus; nec indicare licet, quaenam illarum fuerit differentia. *Placenta*, *laganum*, *libum*, *scriblita*, *sphaerita*, *crustianum Siculum*, *crustulum*, multaeque aliae. Graecorum placentas, solo nomine notas, *Athenaeus* L. XIV. c. 13. commemorat. Tales fuere *Enchyton*, *Ames*, *Diaconion*, *Amphiphon*, quae in honorem Dianae fiebat, et ornatus gratia faculis circumdabatur; *Basynias* porro, *Coccara*, *Strepte*, *Nerlata*, *Epichyton*, *Attanites*, *Creion*, *Glycinas*, *Enchrides*, *aliaeque*. Vtrum ueteres carnem in siliginea crusta coxerint, nescimus; quum eiusmodi cibi nullum nomen uel Graecum uel Latinum occurrat; nam quod *Persius* Sat. VI, 50. *artocreas* uocat, id carnem cum pane concisam et mixtam significat. Fructus et olera eadem paene ueteribus, quae nobis, in usu fuerunt.

§. 9. Coquorum industria ab *Athenaeo* uariis in locis describitur. Sic L. I. c. 7. Nicomedi Bithyniae Regi procul a mari uersanti halecemque desideranti coquus aliquis pisciculum hunc imitatus, quod finxerat, pro halece posuit. Solertior erat Trimalchionis coquus, qui ex carne suilla pisces, palumbos, turtures et gallinas confecisse dicitur. Idem *Athenaeus* L. 9. c. 7. de porco semiasso et semielixo loquitur, quem non exenteratum arte sua coquus intestinis uacuum effecerat, et inferserat. Sub humero scilicet exiguum uulnus inflixerat, indeque sanguine diffuso intestina per hoc uulnus sensim extraxerat; per os porci multum porro uini in uentrem illius immiserat, et deinde pedibus suspensum porcum defluente uino uacuum fecerat; tandem fartum per os immisit et porcum coxit. De salsamentis atque eduliis loquitur libro eodem c. 23; et de illo inprimis edulio, quod *myma* uocabant, quodque ex carne gallinae, uel alia qualibet carne intrita et concisa parabatur. Iuuenalis Sat. XIV, 128. hunc cibum *minutal* uocat. Viscera quoque in partes minutas concidebantur, ita ut omnia in unum fartum coalescerent; hinc admiscebatur sanguis aceto conditus, caseus assus, silphium, cuminum, thymus recens, coriandrum, aliaeque herbae odoriferae.

§. 10. In conuiuiis maioribus regem 5), qui locum suum cuiuis assignaret, eligere moris erat. Hic sorte uel rogatu illius, qui reliquos conuiuio excipiebat, constituebatur; eique omnes obsequebantur. Magna eiusmodi conuiuia horis plerumque uespertinis uel noctu celebrabantur, et a Graecis δεῖπνον, à Romanis uero *coena* uocabantur. Secundum Athenaeum Graeci quater quotidie comedebant; primo quidem ientaculum sumebant, quod ἀκράτισμα siue διανηστισμὸν uocabant; secundo prandium, quod ἄριστον uel δόρπηστον appellabant; inter prandium et coenam intercedebat ἑσπέρισμα siue merenda; de coena iam dictum 6).

§. 11. *Samuel Petitus* in collectione Legum Atticarum has conuiuiorum leges ponit 1.) ut conuiuae non plures, quam triginta numero sint; 2.) ut coqui ad conuiuium locati nomina sua tradant gynaeconomis siue iis, qui mulierum modestiam temperantiamque curabant, qui et conuiuiorum ordinem moderabantur; 3.) ne merum conuiuae potent, nisi in fine conuiuii, 4.) ut in fine semel potent in honorem boni daemonis. Non praetereundus hic uidetur mos Aegyptiorum, apud quos in aedibus diuitum sub finem conuiuiorum quispiam loculum cubitalem aut biscubitalem afferebat, in quo lignea mortui imago reposita erat, illumque inter conuiuas circumferens dicere solebat: *in hunc intuens pota et oblectare, talis post mortem futurus.*

§. 12. Ad conuiuiorum apparatum referendi quoque sunt *Pocillatores* 7), qui potum conuiuis porrigebant; quorum non pauca suppetunt genera illo cultu, quem ex Philone Iudaeo supra communicauimus. Tunica scilicet ad zonam usque attollebatur, ut non nisi ad genua deflueret. *Tab. XCII. Fig. 1 — 3.* aliquos proferimus, quorum primus ex museo Brandenburgico a *Begero* productus est; secundus, pampinis coronatus e museo nostro Tab. XCII.
prodiit,

5) Vel Magistrum. Vide *Lipsii* antiq. lect. lib. 3. pag. 75. seq. edit. Plantini 1585. 4.

6) Olim antiquissimi fere semel cibum sumebant. Plura de temporibus edendi produnt scriptores a *Fabricio* cap. 19. n. 4. nominati.

7) Conferendus omnino Celeberr. *I. E. I. Walchii* Pocillator phrygius, uolum. 2. actorum societ. latinae Ienensis, num. 7. et *Begeri* thesaur. Brandeb. tom. 3. pag. 367.

prodiit, dextra tenet cornu in caput animalis terminatum; quale illud eſt, quod *Fig.* 4. ſeparatim exhibemus; his autem cornibus non modo ſcyphorum loco ad fundendum uinum utebantur, ſed etiam tamquam poculis ad bibendum. Tertius pocillator, a Cauceo productus, lauro coronatus eſt, et dextra ſimile quoddam cornu tenet. Addimus his *Fig.* 5 — 9. uaſa quaedam, quae menſae forte uel culinae inſtrumenta fuere; nec non *Fig.* 10 — 14. cultrorum aliquot capulos una cum cochlearibus duobus Auguſtodini repertis, *Fig.* 15. et 16.

§. 13. Ad uaſa culinaria ſiue coquinaria, quorum pauca tantum ſuperſunt, referuntur 1.) *Lebetes* maiores, quae alio nomine *caldaria*, *cacabi*, *cortinae* et *ahena* uocabantur. 2.) *Ollae*, quas Graeci etiam κακάβας et χύτρας nominabant: 3.) *Sartago*, graece τήγανον. 4.) *Colum* multis foraminibus inſtructum, quod percolando forte iuſculo aut mulſo inſeruiebat; a quibusdam etiam colatorium appellatur; 5.) *Verua*, quae graeci ὀβελίσκους uocabant. 6.) *Cochlearia* item, *trullae*, *fuſcinulae* ſ. *creagrae* extrahendis ex olla carnibus uſitatae. 7.) *Lances* et *diſci*, *patinae* et *patellae*. Lebetem cum trulla et colo exhibet *Fig.* 17. Ahenum ſ. olla ſequens *Fig.* 18. tribus pedibus nititur, et coquinarii uſus fuiſſe uidetur; operculi loco impoſitum eſt caput elegantiſſimum galeatum. Duae patellae minores *Fig.* 19. 20. ab Abbate *Charlet* transmiſſae ſunt. Pro patinis ſeu diſcis habentur duo uaſa ſequentia *Fig.* 21. *et* 22. quorum alterum profundius, ad recipienda forte iuſcula ſiue embammata confectum 8).

CAPVT V.

De uillis et hortis campeſtribus.

§. 1.

Inſignis quoque in Romanorum uillis luxus emicuit. VILLAE nomen duplicem ſignificatum habebat; nam praedium modo frugibus uariis atque oleribus colligendis accommodatum, uariisque pecoribus alendis deſtinatum, denotabat; modo domus ad uoluptatem tantum adornatas *) ſignificabat, quas uiri primarii in agris conſtruebant, iisque amplos hortos, ad oculorum potius delicias, quam aliam utilitatem, comparatos, iungere ſolebant. Ex iis quaedam ſumma magnificentia et immenſo ſumtu fuere conſtructa; in quibus uilla Gordianorum in uia Praeneſtina, quae Regum quoque uillas ſuperabat, prae ceteris eminuit.

§. 2. In his uillis multae ſaepius erant artificum familiae, aliique ad famulatum deſtinati; ita ut una eiusmodi uilla urbis nonnumquam ſpeciem prae ſe tulerit. Inter pulcherrimas referebatur uilla Hadriani Tibure adornata, cuius multa adhuc rudera ſuperſunt. Notabantur in illa nomina locorum in antiquitate celeberrimorum, quae et formam et uſum Academiarum Graecarum, quas Philoſophi ueteres uaria doctrina celebrarunt, quantum fieri potuit, imitata ſunt. Sic Lyceum, Academiam, Prytaneum, Canopum, Poecilen, Tempe ibidem conſpicere licuit. Immo inferorum quoque imaginem in uilla iſta Hadrianus collocari iuſſit. Auiarium porro *Varronis*, nec non uilla Auguſti, Luculli, Maecenatis, Munatii Planci, Senecae aliorumque ad ſplendida eiusmodi aedificia referri potuerunt.

§. 3. *Martialis* L. III. Ep. 58. Baſſi uillam prope Romam ſitam paucis deſcribens, de ornatibus uillarum et areolarum obiter quaſi, pauca tradit, easque myrteis inprimis, platanis atque buxo tonſili ornatas fuiſſe canit; ex quo recte colligitur, quod buxum tondendi modus iam illis temporibus obtinuerit. Laurum quoque exornandis hortis adhibitam fuiſſe, paſſim legimus. In qualibet praeterea uilla uel horto Priapi ſtatua deprehendebatur; ſicut in pleriſque uillis turres altiores erigebantur, ut agrorum iucunditas oculis quam longiſſime pateret.

§. 4. *Plinius* iunior L. II. Ep. 17. ad Gallum ſcripta uillam ſuam prope Laurentum ſitam pluribus deſcribit, et quam ob rem tantopere illa delectetur multis argumentis declarat. Deſcriptio haec nobis inſtar plurium eſſe poteſt; ſiquidem uir hic prudentiſſimus omnia in hac uilla congeſſiſſe et applicaſſe uidetur, quae ad delectandos et animi et corporis ſenſus comparata ſunt.

LIBER

8) Plura ad hoc argumentum ſpectantia *Apicius* de re culinari, *Athenaeus* integris libris ſuppeditant; multa etiam *Pollux* in onomaſtico.

*) Vide *Lipſium* de magnitud. rom. paſſim, et lib. 3, c. 14.

LIBER QVARTVS.

VASA CVIVSVIS GENERIS, MENSVRAS, ASSEM ET EIVS PARTES, MONETAS ET PONDERA COMPLECTENS.

CAPVT I.

De uariis uasorum generibus.

§. 1.

De uario genere et forma uasorum uerba facturi ab initio statim notamus, quod pro diuersitate formae et materiae multa quoque et uaria illorum nomina apud scriptores passim occurrant; satis tamen difficile foret proprium cuiuis tribuere nomen. Multa illorum ex materia nomen traxerunt; qualia fuere celeberrima illa *uasa Corinthia*, ex metallo isto constantia, quod incensa excidio Romano urbe Corinthi, uarium confluxerat. Aurum quippe, argentum, aes, aliaque metalla, quae tunc temporis in urbe congesta fuere, fusa atque mixta in unam materiam coaluerunt, quae deinde auro ipso pretiosior habebatur. Aliud tamen uasorum Corinthiorum genus commemorat *Strabo* L. VIII. p. 263, eorum scilicet, quae quum Corinthus restauraretur, reperta dicuntur. *Postquam enim*, narrat, *Corinthus diu deserta manserat, a Diuo Caesare, propter loci opportunitatem missis eo in coloniam libertinis plurimis restaurata fuit. Hi quum rudera mouerent, et sepulcra effoderent, testacea opera plurima atque etiam aenea inuenerunt; quorum artificium admirati nullum sepulcrum non offenderunt, magnaque eiusmodi uasorum copia potiti, Romam impleuerunt, Necrocorinthiis uasis magno pretio diuenditis; sic enim appellabant uasa ista ex sepulcris educta, maxime testacea, quae ab initio magno in pretio fuerunt, neque aereis Corinthiis uiliora habebantur; sed tandem ea perquirere desitum est.*

§. 2. Athenaeo teste, post Iubam usque ad Macedonum tempora magnus uasorum figulinorum usus erat in conuiuiis. Sed quum postea Romani luxui quam maxime indulgerent: Cleopatra, Aegypti regina, illos imitari studuit; utque in nominibus uasorum nihil mutaret, etiam aurea argenteaque uasa, quae conuiuis a coena recedentibus dono dabantur, κεράμια seu figulina uocauit; quae munera aliter etiam *apophoreta* nuncupabantur, et non nisi immensis sumtibus fieri poterant. Inter uasa figulina secundum eundem Athenaeum praeter uasa ex insula Chio, quae in magno quoque pretio habebantur, ea, quae in *Copto*, Aegypti urbe, fiebant, magni aestimabantur; quoniam illorum materiei aromata erant admixta, quorum odorem seruabant. *Samia* quoque uasa in magno priscis illis temporibus pretio fuere, eaque apponendis ad mensam ferculis inseruiebant. Vtrum uasa haec Samia a Graeciae insula *Samo*, ubi illa confecta fuere, uel ex creta, quae haud procul Roma, reperiebatur, et itidem Samia terra uocabatur, nomen suum traxerit; nondum satis constat. Vero autem simile est, quod, si quidem ex creta quadam Italica uasa istiusmodi facta fuerint, *Samia* ideo dicta sint, quod creta illa cretae Samiae erat simillima.

§. 3. Festus *Lesbia* uasa commemorat, quae non ex materia, sed ex Lesbo insula, cui formam et inuentionem suam debebant, nomen acceperunt. *Deliaca* uasa ex aere Deliaco, quod aeri Corinthio persimile credebatur, et magni aestimabatur, confecta fuerunt. *Cicero* Verrem accusat, quod ex Syracusis multa Deliaca, multa Corinthia uasa abstulisset. *Murrhina* quoque seu *Myrrhina* uasa apud Romanos admodum erant pretiosa; eaque tum demum Romae innotuerunt, quum Pompeius ex Oriente uictor rediens et triumphum agens sex eiusmodi uasa reportata Ioui Capitolino consecraret. Materia, ex qua illa conficiebantur, passim in Oriente, in imperio inprimis Parthico, et maxime in Carmania e terra eruebatur. *Plinius* de uasis his 37, 2. ita loquitur: *humorem putant sub terra calore densari; amplitudine nun-*

quam paruos excedunt abacos, crassitudine raro quanta dictum est uasi potorio. Splendor his sine uiribus, nitorque uerius quam splendor. Sed in pretio uarietas colorum, subinde circumagentibus se maculis in purpuram candoremque et tertium ex utroque ignescentem, uelut per transitum coloris purpura rubescente aut lacte candescente: — — aliqua et in odore commendatio est. Inter Criticos et antiquarios de hisce *Plinii* uerbis ingens oborta est contentio; dum nonnulli perhibent, Murrham siue Myrrham nihil aliud esse, quam Onycha (1), quam sententiam et uarietate colorum et loco quodam *Appiani*, qui uasa ista, quae Pompeius Romam deportauit, Onychina uocat, firmare laborant. Sed murrham 2) ab Onyche longe fuisse diuersam, multis argumentis comprobatur, quae hoc loco commemorare supersedemus. *Crystallina* quoque uasa magno in usu fuere, nec fragilitas pretium illorum diminuit. Vasa tandem aurea, argentea, saepius adhibebantur; maiori autem numero aenea, figulina, lignea atque uitrea.

§. 4. A materia uasorum ad formam atque amplitudinem, nec non uarium eorundem usum pergimus. Vasorum maiorum alia coquinaria erant, alia uino liquoribusque alii seruandis destinata; alia ad uarios rei domesticae usus pertinebant; alia denique ad hauriendum potum erant comparata. De coquinariis iam supra mentio facta est, ubi nonnulla simul eorum schemata in medium produximus. Vino aliisque liquoribus conseruandis inseruiebant *dolia*, *seriae* atque *amphorae*; quae uasa plerumque figulina erant, et quidem amplissima, ab ima parte in acumen desinentia; ut humo seu terrae eo commodius infigerentur. Magna illorum copia uideri potest Romae in uilla Dn. *Voiret*, Gallicae nationis Consulis, ante S. Matthaeum in Merulana; quo loco ueteris Romae figuli olim habitabant. Magna eiusmodi dolia figulina, patroni nonnumquam nomine, (quod terrae uel argillae adhuc molli, antequam illa igne exsiccaretur, peculiaribus sigillis 3) imprimebant,) signare solebant, quod in dolio isto, quod *Tab. XCIII. Fig. 1.* proferimus, cuius ansae litterae P. S. A. X impressae sunt, uidere licet. Ob binas uero, quibus haec dolia plerumque instructa fuere, ansas, seu *aures* quasi, etiam *Diotae* saepius uocantur. Adhuc alias eiusmodi lagenas sub uaria forma *Fig. 2 — 6.* conspicimus, in quibus *Fig. 3.* ob elegantissimum artificium prae ceteris eminet. Romani ligneis quoque doliis ex asseribus circulisque ligneis compactis, qualia nostra hodie esse solent, saepius utebantur. Videmus eiusmodi dolia in columnis Traiani et Antonini; haud dubie uero ita compingebantur in commeatus facultatem, et exercitus commodum. In curribus enim et nauibus illa fere semper conspiciuntur. Sed et in aedibus multis eiusmodi doliis ligneis usos esse, testatur *Strabo* l. VIII. ubi superiorem Italiae partem s. Longobardiam ob fertilitatem et uini copiam collaudans, dicit, dolia lignea ibi confici aedibus maiora, ex quo concludas, domus in iis regionibus tunc temporis admodum fuisse exiguas. Ad uinum comportandum atque asseruandum Graeci aeque atque Romani utribus quoque subactis ac praeparatis utebantur. Formam eiusmodi utris ex Museo Abbatis Fauel productam exhibemus *Fig. 7.*

Tab. XCIII.

§. 5. Vas aeneum tribus sequentibus *Fig. 8 — 10.* simile, *Begerus Epichysin* 4) uocat, quo scilicet uinum in cyathum effundere solebant. Antiquitus quidem *guttus* fundendo uino destinatus erat, et poculo seu crateris loco, simpulo uti consueuerant. His uero, ut *Varro* docet, ad usum sacrificiorum translatis, Epichysin et cyathum adhibere coeperunt. Quod uasorum genus *guttus* appellabatur diuersae fuit formae. In eo tamen haec uasa omnia conueniebant, quod angusto admodum ore fuerunt; ita quidem, ut liquor quasi guttatim ex illis deflueret. Reperiuntur autem gutti eiusmodi tam aenei, quam figulini, iique non uino tantum, sed oleo praesertim, uariisque unguentis seruandis inseruiebant. Varias illorum formas damus *Fig. 11 — 15.* Primus *Fig. 11.* ex museo Brandenburgico productus est; duo sequentes *Fig. 12. et 13.* illud uas referre uidentur, quod ueteres ὠοσκύφιον 5) siue *ouoscyphium* uocabant. Postremus *Fig. 15.* itidem a *Begero* 6) communicatus, magno artificio perfectus est, et nouem Musis ornatus. His *Fig. 16. et 17.* uasa quaedam subiungimus

1) Vide *Eggelingii* mysteria Cereris et Bacchi; et *Begerum* thesauri Brandeb. tomo 3. pag. 186.

2) De *murrhinis* adde *Nicol. Guiberti* dissertationem singularem; *Ioh. H. Eggelingii* mysteria Cereris et Bacchi, et *Guil. Stukium* antiq. quinal. lib. 3. c. 12. cf. quoque *Ioh. Frid. Christii* dissert. de Murrinis ueterum, Lips. 1743.

3) Vid. *Montfauc.* Palaeograph. lib. 2. c. 7. de signatis doliis.

4) *Beger* tomo 3. p. 392; sed facile licebit, *guttum*, atque alio adhuc nomine appellare. Nec hoc uas uino tantum destinabatur; *Pollux* adeo ἐπιχυσιν ἐλαιηρὰν nominat, oleo fundendo.

5) *Athenaeus* libro XI. de eo pluribus.

6) *Beger* ibid. p. 395.

Tab. LXXXXIII.



1-12. Vasa vino aliisque liquoribus tum conservandis tum effundendis apta. 13. 14. Ovoscyphia duo. 15. Vas vinarium magno artificio confectum. 16. 17. Vasa duo sub capitis humani forma. 18. Crater. 19. Fidelia fictilis. 20-27. Vasa vinaria et gutti formæ variæ.

Tab. LXXXXIIII.



1-6. Vasa vitrea ad servandos et effundendos varios liquores, vinum præsertim, destinata. 7-18. pocula maiora et minora formæ variæ. 19-29. Vasa Hetrusca servandis liquoribus apta. 30. Congii forma. 31. Sextarii Castrensis figura.

mus capita humana, alterum quidem uirile, alterum muliebre, repraesentantia; quorum nomina atque usus designari non facile possunt. Prolata illa sunt ex codice manuscripto Dn. *Peirescii*, qui in Bibliotheca S. Victoris Parisiensis asseruatur. Poculum *Fig. 18.* illud est, quod ueteres cratera uocabant.

§. 6. Vas sequens *Fig. 19. Begero* illud est, quod a Columella *fidelia* 7) fictilis appellatur, et in suprema pariter atque ima parte modico foramine perforatum est. Vasa sequentia *Fig. 20 — 26.* seruando uel effundendo uino, aliisque liquoribus apta uidentur; in iisque tertium *Fig. 22.* peculiari sua forma, et *Fig. 23.* ab equite in illo repraesentato conspicua sunt. Aliquot eorum ita angusta sunt, ut in guttorum numerum referri queant. Vas sequens *Fig. 27.* ex iaspide confectum et effundendo et epotando uino forte paratum fuit.

§. 7. Vasa uitrea exhibent *Tab. XCIV. Fig. 1 — 6*, quae diuersae sunt formae, et ex museo Brandenburgico producta sunt; eorumque quartum *Fig. 4.* ob separationem, qua in duas partes diuiditur, admodum est commemorabile. Tab. XCIV.

§. 8. Pocula 8) ueterum non una constitere forma. *Fig. 7, 8, 9.* tria, eaque fictilia, ex museo Brandenburgico proferimus; quorum primum uoce SITIO, duo reliqua uoce Latina BIBE et Graeca PIE, quae idem significat, ac prior illa, notata sunt. Crateres, calices, paterae, pocula et cululli apud Graecos ποτήρια, κρατῆρας, κοιλήρια et κύλικας audiuisse, multis notum est. Materia 9) eiusmodi poculorum admodum erat diuersa; alia ex auro, alia ex argento erant confecta, uel saltem aureis ligaminibus instructa; quae posteriora ideo in specie χρυσένδετα dicebantur. Alia porro ex onyche et achate parabant; myrrhinis item poculis ex oriente comportatis utebantur; quae aeque ac crystallina in magno pretio fuerunt. Vitrea quoque et figulina, atque inter haec quidem Samia potissimum, quam maxime in usu fuere. Pocula uitrea, aliaque eiusdem materiae uasa eodem, quo hodie solent, modo ueteres concinnabant, et, non solum uarias uitro figuras insculpebant, sed, si Martiali, L. XIV. epigr. 94. qui *toreumatum uitri* mentionem facit, credendum est, idem tornarunt; quod artificium hodie minus notum uidetur. Vario quoque colore ueteres uitra sua pinxisse legimus. Quaedam illorum colorem mutasse, uel, ut uerius loquamur, uarios pro diuersitate aspectus colores exhibuisse perhibentur. Imperator certe Hadrianus in epistola quadam ad Seruianum apud Vopiscum in Saturnino se ei *allassontes*, (ἀλλασσόντας) id est, huiusmodi calices uersicolores transmittere, scribit. *Iohannes Chrysostomus* uitrea pocula commemorat, argento obducta aut argenteis laminis operta. *Strabone* teste Galli cereis quoque poculis utebantur.

§. 9. Si de forma poculorum quaestio est, alia rotunda fuerunt et alta, alia demissiora et in fundo plana, ut scutellae; alia prorsus rotunda, nonnulla tribus nitebantur pedibus, quae *tripodes* uocabant. *Athenaeus* lib. 2. p. 37. (edit. Dalechampii) huius formae craterem *Bacchi tripodem* uocat, simul addens, sicut illi, qui olim ex tripode loquebantur, oracula proferebant, ita et illos, qui ex tripode Bacchico loquerentur, uera semper profere; quod *in uino ueritas.* Inter uasa figulina praeter Samia ista, illa inprimis magni fiebant, quae a *Thericle*, Corinthi figulo, a quo etiam Thericlea uasa nuncupantur, magna arte confecta fuere. Duabus illa ansis erant instructa; de materia uero illorum scriptores non conueniunt. Alii quippe cum *Plinio* l, 16. c. 40. ex ligno terebinthi tornata, alii uero ex terra figulina illa effícta fuisse contendunt. Theophrastus apud *Athenaeum* lib. XI. p. 470. ait, Thericlem uasa sua ex ligno terebinthi ita fabricasse, ut haud facile distingui potuerit, utrum lignea essent, an figulina. Forte ex utraque materia Thericles crateres diuersos parauit. Vero autem simile est, eiusmodi uasa ob solam formam, cuius auctor et inuentor Thericles habebatur, in maiori prae ceteris pretio fuisse habita. *Athenaeus* certe p. 199. uasa Thericlea aurea commemorat; locoque alio *Polemone* auctore p. 472. ait, Neoptolemum uasa Thericlea aurea sustentaculis ligneis suffulta dedicasse.

7) *Fidelia* ad plurimos usus *Nonio Marcello* destinata dicitur, et cum *Plautus* Aulul. IV, 2. 15. *fideliam congialem* nominet, idem facile inde colligitur. *Begeri* coniecturam non omnes recipient; exstat tomo 3. pag. 464.

8) Poculorum multa et genera et nomina, isto tempore iam non satis nota aut usitata, prodit ex uetustioribus collecta scriptoribus *Athenaeus* lib. XI. integro, et alibi.

9) Vide *Ioh. Doughtei* lib. de *calicibus eucharisticis*, 1694. Bremae, 8.

§. 10. In ſacrificiis pateras ſat multas ſupra iam uidimus, quae modo capulo erant inſtructae, modo illo carebant; et licet non admodum profundae nonnumquam repraeſententur, cenſendum tamen eſt, illas minime planas fuiſſe; ſi quidem *Cicero* de Coriolano, (in *Bruto* c. 11.) qui bouis iugulati ſanguinem patera exceperit biberitque. Cetera pocula in hac tabula *Fig. 10 — 18.* expreſſa lectori conſideranda traduntur. Denique notandum, quod ueteres crateribus nonnumquam peculiaria uaſa ſuppoſuerint, quae ὑποκρατηρίδια Graecis dicebantur.

§. 11. Peculiare uaſorum fictilium genus olim erant uaſa Hetruſca, quorum hodieque in muſeis praeſertim Italicis magnus numerus deprehenditur. Si *Plinio* 35, 12. fides habenda, uaſorum fictilium efformandorum primus inuentor erat Dibutades figulus Corinthius. Corintho hoc artificium Demaratus Corinthius, Tarquinii Priſci pater, in Italiam traduxit. Sed aliud huic arti paullo poſt inuentum acceſſit, quo terram hanc figulinam uariis coloribus, rubro potiſſimum, induere coeperunt; ex eaque non omnis tantum generis et formae uaſa, ſed etiam ſtatuas fecerunt. Inter Hetruriae urbes Aretium inprimis, Arezzo hodie dicta, ob fictorum ſuorum peritiam maxime celebris fuit, uti etiam uaſa Aretina in magno multis pretio erant. Ex ſchematibus, quae magno hic numero proferri poſſent, nonnulla tantum exhibuiſſe ſufficiat. Primum locum obtineat crater *Fig. 19.* cuius archetypus in coenobio noſtro (Sancti Germani de pratis) conſpicitur, quem opus Hetruſcum eſſe, ex terra ipſa dignoſcitur. Huic *Fig. 20.* iungimus culullum, cuius delineationem doctiſſimus *Fontaninus* nobis transmiſit. Ima illius pars caput bouis exhibet; in ſublimiore parte uir nudus uiſitur, qui pallium brachio appenſum geſtat; altera manu diſcum pomis onuſtum, altera ſitulam quaſi tenet. Alia paſſim huius formae, ſed non eiusdem materiae uaſa occurrunt, quae in caput hirci, arietis ſiue capreoli deſinunt, qualia paullo ante *Tab. XCII. Fig. 2, 3, 4.* in manu pocillatoris et ſeparatim uidimus.

§. 12. Ad ſequentia ſchemata priusquam procedamus, obiter notandum, quod uaſa haec Hetruſca uaria forma efficta fuerint; ita, ut hodieque crateres, cululli, pocula, uaſa praegrandia, phialae, ſcyphi etc. paſſim occurrant. In iis depicti apparent ludi, uenationes, pugnae, uictores coronati, hiſtoriae, fabulae. Fundus eorum fere ſemper niger eſt, uel ad nigredinem propius accedens; figurae uero uel flaui coloris ſunt, uel rubricatae. Adeo autem leuis eſt terra haec fictilis, ut uaſa haec lignea eſſe facile putares. Vas ſequens *Fig. 21.* Girardonii, in altera facie uirum nudum galeatum exhibet, qui equum habenis ducit; ad curſum autem equorum et ad ludos, qui apud Etruſcos admodum erant frequentes, hoc ſpectare uidetur; a ludis enim Lydi, inquit *Tertullianus;* et Lydorum colonia fuerunt Etruſci, Auctore *Herodoto.* Alteram huius uaſis faciem, quae duos uiros palliatos oſtendit, lubentes omittimus; id quod etiam de ſequentibus obſeruandum; nam in deſcribendis eiusmodi uaſis de formae potius diuerſitate, quam cumulandis figuris hic ſolliciti ſumus. Vas aliud *Fig. 22.* lauro coronatum altera facie (unam tantum et hic referre placet) Bacchum repraeſentat nudum, ſedentem, gemmisque coronatum, et dextra thyrſum tenentem; quae dextrae illius adſtat mulier, quam pro Bacchante habemus, tympani genus manu ſiniſtra extollit, quale ſupra, ubi de Bacchantibus agebamus, aliquoties uidimus; qui ad latus ſiniſtrum conſiſtit Bacchum alloqui uidetur, thyrſum et ipſe dextra, ſiniſtra ſitulam tenet. Vas proximum *Fig. 23.* ex muſeo *Girardonii*, celeberrimi ſculptoris, depromtum, altera facie uirum nudum ſedentem exhibet, cui mulier altera manu tabellam offert, altera coronam tenet, quae uictoris praemium uidetur.

§. 13. Quod *Fig. 24.* ſequitur, uas Etruſcum, Cupidinem primo conſpiciendum praebet, qui taeniam gemmis ſeu unionibus ornatam tenet, quae tamen hic non ita clare cernuntur, ut in imagine maiore mihi transmiſſa. Ad Cupidinis latus dextrum mulier altera manu thyrſum, altera caniſtrum fructibus plenum tenet; ad latus ſiniſtrum mulier alia thyrſum et facem exhibet. Qui ſubtus ſedet uir, pro Baccho habetur, qui altera manu thyrſum praegrandem, altera uas quodpiam tenet; atque is, qui ad illum accedere uidetur, ſine dubio Bacchans eſt nudus, ſitulam tenens. Vas aliud *Fig. 25.* altera facie, qua equitem contra peditem pugnantem ſiſtit, admodum ſpectabile eſt; pedes hic nudus eſt, galeam capite geſtans, ſcutumque magnum atque rotundum praetendens; eques contra a capite ad calcem armatus eſt, modo plane ſingulari; totum quippe corpus illius ueſtis militaris, ad inſtar loricae compoſita, ita tegit, ut formam humanam minime immutet, et ſin-

gulis

gulis corporis membris preſſius inhaereat. Capite geſtat pileum replicatum, ex quo faſciae quaedam pendent. Peditem nudum haſta confodere conatur; hic uero uiciſſim haſtam ſuam in equitem uibrat. Pone hunc peditem alius uir apparet chlamyde indutus, et lanceam tenens; quam equiti efferre uidetur, ita quidem, ut ſi inter pugnandum haſta illius forte confringeretur, hanc ſtatim arripere poſſit.

§. 14. Vaſis ſequentis *Fig. 26*, quod itidem lauro coronatum, facies altera athletam nudum inter duas uictorias repraeſentat; dextra baculum, ſiniſtra parmam tenet; et licet iam coronatus ſit, altera tamen uictoria illum denuo coronatura uidetur. Aliud uas *Fig. 27.* ab erudito *Cauceo* publicatum in altera facie Dianam uel Mineruam exhibet, ſiniſtra caſſidem, haſtam dextra tenentem; cerua, quae adſtat, Dianae ſymbolum eſt. Vas ſequens *Fig. 28.* ex muſeo noſtro nulla quidem figura ornatum, ſed eleganti ſua forma admodum eſt conſpicuum. Vltimum denique *Fig. 29.* itidem ex muſeo noſtro prolatum, uirum ſedentem, haſtamque manu tenentem ſiſtit; mulier ipſum alloquens clypeum ſiniſtra tractare, et pone illam alia ad aram rotundam ſacrificare uidetur.

Caput II.

De Menſuris 1).

§. 1.

Diuerſa uaſorum genera poſtquam deſcripſimus, ad uarias menſuras ut progrediamur, tractationis ratio iubet. Vulgaris ueterum menſura, ad quam reliquas quoque emetiri ſolebant, *Congius* erat; octo congii, menſuram aliam maiorem, quam *amphoram* uocabant, adaequabant; quamuis amphorae nomen non ita frequenter pro certa menſura ſumatur, ſed *diotam* potius, ſeu uas quodlibet duabus anſis inſtructum denotet; uti uoces, *diota* et *amphora* a ſcriptoribus non raro pro ſynonymis accipiuntur. Congius porro, ſex *Sextarios*, duodecimque *heminas*, ſiue ſemiſextarios capiebat.

§. 2. Si de quantitate liquoris, quem congius capiat, ſermo eſt, decem librarum pondo uulgo exaequaſſe dicitur; ſingulas uero libras, hodiernas aeque atque ueteres duodecim unciarum fuiſſe conſtat; adeoque ſextarius, quem pro ſexta congii parte habitum fuiſſe paullo ante diximus, aquam cepit pondo uiginti unciarum; qua ratione congius 120. uncias continebat. Sextarium Romanum duplicatum, ſeu quadraginta unciarum, *Sextarium caſtrenſem* olim nuncuparunt; urbanus uero uiginti tantum uncias capiebat. Schemata eiusmodi menſurarum hic dare merito ſuperſedemus, quod Antiquitatum Collectores illas ad minorem ſemper formam redegerunt, ut uera illarum magnitudo atque capacitas inde dignoſci minime poſſit; forma uel figura illarum fere arbitraria eſt. Congii tamen Farneſiani, a Raphaële Fabretto ad formam minorem redacti, figuram exhibet *Fig. 30.* Sextarium uero caſtrenſem, qui in muſeo noſtro itidem ſeruatur, forma itidem minore *Fig. 31.* Menſurae minores erant 1.) *Quartarius* qui quartam ſextarii partem ſeu pondo quinque unciarum continebat; 2.) *Cyathus*, quorum decem, ſextarium exaequabant; quilibet uero cyathus duarum unciarum pondo capiebat. Cyathus porro in alias menſuras minores ſubdiuidebatur.

§. 3. Graecus anonymi libellus, quem multis abhinc annis edidimus 2), pondera menſuraſque Romanorum cum Atticis hoc pacto confert. *Mna ſeu mina centum holcas habet, ſecundum pondus autem Italicum, centum duodecim: Vncia habet holcas ſeptem Atticas uero ſex cum obolo uno et chalcis quatuor. Vncia habet grammata uiginti quatuor. Gramma eſt obolus cum chalcis quatuor. Holce habet obolos ſex: obolus chalcos decem. Medimnus*

1) Conferendi ſunt *Roberti Cenalis*, *Lucae Paeti*, *Prisciani*, aliorumque ueterum libelli, de menſuris, tomo XI. *Graeuiani theſauri*; et praecipue *Eduardi Bernardi* libri 3. de menſuris et ponderibus antiquis; et *Ioh. Caſpar. Eiſenſchmidii* Disquiſitio de ponderibus et menſuris, atque *Barthol. Beuerini* ſyntagma, ex edit. *Walchiana* 1713. Lipſiae.

2) Ediderat *Montfaucon* in *Palaeogr. graeca* lib. 5. p. 369. ubi et notae menſurarum et ponderum olim uſitatae, habentur.

dimnus habet hemiecta duodecim. Hemiecton choenices quatuor, choenix cotylas Atticas quatuor. Cotyla uero est dimidium sextarii. Tryblion, ut uocant, est cotyla Attica. Oxobathon est quarta cotylae pars, habetque holcas duas cum obolo uno et chalcis quatuor. Cyathus uero habet cotylae sextam partem, holcas octo. Cheme libram unam et dimidiam: libra habet uncias duodecim, holcas septuaginta quinque, secundum aliud pondus septuaginta duas. Speciatim autem Graeca cotyla olei habet libram unam. Sextarius, libras duas: Italicus uero sextarius libram unam et dimidiam. Alexandrina autem olei cotyla habet uncias uiginti, uini uero uncias nouem (hic erratum uidetur.) *Italicus uini sextarius libram unam, uncias octo. Mna Alexandrina pendit uncias centum quinquaginta, alibi centum quinquaginta et octo. Sebum, si quidem liquidum sit, pendit pro mna una, holcas septuaginta duas; concretum uero holcas septuaginta quinque; cotyla picis liquidae pendit holcas octoginta. Erysimi uero seu resinae, libras quatuor. Chus est mensura Attica, nempe cotylae Atticae duodecim: est autem pondo holcarum 720. Choenix habet mensuram cotylarum trium, pondus holcarum 180. Sextarius continet mensuram cotylarum duarum, pondus holcarum centum uiginti.* In hac autem collatione multa occurrunt, quae minus quadrare uidentur. Choenici scilicet sex modo, modo tres tantum cotylas tribuit, nulla addita explicatione. Veterum enim mensurarum ratio et ad hodiernas reductio tot tantisque difficultatibus est impedita, ut uix ac ne uix quidem aliquid certi de ea definiri possit. Quae prae multis aliis explorata nobis uidentur, ea fere huc redeunt. *Culleus* amphoras uiginti; *amphora* urnas duas; *urna* quatuor congios; *congius* sex sextarios; *sextarius* duas heminas seu cotylas; *hemina* duos quartarios, et *quartarius* denique cyathos duos cum dimidio continebant. *Cyathus* quidem in alias porro mensuras minores subdiuiditur, in quibus uero definiendis magna est auctorum diuersitas.

CAPVT III.

De monetis, asse inprimis 1) *eiusque partibus et reductionibus.*

§. 1.

Assis Romani originem determinare perquam est difficile. Si *Varroni* credimus, Ianus primus monetam signauit; cui sententiae alii quoque uel ideo accedunt, quod antiquissimi nummi, capite Iani bifrontis fuerint notati. Sed quum Iani atque Saturni tempora admodum sint obscura, innumerisque fabulis obuoluta: multi alii sententiam *Plinii*, qui monetae originem ad *Seruium Tullium* refert, sequi malunt. Eodem uero *Plinio* teste, boum ille ouiumque formam in aere posuit; unde aes illud pecude signatum *pecuniae* 2) postea nomen traxerit. Certe in museis hodiernis magnas passim tabulas aeneas reperimus, quae forma bouis notatae sunt. Exemplum eiusmodi tabulae ad formam minorem ita reductae, ut quartam tantum Archetypi partem referat, ex Museo Dn. *Foucault Tab. XCV. Fig. 1.* proferimus. Tabulae eiusmodi, diuersi sunt ponderis; nonnullae quippe earum quatuor libras exaequant, et totidem assium ualorem habent, et ideo *quadrasses* uocantur; quae duorum tantum assium pondo continent a P. de *Molinet decusses*, et quae trium, *tricusses*, appellabantur. Verum de uocis *decussis* significatione non conuenit inter Auctores; quandoquidem multis decem potius, quam duorum assium pondus denotare uidetur; unde *tricussis* quoque triginta potius, quam tres asses complecti dicatur. Ipsum *assis* nomen, a uoce aes deriuatum esse creditur, quod asses et monetae Romanae omnes olim ex aere conficiebantur. As porro atque libra, quam Graeci λίτραν appellabant, idem significare putantur. Libra uero in duodecim uncias diuidebatur, et totidem fere unciarum pondus as ille exaequasse perhibetur; quamuis, uti P. de *Molinet* 3) monet, priscae eiusmodi monetae, quae hodieque

Tab. XCV.

1) De *asse* et eius partibus, et re nummaria ueterum accuratius agunt, *Ioh. Frid. Gronouius* in libris 4. de *sestertiis*, qui multa superiorum interpretum emendat; et scriptores plures uol. IX. *Gronouiani* thesauri; *Guil. Budaeus* libris 5. *de asse*, qui inter scriptores insigniores historiae rei nummariae ueteris per *Adam. Rechenbergium* collectos, Lipsiae 1690 4. recusi sunt.

2) Vid. *Ioh. Harduini* opp. selecta pag. 187. ubi *Plinii* narratio pluribus illustratur.

3) *Molinet* in eximio opere, *le Cabinet* de la bibliotheque de *S. Genevieve* etc. par le R. P. *Claude du Molinet*, Paris 1692. fol. maj.



Nummi æneI Romani. 1. Tabula ænea assem Rom. referens. 2–4. Asses. 5, 6, 7. Semisses. 8, 9. Trientes. 10–14. Quadrantes. 15–19. Sextantes. 20, 21. Stipes unciales. 22. Triens reductus. 23, 24. Sextantes ad unciam unam reducti. 25. Nummus uncialis. 26–31. Nummi varii reducti. 32. Quincunx. Nummos hos omnes in museo Cl. Marechalli d'Etrées servatos quarta cuiusque diametri parte radii loco assumta descripsimus.

dieque passim reperiuntur, totum iustumque suum pondus raro admodum retineant; quum difficile sit, per tot saeculorum spatium, cum edax omnium tempus recte dici soleat, nihil ex earum materia detritum credere.

§. 2. In definiendo uero asse Romano eiusque partibus, ut eo tutius procedamus, *de libra* uariisque illius diuisionibus quaedam praemonenda sunt. Libra Romana primo in uncias duodecim diuidebatur; *uncia* in octo drachmas, quas nos *grossos* uocamus; *drachma* in tres scrupulos siue denarios; *denarius* in grana uiginti quatuor; uncia ergo 576. grana pendebat. Libra uetus Romana hodiernam libram Romanam pondere longe superabat. Verum in illis, in quibus excedit uetus, magna disparitas obseruatur; siue haec differentia inter haec pondera ab initio obseruata fuerit, (nam ueteres non tanta accuratione, nec tanto scrupulo haec tractasse uidentur, et uere inter nummos eiusdem temporis, eiusdemque pretii, etiamsi ita conseruati, ita integri sint, ut uideantur ex manu artificis modo exiisse, inaequalitas haud parua agnoscitur) siue quod pondera sint diuersi temporis, etsi antiqua, sed quae auctoritate publica uel aucta uel imminuta fuerint; siue tandem, quod haec pondera alia plus, alia minus materiae ex usu suo amiserint; quae postrema causa saepe locum habet; etsi duae priores non penitus sint excludendae. *Raphael Fabrettus*, uir in antiquitatis studio uersatissimus, per multa instituta argumenta demonstrauit, singulas libras Romanas hodiernas libris Romanis ueteribus, 288. granis esse minores, et singulas adeo uncias hodiernas ueteribus 24. grana esse minores. Vncia porro et libra Romana hodierna, duodecima sui parte uncia atque libra Parisina minor est. De libra uero duodecim unciarum agitur, qualis etiam apud medicos nostros usurpatur; ex 24. quippe denariis, quos habet uncia, duo tollendi sunt, ut unciae Romanae exaequetur. His positis conficitur, unciam nostram ad unciam ueterem Romanam multum accedere, et si aliquid intersit discriminis, ad paucissimum granorum numerum illud reduci.

§. 3. His praemissis assem ipsum cum omnibus suis partibus proferemus, additis simul eiusdem reductionibus, idque ex assium monumentis et partibus, quae in Museo Dn. Marechalli *d'Etrées* obseruantur. Non asses modo, sed etiam assis partes ex aere sunt percussae cum figuris diuersis, hominum nempe capitibus, animalibus, aliisque rebus ex fundo seu campo erumpentibus; qua forma sua plus dispendii patiuntur, quam cetera pondera, quae non solida modo, sed etiam plana sunt superficie. As primus *Fig.* 2. in utraque facie caput uiri exprimit; quod a nonnullis Seruii Tullii habetur, qui primus monetas percussisse dicitur. Nota I, quae margini huius nummi impressa est, plerumque in asse comparet, et significat, quod unam ille libram pendat, quod uerum assis pondus est. Hic autem hodie uncias undecim et drachmam dimidiam secundum pondus Parisinum, quo in his ponderibus assis, eiusque partium utemur, exaequat. As secundus *Fig.* 3. in altera facie Mercurium habet cum falcula, in altera uero, duo capita a tergo coniuncta, quae Ianum forte exprimunt; hic habet uncias octo, sex drachmas cum dimidia et grana uiginti quatuor; usu quidem aliquo modo detritus est, uix tamen credam, illum unquam duodecim unciarum Romanarum fuisse; sicut et alii, quos saepius exploraui, nunquam uerum suum pondus duodecim unciarum, sed nouem decemue tantum ab initio, quum integri essent, uel fortasse minus, exaequasse uidentur. Tertius *Fig.* 4. Iani caput praefert in una, et nauem in altera facie, cum nota I, quae assem unum denotat; nouem hic uncias habet, drachmam dimidiam et sexdecim grana.

§. 4. Assis partes in Museo *Estraeano* abunde occurrunt. Hae autem partes erant 1.) *Deunx* id est undecim unciae, quasi dicas *deest uncia*, quod uerum huius nominis etymon est; 2.) *Dextans*, decem assis partes, siue decem unciae; 3.) *Dodrans*, nouem assis partes, seu unciae nouem, *a demto quadrante*, quod quartam assis partem demat, ita dictus. 4.) *Bes* seu duae tertiae assis partes uel unciae octo; *bes* enim ex *dues* ortum uidetur, ut *bis* ex *duis*. 5.) *Septunx* septem unciae; 6.) *Semis*, siue *Semissis*, dimidia pars assis, siue sex unciae; 7) *Quincunx*, quinque unciae; 8.) *Quadrans* quarta pars assis, tribus punctis, quae totidem uncias significant, notata; 9.) *Sextans* s. sexta pars assis duarum unciarum, quae duobus punctis notari solent. 10.) *Vncia* et *stips uncialis*, duodecima assis pars. Maior ex his assis partium numerus, quae quidem adhuc obseruatae fuerunt, semissem, siue dimidiam assis partem exhibet; deunx, dextans, dodrans, bes et septunx nondum obseruati fuere.

§. 5. SEMIS, quem *Fig. 5.* proferimus in altera facie Iouis uel Iani caput habet, in altera nauem; praeter notam S, quae proprium quasi huius monetae signum est, et semissem uel dimidiam assis partem significat, sub capite punctum aliquod crassius conspicitur, ut in aliis ponderibus. Quid? si coniicere hic audeamus, nummum hunc esse Septuncem, in quo littera S uncias sex, punctum uero crassius septimam denotet. Semis sequens *Fig. 6.* in altera facie caput Romae habet, in altera uero hoc caput mulieris, quae Venus esse potest; littera ∽ inuersa posita semissem significat. Qui *Fig. 7.* sequitur in utraque facie Romae caput cum adiecta claua exhibet, absque ulla semissis nota distincta. De claua hac, aliisque eiusmodi signis, quae passim nummis praeter imaginem eorum propriam apposita uidemus, notandum, quod illa a quibusdam pro notis monetariorum 4) habeantur. Romae quippe quatuor institutae fuere officinae monetariae, quae eiusmodi signis distingui poterant; ut hodieque in Gallia nostra officinae monetariae diuersarum urbium in ipsis monetis certis litteris distinguuntur.

§. 6. TRIENS quatuor plerumque punctis crassissimis, quae totidem uncias, siue tertiam assis partem significant, notari solet. Ex multis eius schematibus duo tantum *Fig. 8. et 9.* communicasse sufficiat. Prior caput Romae ex una et nauim ex altera parte; posterior in altera facie delphinum cum falcula, in altera uero fulmen praefert. QVADRANS tribus notatur punctis, quoniam trium unciarum pondus est, quae duodecim unciarum partem quartam efficiunt. Horum quinque hic damus, quorum primus *Fig. 10.* caput Herculis et nauem, secundus *Fig. 11.* caput tiara Phrygia tectum bis exhibet; tertius *Fig. 12.* in altera facie canem, in altera uero rotam uel florem praefert; quartus *Fig. 13.* porcum, et quintus *Fig. 14.* manum cum claua in utraque facie habent. SEXTANS duobus punctis notatur, quae sextam assis partem seu uncias duas significant. Ex multis exemplis hic etiam quinque proferre libuit. Primus *Fig. 15.* in facie antica caput leonis pelle tectum, in postica nauem exhibet; secundus *Fig. 16.* uas quoddam atque rotam siue florem prae se fert; tertius *Fig. 17.* Mercurium et nauem, quartus *Fig. 18.* cochleam habet cum caduceo; quintus *Fig. 19.* canem decumbentem cum lyra offert. Postremum pondus, uncia fuit, siue STIPS VNCIALIS, cuius in museo supra laudato decem exempla numerantur; sed uix adduci possum, ut credam, plerosque unciae pondus umquam habuisse, sed pro repraesentanda tantum uncia nummos hos cusos fuisse; tantum enim ex pristino pondere amisere. Plurimi illorum uel capite Romae et naui, uel talis notati sunt, quales *Fig. 20. et 21.* apparent.

§. 7. Ad Assis reductionem deuenientes ante omnia monemus, quod quum primo bello Punico aerarium paene exhaustum esset: *as* secundum *Plinium* L. 33, 3. ad sextantem fuerit redactus, et inde *assis sextantarii* siue *sextentalis* nomen acceperit. Liquata tunc temporis omnia, quae in aerario erant, et mandatum, ut sexta assis pars pretium assis totum haberet; secundum quam proportionem etiam partes assis reliquae ad maiorem ualorem redigebantur. Hoc pacto *as* uncias duas, *semis* unam, *triens* quinque drachmas cum granis uiginti quatuor, *quadrans* drachmas quatuor, *sextans* duas drachmas cum dimidia et duodecim grana, *uncia* drachmam unam cum granis uiginti quatuor exaequabant. Si uero *as* ad unciam redigatur, *semis* habebit drachmas quatuor, *quincunx* tres cum granis nouendecim, *triens* duas et grana 48, *quadrans* drachmas duas, *sextans* drachmam unam et grana 24, *uncia* 42. grana.

§. 8. Bello porro Punico secundo, quum Hannibal Fabio Maximo Dictatore rempublicam Romanam ad incitas paene redegisset; as ad duodecimum sui pondus reductus est; quae reductiones stupendae omnino et insolitae fuere. Quod uero maiorem adhuc stuporem mouet, as ad uigesimam tandem sui partem redigebatur; hunc *Plinius* l. c. *assem semiuncialem* appellat. Quumque hae reductiones non gradatim, sed protinus ad sextam primo, secundo ad duodecimam, et tertio denique ad uigesimam sui partem factae fuerint: facile patet, reipublicae necessitatem tunc temporis fuisse extremam. Assem quidem ita reductum nusquam uidi, sed partes eius reperimus. Sic in eodem museo *triens* occurrit, cuius schema *Fig. 22.* exhibemus, qui ab initio duas uncias habuisse uidetur; caput ille Romae

4) Nec tamen constat inter nummorum interpretes: nam, quod alii pro nota monetariorum habent, id aliis symbolum urbis etc. uidetur. Ista opinionum uarietas inde ab antiquissimis nummis Macedonicis usque ad seriores pertinet.

Romae uel alius Deae cum punctis quatuor, a tergo uero Herculem, qui Centaurum occisurus est, repraesentat. Saepius item, et cum uariis typis atque figuris passim uidemus *sextantem*, i. sextam assis partem, ad unciam unam redactum. Sextans hic duobus plerumque punctis signatur, quae nummum huius pretii esse significant, etsi dimidiam tantum sextantis prisci partem obtineat. Tales sunt *Fig. 23. et 24.* quorum prior auem, florem rostro tenentem et lupam Romulum atque Remum lactantem, posterior Mercurium cum naui praefert. Sunt etiam alii nummi, qui unciae notam prae se ferunt, punctum scilicet siue globulum, qui omnes caput Solis in una facie habent, et lunam crescentem cum duabus stellis in altera; qualis ille, quem *Fig. 25.* exhibemus.

§. 9. Praeter haec pondera, quae ad dimidiam priorum partem reducuntur, adhuc alia sunt, quae diuersas reductiones supponere uidentur. Huiusmodi sunt 1.) *Semis Fig. 26.* cuius nota distincte apposita conspicitur; 2.) *Sextans* figurae ouatae *Fig. 27.* duobus punctis notatus, et alius *Fig. 28*, qui manum fasciis uinctam exhibet, quales eorum esse solebant, qui cestibus pugnabant, et in altera facie clauas duas. 3.) *Quadrans Fig. 29.* tribus punctis notatus, qui in antica parte caput, in postica taurum currentem cum serpente subtus posito sistit. 4.) *Triens Fig. 30*, qui altera facie manum, in altera duas clauas cum inscriptione ignota habet. 5.) *Stips uncialis Fig. 31.* qui in una facie caput leonis pelle opertum, et in altera delphinos binos exhibet. Plures eiusmodi nummos reductos, qui hic referri potuissent, lubentes omittimus. *Quincuncem* tamen adhuc addimus *Fig. 32.* qualem non umquam alibi, nisi in celeberrimo hoc Museo *Estraeano* obseruaui; in altera eius parte caput laurea coronatum, in altera Castorem atque Pollucem, et sub inscriptione ROMA quinque puncta crassiora, quae assis partes significant, conspicimus. Tandem B. L. monendus est, nos in delineandis nummis istis, quos hac *Tab. XCV. Fig. 2 - 32.* conspiciendos exhibemus, ad describendos eorum circulos dimidia tantum radiorum, quibus archetypi descripti sunt, parte usos esse.

§. 10. Inter eruditos porro quaestio moueri solet, quid ueteres sub *aere graui* intellexerint, qui loquendi mos passim occurrit. Sic e. c. *Liuius* lib. IV. c. 60. scribit: *Aes graue plaustris quidam ad aerarium conuehentes speciosam etiam collationem faciebant;* et *A. Gellius* de filia *Appii Caeci* loquens: *multam, ei dixerunt aeris grauis uiginti millia.* Inter ista uero circa uerum huius aeris grauis opinionum diuortia, duae inprimis ad rei ueritatem propius accedere uidentur sententiae. *Aes graue* scilicet sic uocari potuit ut distingueretur ab aere signato 5), uel ab asse eiusque partibus, quae tanquam monetae publici usus fuere. Sic e. c. hodie in Gallia mille librae auri appensi a mille libris secundum monetae usum acceptis, quae auro soluerentur, distinguuntur. Alius hoc aes explicandi modus est, si reductionum, quae postea factae sunt, ratione habita intelligatur. Assis enim pondus olim erat duodecim unciarum, perinde atque libra; postea uero as ad duas uncias, et tandem ad unam unciam reductus est, eodem tamen semper seruato pretio; etsi pondus admodum esset inaequale. Aes graue itaque commemoratur, ut distinguatur ab aere signato, quod imminutum erat; ita, qui 25000. librarum in aere graui pendere iussus est, secundum antiquum pondus eas soluere, et totidem libras dare eum oportebat.

§. 11. Aeneis nummis postquam Romani per longum temporis spatium usi erant, argenteos tandem et aureos cudere nummos coeperunt. *Plinius* L. 33. c. 3. de argenteis ita loquitur: *argentum signatum est Q. Ogulnio et C. Fabio Coss.* 6) *quinto anno ante bellum Punicum primum; et placuit denarius pro decem libris aeris, quinarius pro quinque, sestertium*

Nnn

5) Adeo idem esset, ac *aes rude*, quam sententiam pluribus post alios defensum iuit *Iac. Perizonius* in dissertatione *de aere graui*, 1713. Lugd. Bat. contra *Ludolfum Kusterum*, qui *aes graue* ratione auri, argentique, quod et ipsum *aes* dici solebat, ita appellari contenderat in *diatribe Antigronouiana*; qui *Io. Frid. Gronouius* in libris 4. *de sestertiis*, lib. 3. c. 15. ad tempora seriora refert, et ad libralem assem respici putat, confer. et *Harduini* opera selecta pag. 187.

6) Chronicon Paschale consules nominat *Licinium* et *Cambiam* ἐπὶ τούτων τὸ ὀβολὸν ἀργυροῦν νομισμα πρῶτον ἐν Ῥώμῃ ἐκόπη, sub *Ptolemaeo Philadelpho*; pag. 173. edit. Parisinae. In idem tempus *Syncellus* coniicit, qui tamen statim, ut hic fit, primi belli punici facit mentionem. Ad *Plinium* tamen uid. *Harduinus*. Nummum argenteum *Seruii Tullii*, quem *Varro* apud *Charisium* nominat, extraordinarium fuisse, monumentum magis, quam pecuniam, monet *Gronouius* lib. 4. c. 13. Integrum *Plinii* locum illustrat *Harduin.* opp. select. pag. 185. seqq.

tium pro dipondio ac semisse. *Postea*, subiungit idem auctor, *Q. Fabio Maximo Dictatore asses unciales facti; placuitque denarium sexdecim assibus permutari, quinarium octonis, sestertium quaternis. Ita respublica dimidium lucrata est. In militari tamen stipendio semper denarius pro decem assibus datus. Notae argenti fuere bigae et quadrigae, et inde bigati quadrigatique dicti. Post lege Papiria semunciales asses facti. Julius Drusus in tribunatu plebis octauam partem aeris argento miscuit. Qui nunc uictoriatus appellatur lege Clodia percussus est; antea enim hic nummus ex Illyrico aduectus mercis loco habebatur; est autem signatus uictoria et inde nomen.* Singulos hos nummos, quorum *Plinius* hic mentionem facit *Tab. XCVI. Fig. 1 — 8.* tales exhibemus, quales a P. du *Molinet* publicati sunt.

Tab. XCVI. Primus *Fig. 1.* qui *Ianum* imberbem 7) lauroque coronatum ex una, ex altera uero parte inscriptionem ROMA aeri incisam praefert, *duplex* est *denarius*, Graecorum Didrachmo pretio aequalis. Secundus *Fig. 2.* pro *denario* habetur, quod ex apposito ipsi numero denario X haud incongrue colligitur. Denarius quippe a decem, quos aequabat, assibus aereis nomen traxit. *Quinarium*, qui media denarii pars erat, et quinque assibus per litteram V. in eo notatis permutabatur, repraesentat *Fig. 3.* Qui *Fig. 4.* sequitur *Sestertius* 8) quinarii dimidium, denarii uero quarta pars erat, et assibus duobus cum dimidio permutari solebat. Vulgaris illius, quo significabatur, nota fuit HS uel IIS quae *duo et semis* i. e. duos asses cum dimidio significat. Hic autem simul notandum est, quod hic sestertius tantum *pro paruo sestertio* habeatur; quoniam *magnus sestertius* millenis sestertiis computabatur; ita quidem, ut si dicatur, *centum IIS* h. e. centum uel centies sestertium centena millia sestertium intelligantur; uox enim *sestertium* h. l. pro genitiuo plurali habenda. *Denarios bigatos* et *quadrigatos*, qui nomina sua a bigis et quadrigis, quas in parte postica referebant, acceperunt, *Fig. 5. et 6.* exhibent. Pari modo *nummi uictoriati*, quorum exemplum *Fig. 7.* proferimus, a uictoria quam in parte postica gerebant, ita nominati sunt. Denarium secundo Punico bello sexdecim assibus permutandum offert *Fig. 8.* ubi numerus XVI. post caput Romae positus id significare uidetur.

§. 12. Addimus his nummis etiam *denarium drachmalem* et *didrachmon Fig. 9. et 10.* Prior ille drachmalis ideo dicebatur, quod eiusdem cum drachma Attica ponderis erat; haec autem ex reductione denarii, qui antea septimam unciae partem habebat, octaua unciae pars erat. *Didrachmon*, uocem *διδράχμον* et pondus ipsum prae se fert. Ceterum peculiare quoddam genus nummorum, quos *serratos* uocarunt, notari meretur. Vt enim fraudem monetariorum, qui denariis argenteis laminam aeneam inserebant, eamque argento in utraque facie atque lateribus tam accurate operiebant, ut factam fraudem suspicari nemo facile posset, explorarent, nummos serrare coeperunt, ita ut in iis dentes undique prominerent.

§. 13. A nummis argenteis ad aureos procedimus, de quibus *Plinius* loco supra citato ita loquitur: *aureus nummus post annum sexagesimum secundum percussus est, quam argenteus; ita ut scrupulum 9) ualeret sestertiis uicenis, quod efficit in libras ratione sestertiorum, qui tunc erant, sestertios nongentos.* Quem hic *Fig. 11.* exhibemus nummum aureum, illum Molinetus pro antiquissimo omnium aureorum, qui Romae percussi sunt, uenditat, simulque perhibet, quod eundem appensum eiusdem cum aureo Gallico ponderis fuisse deprehenderit. In altera facie Romae caput praefert, in altera Castorem et Pollucem. Nummus sequens *Fig. 12.* semissis est, uel media pars aurei; in antica parte caput Martis habet cum numeris X et V, ut significetur, illum quindecim denarios ualuisse. Paruus denique nummus ille aureus *Fig. 13. tremissis* est 10), siue tertia pars semissis, et sexta aurei, scru-

7) Conf. *Claudii Gros du Bose* dissertation sur *le Ianus* des anciens, et sur quelques medailles, qui y ont rapport. Paris 1705. 12.

8) Scil. *nummus*; quasi *semis tertius*, complectens duo asses cum dimidio tertii. Si *sestertium* dicitur, subaudiendum est, *pondus* argenti. Libra autem argenti, 400. *sestertios* (scil. nummos) complectebatur; ergo duae librae, 800, et dimidia (est enim *semitertium* pondus) libra, 200, qui efficiunt simul summi 1000. sestertios. Hanc rationem *Gronouius* primus clarius exposuit lib. 1. c. 4. qui et *paruum* et *magnum* sestertium, sine ulla ratione confictum reiecit, c. 1. et c. 2. *Scaligeri* obseruationem, *sestertium*, minime genitiuum pluralem esse, sed declinabile adiectiuum, collaudat *cedro dignam*.

9) *Scriptulus*, *scripulus* etiam dictus, libra continebat scripula 288. locum *Plinii* exponit *Ioh. Harduin* opp. sel. p. 190.

10) *Aureus* olim; mox *solidus* uocabulum additum, ad differentiam *semissis* et *tremissis*, qui aurei et ipsi, sed partes antiqui *aurei* iam erant. *Gronou.* lib. 4. c. 15.



I. Nummi argentei et aurei ex museo S. Genevieve 1. Denarius duplex 2. Denarius. 3. Quinarius. 4. Sestertius. 5. 6. Denarius bigatus. et quadrigatus 7. Nummus victoriatus. 8. Denarius 16 assium. 9. 10. Denarius Drachmalis et Didrachmon. 11. Numus aureus. 12. Semissis 13. Tremissis. II. Varia pondera 14.-26. Talentum Atticum 27. III. Aedificia. 28. Porta maior Romae. 29. Janus Quadrivio IIII. Symbola regionum, fluviorum, urbium: e. c. Orientis et Occidentis 30. 31. Asiae 32. 33. Africae 34. 35. Italiae 36. Romae 37. Neapolis 38.

scrupulumque siue tertiam drachmae partem appendebat. Numerus X. bis positus pretium illius, quod uiginti sestertios exaequabat, sine dubio significat; id quod cum *Plinii* uerbis, qui scrupulum aureum uiginti sestertios 11) ualuisse perhibet, quam maxime conuenire uidetur.

§. 14. Superest, ut pauca moneamus de quaestione inter multos eruditorum iam pridem agitata, utrum scilicet nummi illi, qui in museis passim occurrunt, fuerint publico usui destinati 12); an potius pro monumentis tantum gestorum personarumque memorabilium, quae in commercium nonnisi rarissime transeunt, habendi sint? Ego quidem de hac re quid sentiam, si breuissimis dicendum est, ingenue fateor, me priori illi sententiae, qua nummi hi pro monetis uulgari usui et commercio destinatis habentur, duobus potissimum argumentis inductum uehementer assentiri. Primum eorum hoc est, quod monetae, quae in usum publicum cedebant, plerumque imaginem prae se ferebant; id quod non tantum ex numismate census Seruatori nostro quondam oblato arguitur, sed etiam testimoniis aliis quamplurimis comprobatur. Sic Imperator Valerianus in epistola ad Ceionium Albinum praefectum urbi a *Vopisco* in Aureliano relata Aureliano huic ob praestita officia *Antoninianos aureos binos, Philippeos argenteos minutulos quinquagenos, et aeris denarios centum* ad impensas illius diurnas concessit. Idem in epistola alia cap. XII. eidem Aureliano *ad editionem ludorum Circensium* dari iussit *Aureos Antoninianos trecentos, argenteos Philippeos minutulos tria millia, in aere quinquagies sestertium.* Idem Vopiscus in Probo c. IV. aliam epistolam profert, qua *Valerianus* Probo huic *Antoninianos aureos centum, Aurelianos argenteos mille, aereos Philippeos decem millia dari iussit.* Hi autem *Antoniniani, Aureliani, Philippei* quid aliud significant, nisi monetas, quae Antonini, M. Aurelii et Philippi nomen gestabant? uti hodie in Gallia *Ludouicos aureos* illos appellamus, qui Ludouici Regis imaginem prae se ferunt. Quum itaque illi quoque nummi, quos hodie in museis uidemus, eodem modo signati sint: aut concedendum erit, illos cum moneta Veterum Romanorum unum idemque esse, eosque olim usui publico fuisse adhibitos; uel indicandum erit, quo tandem monetae illae (aliae) omnes, quibus ueteres usi sunt, concesserint. Num credere fas est, ad hodiernum usque diem ne unam quidem ex monetis istis in medium produci potuisse? In Italia, Gallia, aliisque regionibus abditi inque terra defossi thesauri multi iam reperti sunt, et adhuc reperiuntur; nummi autem istiusmodi aurei argentei et aenei, qui passim ex terra eruuntur, iis, quos in museis conspicimus, sunt simillimi. Sique porro stupendum eiusmodi nummorum numerum, qui diuersis temporibus et locis reperti sunt, consideramus: iure quaerimus, quem in finem immanis haec nummorum uis percussa sit; si nullus iis erat usus publicus, et si non iidem ad commercium usurpabantur.

§. 15. Alterum argumentum pro stabilienda sententia mea inde peto, quod in nummis istis, qui passim in terra abditi deprehenduntur, non eadem omnium conditio est; quum alii perinde sani atque integri sint, ut ex officina monetaria illos tunc primum egressos putares; alii minus sunt conseruati; alii, quod per multorum manus iam transierint, ita detriti sunt, ut nec nomen, nec imaginem Imperatorum in iis dignoscere liceat; ex qua conseruationis diuersitate usum illorum in commercio uel breuiorem uel longiorem, quis non eliciat? Quam maxime porro obseruandum est, nummos ex certo aliquo aere conflatos pulcherrimis natura sua coloribus (coeruleo plerumque, uel subrubro, uel nigro) ita obduci, ut encausto similes, magnoque artificio positos diceres. His autem coloribus decorati nummi diuersae quoque sunt conseruationis; alii quippe ex artificis manu nuper profecti uidentur, alii minus conseruati, alii plane detriti. In officinis conflatorum nummi eiusmodi aurei, argentei, aenei, si longiori usu plane, uel maximam partem sunt detriti, magno numero conflantur. Denique et hoc notandum, quod quum ueteres abscondendis thesauris admodum essent adsueti: monetae, quas currentes uulgo uocant, admodum exhauriebantur, ut nouae subinde cudendae essent; unde immensus ille nummorum numerus exortus.

Nnn 2 §. 16.

11) Seu 5. denarios, ut exponit *Harduinus* opp. select. p. 190.

12) Distinguit numismata a ueteri moneta *Sebast. Erizzo* in discorso sopra le medaglie de gli antichi; quam sententiam refutauit *Lud. Savot*, in discours sur les medailles antiques, parte Ima; *Ioh. Harduin* in dissertatione *opp. selectis* pag. 506. inserta, negat nummos antiquos fuisse consueti usus monetam, sed indulgentia principum tandem id euenisse. Argumenta in utramque partem disputat *Steph. Chamillart* in 18. Dissertations sur plusieurs medailles, Paris 1711. 4 ut alios praetereamus.

§. 16. His autem praemiſſis minime negamus, alia quoque numismata, quae non ad uſum publicum (ſed monumenti et honoris cauſſa) deſtinata fuere, quae apud nos (Gallos) *Medaillons* uocantur, a ueteribus maiori forma atque mole fuiſſe cuſa. Haec autem paruo inueniuntur numero, et ſemper integra ſunt; quae integritas ipſa clariſſimum argumentum eſt, illa numquam, ut monetas, ad uſum publicum uel commercia fuiſſe adhibita. Nummi itaque, qui hodie in muſeis conſeruantur, quorum ſchemata ſupra dedimus, omnino fuere monetae.

§. 17. Haud incongruum erit h. l. aliquid inſerere de immenſa illa auri argentique ui, quae, quum per totum orientem diſperſa eſſet, tandem Regibus Perſarum, tamquam populorum iſtorum omnium domitoribus ceſſit. Maximas has diuitias a Perſis ad Graecos, et a Graecis ad Romanos tranſiiſſe, et inde factum eſſe puto, ut Roma, auri olim pauperrima, ad tantas opes peruenerit, ut plurimi ciuium atque ſenatorum tot tantasque impenſas fecerint 13), quantas Reges hodierni, uel potentiſſimi, ſuſtinere uix poſſent. Immenſa porro haec auri argentique copia, quae per totum Imperium Romanum per annos a I. Caeſare fere trecentos effuſa fuit, poſt Alexandri Seueri mortem ob ſummam in imperio hoc rerum omnium perturbationem in terra condi coepit, ut a direptione eorum, qui dignitatem imperii in uariis illius partibus inuadebant, ſatis tuta eſſet. Quum etiam tempora haec infauſta diutius perſeuerarent: non tantum aurum atque argentum ad Gallieni usque tempora in terra, unde eductum, iterum defodiebatur; ſed quum ſub Imperatore hocce Gallieno triginta ſimul Tyranni Auguſtorum nomine aſſumto totum Romanum Imperium occuparent, ac ſingulorum exercitus ex rapina uiuerent; praeter aurum et argentum aes quoque in terrae uiſcera deportatum eſt; quo ipſo campi fere omnes eximiis theſauris repleti ſunt; quum interim commodiſſima haec et quam maxime neceſſaria ad commercia materia adeo rareſcebat, ut ſimile quid in hiſtoriis nusquam occurrat.

§. 18. Si porro quaeratur, ex qua potiſſimum terrae parte tantum auri atque argenti primum erutum ſit, hoc ipſum eſt, quod criticos et Sacrae Scripturae interpretes diu multumque uexauit. Hoc omnibus notum eſt, ingentes illos theſauros uel ex India, uel ex Africae quibusdam oris ueniſſe; forſitan ex utraque illa orbis parte. Sacro codice teſte, terra *Ophir*, quam eandem cum *Eſaiae* terra *Ophaz* fuiſſe putant, celebratiſſima illa aurifodina fuit, ex qua Salomon et Tyrii poſt tranſitum maris rubri, cui itineri tres annos inſumere conſueuerant, theſauros ſuos hauſerunt. Nomen haec terra Ophir ab uno ex Noae nepotibus, cui nomen hoc haeſit, traxiſſe uidetur. Sed quaenam terra illa Ophir 14) fuerit, hoc certo definiri nequit. Alii inſulam Ceylon ſiue Taprobanam, alii Malaccae peninſulam, alii oram aliquam Africanam intelligunt. Id autem ſine ulla contentione admitti poſſe uidetur, terram illam uerſus orientem ſitam eſſe. Sed quanquam Sacra Scriptura ſolius terrae Ophir mentionem facit, minime tamen credendum eſt, non alias praeter has uel in Oriente, uel alibi 15) aurifodinas fuiſſe. Quamuis autem hodieque per Europam, in Italia nempe, Galliis, maximeque Hiſpania paſſim uaria metalla et aurifodinae reperiantur: cum iis tamen, quae apud Indos detectae ſunt, minime comparari poſſunt. Primus, quem Sacra Scriptura ex terra Ophir aurum aduexiſſe commemorat, Rex erat Dauid, qui filio ſuo Salomoni ad aedificandum et exornandum templum omnium ſplendidiſſimum tria millia talenta auri, et ſeptem millia argenti reliquit. Filius Salomon eo, quo pater conſueuerat, modo immenſas auri argentique diuitias congeſſit, easque maximam partem templo tum conſtruendo, tum ornando, uariisque uaſis ad ſacra facienda idoneis impendit; quae uaſa ſubſequenti tempore a Nebucadnezare direpta Babylonem deportata fuerunt. Tyrus dein urbs opulentiſſima, nec non Aegyptus ab eodem Babyloniae Rege capta, theſauros hos magno cumulo auxerunt. Quum poſtea Cyrus, celeberrimus ille Monarchiae Perſicae conditor, Lydiam primo, deinde Babylonem quoque ſub poteſtatem ſuam redegiſſet: celebratiſſimas non tantum Croeſi opes, ſed et Babyloniorum diuitias tot direptionibus, excidiis atque

13) *Ioh. Meurſius* et *Kobierzichius* de luxu romanorum; et qui *de magnitudine Romae* ſcripſerunt, *Lipſius*, alii.

14) Diuerſas doctorum et ſententias et rationes commemorare eo minus attinet, quo facilius omnes ſcripturae interpretes, et ſingulares non paucae ſcriptiones conſuli, ſi opus ſit, poſſunt.

15) *Macedonia* praecipue auri olim feraciſſima fuit; uid. quae notauimus tomo 4. ſupplementorum ad hiſtoriam uniuerſam auſpiciis *S. R. Baumgartenii* prodeuntium; §. 2. unde tot *Philippei* olim cuſi.

atque rapinis auctas ſui iuris fecit. Inaeſtimabilis haec auri atque argenti copia deinde in monetam partim, partim in uaſa, ſtatuas, aliaque ſimilia conuertebatur.

§. 19. De immenſis his Regum Perſarum diuitiis ſi quis dubitet, uel ſola Pythii illius Lydii hiſtoria, quam Herodotus refert, documenti loco eſſe poteſt. Quum ſcilicet potentiſſimus ille Perſarum Monarcha Xerxes, ut Graecis bellum inferret, cum exercitu maiore, quam usquam in hiſtoria legerimus, procederet, atque Celaenis in Phrygia aliquantum ſubſiſteret: uir quidam Lydius nomine Pythius, qui priuatam ibi uitam agebat, non modo regem ipſum cum toto illius exercitu magnificentiſſimo hoſpitio excepit, ſed et regi ingentem pecuniae uim ad bellum gerendum obtulit. Percontante Rege, quantum pecuniae ſibi erogare uellet: duo, inquit, millia talentorum argenti, et quadragies centena millia ſtaterarum Daricarum auri, ad quam ſummam complendam ſeptem tantum millia ſtaterarum Daricarum ipſi deficerent. Delectatus Rex hominis liberalitate, non tantum pecuniam ſibi oblatam ſe accepturum negabat, ſed etiam ſeptem illa millia Daricarum, quas ſibi Lydius adhuc deeſſe fatebatur, ipſi dari iuſſit. Hic autem ſi talentum pro ſexaginta tantum libris accipias et ſingulis libris duodecim uncias tribuas, pondo erit 120000. librarum; ingens ſane uiri priuati theſaurus. Staterae Daricae qui minimum ponderis tribuunt, pondo illi uiginti drachmarum definiunt, quae uiginti drachmae circiter octo Ludouicos aureos exaequant; quo calculo aurum tantum a Lydio hoc oblatum triginta duo milliones aureorum Gallicorum efficeret, et numerum 213. millionum imperialium germanicorum multum excederet; eximiae plane hominis priuati facultates. Sed quid de Rege dicendum, qui in ſummo tanti belli apparatu non tantum immenſam illam auri argentique uim ſibi oblatam, magno animo repudiauit, ſed et ſeptem illis ſtaterarum millibus, quas Lydio offerri iuſſit, tam facile caruit 16)?

§. 20. Vaſtiſſimum Perſarum Imperium ſubſequente tempore Alexander Magnus inuaſit, et cum omnibus illius diuitiis in poteſtatem ſuam redegit; ſed per breue tantum temporis ſpatium iis fruitus eſt. In ipſo enim aetatis flore ſublatus regnum ſuum cum omnibus iſtis theſauris exercitus ducibus tamquam praedam reliquit. In his *Ptolemaeus*, qui Aegypto potitus eſt, magnam auri argentique partem abſtulit; *Seleucus* praeterea, *Antigonus* aliique et ipſi in partem harum diuitiarum uenerunt. Hoc dein imperio in multas partes diuiſo ex auro illo atque argento nummi paſſim cudi coeperunt, quorum plurimi in muſeis deprehenduntur, qui Ptolemaeorum, Lyſimachorum, aliorumque et nomina et ſigna ſeruabant, et mole plerumque aliis maiores et grauiores ſimul erant. Aſt non nummos tantum ex nobiliori metallo percutiebant, ſed et ſtatuas uaſaque pretioſiſſima, aliaque multa, quae pompam augebant, ex eo confici curabant. Deſcriptionem illorum, quae in ſtuporem multos coniiciat, legere licet apud *Athenaeum* Lib. V, ubi de tentorio illo magnificentiſſimo, quod Ptolemaeus Philadelphus conſtrui iuſſit, nec non de pompa eiusdem, quam eodem tempore inſtituit, fuſius commemorat. Aliud ſpecimen auri argentique Perſici ex triumpho *Paulli Aemilii*, quem Plutarchus pluribus deſcribit, peti poteſt. Incredibilem enim auri argentique copiam et infinita, quibus *Perſeus* utebatur, uaſa, poſtquam enumerauit, tandem addit, tantum auri atque argenti fuiſſe cumulum, ut per centum et uiginti annos ad omnes reipublicae Romanae ſumtus abunde ſufficeret; licet tunc temporis omnibus fere terrae habitatae nationibus bellum inferret. Hae tamen diuitiae Perſeo iſti, Macedoniae Regi, ablatae, pro parte tantum Regum Perſiae theſaurorum habendae ſunt. Id quod eo magis mirandum, quod ante haec tempora et antequam Philippus, Alexandri Magni pater fines imperii ſui dilataret, Macedonia pecuniae quam maxime inops erat. Aurum inprimis in hac regione adeo rarum fuit, ut ipſe Rex Philippus ſingulis noctibus uas aliquod aureum, pondo quinquaginta drachmarum, ſub puluino ſuo occultaret 17); ne ab aliquo furtim auferretur.

§. 21. Maxima harum diuitiarum pars dein ad Romanos tranſiit, per totum imperium diſperſa. Ipſa Roma, antequam arma ſua latius et extra Italiam proferret, ſat quidem

16) Si quidem rei miraculum nihil ipſa fama et narrationibus auctum putes.

17) *Athenaeus* narrat lib. 4. p. 155: ſed auri tum raritas inde non recte conficitur; cum ex Philipporum fodinis ſolis, 1000. talenta quotannis redirent. Superſunt adeo inde a primis regibus nummi argentei non pauci. Vide ſupplementorum excitatorum tom. 4. de nummis macedonicis.

auri in aerario suo habebat. Argenteos nummos nonnisi anno post V. C. 485. siue anno ante Punicum bellum quinto, Q. Ogulnio et C. Fabio Coss. cudere coepit; aureos uero anno ab hinc sexagesimo secundo; quum ante haec tempora nummis tantum aeneis uterentur; unde uox illa *aes*, tanquam materia unica ad commercium primitus adhibita, ad maximas pecuniae summas denotandas in usu semper fuit; idque etiam posteaquam aurum et argentum in monetam conuersum esset, et Romani per innumeras uictorias totius fere orbis terrarum opes adepti essent. Multi tunc temporis inter priuatos tantos edebant sumtus, quantos hodie uel potentissimus Princeps uix sustineret. Hae porro opes non omnes Romae manserunt, sed a Proconsulibus, Praetoribus, aliisque Magistratibus, qui prouinciis praefuerunt, in iisque saepius sedem suam constituerunt, magna illarum pars eo 18) deportabatur; taceo, quod exercitus, ad propulsandam uim hostium passim constituti, haud exiguis quoque impensis opus habuerint. Quum uero nulla alia tunc temporis prouincia esset, quae plures legiones et auxiliariorum copias expeteret, quam Gallia, quae contra perpetuos fere Germanorum insultus erat defendenda: magna quoque auri argentique signati uis eodem perpetuo erat transuehenda. Sed et ceterae Romani Imperii prouinciae auro argentoque quam maxime abundabant. Hinc ingens ille luxus ab ipsis Romanis inductus, quem ceterae deinde nationes imitatae sunt. Si porro ad Imperatorum quorundam Romanorum Caligulae inprimis, Neronis, Vitellii, aliorumque profusiones oculos conieceris, inexhaustas Imperii Romani tunc fuisse opes, recte dixeris.

§. 22. Sed quum post Commodi necem imperium diuisum diuersis competitorum exercitibus quam maxime perturbatum esset, singulis rei suae pecuniariae timentibus aurum et argentum, uel in terram defodi, uel in aedium penetralibus occultari coepit; quo ipso pecuniarum numerus haud parum minuebatur. Sub Caracalla iactura haec eo magis innotuit, quod sub eo nummis argenteis multum aeris admiscebatur; quod etiam in sequentium Principum nummis obseruabatur. Sub Alexandro Seuero, qui inter optimos Principes referri solet, res aliquo modo restitutae uidebantur, quod sub eo multi nummi aurei, argentei atque aenei conflati sunt; qui tamen post necem illius maximam partem in terra condebantur. Hinc simul factum, ut huius Imperatoris nummi, qui saepius ex terra eruuntur, maximam partem integri sint et minus detriti; quod nonnisi per breue temporis spatium ad commercium fuerint adhibiti. Id ipsum obseruatur in nummis Maximini, Gordiani et Philippi senioris, eiusdemque filii, quorum duo postremi magna nummos copia percusserunt. Contra ea si ad musea exornanda nummi conquiruntur, Traiani, Hadriani, Antoninorum et Commodi centeni explorandi sint nummi, antequam unus reperiatur, qui minus sit detritus, et in serie Imperatorum reponi mereatur. Interfecto Alexandro Seuero ingens Imperium Romanum inuasit perturbatio, qua intra anni et dimidii spatium sex Imperatores uisi sunt; quo tempore non aurum tantum et argentum, sed aes quoque signatum iterum terrae committebatur. Quumque materia haec nummorum in dies rarior fieret, maiores postea nummos aeneos succidere, et ex eorum partibus succisis nouos cudere coeperunt; sic maiores illi nummi ex rotundis fiebant quadrati, utplurimum pentagoni, uel aliam insolitam figuram suscipiebant; id quod in museis facile obseruatur.

§. 23. In misero hoc statu Imperium Romanum ad Gallienum usque permansit; immo insurgentibus triginta simul tyrannis, omnia in peius ruere coeperunt; quo tempore priuati omnes suas diuitias in terra occultarunt: In tanta itaque aeris raritate nummi maiores aenaei etiam praecidi, et argenteis admisceri tantum aeris coepit, ut argenti perparum, aeris multum continerent. Immo tanta argenti raritas oriebatur, ut ne permixtos quidem cum aere nummos argenteos cuderent, sed nummos aeneos argento fuso tantum immergerent, ut ob albedinem, quam inde contrahebant, pro argenteis haberentur. Sic demum ex maxima auri, argenti, aerisque copia ad extremam omnium inopiam peruentum est; quoniam omnes illi thesauri, quibus Imperium Romanum ante haec tempora abundasse supra commemorauimus, uel in terra defossi, uel in domorum parietumque latebris occultati fuerunt. Quumque illi, qui ingentes has opes absconderant, opportunum, quo illas rursus eruerent, tempus non inuenirent, et nec filiis, nec uxoribus suis, quibus locis illas deposuerint, indicarent:

18) Non uidetur id saepe obtinuisse; cum proconsules potius colligerent ex prouinciis, quam eas ditarent.

carent: ipſis tandem defunctis diuitiae illae manſere iis reſeruatae, qui poſt multa ſaecula easdem felici caſu reperturi eſſent. Si quis ſcire aueat, quanti theſauri multis abhinc ſaeculis in Italia praecipue atque Gallia e terra rurſus eruti fuerint, is ipſum Auctoris noſtri opus adeat Supplem. Tom. III. Lib. V. cap. 6.

CAPVT IV.

De Ponderibus et Talento 1).

§. 1.

Non minores, quam menſurae et monetarum ueterum definitiones, difficultates pariunt uaria illorum pondera; eo quod non tantum difficile inter ſe, ſed longe difficilius cum hodiernis ponderibus comparari poſſunt. *Lucas Paetus* utrumque praeſtare conatus eſt, ſed pauca in eius libro occurrunt, quae non uariis controuerſiis anſam praebuerint. Nobis ſufficiet, ſi pondera praecipua, quae ſiue in libris, ſiue in muſeis occurrunt, commemorauerimus. LIBRA itaque Romana in *menſuralem* et *ponderalem* diſtinguebatur. *Menſuralis* ea eſt, cuius iam ſupra mentionem fecimus, quum de congio eiusque partibus ageremus; *Ponderalis*, quae, ſecundum *Sauotum*, illa paullo minor erat, perinde atque illa in duodecim uncias diſtinguebatur, eiusque ſubdiuiſiones quoque eaedem erant, quae aſſis 2) libram appendentis. *Sextans* ſcilicet duarum erat unciarum, *quadrans* trium, *triens* quaternarum, *quincunx* quinarum, *ſemis* uel *ſemiſſis* ſex, *ſeptunx* ſeptenarum et *bes* octo, quae duas partes tertias conſtituebant, *dodrans* nouem, *dextans* denarum, *deunx* undecim et *libra* denique duodecim unciarum; *uncia* porro octo drachmas, *drachma* ſcrupulos tres, et *ſcrupulus* quilibet uiginti quatuor *grana* continebat.

§. 2. Pondera Veterum ſaepius ex lapide nigro, quem Fabrettus *lydium* uocat, parata fuere. Forma illarum uaria fuit, rotunda plerumque, nonnumquam etiam quadrata; ceterum uel puncto uno, uel punctis duobus pluribusue, numeris item maioribus I. II. V. X. notata fuere; in quibus puncta tot uncias, numeri uero maiores, tot libras indicabant. Sic *Tab. XCVI. Fig.* 14. pondus unciae unius et *Fig.* 15. duarum unciarum pondus denotat; *Fig.* 16. Semiſſem ſignificat, cuius nota eſt littera S. Quod *Fig.* 17. exhibetur pondus libram unam, *Fig.* 18. libras duas, *Fig.* 19. libras quinque et *Fig.* 20. decem indicat. In ponderibus duabus poſterioribus V et X librarum peculiares ſimul leguntur inſcriptiones, quarum prior ita legenda *Templo Opis Auguſti;* poſterior ita, *Auguſti auctoritate templo Martis ultoris.* Significatio harum inſcriptionum eodem redit, et oſtendit, prius illud pondus cum aliis in templo Opis, poſterius uero in templo Martis Vltoris ſeruatum eſſe. Monetam enim publicam in templo Opis ſeruatam eſſe, uel ex illo *Ciceronis*, Philipp. I. c. 7. *pecunia utinam ad aedem Opis maneret*, liquet. Pondera et monetae in aliis quoque templis cuſtodiebantur, in templo Herculis ſcilicet, Caſtoris, aliorumque. Ponderum formas oblongas et quadratas exhibent *Fig.* 21 — 25. Pondus uero omnium maximum eſt lapis ille, quem *Fig.* 26. forma licet longe minori exhibemus. Vi inſcriptionis *talentum Siclorum III. Pondo CXXV.* exaequauit. Villalpandus, qui hoc pondus protulit, pro talento Ebraeo illud accipit; cui etiam ſubſcribere uidetur *Epiphanius* 3), dicens, talentum eſſe uiginti librarum; libram duodecim unciarum, unciam duorum ſtaterum, ſtaterem duorum drachmarum. A *ſtatere* uero differt *ſtatera*, quae alio nomine *trutina* uocatur, et inſtrumentum illud eſt, quo pondera duarum lancium oppoſitarum ope examinari ſolent; unde etiam *bilanx* appellatur. Aliud ſtaterae genus illud eſt, quod *Campana* dicitur, quia in Campania, Italiae prouincia, primum reperta fuit. Eſt autem haec Campana uirga ferrea libris et unciis notata, quam hodie *Romanam* uocant.

§. 3.

1) Conferendi ii ſcriptores, quos ſupra de *menſuris* allegauimus, qui ſimul de ponderibus agunt.

2) Nempe *as* et ad pondera adhiberi ſolitus, et ad ceteras menſuras. Sic et in menſuris interuallorum, *as* idem ac pes; omne ſolidum dicebatur *as;* et quot id numeris conſtabat, toties multiplicabantur aſſis partes. Vid. *Gronou.* de ſeſtertiis lib. 3. c. 11.

3) Libro de ponderibus et menſuris. Plures ſcriptores de nummis et *ponderibus* hebraeorum nominat *Fabricius* in bibliograph. antiquar. c. 16. §. 9.

§. 3. Talenti Hebraei quum paullo ante mentio facta ſit: de talento Graeco et Romano pauca quoque proferre liceat. Talenti pondus temporibus priſcis Romae non in uſu fuiſſe, omnibus notum eſt; aſt, ubi cum Graecis negotiari coeperunt, talentum tandem Atticum, cuius maximus tunc temporis uſus erat, in commercium ſuum induxerunt. Scriptores non pauci inter talentum maius et minus differentiam notant, illi minas ſiue libras 80, huic 60. tribuentes. Alii, in quibus *Gronouius*, talentum maius apud Auctores celebrari concedunt, ſed aliud eo minus non admittunt: Hi uero magno talento argenteo pro iuſto ipſius pondere ſexaginta minas Atticas, aureo uero ſexaginta drachmas et tres ſtateras tribuunt; ſique talentum huius coenobii, cuius ſchema *Fig.* 27. forma minori exhibemus, uerum talenti pondus habet (quod quidem nobis uero admodum ſimile uidetur) efficit omnino, talentum magnum ſexaginta fuiſſe librarum ſiue minarum. Quum autem libras nominamus, tales intelligimus, quarum quaelibet uncias duodecim exaequabat; ut ſupra iam monuimus. Circa minas quoque dubium ſubnaſcitur, an illae eodem cum libris pondere fuerint, quum minae 4) uulgo 100. drachmae, librae uero nonniſi 96. tribui ſoleant; quam differentiam nonnulli facile negotio ita tolli poſſe autumant, ſi dicatur, minam reuera 96. tantum drachmas 5) habuiſſe, per numerum uero rotundum, ut aiunt, centum illi drachmas nonnumquam tribui. Hoc autem quo fundamento dicatur, hoc loco perquirere, non eſt animus. Redeamus potius ad talentum noſtrum, quod marmor ſolidum eſt forma ouata, in cuius extrema ſuperficie duo comparent foramina rotunda de induſtria confecta, cuiusmodi etiam in aliis ponderibus interdum reperiuntur. Hoc autem marmor pro pondere habendum eſſe, ipſa figura ſuadere uidetur; nec apparet, cui uſui alii illud eſſe potuerit. Quumque accurate illud penſando deprehenderim, pondus illius eſſe 78. librarum et unciarum octo: non dubito, quin pro talento illo attico 80. librarum haberi poſſit, et licet ad complendas libras 80. adhuc unciae 16. deſiderentur, minime hoc erit mirandum, quod ſuperficies illius ima aliquantum labefactata et detrita eſt, unde aliquid ponderis amiſſum eſt. Hoc ipſo uero illos ſimul confutari 6) poſſe autumo, qui putant, talentum Atticum eſſe 60. librarum, nec aliud eſſe talentum illo minus.

LIBER

4) Voces μνα, δραχμη, et ὀβολος, hebraicae originis eſſe, notauit, *Iacob. Duportus* ad charact. *Theophraſti.*

5) *De Drachmis* uid. diſſertatio *Aldi Manutii*, in quae-ſit. per epiſtol. tomo 4. *Lampadis Gruterianae* p. 260. ſeqq.

6) Si ſatis certum ſit, quod tamen ueroſimile tantum eſt, hunc lapidem inde ab initio, ponderando inſeruiiſſe.

LIBER QVINTVS.

DE SEPTEM MVNDI MIRACVLIS, VARIIS AEDIFICIIS PVBLICIS, ET SYMBOLIS TVM TOTIVS MVNDI PARTIVM, TVM SINGVLARVM REGIONVM, FLVMINVM ATQVE VRBIVM.

CAPVT I.

De ſeptem mundi miraculis.

§. 1.

Inter admiranda uenerandae antiquitatis opera, aedificia cumprimis, ſeptem erant, quae cetera omnia pulchritudine et magnificentia ſua ſuperabant; quae ideo a multis iam ſaeculis ſeptem orbis miracula, uel, ut *Vitruuius* L. VII. ea compellare maluit, ſpectacula audiunt. De numero ſepteno ferme inter omnes conuenit; ſed non eadem omnes miracula recenſent. *Philo* 1) Byzantius ſequenti ordine illa refert: 1.) Horti penſiles Babylone columnis nixi; 2.) Pyramides Aegypti; 3.) Statua Iouis Olympii; 4.) Coloſſus Rhodius; 5.) Muri Babylonis; 6.) Templum Dianae Epheſiae, et 7.) Mauſoli ſepulcrum. Anonymus ab *Allatio* excitatus, aliquantum diuerſa hoc ordine commemorat: *1.) Iupiter Olympius 36. cubitis altus; 2.) Templum Dianae Epheſiae; 3.) Ara in Delo ex cornibus dexteris uictimarum, quae una die fuerunt mactatae, compacta; 4.) Mauſoleum Halicarnaſſeum; 5.) Pyramides Aegypti, quarum omnium maxima quadringentorum cubitorum eſt; 6.) Muri Babylonis; 7.) Coloſſus Rhodius 70. cubitorum, a Charete Lindio factus. Alii miraculis hiſce Aeſculapium quoque annumerant, aram item Pariam, Hortos penſiles, Mineruam Athenis erectam, Cyri regiam;* haec ille Anonymus. In Codice Graeco Cl. Baluzii alius cuiusdam Anonymi nota habetur poſteriori aeuo facta, ubi ſeptem haec miracula iterum alio ordine ita recenſentur; 1.) Thebae Aegyptiae; 2.) Muri Babylonis; 3.) Mauſoleum; 4.) Pyramides; 5.) Coloſſus Rhodius, quem quidem columnam aeneam 600. cubitorum eſſe dicunt; 6.) Capitolium Romae; 7.) Templum Hadriani Cyzicenum. In his tamen omnibus pluribus, quae ab aliis recenſentur, ſeptem illa priora, quae Philo Byzantius commemorat, plurium auctoritate nituntur; quare nos quoque illa eodem ordine paucis deſcribemus.

§. 2. *Hortus penſilis* columnis lapideis nitebatur, quibus ſuperpoſitae fuere trabes ex palmae arbore, quam numquam imbre uel aqua uitiari, nec ulla mole impoſita flecti, ſed potius ſurſum niti dicunt. Hae trabes non amplo ſpatio diſiunctæ fuere, magnamque terrae molem ſuſtinebant. In ſpatium autem, quod inter illas intercedebat, radices arborum, quae in horto erant, irrepebant et inſerebantur. Terra haec in aëre quaſi ſuſpenſa adeo erat profunda, ut multae arborum ſpecies in illa radices agerent, ramoſque latiſſime profunderent. Plantae item et omnis generis fructus in eadem abunde naſcebantur. Irrigatio huius horti canalibus partim ex locis editioribus recto curſu profluentibus, partim aqua ope antliarum ſurſum propulſa fiebat.

§. 3. *Pyramides Aegyptiae*, quod miraculum unicum ex ceteris ſupereſt, montes quaſi fuere, ex praegrandibus iisque exciſis lapidibus conſtructi. Formam illorum, molem atque ſtructuram infra, quum tomo V. de Mauſoleis agemus, pluribus indicabimus 2).

1) Cuius *de ſeptem orbis ſpectaculis* opuſculum, Graece et cum uerſione notisque *Allatii* exſtat tomo 8. theſauri Gronouiani.

2) Facile ea ex *hiſtoria uniuerſa* ex anglico translata, *Pocokiique* itinere per Aegyptum, patere poteſt. Conferantur etiam *Kircheri* Oedipus aegyptiacus.

§. 4. *Statua Iouis Olympii*, cuius descriptionem libro de templis post Pausaniam adornauimus, longe mirabilior erat opera artificis, quam materiae pretio, quamuis ex auro et ebore confecta esset. *Cicero* de *Oratore*, c.2. dicit, Phidiae simulacris homines nihil perfectius uidisse. *Strabo* tamen sculptoris oscitantiam animaduertit, quod Iouis sedentis Statua tam procera sit, ut, si ille surgere uoluisset, non potuisset, nisi tecto et fornice euerso. In hoc autem templo non modo statua Phidiae, uerum etiam plurima alia celeberrimorum artificum, sculptorum, architectorum, pictorumque opera miraculo erant; ut etiam totum hoc templum pro spectaculo haberi potuisset.

§. 5. *Colossus Rhodius* 3), ut uulgaris fert opinio, 70. cubitorum fuit altitudine, uel, secundum *Festum*, centum quinque pedum; totus aeneus erat, intusque cauus; in quo spatio pontes ex ferro et lapidibus quadratis facti erant, ut statua ex eo firmius consisteret. Immanis haec statua Solem, summum Rhodiorum numen, repraesentabat; pedes illius basibus impositi erant, quae maiores statuas altitudine superabant. *Plinio* 34, 7. teste ingens hic Colossus a Charete, Lysippi discipulo, erectus anno, ex quo perfectus erat quinquagesimo sexto, terrae motu prostratus est, et ad Plinii usque tempus mansit. Pauci pollicem eius amplecti potuerunt, maiores enim digiti erant, quam statuae pleraeque. Vespasiani dein tempore denuo erectus fuit. Tandem *Moauia* Sarazenus Rhodo capta Colossum hunc Iudaeo uendidit, qui fragmentis illius 900. camelos onerauit.

§. 6. *Muri Babylonici* a regina Semiramide constructi dicuntur; eorumque ambitus trecentorum sexaginta stadiorum; quorum octo pro milliari haberi solent. Materia huius muri lateres erant, et caementi loco bitumen adhibitum fuit. Altitudo eorum 50. cubitorum erat, latitudo tanta, ut rhedae uel bigae quatuor iuxta simul in illo decurrere potuerint. Vrbis ipsius tanta fuit amplitudo, ut Philone supra laudato teste, ciues illius intra ipsa moenia peregrinari potuerint.

§. 7. *Dianae Ephesiae templum* omnium maximum et elegantissimum erat, quae antiquitas unquam nouerit. Pluribus de illo iam supra egimus pag. 111. quae hic repetere merito supersedemus.

§. 8. *Mausoleum* siue Mausoli sepulcrum ab Artemisia et sorore et coniuge illius excitatum infra Tomo V. pluribus describetur, quando de aliis quoque Mausoleis fusius agemus.

§. 9. Inter spectacula mundi locata etiam fuere magnae illae *Thebae Aegyptiacae*, quae centum portarum erant; quo portarnm numero a Thebis Graeciae, quae septem tantum portas habebant, distinctae fuere. *Pharus* item, in insula prope Alexandriam; et *Labyrinthi* duo: alter quidem Aegyptiacus, ad lacum Moeridis; alter *Cretensis*, qui *Plinio* 4) teste centesima tantum Aegyptiaci pars erat. Hic certe longe dignissimus esset, qui non tantum inter miracula illa referretur, sed omnibus plane praeferretur. Si enim *Herodoto* fides habenda est, a duodecim Regibus, qui simul in Aegypto regnarunt, tanta arte et magnificentia constructus est, ut si uel labor, uel sumtus spectetur, cum elegantissimis magnificentissimisque totius Graeciae operibus conferatur, iis omnibus longe superior existimandus sit.

CAPVT II.

De aedificiis publicis 1).

§. 1.

De domibus priuatorum tum urbanis, tum extra urbem positis siue uillis, quum supra iam actum sit; iam de aedificiis quoque publicis, tum ad ornatum urbium, tum ad ciuium

3) Plura de hoc, et ceteris hic occurrentibus, congessit *Allatius* in notis ad *Philonem* ex quo haec excerpuntur.

4) *Plin.* lib. 36, c. 13. qui quatuor labyrinthos numerat. *Aegyptiacum* describit *historia uniuersa* tom. 1. §. 473. seqq. et *Pocokius*.

1) *Conferendi* hic Scriptores de urbe *Roma*, quorum meliores tomo 3. et 4. *Graeuii* habentur, et *Lipsii* de magnit. rom. *Kobierzichius* de luxu rom. tom. 8. *Graeuii*; item *Bergierii* de uiis rom. imperii libro 5. c. 8.

uium commodum extructis, pauca subiungamus. Initium faciamus ab illis, quae ingredientibus statim sese offerunt, *portis* scilicet. In his autem, quae temporum iniuria dirutae non sunt, hodieque superant, solam *portam*, quam uulgo *maiorem* uocant, quae aliis nominibus *Labicana*, siue *Lauicana* aut *Esquilia* dicebatur, hic ponimus. Schema illius exhibet *Tab. XCVI. Fig. 28.* In hoc autem quum ob formam minorem et spatii angustiam triplex, qua notata est, inscriptio addi non potuerit, illam integram hic apponere lubet. Inscriptio itaque prima, quae summum spatium occupat, ita legitur: *Tiberius Claudius Drusi filius Caesar Augustus Germanicus Pontifex Maximus, tribunicia potestate duodecimum Consul quintum, imperator uigesimum septimum, pater patriae, aquas Claudiam ex fontibus, qui uocabantur Caeruleus et Curtius a milliario quadragesimo quinto, item Anienem nouam a milliario sexagesimo secundo sua impensa in urbem perducendas curauit.* Secunda inscriptio sic se habet: *Imperator Caesar Vespasianus Augustus Pontifex Maximus tribunicia potestate secundum, Imperator sextum, Consul tertium, designatus quartum, pater patriae, aquas Curtiam et caeruleam perductas a Diuo Claudio et postea intermissas dilapsasque per annos nouem sua impensa urbi restituit.* Tertiae inscriptionis uerba haec sunt: *Imperator Titus Caesar, Diui filius Vespasianus Augustus Pontifex Maximus, tribunica potestate decimum, Imperator decimum septimum, pater patriae, Censor Consul, octauum, aquas Curtiam et caeruleam perductas a Diuo Claudio et postea a Diuo Vespasiano patre suo urbi restitutas, cum a capite aquarum a solo uetustate dilapsae essent, noua forma reducendas sua impensa curauit.* Aliae portae Romanae aut recentioris sunt operis, aut nihil habent in structura, quod obseruatione dignum uideatur. Romae adhuc superest *Ianus quadriuius* seu quatuor portarum, quae in medio decussantur; quod ad eum concurrebant uici quatuor, qui per Ianum ipsum continuabantur. Hic Ianus totus quantus marmoreus est, et forinsecus duobus columnarum ordinibus exornatur; schema illius profert *Fig. 29.*

§. 2. Per portas ad interiora urbis aedificia intramus, in quibus hic de Basilicis inprimis, Macellis, Horreis et Cisternis publicis, nec non Augustorum Mutatoriis nobis sermo erit; ubi breuissimis nos expediemus. *Basilicae* ampla erant aedificia, eaque oblonga, uariis columnarum ordinibus et porticibus ornata. Aula media, quae *Pluteus* dicebatur, itidem columnis cingebatur, ut ex ea in portibus liberior prospectus esset. Ceterum in foro illae positae et undique erant apertae; in iisque non negotiantes tantum confluebant, sed et caussidici cum centum illis uiris, qui ad diiudicandas lites ex triginta tribubus erant delecti. *Plutarcho* in Catone Vticensi teste etiam Tribuni plebis in iisdem ius dicebant. Romae circiter uiginti eiusmodi Basilicae numerabantur; Aemilia scillcet, Iulia, Fuluia, Alexandrina, Argentaria, Caii et Lucii Caesarum, Marciana, Mattidia, Pompeiana, Porcia, Vlpia, Sicinii, Sempronia, Neptuni et aliae. Ex his tamen paucae supersunt; et ex quo religio Christiana obtinuit, Basilicarum nomen maioribus Romae Ecclesiis inditum est.

§. 3. Quod *Macellum* ueteres Romani uocabant, id Itali hodierni *Macello* nuncupant, et in quibusdam Galliae locis *Mazet.* In his non modo carnes et pisces, sed cetera omnia, quae ad uictum necessaria fuerunt, prostabant. Non autem talia macella tantum, sed et *Horrea* publica magnifice erant constructa. Satis magna quippe erant aedificia, quorum cauaedium porticibus atque columnis exornatum erat, ut claustra uel coenobia hodierna. *Cisternae* quoque publicae hic notari merentur. Hae canales erant subterranei, percolandis aquis adaptati, ut usum earum eo salubriorem redderent. Si enim limus, ubi subsidat, locum habuerit, aqua fit limpidior, et absque ullo odore ingrato saporem suum conseruabit. Ad *Mutatorium* quod attinet, multi putant, Imperatores et uiros primarios alios, praeter aedes suas maiores, plurimas Romae habuisse domos, in quas animi oblectandi caussa nonnumquam secederent; quibus secessibus Mutatoriorum nomen inhaeserit. Saltem in descriptione ueteris Romae in prima urbis regione definitur certus locus, qui *Mutatorium Caesaris* appellatur, qui sine dubio pro secessu aliquo, quem Caesar oblectamenti caussa nonnumquam petierit, habendus erit. Multa etiam palatii Augustorum uestigia Romae supersunt; ubi cubicula et conclauia magna serie conspiciuntur. Ex eruditis Italis quidam secundum has reliquias integra palatia delinearunt, et pro arbitrio suo quasi diuinando multa commenti sunt, quae a genuina ueterum aedificiorum forma haud dubie in multis recedunt. Multa horum schemata hic colligi possent, quibus innumera ferme antiquissimorum aedificiorum rudera ob oculos alias poni solent; sed quum instituti nostri ratio ab eiusmodi ambagibus, quorum exiguus admodum usus est, nos reuocet; hic pedem figimus, et ad alia cognitione nostra magis digna progredimur.

Capvt III.

De uariis regionum, fluminum atque urbium symbolis 1).

§. 1.

Non urbes tantum et flumina, sed et regiones et maiores orbis nostri terraquei partes peculiaria olim habuere signa et quasi insignia, quibus ab alis dignosci consueuerant. Desumebantur ea uel ex forma uestium, quibus incolae utebantur; uel ex plantis, auibus, et animalibus, quae in iis nascebantur. Vrbes plerumque sub forma mulieris corona turrita, ad instar Cybeles, exornatae repraesentabantur; quod symbolum in Oriente admodum erat uulgare, in occidente uero rarissimum. Quumque mulieres hae turritae urbibus in oriente sitis paene communes essent, adhuc aliae iisdem notae simul addi solebant; quo ab aliis differrent; idque cumprimis, si eodem nomine insigniebantur. Non raro diuersis etiam urbibus eadem insignia siue symbola competebant.

§. 2. In arcu Constantini inter anaglypha ad Traiani uictorias spectantia, symbola uidemus Orientis et Occidentis. *Orientem* de notat mulier, equorum quadrigis incedens, manuque dextra globum tenens, cui genius utraque manu facem gestans insistit; sinistra palmam; equi currentes ascendere uidentur; mulier auroram, genius matutinam stellam siue luciferum denotare uidetur; Vir barbatus sub quadrigis decumbens aut Euphratem significat, aut Tigrim, ad quem Traianus imperii sui fines propagauit. *Occidens* adumbratur per mulierem bigis insistentem, quam genius una cum equis deorsum uel ad occasum uergens praeire uidetur, quo ipso occidens significatur; mulier bicornem lunam capite gestat, et amplo uelo tecta est; uir senex cum amphora Danubium indicat, ad quem Traianus uarias uictorias reportauit; utrumque hoc symbolum exhibet *Tab. XCVI. Fig. 30. et 31.*

§. 3. Ex tribus orbis olim noti partibus Europae symbolum nullibi deprehendimus, nisi raptum Europae, Agenoris filiae, quem in aliquot monumentis expressum uidemus, pro symbolo eius habere forte lubeat. ASIA in Antonini nummo apparet sub forma mulieris muro pinnisque coronatae, quae ancoram tenet; quo ipso notatur, non nisi traiectu maris in Asiam proficisci quemquam posse; talis exhibetur *Fig. 32.* alius eiusdem typus absque pinnis profertur *Fig. 33.* ubi altero pede proram calcat, et dextra serpentem, sinistra uero remum tenet. AFRICA repraesentatur sub forma mulieris elephanti proboscidem in capite gestantis; qualis *Fig. 34.* conspicitur. In Hadriani quodam nummo *Fig. 35.* sedens illa exhibetur, dextra scorpionem (hoc genus insecti in Africa frequentissimum est) sinistra cornu copiae tenens; ad pedes illius canistrum, ex quo spicae prorumpunt, positum est.

§. 4. *Italia Fig. 36.* in postica nummi Antonini Pii parte sub forma mulieris coronatae globo insidet, qui globus terrarum imperium significat; dextra cornu copiae tenet. *Roma* sexcentis in nummis sub muliere galeata sistitur, quae clypeum et hastam tenet; ea, quam *Fig. 37.* exhibemus, cassidem habet tiarae Phrygiae modo recuruam. Quae *Fig. 38.* sequitur *Neapolis*, pro signo habet caput humanum muliebre, cui equus marinus alatus additus est; in parte postica Minotaurum a uictoria coronatum praefert.

Tab. XCVII. §. 5. Duae figurae sequentes *Tab. XCVII. Fig. 1. 2.* duo elegantissima marmora Romana exhibent, in quibus duo flumina repraesentantur, *Nilus* uidelicet et *Tiberis. Nilus Fig. 1.* senex est lauro coronatus, recumbens et cubito sphingi innixus, cornuque copiae tenens; humeris, femori, tibiisque illius sedecim inhaerent pueruli nudi, qui totidem cubitos incrementi

1) Quemadmodum haec ex monumentis, nummisque maxime collecta sunt, quae hic occurrunt, facili negotio ex interpretibus nummorum augenda et illustranda, quos inter *Vaillantius Aegyptum* adeo *numismaticam* ex imperatorum Rom. nummis, *historiae Ptolemaeorum* adiecit: ita non omnia eodem in loco habenda sunt. Multae urbes nummos cuderunt sine talibus symbolis, additis ex nomine aliquod litteris dignoscendos, e. g. ΠΑ, ΣΑ, pro *Paphos*, *Salamin*; aliae serius hisce signis utuntur, quibus olim certius nosci poterant, quam hodie. Plura addere ad huius capitis emendationem illustrationemque, non attinet; multa ad fabulas seu res olim hic ibi gestas, referenda sunt; quorum memoria istis documentis seruabatur.



Symbola 1 Nili 2 Tiberis. 3. Galliarum 4 Hispaniæ 5. Cæsaraugustæ 6. Siciliæ s. Trinacriæ 7. Syracusarum 8. Messinæ 9 Britanniæ. 10. Germaniæ 11 Rheni 12 Danubii 13. Daciæ 14 Pannoniæ 15. Athenarum 16. Thebarum 17. Lacedæmonis. 18 Thessaliæ 20. Macedoniæ 20. Euboeæ 21 Chalcidis 22. Eretriæ 23. Epiri 24 Corcyræ 25. Cnossi 26. Chii insulæ 27 Tenedos 28 Coi 29 Smyrnæ 30. Ephesi 31 Pergami 32 Troadis 33 Nyssæ 34 Hierapoleos. 35 Sidonis. 36 Tyri 37 Antiochiæ 38 Judææ sive Palestinæ.

crementi Niliaci denotant; in ora circumquaque conspiciuntur crocodili, hippopotami, et Troglodytae piscatores scaphis uecti. *Tiberis Fig. 2.* similiter sub forma senis cum cornu copiae repraesentatur, qui lupae, Romuli et Remi nutrici, innititur; in ora uidemus scaphas partim remis propulsas, partim ab hominibus protractas, uariaque animalia.

§. 6. *Tres Galliae*, Belgica scilicet, Celtica et Aquitanica, uel secundum alium diuidendi modum comata, braccata atque togata in nummo *Fig. 3.* tribus capitibus significabantur. *Hispania* in nummis *Fig. 4.* sub mulieris forma repraesentatur, quae rupibus innixa recumbit, et manu ramum tenet; cuius pedibus cuniculus assidet. *Caesaraugusta Fig. 5.* aratorem habet, binis bobus terram sulcantem. *Sicilia*, aliter etiam Trinacria dicta, *Fig. 6.* symboli loco tria iuncta crura habet, inter quae totidem spicae comparent, terrae fertilitatem denotantes. *Syracusani* nummi multi occurrunt; quem *Fig. 7.* proferimus in altera parte caput Dianae habet in altera fulmen. *Messinae* symbolum lepus erat *Fig. 8. Britanniae* symbolum mulier est sedens, hastam tenens, clypeoque innixa, *Fig. 9. Germaniam* in nummo Hadriani mulier hastam clypeumque tenens repraesentat, qualis conspicitur *Fig. 10.*

§. 7. *Rhenus Fig. 11.* significatur sene ramum tenente et urnae innixo, ut flumina plerumque solent; *Danubius Fig. 12.* eodem fere modo; de symbolis fluuiorum inprimis conferri meretur *Aelianus* uar. hist. 2. 33. *Daciae* symbolum *Fig. 13.* mulier est colli insidens, et altera manu sceptrum, altera ramum tenens, duosque puerulos iuxta se habens. *Pannonia Fig. 14.* sub duabus mulieribus signa militaria tenentibus exhibetur.

§. 8. In Graecia *Athenienses* per *Fig. 15.* ex una parte pro symbolo habebant Mineruae caput, in altera noctuam diotae insistentem. *Thebani Fig. 16.* itidem eiusmodi diotam et in altera facie clypeum habebant. *Lacedaemonii* Castorem et Pollucem *Fig. 17. Thessali* caput Iouis et Mineruam. *Fig. 18. Macedones* caput Dianae a) *Fig. 19. Euboeae* insula caput bouis, *Fig. 20. Chalcidenses* aquilam contra draconem pugnantem *Fig. 21. Eretrii* caput Dianae, et in postica parte bouem *Fig. 22. Epirus* caput Iouis et aquilam *Fig. 23. Corcyra* caput humanum leonis exuuiis opertum, et in postica parte proram nauis *Fig. 24. Cnossus*, urbs Cretae, caput Iouis uel Minois et Labyrinthum *Fig. 25. Chius* insula Homerum et Sphingem, quae pedem lyrae imponit. *Fig. 26. Tenedos* insula ex una parte duo capita, barbatum alterum, alterum imberbe, forte mulieris, in postica parte securim, ad cuius latus utrumque uua Bacchi et Apollinis lyra conspicitur. *Fig. 27. Cos* insula caput Herculis, exuuiis leonis indutum, cum claua cancro supposita. *Fig. 28.*

§. 9. Inter Asiae urbes *Smyrna* Amazonis forma exhibetur, (ab Amazone quippe haec urbs condita fertur) et leone *Fig. 29. Ephesus* ceruum habet, Dianae symbolum, *Fig. 30. Pergamus* Mineruam et Aesculapium *Fig. 31. Troadis* colonia caput mulieris turritae et equum. *Fig. 32. Nyssa* symbolum plane singulare habet, taurum scilicet a multis nudis pueris ad sacrificium, uti putatur, gestatum; quae caerimonia ibidem forte in usu fuit. *Fig. 33. Hierapolis* hinc caput Bacchi, inde raptum Proserpinae habet. *Fig. 34. Sidonis* urbis Syriae symbolum erat mulier itidem turrita et aquila *Fig. 35. Tyrus* in una facie Herculis, fundatoris sui caput, in altera aquilam habet cum claua *Fig. 36. Antiochia* quasi mulier pro more turrita in auersa facie aram ignitam habet *Fig. 37.* Palma arbor Iudaeae Symbolum erat, *Fig. 38.*

§. 10. Ex hisce urbium symbolis, quae in monumentis, nummis praesertim occurrunt, ingens uolumen adornari posset. In nummis enim urbs eadem plura quam triginta nonnumquam symbola siue notas eiusmodi diuersas habet; uti etiam Nilus ultra quinquaginta modis repraesentatur; symbola etiam eadem interdum ad diuersas urbes spectant. Nobis hic praecipuarum regionum atque urbium symbola commemorasse sufficiat.

a) Id quidem tam non fuit Macedoniae symbolum, ut hac ratione satis multa eius symbola statuenda essent, si nummorum auersa latera semper symbolum continere credantur. *Quadrata figura* potiori iure huc referri posset, in qua *equus* comparet; quia ante Philippum fere in omnibus nummis occurrit. Idem de aliis obseruandum est.

TOMI TERTII
PARS SECVNDA.
DE
BALNEIS, THERMIS, CONNVBIIS, ANNVLIS, LVDIS PVBLICIS, POMPIS, VENATV, LVDIS MINORIBVS ET ARTIBVS TRACTANS.

LIBER PRIMVS.
DE
BALNEIS, THERMIS, CONNVBIIS, ANNVLIS ATQVE SIGILLIS.

CAPVT I.

De balneis et thermis, uariisque, quibus in iis utebantur, uasis et instrumentis 1).

§. 1.

Aedificia, in quibus aqua calida modo, modo tepida corpus abluere consueuerant ueteres, *Balnea* uocabantur, eaque uel publica erant, uel priuata, sicut *thermae*; quarum publicae magno urbibus ornamento fuere, priuatae uero in uillis plerumque constructae. Inter balnea tamen et thermas hoc discriminis fuisse puto, quod illa lotioni tantum destinata fuerint; his uero longe amplioribus praeter balnea alia adhuc loca magis spatiosa et ambulacra, triclinia insuper, gymnasia, ephebea, et alia his similia, iungerentur; praecipuus licet thermarum usus ad balnea spectauerit.

Tab. XCVIII. §. 2. Nullum adhuc balneorum publicorum expressiorem uidimus imaginem illa, quae ex quadam thermarum Titi pictura non ita pridem detecta prodiit, quam *Tab. XCVIII. Fig. 1.* exhibemus. Hic primo sese offert *hypocaustum* siue camini et fornaces imum balneorum locum occupantes, in quibus ignis ad calefaciendas concamerationes superiores alebatur. Balneum hic conclaue erat magnum in quo ingens labrum uidemus, cuius orae lat ori, qui se lauabant, insidere poterant; multae quoque aliae sellae lapideae in iisdem balneis in lauantium usum positae fuere. *Olympiodoro* 2) quippe teste in thermis Antonini sellae eiusmodi mille sexcentae ex polito marmore constructae erant. Quae sequitur concamerata *sudatio*, quod ipsum nomen arguit, sudantibus erat destinata; in eaque praeter sellas peculiaria uisuntur loculamenta, in quibus illi, qui sudandi caussa accesserant, considebant. Iunctum huic camerae est *Laconicum* 3) tanquam fornax immittendo calori aptum; cuius, usus

1) Scriptores de omni hoc argumento multos excitauit *Fabricius* in bibliographia antiquar. c. 22. n. 14. quibus addimus *Lipsium* de magnitud. romana lib. 3. c. 8. qui insignem luxum superbiamque aedium et uasorum attingit.

2) Eius uerba habet *Lipsius* loc. cit. qui et in notis praefert *καθέδρας Olympiodori sellas* reddi; non, *solia*. Ex sellis quaedam hic ibi exstant perforatae, recipiendo colligendoque uapori destinatae: ex quibus tandem *stercorariae* enatae, (ob ignorationem ueri usus), papissis, si placet, arcendis inseruientes.

3) Quae hic diuiduntur, *sudatio* et *Laconicum* idem potius sunt, si alios interpretes audias.

Tab. LXXXXVIII



1. Balneum publicum. 2. Balnea Metelli. 3–6. Strigiles ad perfricandum corpus. 7, 8. Volsellæ ad evellendos pilos. 9. Balneum Senecæ extremum.

uſus a Lacedaemonibus accitus erat; unde etiam Laconici nomen ipſi haeſit. Pone ſudationem *tepidarium* uidemus, in quo tepidior aër inter calidum frigidumque medium quaſi tenebat. Tepidario haerebat *frigidarium*; id ipſum forte, quod a Cicerone ad Quinctium Fr. 3, 1. *Apodyterium* uocatur, in quo ſcilicet ueſtes deponere, et corpus defricare ſolebant. Sic ad balnea per diuerſas concamerationes intermedias deueniebatur; ne, ſi ſtatim ex frigidario in calidarium tranſitum eſſet, id ualetudini officeret. Primo quidem in frigidarium intrabatur, ubi ueſte depoſita corpus defricabant; hinc ad tepidarium tranſitus erat, unde poſt aliquantum temporis in ſudationem procedebant; ex hac in balnea tandem calida perueniebant. Eodem ordine regredientes poſt lotionem in ſudationem denuo intrabant, ibidemque aliquantum temporis commorati, ad tepidarium, et ex hoc ad frigidarium pergebant. Quum uero non omnibus ſudationem et balneum calidum intrare animus eſſet; in tepidario quoque balnea erant iis parata, qui nec tepidam nec calidam lotionem expeterent. Pone frigidarium *Elaeotheſion* conſpicitur uaſis unguentariis ordine poſitis repletum; unde unguenta iis ſuppeditabantur, qui corpus ungere uellent.

§. 3. Balnea Metelli *Fig. 2.* repraeſentata conſpectu digniſſima ſunt. In ſuperiori tabulae huius parte exterior balneorum ſpecies conſpicitur cum uiris aliquibus et mulieribus, qui balneum hoc adeunt. In inferiore parte, quae per inſcriptionem, *Genio lauacrorum Metelli*, a ſuperiori illa ſeparatur, interior balneorum facies apparet; in iisque tres primo uiſuntur mulieres, quarum una, quae puella uidetur, reliquas perfricat. Pone has in ſeparato cubiculo uir ſellae, cui ſtorea ſeu tapes ſuperſtrata uidetur, inſidens, a puero ſpongia detergitur, mox ſtrigili quoque, (ita enim inſtrumentum, quo fricari ſolebant, uocatur) quem manu tenet, perfricandus. In altera parte uir nudus ſedet in ora magni et rotundi labri, qui tibias in aquam immiſit, alteramque ſtrigili perfricat; altera manu ſpongiam tenet. Iuuenis porro quidam nudus aquam calidam labro infundit, aliusque ſcyphum aqua plenum porrigit eidem labro infundendum.

§. 4. Non autem corpus tantum ita fricabant, ſed pilos quoque peculiaribus *uolſellis*, ut uocabant, euellebant. Aliquot eiusmodi ſtrigiles et uolſellas exhibemus *Fig.* 3 — 8. Ex his duae ſtrigiles in falcisformam curuatae ſunt; ex uolſellis altera circino ſimilis uidetur. Inſtrumenta haec ex ferro plerumque conficiebantur; minime tamen dubitandum, quaedam illorum ex auro quoque atque argento, aliaue materia fuiſſe confecta. Antequam perfricando corpori adhiberentur, oleo aliisque unguentis perungebantur. Conſeruandis hiſce unguentis et aromatibus uaria adhibita fuere uaſa, quorum formam tum in Elaeotheſio ſupra deſcripto, tum *Tab. XC.* ſq. uidere licet.

§. 5. Vnguentorum et aromatum, pro diuerſo iis utentium lubitu, uariae fuerunt conditurae. *Chulius* diuerſas illorum ſpecies ita refert. *Rhodinum*, liquidum unguentum ex roſis confectum erat; *lirinum*, ex lilio; *cyprinum*, ex flore arboris, cui nomen cypria; *baccarinum*, ex herba, cui nomen baccar, florem emittente colore purpureo. Inter liquida unguenta ueteres quoque referebant *gleucinum*, quod quidam ſecundum etymologiam uocis γλεῦκος [4] ex muſto confectum fuiſſe autumant; ſed *Columella* ex herbis odoriferis illud praeparatum fuiſſe aſſerit. *Myrrhinum* ex myrrha condiebatur. Oleum etiam ex amaraco fiebat, *amaracinum* inde dictum; *nardinum* ex nardo; *oenanthinum* ex flore uitis ſilueſtris; *cinnamomium* quoque magno ſumtu parabatur; *narciſſinum* item ex flore narciſſi; *irinum* ex iride; *balaninum* ex quadam glandis ſpecie; *ſerpillinum* ex ſerpillo, quo unguento ſupercilia inprimis, capillos, caput et collum fricabant; uti brachia *oleo ſiſymbri*, quae menta eſt aquatica, et neruos *oleo naſturtii* et amaricino perfricare ſolebant. Thoricii, Atticae populi, unguento Aegyptiaco tibias perfricabant, genas et mammas Phoenicio, brachium alterum ſiſymbrico, ſupercilia et capillos amaracino, genua et collum ſerpillino. Haec unguenta cum multis forte aliis in Elaeotheſio recondebantur. Ipſa balnea ad ualetudinem conſeruandam percommoda putabantur [5]; quapropter ueteres quotidie iis utebantur; ut etiam a Chriſtianis olim frequentabantur;

iam

4) De natura et indole τȣ γλεύκȣς, uide diſſertationem Celeb. D. *Erneſti Imman. Walchii*, Ienae 1755. ad Actor. 2, 13. Facile apparet *Columellae* ſententiam ſatis bene coniungi poſſe, cum iſta; quia ex *muſto* mero tale unguentum non prodeat, quod uoluptatum arbitris ſatis placuiſſet.

5) Sed uoluptas praecipua frequentandorum per diem adeo pluries balneorum, cauſſa fuit. *Commodus* imperator ſepties, octiesque lauit uno die,

iam uero paene desierunt. Balneorum tamen uoluptatem aliis hodie deliciis, quae et corporis et animi ualetudini plerumque exitiosae sunt, compensare laborant.

§. 6. THERMAE perampla erant aedificia, quorum nonnulla cetera, quibus Roma ornata fuit, paene omnia magnificentia sua longe superabant. In his autem Antonini, Caracallae et Diocletiani omnium erant amplissimae ornatissimaeque. Antoninianae in uia Appia tanto artificio fuere constructae, ut illarum structura a peritissimis illius aeui architectis summa admiratione digna iudicaretur; uariis quoque ornamentis intus erant repletae. Sixti IV. tempore lithurgus quidam narrabat, auum suum in thermis Antoninianis insulam uidisse marmoream, uariis animalium corporibus, ast truncis et mutilis, refertam; marmoream item cymbam uectoribus mutilis instructam. Sed non nisi rudera magni illius aedificii, quod talium rerum imagines complectebatur, supersunt. His longe ampliores et magnificentiores fuerunt thermae Diocletianae, quae minorem temporum iniuriam passae sunt. Carthusianos hodie magnam illarum partem occupasse, satis notum est. In maioribus quippe thermarum conclauibus magnificum construxere templum. Immanis erat columnarum copia. Carthusianorum Priorem narrare mihi memini, supra ducentas inde ablatas, aliisque aedificiis fuisse admotas; illis tantummodo relictis, quas ob grauitatem molis amoliri non licuit. In cameris illarum inferioribus, quarum aditus interclusus est, supersunt crustationum marmorearum reliquiae, quibus iidem Carthusiani ad nouum Ecclesiae suae ornamentum utuntur.

§. 7. In amplissimis eiusmodi thermis praeter calida, quae iis nomen dedere, balnea, multifariae erant areae, ad iuuenes in lucta, saltatione, armorumque tractatione exercendos accommodatae. Porticus quoque in iis uidisses et exhedras quamplurimas ad confabulandum aptissimas; ephebea item satis spatiosa in medio porticuum collocata; nec non coricea, ubi pila, quae coricum nuncupabatur, ludebant, et conisteria luctatorum puluerem continentia, in quo Geometrae figuras suas delineabant 6). Breuiter, quae per totam alias urbem exercebantur exercitia, ea omnia in iis collecta fuisse autumes. Praeter thermas has Antonini, Caracallae et Diocletiani, aliae quoque fuere satis amplae atque pulchrae, illis tamen inferiores. Huiusmodi fuerunt thermae Titi, Alexandri Seueri, Agrippae, multaeque aliae, quos ad octoginta usque fuisse perhibent; non comprehensis illis, quae in uillis erant adornatae. Sic in aliis quoque urbibus multae passim conspiciuntur thermae ad Romanarum formam haud dubie concinnatae.

§. 8. Non alium locum aptiorem uideo, ubi de balneo illo extremo Senecae, in quo imperante Imperatore Nerone, cuius praeceptor ille fuerat, ipsi sibi mortem consciuit, commodius agatur. Statua illius, qualem *Fig. p.* exhibemus, ex marmore nigro, magno artificio confecta, in uilla Burghesia extat; inque uultu ipsius philosophica illa constantia, quam moriturus amicis suis proposuit, clarissime emicat. *Tacito* quippe Annal. XV. c. 62. auctore, *ubi praecepta sapientiae*, inquiebat, *ubi tot per annos meditata ratio aduersum imminentia? cui enim ignaram fuisse saeuitiam Neronis? neque aliud superesse post matrem fratresque interfectos, quam ut educatoris praeceptorisque necem adiiceret.*

CAPVT II.

De Connubiis 1).

§. 1.

Apud ueteres aeque, atque hodie, nuptias praecedebant sponsalia; qui his operam dederunt, graece *proxenetae*, latine *auspices s. pronubi* dicebantur; quae postrema uox admodum fuit usitata. Si mulier sponsalia curabat, *pronuba* dicebatur; hoc tamen officium a nulla, quae plus una uice nupserat, praestari poterat. Praecipuum sponsalium obiectum erant dos et peculiares connubii conditiones, quae in pugillaribus scriptae annulo signatorio obsignari solebant.

§. 2.

6) Conferendi hic, qui *de exercitiis gymnasticis* ueterum agunt; *Fabricio* c. 22. n. 6. nominati.

1) Scriptores de uniuersa re nuptiali excitauit satis multos *Fabricius* bibliogr. c. 10. Eos inter saepius occurrunt *Brissonii* de ritu nuptiarum, cum *Antonii Hotomanni*, et *Francisci Hotom.* de sponsalibus etc. Coniuncti Lugd. Bat. 1641. in 12.

§. 2. Graeci, in plurimas ciuitates diuisi, diuersas habuere connubiorum leges. Lacedaemonii 2) ut *Plutarchus* in uita Lycurgi tradit, poenas et infamiae notam iis constituerant, qui uxorem non duxissent. Vetitum iisdem erat exercitiis adesse uirginum, quae nudae inter se pugnabant. Immo hieme nudi in foro incedere et cantilenam contra se editam modulari cogebantur; quid? quod illo quoque honore priuabantur, quem adolescentes grandaeuis exhibere tenebantur. Dercyllidae quippe, duci fortissimo, multisque in rem publicam meritis claro, qui tamen uxorem nunquam duxerat, quum iuuenem quendam, ut loco sibi cederet, rogaret: ille respondit, *at tu nullum filium suscepisti, qui mihi aliquando loco cedere possit*; seque cessurum negauit; quod utique fuit approbatum. Qui uero uxorem matrimonio sibi iungere cupiebant, uirginem rapiebant, qui raptus legum auctoritate firmatus erat; dum uirgines istae nubiles essent. Quae nuptiarum caerimoniae praeerat, uirginem raptam producebat et detonsis capillis uirili eam uestitu contegebat, et in lectum ponebat; quo facto sponsus ipsam quasi furtim adibat. In insula Co sponsus uestimenta muliebria induebat.

§. 3. Athenienses, Dinarcho teste, officia uel munera praefectorum atque Oratorum nonnisi coniugatis, et qui fundos possiderent, committebant. Ceterum hiemis plerumque tempore, speciatim mense Ianuario, qui hanc ob caussam ab illis *Gamelion* s. mensis nuptiarum uocabatur, connubia sua celebrabant. Sponsi caput dactylis, leguminibus, nummisque aeneis exiguis operiebant; qui ritus etiam apud seruos obtinebat, quum primum in famulitium admittebantur. Aliae matrimonii leges, quae passim collectae leguntur, minus certae sunt, uariisque fabulis mixtae.

§. 4. Amazones matrimonium non iniisse dicuntur, priusquam ex hostibus aliquem occidissent. Apud Macedones qui desponsati fuerunt panem gladio diuisum comedebant. Apud Galatas ambo ex eodem poculo bibebant. Boeotii, ut *Plutarchus* narrat, nouam sponsam in domum sponsi uehebant curru, cuius axem ante portam comburebant; ut indicarent, illi istic manendum esse; quum nulla suppeteret ad remeandum uectura. In quibusdam Graeciae locis quando sponsa ad sponsi domum transibat: iuuenis quidam spinis et quernis glandibus onustus illam praeibat, exclamans: *malum fugi et bonum inueni.*

§. 5. De Romanorum connubiis nunc fusius acturi primo notamus, Romanum olim nonnisi Romanam uel filiam cuiuspiam, qui ius ciuitatis haberet, matrimonio sibi iungere potuisse, idque antiquissima apud Romanos lege fuisse sancitum. Immo nec nobiles cum libertis iungi poterant; uti senatorum quoque cum plebeiis nuptiae prohibebantur. Verum, ut non desunt exempla matronarum, quae libertis suis nupserunt: ita insequenti tempore lex illa, qua plebeiarum nuptiae cum patriciis uetabantur, abrogatam esse constat. Sponsalia noctu plerumque, nonnumquam illucescente die celebrabantur, simulque cauebatur, ne instantibus terrae motibus ac procellosis nebulosisque temporibus illa fierent. Sponsus pignoris loco annulum ferreum sine gemma, quem *pronubum* 3) uocabant, sponsae mittebat. Nec propria sponsalia ineuntibus nomina efferre licebat; sed sponsus *Caii*, sponsa *Caiae* nomen adoptabat; idque in honorem et memoriam Caeciliae Tarquinii prisci uxoris, quae Caiae nomen gerebat. Conferri hic meretur locus *Plutarchi* in Quaest. Rom. p. 271. *cur sponsam, introducentes dicere jubent, ubi tu Caius, ego Caia? an, quia hac conditione intrat, ut particeps omnium rerum & gubernandae familiae sit? itaque haec uerba id significabant, ubi tu dominus eris et paterfamilias, ego Domina ero et materfamilias?* &c. Summo mane diis sacrificabatur, ut propitii forent, et felicis nuptiarum ex tus bona darent auspicia. In his cornix auis erat auspicatissima, quod ea est cornicum societas, ut altera extincta altera uidua semper maneat. Apud Latinos olim iugum desponsatorum collo imponebatur; ut ostenderent, coniugium uerum esse iugum; quod et inde nomen traxit. Hetrusci scropham in nuptiis immolabant, hoc pacto Deos se placare rati. Circa tempus nuptiarum celebrandarum admodum superstitiosi fuere Romani; notissimum quippe apud eosdem erat adagium: *mense Maio male nubunt.* Calendis porro, Nonis atque Idibus, quod hi dies feriati erant, nuptiae uirginum etiam uetabantur; uiduarum non item. Iis etiam diebus a nuptiis abstinebant, quibus parentalia uel funeralia celebrabantur; item dum Ancilia extra templum Martis erant. Festis quoque diebus et mense Iunio ad usque Idus, infaustae

2) Plura uid. in *Meursii* Miscell. *Laconicis* lib. 2.

3) Vide *Kirchmannum* de annulis.

faustae reddi uidebantur nuptiae. Longe durior lex Persarum erat, apud quos matrimonia tantummodo sub initium aequinoctii uerni permissa fuere.

§. 6. Praecipuae nuptiarum caerimoniae eo redibant. *Coelibari hasta*, inquit *Festus*, *caput nubentis comebatur, quae in corpore gladiatoris stetisset abiecti occisique;* uel quod fortes uiros illam genituram esse ominarentur, uel quod nuptiali iure imperio mariti nupta subiiceretur, et quasi sub hasta esset, uel aliis de caussis, quas *Plutarchus* et *Festus* referunt. Caput porro recens nuptae senis, ita idem pergit *Festus*, ornabatur crinibus, siue quod ornatus hic uetustissimus esset, siue quod uirgines Vestales eodem uterentur. Corona deinde redimiri solebat, quae ex uerbenis ab ipsa lectis composita, ab eademque ad usque horam illam, qua capiti illius imponebatur, sub amiculo gestata erat. In limine ignis et aqua ponebantur, a sponso aeque atque sponsa tangendum; aqua inprimis sponsa conspergebatur et flammeo uelabatur, ne a quopiam nisi a marito suo uideretur.

§. 7. E gremio matris recens nupta extracta deducebatur a pueris praetextatis patrimis tribus, quorum unus facem spina alba praeferebat, reliqui duo nuptam tenebant; apud graecos mater ipsa sponsae facem praeferebat. Virgines inprimis nubentes comitabatur colus comta & fusus cum stamine; et puer impubes, Camillus, cumeram gestabat, i. e. uas opertum, in quo nubentis utensilia siue mundus continebatur. Prae foribus, quaenam esset interrogata, Caiam se esse dicebat; postes porro ianuae lana seu laneis uittis ornabat, & oleo aut adipe suillo lupinoue ad auerruncanda mala conspergebat. Unctione peracta a pronubis transportata limen sublimis transiliebat; hoc enim Diis penatibus et Deae Vestae sacrum erat. Ingredienti domum claues dabantur ad curam rerum domesticarum; in uellere eadem constituebatur, ut lanificio sibi incumbendum esse intelligeret. Tibicen etiam huic caerimoniae aderat, quo accinente Romani Talasium 4), Graeci Hymenaeum canebant. Quod autem nimias laudes a Nemesi uindicari et fascino obnoxias esse credebant, *Fescenninas* statim subiungebant uersus, ad arcendum fascinum. Sacra deinde Priapo fiebant, et a nouo marito pueris spargebantur nuces 5).

§. 8. Ipsa nuptiarum nocte auguria captabantur atque auspicia, quod sine iis inauspicatas fore nuptias putabant. Si faustum esset auspicium, sacrificium peragebatur cum acclamationibus, fausta quaeque utrique coniugi precantibus. Hinc coena conuiuiumque 6) parentibus, cognatis, familiaribusque paratum; aduocabantur etiam nonnumquam Viri optimates, immo et ipsi Imperatores conuiuiis nuptialibus adesse non fuere dedignati. Conuiuis nonnumquam dabantur monetae, nubentium imagine notatae. Si uidua nubebat, prioris mariti lectus auferebatur, ne coniux nouus in eodem lecto decumberet, in quo prior obierat; cubiculi quoque ianua mutabatur, omnisque alia supellex, ut quae priori in usu fuerunt omnia, quantum fieri poterat, amouerentur. *Lectus* nuptialis etiam *genialis* dicebatur, quod mariti genius illi praeesse credebatur. In cubiculo Dii nuptiarum praesides ponebantur; Subiugus sc. et Priapus, ex Deabus uero Rema et Virginensis. Pronubae tandem recens nuptam in lecto collocabant, et postridie uaria ipsi munera a cognatis et amicis offerebantur.

§. 9. Non desunt monumenta plurima, in quibus caerimoniae commemoratae repraesentantur; sed quum omnia, quae de iis diximus, satis clara sint, unicum tantum protulisse sufficiat; quod *Tab. XCIX. Fig. 1.* praecipuas caerimonias nuptiales ob oculos nobis ponit. Desumtum illud est ex elegantibus anaglyphis Romanis. Ad extremam imaginis partem sponsus et sponsa manus sibi inuicem porrigunt, fidemque mutuam pollicentur. Inter ambos Iuno pronuba manus utriusque humeris imponit, et ante illos Hymen nudus facem tenet; tres alii, vir mulieresque, caerimoniam spectant; nuptiae hae sub magno extenso uelo celebrari uidentur. A latere huius coetus sacerdos uelatus uuam in ara positam sumit; Camillus more solito acerram tenet, tibicenque lauro coronatus duplici tibia canit; uictimarius quoque laureatus arietem mactandum ducit, falcemque manu tenet; mulier columbam 7) seu turturem pariter immolandam tenet; alia encarpum tenet, et uir laureatus cin-

Tab. XCIX.

4) *Thalassium* scribi solet uerius; de quo *Liuius* lib. I, 9. et *Plutarchus* in Romulo. Vid. *Io. Christoph. Busmanni* de carminibus nuptialibus, Helmstadii 1710. 4.

5) Vide *Seruium* ad Virgil. Eclog. 8. v. 30.

6) Hoc ipsum non raro uoce *γάμος* et *nuptiae* innuitur; uid. interpretes ad *Matth.* 22. 2.

7) Nisi ad Venerem, haec auis respexisse credatur, amoris symbolum. Columbae certe Veneris currui iunctae.

Tab. LXXXXVIIII.



1. Monumentum, quo præcipuæ nuptiarum cærimoniæ repræsentantur. 2–7. Annuli variæ formæ. 8–11. Varia Sigilla. 12–20. Larvæ diversi generis, quibus actores in ludis scenicis utebantur.

cincinnatusque laeua uolumen 8) gestat, in quo sponsalium forte conditiones scriptae sunt; quale ipse quoque sponsus et sacerdos manu tenent; tandem Cybele insigne cornu copiae fructibus plenum tenens agmen claudit; quae Dea ob peculiarem fortassis 9) coniugatorum in hoc numen affectum hoc loco comparet; aliter enim in nuptiis raro comparet.

CAPVT III.

De annulis 1) et sigillis.

§. 1.

Certissimum fidei coniugalis pignus atque symbolum fuit annulus; quod nomen a latinis etiam alio translatum, hic pro digitorum inprimis annulis accipimus. In Graecia quidem usum eorum, saltem Homeri tempore, minus fuisse frequentem, uel ex eo patet, quod antiquissimus et celeberrimus hicce poeta in toto suo opere ne semel quidem eorum mentionem facit. Apud Aegyptios tamen iam tempore Iosephi illos in usu fuisse certum est; quod in SS. Pharaonem annulum suum Iosepho tradidisse legimus. *Plinio* 33, 1. teste, Romani annulum olim *ungulum* appellarunt; deinde tum Graeci tum Romani *symbolum* uocarunt. Mythologi, ut ceteris omnibus, sic annulis quoque in fabulis originem quaerunt. Prometheus, (ita narrant) ob ablatum ex caelo ignem a Ioue in monte Caucaso quum constrictus esset, atque ab aquila semper laceraretur, paullo uero post Iouem monuisset, ne cum Thetide coiret, quod natus ex illa filius ipsum de throno deturbaturus esset: Iupiter salutaris huius consilii memor, Herculi tandem permisit, ut Prometheum liberaret. Quum uero Iupiter iurasset, se nunquam concessurum, ut ille uinculis exueretur, ne periurus deprehenderetur: Prometheo praecepit, ut annulum ferreum, cui particula montis Caucasi inhaereret, semper digito suo gestaret; ut saltem rupi illi adhuc aliquo modo alligatus uideretur. Quod si ita haberet, annulorum gemmis ornatorum origo quasi hic quaerenda foret.

§. 2. Materia, ex qua annuli conficiebantur, quoduis erat metallum, aurum, argentum, aes simplex et metalla quoque mixta; nonnumquam argentum deauratum. Annulos quidam gestabant lamina ferrea opertos. Trimalchio duos habebat annulos, alterum maiorem et deauratum in minimo manus sinistrae digito, alterum aureum stellis ferreis consperfum in medio digiti annularis, referente *Petronio* c. 32. Annulorum porro alii intus uacui erant, alii solidi; in iisque alii gemmis cuiusuis speciei erant distincti, alii non item. Ex gemmis insculptis aliarum sculptura prominebat, aliarum uero excauata fuit; hodieque magnus earum numerus passim deprehenditur, quae utroque modo ornatae sunt. Immo succino quoque atque ebori figurae nonnumquam erant insculptae.

§. 3. Longa quaestio inter eruditos agitatur, utrum annuli aurei priscis temporibus Senatoribus tantum Romanis, an etiam equitibus fuerint concessi? id quod nec affirmari, nec omnino negari satis certo potest; de sequioribus temporibus nullum dubium est. In pugna quippe Cannensi Carthaginenses Senatoribus et Equitibus Romanis interfectis tantam annulorum copiam detraxisse leguntur, ut *Liuio* 23, 12. referente, dimidium super tres modios iis implerent. Sequenti tempore annuli militibus quoque in uirtutis praemium dati sunt. Posteriori aeuo Principes et uiri primarii etiam libertis suis annulos aureos dono dabant; nec desunt exempla, plebeios quoque legibus necquicquam repugnantibus iis usos esse. Qui triumphabant, ferreos gestabant annulos; quem morem C. Marius, quum de Iugurtha triumphans ferreo annulo uteretur, in tertio suo consulatu, *Plinio* 33, 1. teste, assumto aureo mutauit.

§. 4. Digitus, cui annulos inserebant, plerumque laeuae quartus erat, quem ideo annularem uocabant. Verum et hic usus mutationi erat obnoxius. Moribundi eos, quibus annulum suum tradebant, eo ipso heredes suos constituebant. Tempore luctus uel calamitatis

8) Liceat semel monere, quod uolumen saepius Montfauconio dicitur, mappam etiam seu sudarium dici posse.

9) Nisi boni ominis caussa rerum omnium copia ita promittebatur.

1) De annulis uid. *Fabric.* bibliograph. cap. 18. num. 8.

tatis grauioris annulis aureis depositis ferreos sumebant; et si quis annulum suum cibi caussa oppignorasset, extremae miseriae signum erat. Secundum *Clementem Alexandrinum* Strom. I. p. 399. *annuli* nonnulli dicebantur *incantati*, quibus futura se praespicere putabant. Tales erant annuli duo Execesti, Phociorum tyranni; quorum alterum alteri impingebat, ut ex sono, quid sibi agendum, quidue obuenturum esset, edisceret; nihilominus tamen insidiis oppressus et occisus dicitur.

§. 5. Annulis signatoriis 2) figura aliqua, siue nota gestanti propria, insculpta fuit, eaque uel ipsi annuli materiae, uel quod frequentius fiebat, gemmis incidebatur. Figurae eiusmodi erant uariae, eaeque uel amici amicaeue, uel eius, qui annuli possessor fuit, uel numinis alicuius sacrificiique, aut historiae sacrae; siquidem mythologia ferme tota ex ingenti gemmarum numero, quae passim in museis deprehenduntur, addisci possit. Verae quoque nonnumquam in iisdem historiae apparent, pugnae, nuptiae, animalia, et uaria alia sculptorum commenta. *Clemente Alex* Strom. I. V. p. 662. teste, Pythagoras Deorum imagines gemmis insculpi uetuit, ne conspectus frequentia contemtum pareret. De gemmis insculptis multi prodiere libri, earumque fere quotidie multae ex tenebris eruuntur, quarum ope non pauca edocemur. Licet autem figurae in iis admodum sint exiguae, ita ut nonnumquam aegre dignosci possint; gemmae tamen hoc commodi prae se ferunt, quod ob materiae duritiem diuturnitate temporis et situ et rubigine non facile deterantur.

§. 6. Quum autem gemmarum huiusmodi figurae per totum opus passim dispersae sint, pro argumenti nostri ratione ex uariis annulorum speciebus aliquot tantum exempla proferemus. Alii scilicet annuli expolitam habent superficiem sine figura, ad signandum minus idonei; qualis ille *Fig. 2.* Alii in ipsa annuli materia, uaria insculpta prae se ferunt schemata, qualis is, quem *Fig. 3.* ex museo nostro exhibemus, qui scilicet aue et lituo notatus est. Alii insertas habent gemmas, quibus similiter uariae figurae insculptae sunt, quales *Fig. 4. et 5.* quorum ille Iouem Serapidem, hic Mercurium prae se fert. Iungimus his *Fig. 6. et 7.* capite Imperatoris et Socratis notatos. Materia tandem, qua ad eiusmodi sigilla imprimenda utebantur, creta fuit et cera, utraque ad obsignandum maxime idonea.

§. 7. Praeter sigilla, hactenus enumerata, alia magno numero passim occurrunt, quae annulo licet sint affixa, ad annulos tamen signatorios referri minime possunt; sigilla quippe tabellae quadratae et oblongae, lunae item, nec non pedis humani formam referunt; iisque uel domini patroniue nomen, uel alia quoque uerba maiusculis litteris insculpta leguntur. Obsignandis illa uasis fictilibus, quibus ueteres uinum, aliosque liquores seruabant, potissimum destinata fuere; quorum exemplum supra *XCIII. Fig. 1.* uidimus. Minime tamen dubitandum, quin ad alios quoque usus fuerint adhibita. In museo nostro duo graeca sunt, quorum alterum *Fig. 8.* quadratum est oblongum cum hac inscriptione Τ. ΙΟΥΛΙΟΥ ΦΟΙΒΙΩΝΟϹ i. e. T. Iulii Phoebionis; alterum *Fig. 9.* sub lunae bicornis facie hanc inscriptionem praefert: Κ. Σερβειλίκ Βιταλίωνος i. e. C. Seruilii Vitalionis. Quae *Fig. 10. 11.* sequuntur per se cuiuis patent. Alia denique sigillorum illa ratio fuit, qua utebantur, si Imperatorum figurae bullis plumbeis, quae diplomatibus Imperatoriis appendebantur, imprimendae fuerunt. Quo uero potissimum tempore bullas eiusmodi diplomatibus appendere coeptum sit, nos quidem ignorare ingenue fatemur.

2) *Vopiscus* appellat etiam, *sigillaritias*.

LIBER

LIBER SECVNDVS.

DE THEATRIS ET AMPHITHEATRIS.

CAPVT I.

De Theatris et actoribus scenicis 1).

§. 1.

Veteribus aeque atque nobis uarii usitati erant ludi, iique tum publici tum priuati, quorum illi temporibus iis et plures et frequentiores erant hodiernis. Solum autem ex iis theatrum retentum; siquidem circulatores nostros minimam uix ludorum, qui olim in amphitheatro repraesentabantur, partem exhibere uidemus. Circi spectacula, quae sine noxa magnam delectationem pariebant, ceterisque ludis omnibus longe erant praeferenda, iam prorsus desierunt. Naumachiae solo nomine notae: publicae saltationes cum Christianorum modestia pugnabant, adeoque plane erant sublatae. Nostro aeuo abrogatis priscis illis ludis publicis alii successere priuati, antiquissimis illis temporibus plane ignoti; picta uidelicet folia, quae *chartas* uocant, quibus euoluendis dies noctesque *transiguntur*, et quod non nisi animi oblectandi caussa tractari deberet, totam iam multorum uitam consumit.

§. 2. De theatro ueterum initium capientes, notamus de origine eorum incassum disputari, illudque ab amphitheatro eatenus distingui, quod theatrum, *Cassiodoro* Var. 4, 51. teste, hemisphaerium sit ab altera parte rotundum, ab altera uero linea recta, quae duos angulos facit terminatum; quum contra amphitheatrum formam habeat ouatam, et duo quasi uisoria siue theatra in unum iuncta. Exterior theatri facies magnificae plerumque fuit structurae, sicut et illa pars, quae in rectam lineam terminabatur splendidis aedificiis, quae scenium et proscenium continebant, decorabatur. De interiori theatri forma si quaeras, illa pars uacua, quae hemicycli centrum erat, *orchestra* dicebatur, in qua senatores ordine suo sedebant. Honorabilior huius locus ipsum hemicycli, siue circuli integri, (si quidem continuatus fuisset,) centrum erat, Praetori seu principi destinatus. Gradus circulares, in quibus sedebant, ad fastigium usque aedificii protendebantur, totamque structuram interiorem occupabant; ut qui orchestram contingebant semicirculum ceteris minorem describerent, et semicirculi ascendentibus semper maiores conspicerentur. Sedes illae infimae et breuiores recipiendis equitibus, qui senatoribus uicini sedebant, erant destinati; propinquiores his sedes itidem honoratiores erant, quam ceterae altiores. Quo magis enim illae a centro distabant, eo minus erant honorificae, ita ut sublimiores infimae tandem plebi essent deputatae. Vt autem sedes illae eo facilius adirentur, ab orchestra ad supremum usque theatri fastigium plures pauciores ue pertingebant scalae, quasi totidem radii ex centro ducti, quarum gradus sedibus erant demissiores. Praeter has scalas plures quoque fuerunt meatus occulti, per quos plebs turmatim confluebat, et per ampla ostia quadrata, quae inter gradus erant, in theatrum ingrediebatur. Aditus hosce ampliores *Macrobius* Saturn. 6 4 *uomitoria* nuncupata fuisse ait, idque ideo, quod populi turbam euomere quasi uidebantur. Qui sedibus omnibus iam occupatis accedebant, in gradibus consistebant, et *Apuleio excuneati* 1) dicuntur; quod in cuneis siue sedilibus iam repletis locum obtinere non poterant. Sedes porro illae circulares non tantum ab ima parte ad summum per scalas, uti iam diximus, erant separatae, sed et aliam insuper separationem admittebant; illam scilicet, qua gradus inferiores a superioribus certis praecinctionibus s. Zonis, quae circulum totum ambiebant, distinguebantur. Hae autem praecinctiones nihil aliud erant, quam gradus duplo altiores et duplo

1) Scriptores multos de hac re nominat *Fabricius bibliograph.* c. 21. n. 10. hic praecipue, ut et cap. sequenti *Lipsium* sequi uidetur auctor, cuius de *Amphitheatro* liber et *de Amph. quae extra Romam*, legi utique merentur.

2) *Lips.* de amphitheatro, c. 13.

duplo latiores aliis gradibus; earumque numerus perinde atque ſcalarum in theatris non ſemper idem erat. Iisdem tandem praecinctionibus ſedes in diverſas claſſes, quas *cuneos* appellabant, diuidebantur.

§. 3. Oppoſitum theatro latus, quod in lineam rectam terminabatur, aedificiis ornatum erat, quae ſcenam cum proſcenio atque pulpito complectebantur. *Scena* magnum erat aedificium, quod ad utrumque theatri cornu pertingebat, ipſumque theatrum ab illa parte claudebat. Variis illa columnis, auro, argento, picturis, aliisque ſimilibus ornamentis, (quae pro varia indole et opibus eorum, qui ludos eiusmodi dabant, admodum erant diuerſa,) plerumque fulgebant. Ante ſcenam erat *proſcenium* orcheſtrae proximum. Proprius actorum et hiſtrionum locus erat *pulpitum* ſeu ſtrues lapidea, ſecundum *Vitruuii* normam quinque pedibus alta, in qua comoedi ſtare et uaria dare ſpectacula ſolebant. Sunt, qui pulpitum hoc in proſcenio ponunt, quum alii idem in ipſa ſcena conſtituant; alii ab utroque ipſum ſeparant. *Laurus* 3) et alii ante illum, pulpitum hoc orcheſtrae propinquius quam proſcenium ſtatuerunt. Quid? quod actores et comoedi, teſtibus nonnullis antiquiorum in proſcenio nonnunquam comparuerint. In ſcena plerunque actores conſiſtebant, antequam in pulpitum ſeſe conferrent, ibique actus ſuos diſponebant. In eadem omnia quoque offendebantur parata, quae ad ſpectaculum exhibendum fuerunt neceſſaria. Ceterum *genera ſcenarum*, ſcribit Vitruuius 5, 8. *tria ſunt, unum, quod dicitur tragicum, alterum comicum, tertium ſatyricum. Horum autem ornatus ſunt inter ſe diſſimiles diſparique ratione: quod tragicae deformantur columnis, faſtigiis et ſignis, reliquisque regalibus rebus: comicae autem aedificiorum priuatorum et menianorum habent ſpeciem, Satyricae uero ornantur arboribus, ſpeluncis, montibus, reliquisque agreſtibus rebus, in topiarii operis ſpeciem deformatis.* Locus iam eſſet varia theatrorum ſchemata in medium proferre: verum quum ea, quae dicta ſunt, per ſe pateant et ex ſchemate amphitheatri infra *Tab. C. Fig. 1.* communicandi intelligi facile poſſint, alias theatrorum imagines hic omittimus.

§. 4. Praeter hiſtriones, fuerunt etiam circulatores, ſcurrae atque mimi, qui in theatro comparebant; laruae item diuerſi generis, quarum inuentum Aeſchylo plerumque tribuitur; antea enim uultum uariis coloribus depingebant. Hae autem laruae pro cuiusuis mimi indole horrendos modo vultus exhibebant, modo formoſos. Horrendae, apud graecos μορμολυκεῖα et γοργονεῖα uocabantur; talesque illae praeſertim ſunt, quales *Fig. 12, 13, 16, 17* proferimus. Quae uultus Bacchicos referunt, qualis *Fig. 19.* quae duplex caput profert, aut pampinis coronatae fuerunt, ut *Fig. 18.* aut Fauni auriculas oſtendunt ut *Fig. 16.* illae in ſcena ſatyrica uſurpatae videntur. Aliae laruae gratae fuerunt atque pulchrae, ut illa, quam *Fig. 14.* ex Muſeo noſtro producimus. Ipſi quoque comoediarum tragoediarumque actores tam apud Graecos, quam apud Romanos ſaepius laruas geſtabant; idque inprimis ſi perſonas truces atque horrendas, Batavos ſcilicet ſiue Germanos, item Aethiopas, qualis *Fig. 20.* comparere ſimulabant.

§. 5. Fuerunt porro praeſtigiatores, qui non veris quidem, ſed ſimulatis potius praeſtigiis, oculos fallebant, & celeritate manuum nunquam antea viſa perpetrabant, ſpectatores in admirationem ſui rapientes; quales hodieque paſſim cernuntur. Alii circulatores, qui pharmacorum quorundam vim oſtenſuri brachiis ſuis aſpides admouebant, nihilque mali ex morſu illorum patiebantur. Huiusmodi hiſtoriam refert Aelianus Hiſt. anim. 9, 62. de circulatore, qui ut artificii ſui ſpecimen daret, itidem aſpidem in medio foro ad brachium ſuum admouit, et uulnus poſtea exſuxit; quum uero, quam ſibi parauerat aquam, non exſorbuiſſet, ſiquidem ex inſidiis vas euerſum fuit: veneno non exhauſto poſtero die ſine ullo doloris ſenſu paullatim extinctus eſt. Funambuli quoque ingens Romae praebuere ſpectaculum, eosque iam ſua aetate *Terentius* extitiſſe memorat. M. Aurelius Imperator Capitolino teſte Cap. 13. *funambulis poſt puerum lapſum culcitras ſubiici iuſſit, unde hodieque rete praetenditur* Tiberii tempore res portenti ſimiles uiſae ſunt, elephanti ſcilicet funambuli, etſi ex omnibus animalibus hoc ad eiusmodi exercitium maxime ineptum uideatur. Sed quod magis ſtupendum erat, ſub Nerone (narrat Suetonius c. XI.) *notiſſimus eques Romanus elephanto ſuperſedens* 4) *catadromum* (hanc vocem *Caſaubonus* per extenſum funem interpretatur)

3) *Iac. Lauri*, romani librum, *antiquae urbis Splendor*, 1612. romae in forma oblonga folii prodiiſſe, notauit *Fabricius* c. 6, n. 9.

4) *Spanheim.* de uſu et praeſt. numismat. tom. 1. p. 169. edit. in fol. excitauit ea de re *Plin.* lib. 8. 2. *Seuerum* epiſt. 85. *Sueton.* Galba, 6. *Dionem*, lib. 56. *Aelian.* de animal. lib. 2. c. 11.

tur) *decurrit*. Apud Graecos eiusmodi ſpectacula quam maxime uigebant, et funambuli inprimis, ab illis *ſchoenobatae* uocati. Aliud his iungimus circulatorum genus, quos *Petauriſtas* ſeu *Petauriſtarios* nominabant, qui peculiari artificio, certisque adhibitis machinis, per auram uolabant; ceterum illi quoque, qui ſaltus quosdam inuſitatos edebant, eodem nomine nuncupabantur.

§. 6. Ludos eiusmodi atque exercitia, illaque ipſa theatri atque amphitheatri ſpectacula Patres Eccleſiae, 5) ſemper grauioribus rationibus inducti, uituperarunt. Praeterquam enim quod profani Deorum cultores iis quam maxime dediti fuerint, haec vero a Chriſtianae religionis officiis admodum erant remota, et a rei familiaris cura multos facile auertebant, turpiſſima nonnunquam eiusmodi exercitia fuerunt, in quibus circulatorum mimorumque impudentia nullis limitibus erat circumſcripta. Imo Circenſes quoque ludos damnabant, in quibus tamen nihil a pietate alienum videbatur. *Iohannes Chryſoſtomus* aduerſus eiusmodi ſpectacula multas edidit homilias; quum tamen nonniſi currus et equi currentes in iis cernantur. At mihi uidetur, nimium illum quorundam Chriſtianorum erga hos ludos ſtudium, quo ab audiendo uerbo diuino reliquisque religionis officiis auocari ſeſe patiebantur, improbaſſe; quo caſu res etiam ſuapte natura innoxiae uituperabiles euadunt. Idem Doctor ſanctiſſimus ſingulariſſimum circulatoris 6) cuiusdam artificium deſcribit Homil. XIX. ad populum Antiochenum, quod Antiochiae videbatur. Vir nempe elato capite contum praealtum fronti illius inſiſtentem per urbem geſtabat, et ita per uicos incedebat, conto firmo et inconcuſſo ſemper manente; quodque magis mirandum erat, in conti cacumine duo videbantur pueri inuicem pugnantes, dum ille progrederetur.

CAPVT II.

De amphitheatris uariisque, qui in iisdem exhibebantur, ludis.

§. 1.

Amphitheatrum graece locum ſpectaculis deſtinatum ſignificat, et ſecundum Caſſiodorum Var. 5, 42. et Iſidorum Originum 18, 52. ex duobus theatris ſimul iunctis fuit confectum, in quo ſpectatores collocabantur. Vocatur etiam aliter *cauea*, quo uero nomine facies interior, quae caua fuit, proprie ſignificatur; item *arena*, quo nomine hodieque theatrum *Nemauſienſe* inſignitur. Antequam enim ludi in amphitheatro exhibebantur, in area illius arena ſpargebatur; haec autem quum forte mobilior deprehenderetur: area in circo puluere lapidis limati uel ſerrati, nec non detriti conſpergebatur; cuius loco Caligula ex inepta ſtolidaque magnificentia chryſocollam ſpargi curauit: Nero chryſocollæ cinnabarin contritam adiecit.

§. 2. Ab initio lignea tantum condebantur Amphitheatra, deinceps ex lapide conſtruebantur. *Dione* teſte primum Romae imperante Auguſto in campo Martio amphitheatrum ex lapide condebatur à Statilio Tauro; quod deinde ſub Nerone incendio abſumtum, ſed paullo poſt inſtauratum fuit. Veſpaſianus longe maius et magnificentius amphitheatrum conſtruxit, cuius magna pars etiamnum ſupereſt. Quamuis enim aliquoties igne fuerit deletum, ſemper tamen denuo reſtitutum legitur; idque inter omnia amphitheatra, quae uel integra uel confracta ſuperſunt, longe erat ampliſſimum; et cum nullo alio facile comparandum. Aurelius Victor tradit, octoginta ſeptem millia ſpectatorum in eo locum inueniſſe. Area interior, *arena* dicta, formae fuit ouatae, et circa has arenas caueae fornicibus inſtructae, in quibus feras in arena pugnaturas incluſas habebant.

5) *Tertullianus* et *Cyprianus* libros adeo ſingulares ſcripſerunt, de *ſpectaculis*. Et *Cyrillus* Hieroſolym. catech. 1, 4 ad pompam diaboli, cui in baptiſmo nuntius mittatur, refert, amorem theatri, equorum curſus, canum abuſum etc. Iſtarum rerum uanitatem etiam *Ciceronem* contemſiſſe lib. 7, ep. 1. famil. notauit *Fabricius* c. 22, n. 7.

6) Eius generis plura collegit celeber. *Hauber* in *bibliotheca magica*; t. 9. part. 20. ubi eadem ludicra; item particula 22. et part. 18. p. 371. ſeqq. de artibus Sinenſium.

§. 3. Area intermedia muro cingebatur, in quo *podium* erat multis columellis atque cancellis ornatum; in quo ſenatores aliique magiſtratus cum ſellis ſuis curulibus, lictoribus aliisque miniſtris locum ſuum habebant. Ibidemque Imperatoribus quoque ſolium parabatur opertum, quemadmodum et ille, qui ludos edebat, tribunal ſuum in eodem podio ponebat; immo Virgines quoque Veſtales honoris cauſſa ibidem collocabantur. Quamuis autem podium hoc duodecim quindecimue pedibus altum eſſet: ſenatores tamen aliique in illo conſidentes ab elephantorum, leonum, aliarumque ferarum ſummo furore in area concertantium impetu, non ſatis tuti fuiſſent, niſi retia ſimul atque cancelli circumquaque appoſiti fuiſſent; quorum praeſidio ſpectatores ſine damno omnia conſpicere poſſent. In extrema quoque huius podii ora ligna erant rotunda et uerſatilia, quae feras aſcendere tentantes praepediebant. Nihilominus accidit tamen nonnunquam, ut ferae in ſpectatorum ordines irrumperent; quae cauſſa fuit, ut deinceps euripi quoque et canales areae circumdarentur, ut ferae ad podium ne accedere quidem poſſent.

§. 4. Supra podium circulares erant ſedilium ordines, eo more concinnati, quem ſupra de theatris uerba facientes indicauimus, pluribus ſcalis atque praecinctionibus, nec non uomitoriis interſecti; hoc tamen diſcrimine, quod amphitheatri, ſaltem Veſpaſiani, ſcalae non omnes graduum ordines, nec omnes praecinctiones ſecarent et interrumperent; ſed ex media tantum praecinctione ad aliam pertingerent; ne forte, ſi gradus illi, qui anguſti erant, ex ſummo theatro ad imum pertigiſſent, perturbatio inde oriretur. Quumque ab initio promiſcue et ſine ullo perſonarum diſcrimine ſederent: lege Roſcia, theatrorum loca atque ſedilia pro diuerſa ibi ſedentium conditione atque ſtatu in certas claſſes erant ſeparata, qui mos ſequenti tempore in amphitheatris quoque et circis obſeruabatur. Senatorum itaque ſedes in podio fuit, in quo ab imperio Caligulae puluinos quoque ſub pedibus extenſos habuerunt. Sedes ſiue gradus podio vicini usque ad primam praecinctionem equitibus deſtinabantur; ſique numerus eorum forte maior erat, quam ut quatuordecim illis gradibus, qui huic ordini deſtinati fuerunt, contineri poſſet: gradus uicini atque ſublimiores ab iisdem occupabantur. Ruſtici, inopes, ceterique omnes, qui pullati incedebant, in ſublimioribus gradibus conſiſtebant. Nonnunquam etiam, ſi nimia ad ſingularia ſpectacula turba confluebat, nulla fere ordinis ratio habebatur. In quibusdam amphitheatri locis tubi erant, per quos liquores odoriferi, ex croco plerumque in uinum infuſo confecti ſpargebantur. Vela quoque obtendebantur, ne ſpectatores nimio ſolis aeſtu uexarentur. Vela haec ex telis vulgo erant concinnata. Verum quum temporibus illis luxus aeque atque hodie ubique emineret: ſerica, immo purpurea nonnunquam tentoria auro intertexta in amphitheatris extenſa paſſim leguntur. Si uela deerant, Theſſalicis galeris, petaſis atque pileis aut umbellis ſeſe muniebant ab aeris ſolisque iniuria. *Pegmata* 1) tandem etiam hic notari merentur, quae ſecundum Martialem (de Spect. I, 2) machinae erant theatrales prope amphitheatrum ex pluribus tabulatis, quae arte quadam erigi demittique poterant, conſtructae, in quibus gladiatores ceterique ſcurrae ſingularia edebant ſpectacula. Alibi pegmatum nomine ueniunt tabulae illae ligneae atque expolitae, quae in bibliothecis ad libros ordine recipiendos affigebantur; immo quicquid alicubi figitur pegma nonnunquam appellatur.

§. 5. Praeter amphitheatra Statilii atque Veſpaſiani, quorum ſupra mentio facta eſt, plurima adhuc alia Romae eiusdem generis fuere aedificia, in quibus Traiani praecipue amphitheatrum, in campo Martio exſtructum prae ceteris eminebat. In multis etiam aliis Italiae urbibus celeberrima conſpiciebantur amphitheatra, quorum rudera etiamnum paſſim videntur. Sic Albae in Latio amphitheatrum erat, cuius aliquot ueſtigia ſupereſſe dicuntur. Amphitheatrum *Veronenſe* 2) inter maiora pulcherrimaque totius Italiae refertur, totumque eſt marmoreum; ſed pauciſſimi tantum illius arcus ſuperſunt. *Capuanum*, quod vidi et exploraui, magnificentiſſimum erat, & unico Romano inferius; quod tamen ornamentis exterioribus longe ſuperabat. *Puteolanum* temporis iniuria ita labefactatum eſt, ut uix quicquam ornamenti in illo deprehendas. Paucis quaelibet ferme Italiae urbs peculiare ſuum habebat amphitheatrum; ſed omnia fere ſolo iam aequata ſunt, et lapides conſtruendis aliis aedificiis adhibiti. Mirum eſt, aliqua ſupereſſe; usque adeo eiusmodi monumenta ſaeculis ſuperioribus contemtui fuerunt; ueroque admodum ſimile eſt, demoliendi difficultatem quaedam eorum ſeruaſſe.

§. 6.

1) Vid. *Lipſius* de *Amphitheatro*. c. 21.

2) Veronenſis rationem Marchio *Scip. Maffei* pluribus illuſtrauit; *Lipſii* deſcriptio imperfectior eſt.

Tab. C.



1. Amphitheatrum Nemausiense. 2. Gladiator adversarii interemti corpus humeris tollens, ut populo ostendat. 3–7. Variæ gladiatorum imagines. 8. Gladiator Etruscus. 9. Compedes, quibus ferarum ferociores coercebant.

§. 6. Sed nec Galliae carebant amphitheatris, in iisque prouinciae praesertim meridionales; sed minori adhuc studio illa sunt conseruata, quam in Italia. Sic amphitheatri cuiusdam rudera supersunt *Foroiulii* in Galloprouincia, *Arelate* quoque magnas Amphitheatri reliquias habet; ex quibus magnificentia illius facile colligitur. Amphitheatrum *Nemausiense*, cuius Orthographiam *Tab. C. Fig. 1.* exhibet, omnium, quae adhuc supersunt, integerrimum est. Duplici hoc columnarum serie, ordine Dorico, constructum est; non annumerato demissiore illo architecturae ordine, quo superne terminatur. Pars theatri interior secundum delineationem a D. Flechier Episcopo Nemausiensi factam, et cum tabula dioecesis illius Geographica excusam, peculiare aliquid habet, quod in aliis non obseruatur. Hic enim nullae conspiciuntur scalae, quibus ad sedilia perueniatur; nec ullam in eo praecinctionem deprehendo. *Burdegalae* quoque magnum erat amphitheatrum, in cuius ruderibus forma ouata facile deprehenditur. Quae amphitheatri *Augustodunensis* supersunt reliquiae, (haec urbs, uetus est Bibracte, inter principes olim Galliae urbes relata) magnificentissimum arguunt aedificium. In agro eodem plurima amphitheatra solo aequata uisuntur; unde liquet, quanta olim urbis huius fuerit amplitudo; id quod etiam ex aliis monumentis atque aedificiis, quae ibidem et in agro uicino fuerunt, comprobatur. *Metis* etiam atque *Arausione*, aliisque in bene multis Galliae urbibus Amphitheatrorum rudera supersunt. Tab. C.

§. 7. Amphitheatris uarios iungimus ludos in iis exhibitos. Horum frequentissimus omniumque cruentissimus erat ludus gladiatorum 3), cuius usus ab Etruscis desumtus putatur. Origo illorum inde petenda uidetur, quod olim capti in bello hostes in sepulcris fortissimorum uirorum necarentur. Ita enim *Seruius* ad Virgilii Aeneid. X, v. 519.; *quod postquam crudele uisum est, placuit gladiatores ante sepulcra dimicare, qui a busti cineribus* bustuarii *dicti.* Spectaculum gladiatorum Romae coeptum est A. V. C. 490. Appio Claudio et M. Fuluio Coss. Ab initio nonnisi in funere praecipuorum magistratuum atque senatorum edebatur; sed procedente tempore ad priuatos quoque hic mos transiit; qui saepius testamento statuebant, ut gladiatores in funere suo certarent. Quid? quod etiam in mulierum funeribus, nonnunquam gladiatores committebantur. Deinceps inter conuiuia quoque insigniora in tricliniis coram conuiuis dimicabant; usque adeo antiquissimi illi Romani caede atque sanguine delectabantur. Denique tanta erat eiusmodi spectaculorum frequentia, ut pauci dies festi celebriores gladiatorum pugnis essent uacui. Sic die natalium, sique magnum aliquod aedificium dedicabatur, quinquennalibus item, decennalibus, uicennalibusque Romani eiusmodi gladiatorum spectacula edere solebant.

§. 8. Primo quidem captiui tantum et serui gladiatorum munere fungebantur; criminis item rei poenae loco nonnunquam easdem subire uices cogebantur. Si qui etiam seruos haberent fortes atque robustos, numerata ipsos pecunia uenundabant. Aliquando etiam uiri liberi, ut uirtutis sibi famam pararent, sua sponte ad gladiatorium hocce munus sese offerebant. Immo eo usque gladiatorius iste furor processit, ut uiri iuuenes primarii, qui rem suam familiarem male gesserant, uel qui luxui dediti bona sua dilapidauerant, uel qui Imperatoribus eiusmodi spectaculorum amantibus placere uolebant, ad arenae operam sese locarent, notis quibusdam tesserisue, insigniti, quibus a gladiatorum turba distinguebantur, pugnantes. Quid? quod a uiris ad mulieres quoque nefanda haec insania transierit; cuius rei testem habemus Tacitum Annal. XV, 32, qui scribit *feminarum illustrium, senatorumque plures per arenam foedati sunt.*

§. 9. Ex his gladiatoribus quidam dicebantur *Secutores;* illi scilicet, qui retiarios sequebantur, quiue iaculis massisque plumbeis, quibus aduersarii iaculum impedirent, erant armati, et casside clypeoque muniti. *Retiarii* a reticulo, quo aduersarium iaculo ipsos aggredientem declinabant, implicitumque superabant, nomen trahebant, et gladii loco tridentem gestabant; ceterum sine galea et sine clypeo siue contra secutores, siue aliquando contra myrmillonem pugnabant; sed reti tantum effuso fugiebant. *Myrmillonum* nomen a scuto gallico, quod myrmillonicum appellabatur, deriuatur; in eorumque galeis piscis effigies conspiciebatur, et dum contra retiarium pugnaretur, cantabant: *non te peto, piscem peto, quid fugis Galle?*

3) Hic *Lipsii saturnalium sermonum* libri 2, utiliter conferuntur.

§. 10. Gladiatores, uti iam diximus, ad ſepulcra nobilium primum pugnarunt, dein in triclinia quoque intromiſſi ſunt; in foro item, in circo, viis publicis, aliisque locis, in quibus populi turba confluebat, ſpectacula ſua ediderunt. Proprius uero maximeque ſolitus illis locus erat amphitheatrum, in cuius arena gladiatores magna cum pompa eo perducti bini ſeparari ſolebant. Pugnae ſignum tubae clangor erat. Si qui uulnerati eſſent uel premente aduerſario mortem metuerent, arma deponebant, ut uitam peterent. Si tum populus eos liberandos eſſe clamabat, eo die liberabantur: ſi contra, interficiebantur. Domini plerumque populi ſequebantur placitum, ſique hic *recipe ferrum* clamaret, omnino occidebatur; uictor uero uirga ſeu rude donabatur, et poſtea ab eiusmodi certaminibus omnino liber erat; niſi ſe denuo ad arenam adeundam pecunia conduci pateretur. Caeſi unco protrahebantur in locum, cui nomen *ſpoliarium*. Gladiatores ſpongias gerebant, queis uulnera abſtergerent. Quum gladiator mortuus cadebat, aduerſarius corpus illius humeris tollebat, ut populo illud oſtenderet, quod *Fig.* 2. uidere licet. Alii ferina quaſi rabie incitati, uulnera etiam mortuo infligebant, ut an adhuc ſpiraret, explorarent; nonnulli eo usque furore ſuo ferebantur, ut caeſi gladiatoris ſanguinem ore exſugerent. *Fig.* 3 — 7. alias gladiatorum imagines proferimus, quorum ex *Lipſio* adhuc plures oculis ſubiicere potuiſſemus, ſed ſine ulla marmorum auctoritate; quare ſchemata illius hic offerre noluimus. In his, ille, quem *Fig.* 5. exhibet, ſedet, galeamque ſuam pede premit, manu uero utraque gladii uaginam tenet. Sequens *Fig.* 6. ex marmore Romano expreſſus, peritiſſimi eſt artificis; isque lethali uulnere confoſſus brachio dextro innititur, dum ſanguis ex uulnere promanat; torques quo ornatur, a gladiatoribus uulgaribus ipſum forte diſtinguit. Ultimus *Fig.* 7. tanquam uictor rude donatus uidetur; ubi hoc ſimul notandum eſt, quod gladiatoribus eiusmodi uictoribus teſſerae ſimul eburneae uel ex alia materia confectae dabantur, quibus ius ſpectaculorum ſibi conceſſum prae ſe ferrent.

§. 11. Inter figuras Etruſcas, quae per Italiam ſaepius eruuntur, non pauci ſpectantur uiri Etruſci, qui claua pugnant et ſiniſtra pannum mantili ſimilem geſtant; qualem *Fig.* 4. exhibet. Etruſci quippe ludorum erant amantiſſimi, et *Herodoto* teſte a Lydis oriundi, qui *ludis* ipſis nomen dediſſe putantur. Athletae Etruſci memoria hic ad ſtatuae cuiusdam explicationem uiam pandit, quae in Italia reperta eſt, cuius ſchema *Fig* 8 profertur. Athletam ſcilicet Etruſcum illa ſiſtit, magno artificio perfectum, lauro coronatum et torque, armillaque ornatum, quae honoris et uictoriae inſignia uirtute ſua meruiſſe uidetur. Torques bullas ab eo dependentes praefert, quae non modo nobilium filiis, ſed et triumphantibus honoris erant indicia. Inſcriptio in femore illius poſita inſolens prorſus nobis uideri poſſet; niſi iam ſimiles tum in ipſis corporibus, tum in ueſtibus exaratis ſupra vidiſſemus. Calceamentum illius admodum eſt ſpectabile, et ocrea eſſe uidetur.

§. 12. Praeter gladiatores uaria quoque animalia certamine ſuo ſpectatores in amphitheatro et circis aliisque locis publicis delectare ſolebant. Quae exercitiis his deſtinatae fuere beſtiae uel erant domeſticae, ut taurus, equus, elephantus; uel ſiluaticae et efferae, ut leo, urſus, tigris, panthera, pardus, aliaeque. Haec animalia uel cum aliis eiusdem ſpeciei pugnabant, uel cum diuerſae beſtiis, ut elephantus cum leone, uel etiam contra homines. Qui contra feras pugnabant homines uel criminibus erant obnoxii, et ad hoc ſupplicii genus damnati; uel certae pecuniae pactione ſponte ſeſe offerentes, qui infames reputabantur; uel denique alii, qui ut roboris artisque ſuae ſpecimen ederent ad genus hoc certaminis procedebant. Ferae in caueis, quae hodieque in amphitheatro circum arenas viſuntur, cuſtodiebantur; ferociores praeterea compedibus uinciebantur, illis ſimilibus, qui in amphitheatro *Auguſtodunenſi* reperti ſunt; quorum ſchema *Fig.* 9. conſpiciendum praebetur. Qui criminis alicuius rei ad beſtias damnati, feram occidebant: liberi tum et abſoluti dimittebantur. Romani Chriſtianos ſaepiſſime ad beſtias damnarunt; hi uero, ueluti oues illis ſeſe lacerandos offerebant, minimeque ſe defendebant, ſanguinisque ſui effuſione imperium Chriſti longius propagabant, quam reges illi atque Imperatores, qui uictoriis ſuis imperii fines longe lateque producere ſtatuerunt.

§. 13. Sed non ad hunc ſolum uſum Graeci atque Romani feras illas intractabiles deputabant, ut uidelicet in amphitheatris aliisque locis publicis decertarent; ſed easdem etiam manſuefaciebant, ut ſub iugum miſſae currus ueherent. Sic non in Deorum tantum ſchematibus, ſed Auguſtorum quoque Auguſtarumque imaginibus paſſim currus uidemus, quibus

bus leones, tigres, pardi, pantherae, lupi, cerui, aliaque animalia iuncta sunt. In spectaculis publicis a Nerone editis camelorum quoque quadrigae uisae sunt. Graeci hac in re Romanos ut in aliis rebus quamplurimis superabant. In sola quippe pompa Ptolemaei Philadelphi currus uiginti quatuor, elephantis; sexaginta, hircis; duodecim, leonibus; septem, orygibus; quinque, bubalis; octo, struthiocamelis; septem, ceruis; & quatuor, onagris iuncti fuere. Imperator Heliogabalus *Spartiano* auctore c. 28. *canes quaternos ingentes iunxit ad currum et sic intra domum regiam uectatus est, idque priuatus in agris suis fecit. Processit in publicum quatuor ceruis et cunctis ingentibus: iunxit sibi et leones, matrem magnam se appellans: iunxit et tigres, Liberum sese uocans; eodemque habitu agens, quo Dii pinguntur, quas imitabatur.* Sybaritae, narrat *Aelianus* Hist. anim. 16, 23. uoluptuosi erant et luxui addicti, quae res eis perniciem induxit. Equos suos illi ita instituerunt, ut inter epulas ad numeros saltarent. Quod quum scirent Crotoniatae, qui bellum contra eos gerebant, tubam ceteraque uehementiora signa classica silere iusserunt, et tibicinibus suis, quos in aciem secum adduxerant, quum iam intra sagittae iactum ab hoste abessent, praeceperunt, ut numeros saltationi aptos inflarent. His auditis Sybaritarum equi, saltationis domesticae memores, quasi in mediis conuiuiis uersarentur, excussis sessoribus saltare et tripudiare cœperunt, et confuso Sybaritarum ordine stragis et cladis caussa fuerunt Dominis. *Athenaeus* addit, multos ex his equis sessores suos in castra hostium, ubi tibicines erant deportasse.

§. 14. In amphitheatris alii quoque instituebantur ludi, qui cum Circensibus, theatris atque gymnasiis erant communes; de quibus infra. *Naumachia* etiam aliquando in amphitheatro repraesentabantur, cuius descriptionem infra dabimus.

LIBER TERTIVS.

DE LVDIS GRAECORVM MAIORIBVS, CIRCO ET POMPIS.

CAPVT I.

De ludis Olympicis, Pythiis, Nemeis et Isthmicis 1).

§. I.

Ludi *Olympici* a Ioue Olympio nomen traxisse dicuntur. De institutione illorum in uarias itum est sententias. Magna scriptorum pars, Herculem pro Auctore habent, quem in iis instituendis, sumtibus ex Augiae spoliis desumtis usum esse perhibent. At *Strabo* fabulosas hasce origines repudians, ludos istos ante Homeri tempora institutos fuisse ideo negat, quod antiquissimus hic poeta nullibi illorum mentionem faciat. Vulgatior est sententia *Iphytum*, Lycurgi aequalem, ludos hos, qui per aliquod temporis spatium desierint, instaurasse, eosdemque paulo post iterum cessasse; donec a Corœbo denuo restituti fuerint. Pisates autem, Peloponnesi incolae, primi fuisse dicuntur, quibus horum ludorum administratio commissa sit; quibus dein ab Eleis deuictis et paene deletis, ipsi Elei in ludorum cura successerunt, hique, quum Graeci bellis intestinis uexarentur, communi quasi Graeciae consensu tutam tranquillamque pacem traxisse feruntur. Variis tamen sequenti tempore mutationibus ludi hi fuerunt obnoxii. Ad quinquagesimam usque Olympiadem unus tantum illorum praeses erat, deinde duo; quorum numerus Olympiade centesima tertia pro numero duodecim tribuum, in quas Elei diuidebantur, decem aliis adauctus, paullo uero post ad octonarium iterum redactus est; cui tamen postea iterum duo adiecti sunt, ut decem essent horum ludorum praesides, quos *Hellenodicas* siue *Hellanodicas* uoca-

1) Plura collegit *Potterus* in Archaeologia lib. 2, c. 21. seqq.

uocabant; qui omnem fere curam agebant, ut omnia iusto ordine fierent, in specie *Alytae* nuncupabantur.

§. 2. Mulieribus ludis his adesse non licuit; quapropter eo tempore trans Alpheum flumen commorabantur, simulque lege cautum erat, ne durantibus ludis flumen hoc transirent, indicta poena, ut, si qua legem hanc uiolare auderet, de rupe praecipitaretur. Sola uero Callipatera (alii Pherenicen uocant) legem hanc neglexisse legitur; quae tamen ad iudices protracta, deprecantibus consanguineis ueniam impetrasse dicitur. Posthac plures feminas ludos hosce non tantum spectasse, sed in iisdem uaria quoque iniisse certamina, quibus nonnumquam uictrices fuerint, relatum legimus. Quibus in Olympiis hisce certare animus erat, non prius admittebantur, quam per decem menses in Gymnasio Elidis exercitiis Gymnasticis operam dedissent; uti improbi quoque et scelerati ab iisdem plane excludebantur. Praecipua et usitatiora in ludis hisce certamina currendo, luctando, alisque graecorum exercitiis consistebant.

§. 3. *Ludi Pythii* prope Delphos quaternis quibusque annis celebrabantur; deque institutione illorum aeque nihil satis certum affirmari potest, ac de Olympicis. *Ouidius* Metam. I, 445. ipsum Apollinem Pythium, eos instituisse perhibet. Praemia uictoribus proposita poma fuere Apollini consecrata, et secundum *Pindarum* in Pythion. coronae ex auro montis Parnassi contextae. Peculiaria horum ludorum exercitia instrumentorum musicorum tractatione, nec non uariis saltationibus absoluebantur; haec enim exercitia Apollini inprimis grata fuisse constat.

§. 4. *Ludi Nemei* a regione nomen trahentes quaternis quibusque annis instituebantur. Qui iis praeerant, uel Corintho, uel Argis uel urbe Cleone oriundi fuerunt, iisque in memoriam Opheltae siue Archemori, (cuius obitus post breuissimum, ex quo natus erat, tempus subsequebatur, omnium malorum, quibus Athletae Thebani affecti fuere, quasi prodromus erat,) ueste lugubri induti in iis comparebant. De auctore illorum non satis constat. Victoriam reportantibus corona ex apio contexta offerebatur; hac enim herba etiam in funeribus utebantur, eamque ex sanguine Archemori pronatam esse credebant.

§. 5. *Ludi Isthmici* ab Isthmo Corinthiaco, in cuius uicinia habebantur, nomen sortiti sunt. Instituebantur illi uel in honorem Polemonis aut Melicertae, uel secundum alios in honorem Neptuni; ab iisque ex omnibus Graeciae populis soli Elei ideo abstinebant, quod Molione, Actoris uxor, Eleos omnes diris deuouerat, qui ludis Isthmicis interessent. Pluribus haec refert *Pausanias* lib. I, p. 289. Victores in his ludis ramis pineis coronabantur; quorum loco insequenti tempore apium adhibebatur, ut in Nemeis; hoc tamen obseruato discrimine, quod uictores Nemei apio uiridi, Isthmici uero sicco coronarentur.

CAPVT II.

De Circo.


§. 1.

Circi, quem Graeci Hippodromum uocant, origo incerta est. Plerique Oenomao 1) et Pelopi eam tribuunt. Quum enim Oenomaus, Rex Elidis, oraculo didicisset, sibi moriendum esse, simulac filia eius Hippodamia nupta fuisset, multi uero matrimonio illam sibi iungere peterent: pater nuptiis illius palam repugnare dubitans, ut fato suo illuderet, uel per longissimum saltem tempus idem protraheret, quotquot filiam ipsius expetebant, illis eandem se concessurum esse promisit, si cursu equorum currui iunctorum ad Neptuni aram in Isthmo Corinthiaco instituendo ipsum uincerent; addita conditione, ut uictus a uictore statim occideretur: qua ratione equorum suorum uelocitate fretus procos sat multos et uicit et occidit. Sed quum tandem Pelops quoque accessisset, cuius equi Oenomai equis ex celeritate nihil concedebant, patre ab eo uicto Hippodamia ipsi nupsit. Alii tamen primam ludorum Circensium Originem Herculi tribuunt.

§. 2.

1) Romuli iam tempore. Nomen minime omnium a *Circe*, celebratissima ista uenefica repetendus est. Scriptores uarios excitauit *Fabricius* cap. 21. n. 7.

1.



Laurus.

2.



Fritsch.

3.



Fritsch.


SCORPVS INGENVO ADMETO PASSERINO ATMETO

4.



Fabretti.

5.



Diar. Ital.

6.



la Chausse.

1. *Circus Maximus Tarquinii Prisci.* 2. 3. 4. *Bigarii et quadrigarii equis currui iunctis in Circo decurrentes.* 5. *Equus, qui in Circo decurrendo victoriam reportasse videtur.* 6. *Desultor cum equo suo desultorio.*

§. 2. Romae Romulus ludos hos primus instituisse, iisque *Consualium* nomen dedisse fertur; siquidem in honorem Neptuni, quem, Consum i. e. *Deum* consiliorum et ἱπποκράτωρ i. e. Neptunum equestrem uocabant, celebrabantur. Priscis temporibus publici hi cursus in agris fiebant; postea in loco alio cancellis ligneis clauso; donec Tarquinius Priscus maximum illum Circum, in ualle Murcia inter montem Palatinum et Auentinum positum, construi curauit; quem deinde Imperatores etiam magis magisque amplificarunt, uariisque ornamentis condecorarunt. Schema illius exhibet *Tab. CI. fig. 1.* Qui Circi huius mensuras examinarunt, longitudinem eius 2181. latitudinem 960. pedes exaequasse tradunt; quo pacto pro amplissimo Romanorum aedificio iure suo habendus. Ab una parte in semicirculum desinebat, ab altera vero lineam rectam pro norma habebat; si quidem *Onuphrio Panuinio* fidem habeamus. Spectatorum ad trecenta millia capiebat; et exterior illius pars duobus architecturae ordinibus continebatur. Tab. CI.

§. 3. In extrema Circi huius parte rotunda, tres turres quadratae conspiciebantur, in altera duae. Hae turres plerumque, saltem posterioribus saeculis a Senatoribus quibusdam possidebantur, et iure hereditario ad liberos eorum transibant. Hanc ob causam Theodoricus Rex, referente *Cassiodoro* L. IV. Ep. 42. de Marciani et Maximi, adolescentum, patricii generis, iactura grauissima conqueritur, quod ob paterni funeris luctum ac pueritiam suam a turri Circi, quae illis hereditario iure obuenerat, et a loco Amphitheatri aliquandiu absuissent; unde colligere licet, quanto in pretio illae Circenses olim fuerint.

§. 4. Pars Circi ima, eaque exterior, tabernis mercatorum constabat. Versus latus illud Circi minus, quod Tiberim respiciebat, carceres erant, quibus equi, cursui adhibendi, continebantur. Interius duodecim fuere portae, quas Theodoricus apud *Cassiodorum* duodecim Zodiaci signa vocat, quibus equos sublatis quibusdam machinis emittere consueuerunt. Quod Circum ingredientibus ex latere illo primum offerebatur, paruum erat templum, *aedes Murciae* uocatum. Prope hanc aedem ara Dei Consi siue Neptuni posita fuit; quae tres metas, pyramidum formam prae se ferentes ferme contingebat. Totidem metae ex altera quoque parte conspiciebantur. Intra has metas strues fuit altior, quae mediam Circi aream occupabat, uariisque ornamentis erat instructa. Primum in illa occurrebant duae arae, quarum una *Diis Laribus*, altera *Potentibus* dicata fuit. Proximae his erant duae columnae quae cum fastigio suo templi frontispicium referebant. *Tutelinae* dicatum his appositum erat; eique columna alia uictoriam sustentans, iuncta fuit. Hinc columnae quatuor, epistylio, Zophoro, coronide et tabulato munitae quadratum oblongum efficiebant, cui multi delphini impositi fuere; quod *templum Neptuni* repraesentare uidebatur. Inde sequebatur Cybele, Mater Deûm, leoni insidens prope magnum obliscum, qui centrum Circi occupabat. Hunc obeliscum excipiebat, *templum Solis*, cui hic Circus dicatus erat, una cum tripode, propria Apollinis nota; quem tamen ueteres a Sole saepius distinguebant. Quae porro sequuntur columnae quatuor, aliud aedificium referentes, lapidibus formae ouatae, quos ideo oua curriculorum appellabant, onustae fuerunt. Has sequebatur alia uictoriae statua columnae insistens, cui ara *Magnorum Deorum* proxima fuit. Tandem obeliscus priore illo minor cum tribus metis, pyramidum formam habentibus terminabat.

§. 5. Qui curru uel equis uecti currebant, haec omnia circumibant. In ambitu Circi prope murum riuus erat decem pedes latus, quem *Euripum* appellabant. In muris ipsis Circum ambientibus, et quidem interiori illorum facie, primo podium erat, ut in Amphitheatris, in quo Senatores sedebant. Supra Senatores gradus erant siue scamna, quibus populus reliquus considebat, quorum inferiores, forte similiter equitibus destinati fuerunt. Altior his gradibus porticus erat per totum Circi ambitum extensus, et supra hunc gradus alii ad supremam usque Circi partem. Area Circi, arena erat operta, cuius loco Imperatores quosdam chrysocolla atque cinnabari per luxum usos esse iam supra monuimus.

§. 6. Praeter hunc Circum maximum, adhuc alii tum Romae tum alibi exstabant, quorum rudera quaedam passim supersunt. Talis erat Circus *Flaminius*, ab auctore, Flaminio, qui in pratis suis eum construxit, ita cognominatus, propter uiciniam templi cuiusdam Apollinis, nonnunquam etiam Circus *Apollinaris* dicitur. Idem Circus nonae quoque urbis regioni nomen dedit; ubi obseruandum, si auctores nonnulli forte dicant, templum aliquod in Circo Flaminio positum fuisse, quod hoc non de ambitu huius Circi, sed

de tota illa urbis regione, quae Circi huius nomine insigniebatur, intelligendum sit. In ipso tamen Circo etiam templa quaedam minora conspiciebantur. In monte Quirinali alius circus erat, *Florae Circus* appellatus. Fuere et alii in urbe, e. c. Circus *Neronis*, alio nomine Agonalis dictus, Circus *Vaticanus*, *Sallustianus*, aliique; quorum uix rudera quaedam superant. Extra urbem in uia Appia insignis etiam Circus fuit, cuius uestigia quaedam supersunt; eum pro Caracallae Circo uulgo habent; quod tamen *Onuphrius Panuinius* ideo negat, quod in nummo quodam aliam plane Circi Caracallae figuram deprehenderit, quae huic Circo minime conueniat; sed quis nescit, aedificia maiora, templa scilicet, circos etc. imperfecte admodum in nummis repraesentari. *Hippodromum* seu Circum Constantinopolitanum, Septimius *Seuerus* aedificare coeperat, *Constantinus M.* absoluit; isque a Circis Romanis forma non multum differebat. In aliis sub oriente sole urbibus plures adhuc fuere Hippodromi. Sic Philostratus in uita Apollonii Tyanaei p. 232. Circi mentionem facit, qui Alexandriae fuit. Circus *Antiochenus Iohanni Chrysostomo* ansam praebuit conquerendi, quod nimium ludorum Circensium studium multos a concionibus sacris retrahat. Qui apud Graecos ludis talibus Circensibus praeerant et praemia distribuebant *Agonothetae* s. Athlothetae 1) dicebantur. Praeter eos, qui ludos hos edebant, et sumtus suppeditabant, peculiares quoque erant inspectores, qui, ut omnia decenti ordine fierent, curam agebant.

CAPVT III.

De uariis ludis et decursionibus, quae in Circo institui solebant.

§. 1.

De Circis quum egerimus, de ludis ipsis et quae in iis instituebantur, pauca adferenda sunt. Circus enim, ut *Onuphrius Panuinius* obseruat, non cursui tantum equorum et curruum, sed ludis quoque athletarum gymnicis, pugnis pedestribus atque equestribus, ludo Troiae, uenationi et naumachiae, immo aliquando etiam ludis scenicis inseruiebant. Curruum tamen praecipuus frequentissimusque omnium ludus erat, cuius plurima extant monumenta.

§. 2. Qui eiusmodi decursionibus adhibebantur currus, admodum exigui erant atque demissi, et duobus modo, modo tribus, quatuor uel pluribus equis iungebantur; unde *bigarum*, *trigarum*, *quadrigarumque* nomina subnata sunt. *Bigae* quidem duobus equis iunctae fuere, quorum alter albus, alter niger erat; in iisque albus diem, niger noctem adumbrabat. *Trigae* tribus equis iungebantur, quoniam trium aetatum uiri essent, qui ad inferos descenderent. *Quadrigae* siue quatuor equi currui eadem linea iuncti in honorem solis adornati fuere, et quatuor anni tempestates denotabant. Praeter has etiam *Seiuges* erant, siue currus sex equis iuxta se eadem linea positis iuncti; quorum tamen unicum tantum exemplum uidi in arcu *Seueri*, cuius schema infra Tab. CXX. communicabimus. Neronem numerum equorum ad septem, immo ad decem usque nonnunquam produxisse legimus. *Septiiuges* commemoratos reperimus in inscriptione *Dioclis* apud *Gruterum*, 337. Bigas et quadrigas elephantorum uidere licet in nummis Faustinae matris et Lucii Veri: trigarum exemplum exhibemus *Tab. CXXI. Fig. 3.* Heliogabalus, *Lampridio* teste, quatuor elephantorum bigis decurrit. Idem camelorum quoque quadrigas fecit, quibus tamen similes in ueteribus monumentis me nunquam uidisse fateor.

§. 3. Qui equos agitabant et currus ducebant, *agitatores* dicebantur; in specie uero qui bigas agebant *bigarii*, qui trigas *trigarii*, qui quadrigas *quadrigarii;* iique pro diuerso uestimentorum colore in uarias *factiones* diuidebantur. Primo quidem duae tantum eiusmodi erant factiones, quarum prior a uestibus albis, quibus agitatores induti fuerant, *alba*, posterior a rubro uestium colore *rubea*, seu *russea*, item *rosea* uocabatur. His postea duae aliae factiones adiunctae sunt, *prasina* scilicet seu uiridis, et *ueneta* seu caerulea; quae quatuor factiones, quatuor anni tempestates denotabant; siquidem color prasinus 1), tempus uernum;

1) Vid. *Dale* dissertationes nouem, antiquitatibus inseruientes, Amstelodami 1702. 4.

1) Alii interpretantur: prasinum *Cereri* et terrae; uenetum, aquae et *Neptuno* russatum, *igni;* album, *aëri* designandis inseruiisse.

uernum, rubeus, æſtatem, albus, autumnum, et venetus, hiemem ſignificabat. His Domitianus rurſus duas factiones alias adiecit, *aurati* ſcilicet et *purpurei panni*, ut tradit *Suetonius* in uita illius c. 7. attamen per breue tantum temporis ſpatium in uſu fuere.

§. 4. Circenſes hae factiones procedente tempore ad populum quoque tranſibant; dum alii aliam factionem ſequebantur, ut alborum, rubeorum, praſinorum et uenetorum nomine non modo aurigae uenerant, qui in Circo currebant: ſed et illi ex plebe, qui huic uel illi factioni ſtudebant, et partes illius ſequebantur; id quod grauiſſimis nonnumquam ſeditionibus 2) anſam dedit.

§. 5. *Factionarii*, quos alio nomine aurigarios, bigarios et quadrigarios uocabant, plerumque fuerunt ſerui aut liberti, item extranei; poſteriori tempore nobiles quoque iuniores, et Caligula imperante ipſi Senatores munere hoc, quod alias turpe et infame habebatur, functos eſſe legimus. Imperatorum quoque perditiſſimos, Caligulam, Neronem, Vitellium, Commodum Caracallam et Heliogabalum, aurigas et ipſos ſine pudore in Circo egiſſe conſtat. Omnes autem illi, qui in Circo decurrebant, ad laeuam ſemper currus ſuos detorquebant; quod ipſum in iis circuitionibus, quae apud ſacrificia Suovetaurilia fiebant, iam ſupra obſeruauimus. Locus, ex quo equi curſum ſuum incipiebant, linea fuit alba prope carceres, quorum ex utraque circi parte ſex fuiſſe, iam capite praecedente monuimus. Curſus tamen ab uno tantum latere iniri poterat; et carcerum portae non niſi quatuor ab initio aperiebantur; donec Domitianus duas nouas factiones prioribus addidit, ut ſex ſimul egredi poſſent. Hae quippe factiones uno quidem eodemque tempore prodire ſolebant; ſed paullo poſt dirimebantur, dum quisque agitator caeteros præire conabatur.

§. 6. *Tab. CI. Fig. 2. et 3.* duos aurigas exhibemus, bigarium alterum, alterum quadrigarium; qui nudi ſunt, et ſummum ſtudium prae ſe ferunt; alter uerſus equos ſe prorſus inclinat. Auriga ſequens Fig. 4., cui nomen *Scorpus* eſt, manibus coronam et palmam tenet; equorum etiam nomina ſupra cuiusque caput leguntur; lora frenis haerentia circum corpus agitatoris Zonae modo conuoluta ſunt; quod is manus non liberas habet. Liquet autem ex inſcriptionibus uariis, equos olim cum aurigis in pari honore fuiſſe habitos. Equis certe paſſim monumenta erigebantur, illique in gemmis nonnumquam cum palma 3) inſculpebantur; id quod ſignificabat, illos in decurſionibus Circenſibus Victores fuiſſe. Talis forte ille equus eſt, quem Fig. 5. cum tribus palmis uidemus. Ex inſcriptione porro patet, equum hunc ex Germaniae regione, quae Noricum appellabatur, fuiſſe oriundum. In magnis quoque tabulis marmoreis multorum nomina, patriam et colorem conſignare conſueuerant. Non inutile forte uideatur, hic equorum nomina adiicere, quae tum in *Gruteri* inſcriptionibus, tum alibi occurrunt

Abaſcantus.	Aracinus.	Callinicus.	Draucus.	Gemmula.
Abigeius.	Arancus.	Camm - -	Dromus.	Gentilis.
Acceptor.	Arcadius.	Candidus.	Eminens.	Glaphyrus.
Acereus.	Argus.	Catta.	Eutonius.	Hederatus.
Admetus.	Arion.	Celtiberus.	Eutonſus.	Helius.
Adſertor.	Ariſta.	Centaurus.	Exactus.	Hilarus.
Advola.	Armatus.	Chryſippus.	Excellens.	Hirpinus.
Aegyptus.	Atmetus.	Cirratus.	Exoriens.	Inclutus.
Aethereus.	Aunara.	Cotinus.	Felix.	Indus.
Aiace.	Baeticus.	Cupido.	Feliciſſimus.	Ingenuús.
Alcimus.	Balliſta.	Daedalus.	Floridus.	Innocens.
Amor.	Barbarus.	Decoratus.	Frugiferus.	Iuuenis.
Andremon.	Bubalus.	Delicatus.	Gaetulus.	Latinus.
Aquila.	Callidromus.	Derector.	Garrulus.	Licentia.
Aquilinus.	Callidus.	Domitius.	Gelos.	Licentioſus.

Uuu 2 Lucidus.

2) Erant etiam factiones in theatris; unde in inſcript. *operae a ſcena*, et in Tacito, Ann. I. 16. *dux theatralium operarum.* Clare *Suetonius* in uita Neronis c. 20.: adoleſcentes - - elegit qui diuiſi in factiones, plauſuum genera condiſcerent etc. conf. *Lipſii* epiſtol. quaeſt. lib. 1. ep. 1.

3) de monumentis equorum uid. quae tomo 4to ſupplem. ad hiſtor. uniuerſ. notauimus, §. 16. illuſtrat. numiſm. Macedoniae. pag. 33.

Lucidus.	Myſticus.	Peculiaris.	Rapax.	Siricus.
Lucinus.	Nicolaus.	Pegaſus.	Raptor.	Smaragdus.
Lupercus.	Nitidus.	Perdix.	Regalis.	Spiculus.
Lupus.	Nobilis.	Petulans.	Romanus.	Superbus.
Lybius.	Noricus.	Phaedrus.	Romula.	Thelo.
Maculoſus.	Notatus.	Piſtus.	Romulus.	Tiberis.
Matron.	Oceanus.	Polynice.	Saeclaris.	Tigris.
Maurus.	Palmatus.	Pompeianus.	Sagitta.	Tuſcus.
Meliſſus.	Palumbus.	Pontifex.	Sanctus.	Tyrrhenus.
Memnon.	Paratus.	Præſidius.	Saturus.	Valentinus.
Menippus.	Pardus.	Pugio.	Sica.	Vaſtator.
Murinus.	Paſſerinus.	Purpurio.	Signifer.	Victor.
Murra.	Patronus.	Pyrallus.	Siluanus.	Virilis.

In quibusdam inſcriptionibus equorum varii annotantur colores; albus ſcilicet, cinereus, badius, rufus, maurus, fuluus, pullus, caeſius; qui colores nonnunquam commixti afferuntur. e. c. rufus-caeſius, niger-caeſius etc. Quod patriam equorum ſpectat, Africa plures equos ſuppeditauit, quam ceterae orbis partes; multi tamen etiam ex Hiſpania, Gallia, Mauritania, Lacedaemone petebantur. Aurigarum nomina rarius occurrunt, quam equorum; aliquot etiam aurigarum nomina ipſis equis indita fuere.

§. 7. Praeter equos curribus iunctos, alii quoque ſine rheda equitem geſtantes decurrebant. Eiusmodi equites currendo alium adhuc equum ducebant, et *deſultores* (etiam κελῆτες) uocabantur, ut equis ipſis deſultoriorum nomen haeſit; quod poſt decurſum ſepties repetitum ab alio in alium equum expedite inſiliebant; quo ipſo magna certe induſtria et agilitate opus fuit; illo inprimis tempore, quo nullis ſtapedibus utebantur, et equi ephippio carebant, unde ſaltus eo difficilior erat. In exercitibus quoque eiusmodi deſultores erant, qui urgente neceſſitate, ex uno equo in alium inſiliebant; eosque apud Numidas maxime in uſu fuiſſe, uel exinde patet, quod eiusmodi equites, teſtante *Liuio* Dec. 3. Lib. 3. c. 9. alam Hasdrubalis dextram conſtituebant. Sunt, qui putant, nulla deſultoribus praemia fuiſſe propoſita; ſed contrarium probant monumenta, quorum exemplum exhibet Fig. 6. ubi deſultor cum equo deſultorio tanquam uictor palmam geſtat; quamquam palma hoc loco non tam praemium, quam ſignum tantummodo uictoriae eſſe poſſit.

§. 8. Curſus equorum atque curruum, uti ſupra diximus, a linea alba ducebatur; grauior autem decurrentium pugna apud metas erat ad alteram Circi oram poſitas; ubi conuerſione facta curſus ad metas oppoſitas dirigebatur; quo tramite ſepties circuibant. Ars itaque aurigae maxima in eo uerſabatur, ut punctum illud temporis arriperet, quo circa metas conuerſionem facturus erat. Nam ſi propius accederet, periculum erat, ne currus impingeret; ſi longius dimoueretur, auriga proximus poterat inter eius currum et metas tranſire, illumque anteuertere. Peracto quolibet curſu, qui ad munus hoc deputati fuere, ouum et delphinum imponebant columnis ſupra commemoratis; adeoque deſinente curſu ſeptimo ſeptem oua et totidem delphini in iis prominebant. Qui ſeptimum gyrum celerius confecerat, is ea uice ſeu *miſſu*, ut uocabant, uictor erat, eique praemium dabatur, vel ipſe potius illud ſumebat ex eo loco, quo poſitum erat. Praeter quatuor factionum decurſiones aliae adhuc erant peculiares uirorum, qui de curſu contendebant. *L. Aelius Caeſar*, narrat *Spartianus* c. 5. *curſoribus ſuis exemplo Cupidinum alas frequenter appoſuit, eosque ſaepius uentorum nominibus uocauit; Boream alium, alium Notum, itemque Aquilonem uel Circium etc. appellans, et indefeſſe atque inhumaniter faciens curſitare.* Spartianus uero de ipſo peditum curſu hic loqui uidetur.

§. 9. Graeci circa numerum gyrorum non unam eandemque rationem ſecuti uidentur. Homerus unum gyrum ſeu curſum ponit, ſed praelongum. Pindarus duodecim, Sophocles ſex aut ſeptem. Caſſiodori tempore in Circenſibus ludis uiginti quatuor miſſus dabantur. Verſus carceres tria erant maeniana, unde ſignum ad incipiendum curſum dabatur. Ab initio quidem fax erigebatur, cuius loco Nero mappam, qua manus detergebat, ſubſtituit. Reipublicae tempore Conſules ſignum dabant; quod muneris Conſulibus abſentibus Praetores ſibi arrogabant. Imperatorum tempore hoc Praetorum erat. Secundum

Feſtum

Tab. CII



1_6. Varii Luctatorum Pugilumque congressus. 2. Cestiphori duo. 8_15. Brachia manusque cestibus armatae. 16. Caput laminis et loris contra Cestiphoros munitum. 17. Saltator.

Festum equus dexterior ex iis, qui cursu uicissent, Marti olim immolabatur. Praemia uictoribus proposita aurum erant uel argentum; item coronae aut uestes, nonnunquam etiam equi.

§. 10. Cursus equorum, bigarum, quadrigarumque non sola erant exercitia in Circo exhiberi solita; quod gymnici etiam ludi ibidem exercebantur, quibus corpori robur, uigorem et agilitatem parari credebant. A *γυμνὸς, nudus*, 4) istis ludis nomen haesit; quod iis operam nauantes uestes deponebant, et nudi, uel paene nudi in palaestra comparebant; uti loca ipsa, in quibus ludi hi peragebantur, a Graecis *gymnasia* uocabantur. Quinque autem potissimum erant exercitia Gymnica, *pugilatus* scilicet, *lucta*, *discus*, *cursus* et *saltatio;* quae Romani uno uerbo *quinquertium*, graeci πένταθλον appellabant; apud Romanos in thermis praecipue fiebant. At quum Circus ad omnes ludos deputatus esset: post cursum equorum atque quadrigarum, pedibus currere incipiebant; quique prior metas attigerat, uictor erat; aliquando uiri quoque *nobiles* ita currebant. Sed Alexander Seuerus, *Lampridio* teste c. 42. cursorem nunquam nisi seruum suum admisit, dicens: ingenuum currere non nisi in sacro certamine non debere. Domitianus, qui Alexandrum Seuerum plus uno saeculo praecessit, uirgines quoque in spectaculis publicis currere jussit.

§. 11. Aliud exercitiorum genus erat lucta, quam antequam athletae adirent, corpus ungebant. Priscis temporibus uestiti erant luctatores, sed postea nudi in palaestram descenderunt; et fere omnes, quot quidem eorum in marmoribus aut tabulis conspiciuntur, nulla operiuntur ueste. Duo eiusmodi luctatores ex alabastrite in museo nostro seruantur; quorum alter prostratus et resupinatus adhuc renititur, et nasum aduersarii impetit; cuius imago *Tab. CII. fig. 1.* apparet. Ex duobus aliis, quos *Fig. 2.* ex marmore Romano proferimus, is, qui in terram proiectus est, adhuc reluctatur, ut alterum prosternat. Tab. CII.

§. 12. Qui pugnis certabant inde *pugiles* uocabantur. Si nudo pugno hoc certamen iniebatur: utique sine periculo tolerari poterat; et eo usque pugnabant, donec alter alterum prosterneret, uel pugnandi finem rogaret. Hoc modo ille pugil pugnare uidetur, quem *Fig. 3.* ex uilla Burghesia (seu *Pinciana*) depromsimus. Varia quoque eiusmodi luctatorum certamina exhibent *Fig. 4, 5, 6.* Sed manus eorum nonnunquam lapide uel globo plumbeo munitae erant; quo pacto certamen uiolentius et pugna breuior erat, quae alterius nece facile terminari potuit. Longe uiolentior erat ludus *Cestuum*, quo *Cestiferi*, (hoc nomine insigniebantur, qui cestibus certabant) pugnum laminis aereis et loris armabant. Hi plerumque admodum erant corpulenti, corpusque summopere curabant, ut excipiendis ictibus pares essent. Duo Cestiferi, quos *Fig. 7.* proferimus, utrumque brachium aeque munitum habent. Brachia manusque reliquae *Fig. 8—15.* cestibus armatae a Raphaele Fabrettio ad fidem marmorum delineatae sunt. Qui cestibus pugnabant, aliquando caput quoque loris laminisque quibusdam muniebant, ut aures inprimis tegerent; qua forma uisitur caput *Fig. 16.* ab eodem Fabrettio in *columna Traiana* publicatum.

§. 13. Aliud pugnae genus claua aut baculo densiore, cui lora, summisque loris globi plumbei haerebant, exerceri solebat. Qui iis pugnabant flagellis sese uerberabant; quomodo Dares et Entellus apud *Virgilium* Aen. V, 362. sqq. pugnasse uidentur. Eodem instrumento martyres Christiani olim excruciabantur; nec ullum tormentorum genus in martyrologiis frequentius legitur, quam *plumbatis* eos *caesos fuisse*. Qui in pugilatu uictus erat, aduersario suo herbam porrigebat, quo signo se uictum, alterum uictorem declarabat.

§. 14. Porro athletae saltibus quoque sese exercebant; et qui saltu longius spatium transiliebat, uictor existimabatur. Huius exercitii exempla quaedam referuntur, quibus uix fides habeatur. Sic Phayllus quidam memoratur, qui sex et quinquaginta pedes uno saltu praetergressus dicitur.

§. 15. Disci quoque ludus athletarum exercitium erat. Discus hodiernis nostris discis parum absimilis fuisse uidetur; rotundus scilicet et planus, ex lapide confectus, aut ex ferro s. plumbo. Qui altius aut longius eum proiecerat uictor habebatur. Hi praecipui athletarum ludi fuerunt, et athletae, qui eos omnes praestabant, *pancratiastae* uel *pentathli* et

4) Vid. pluribus *Petri Fabri* libri de arte gymnastica.

et *quinquertiones* appellabantur. Sunt tamen, qui inter pentathlos et pancratiaſtas hoc diſcriminis interfuiſſe perhibent; quod pancratiaſtarum nomen, quod ipſum uocis etymon arguit, uictores in iis ludis denotet; pentathlorum uero denominatio iis omnibus competat, qui in his ludis pugnaſſent, ſiue uictores, ſiue uicti.

§. 16, *Saltationum* diuerſa fuere genera. Primum eorum, *ſaltatio* fuit *ſcenica* in tres iterum ſpecies diuiſa, quarum una ἐμμέλεια, alia κόρδαξ ſiue κορδακισμὸς, tertia uero σίκιννις ſ. σίκιννα dicebatur; earumque prima in ſcena tragica, ſecunda in comica et tertia in Satyrica locum habebat. *Emmelia* quippe ſaltatio grauis erat et ſeria; qualis argumento tragico conueniebat. *Cordax*, comica erat, quae ob impudicos geſtus pro turpiſſima apud Auctores habetur; ex eaque ab *Athenaeo* L. I. c. 17. Bathyllus ſaltationem Italicam compoſuiſſe dicitur. Foediſſima, omniumque turpiſſima *Phallica* erat, in honorem Bacchi inſtituta, quam ſcriptores comica longe peiorem aſſerunt. *Sicinnis* Satyricis fuit propria; eoque nomine inſigniebatur, quod Satyrici inter ſaltandum uaria dicteria et ſcommata proferebant, unde ſaltatoribus ipſis *Sicinniſtarum* nomen haeſit. Diuitum autem funeribus illi adeſſe ſolebant ſicinnin ſaltantes et uerba ſatyrica effutientes, id quod *ſicinnizare* dicebatur. Alia ſaltationis diuiſio complectitur *cubiſticam*, *ſphaeriſticam* et *orcheſticam*. Cubiſtica mira membrorum contorſione erat coniuncta; ſphaeriſticam pila ludendo exercebant; Orcheſtica ſaltationum omnium maxime communis erat, cui proprie hoc nomen competebat.

§. 17. *Plato* adhuc aliam ſaltationis diuiſionem profert, quarum una *militaris*, alia *pacifica*, alia *media* uocabatur. In ſaltatione *militari* uaria exercitia bellica, oppugnationes ſcilicet, receptum, iacula uel emiſſa uel uitata, et alia ſimilia imitari ſolebant; ut ad rempublicam admouendi ad bella quoque gerenda exercerentur. Saltatio *pacifica* illa fuit, quam nos ſaltationem ordinariam uocamus, et quam Plato minus diſtincte et obiter tantum deſcribit; *Media* belli pacisque artibus erat commixta. Aliae porro apud ſcriptores ſpecies ſaltationum *) occurrunt, quae pro diuerſitate regionum populorumque uariabant, quorum ſola nomina innoteſcunt; ſaltatio ſcilicet Laconica, Troezenica, Epizephyria, Mantiniaca, Ionica, Gaditana, Cretenſis, et aliae, a locis plerumque, in quibus exercebantur, denominatae. Plures ſpecies commemorat Athenaeus, *Mactriſmam* ſcilicet, ſaltationem mulierum, *Moloſſicam*, *Sicinnin Perſicam*, *Nicatismum* Thracicum, *Calabriſmam*, *Teleſiam* et *Macedonicam*. Saltationes furioſae erant *Cernophoros*, *Mongas* et *Thermantris*. Saltatio popularis *Anthema* fuit, qua ſaltantes canebant *ubi roſae? ubi uiolae? ubi pulcrum apium? Chitoneas* Dianae fuit ſaltatio, qua tibiis canebant. *Ionica* et *Angelica* inter ſcyphos et pocula ſaltabatur. Aliam ſaltationis ſpeciem *incendium mundi* uocabant. Saltationum ridicularum ſpecies erant *Igdis*, *Mactriſmus*, *Opocinos*, *Sobas*, *Morphaſmus*, *Noctua*, *Leo*, effuſio farinae, *Pinacis*, *Xiphiſmus*, *Catathiſmus*, *Callobides*, *Scops* uel *Scopeoma*, qua poſtrema manus fronti praetendebant; quod illi faciunt, qui aliquid e longinquo ſpectare uolunt; multaeque aliae, quarum nomina tantum ſuperſunt.

§. 18. In ſaltationibus notioribus, quorum monumenta ſuperſunt, *Pyrrhichia*, cum Platonis ſaltatione militari aliquo modo conuenire uidetur; armati quippe ſaltabant ad cantum tibiarum. Nomen ſortita eſt uel ab inuentore eius Pyrrhichio Lacedaemone, uel ſecundum Lucianum, a Pyrrho, Achillis filio. Multas eiusmodi ſaltationes armatorum commemorat *Xenophon* in expeditione Cyri L. 6. p. 371. Thracum e. c. qui ſaltando lethalia ſibi uulnera inferre uidebantur; ita ut quidam caderent ut occiſi, etſi nihil incommodi paſſi eſſent; qui proſtratum percuſſerat ſimulatum mortuum ſpoliabat, peculiarem cantilenam, quam *Sitalcam* uocabant, intercinens; eoque tandem diſcedente reliqui Thraces corpus interemti efferebant, ut ei parentarent, qui optime ualebat. Tripudium quoque Magneſiorum deſcribit, qui terram arando ſaltabant, et ſimul contra fures ſimulatos arma in promtu habebant. Arator ſemen iaciebat ſemper hinc inde proſpiciens, quaſi praedones metueret. Accedebat praedo, quo appropinquante arator arreptis armis ad iugum defendendum ſeſe parabat, ad uarios tibiarum modulos corporis ſui motus adaptans. Praedo tandem aratorem arreptum et uinculis conſtrictum cum iugo abducebat. Nonnunquam

*) Pleraſque enumerat *Athenaeus*; *Pollux* in onomaſt. lib. 4. cap. 14. ubi uid. *Hemſterhuiſii* illuſtrationes; ſequentia *Pollucis* capita etiam hanc cauſſam illuſtrant.

quam arator furem alligabat. De Mysorum quoque tripudiis idem auctor mentionem faciens, eos saltando pugnasse et peltas gestasse commemorat, quibus ictus repellerent. *Strabo* Lib. X. p. 331. *Curetum* Cretenses primum saltationem docuisse perhibet, qua armati et arcu tela fibrantes tripudiabant.

§. 19. In saltatione sphaeristica saltantes manibus pilas gerebant, iisque in aerem coniectis ludebant. Graeci pilam 5) *maiorem* et *minorem*, *uacuam* item et *corycum* habebant. Romani etiam diuersas pilarum species denominabant; alias *folles*, alias *trigonales*, *paganicas* et *harpastos*. *Follis* magna erat pila trigonalis, quae inde forte nomen traxit, quod ea ludentes in trianguli forma positi erant. *Paganica* folle erat minor; dum inter follem et trigonalem medium obtinebat. Omnium uero pilarum minima fuit *Harpastus*. Quantum ad pilam Graecorum spectat, magna et parua illorum pila ad Romanorum follem et trigonalem referri possunt, Pila graecorum uacua perquam magna fuit, ut corycum maius, ita ut illo suspenso ludere possent in Gymnasio uel in conclaui aliquo. Farina autem uel arena impleta eos, qui imperite ludebant, in terram saepius decutiebat. Et quia hic pilae ludus cum tripudio aliquo exerceri solebat; a scriptoribus inter species saltationis refertur. De saltatione uulgari pauca supersunt monumenta, ex quibus uerus eorum modus intelligi possit. Hoc certum est, ad instrumentorum musicorum, tibiae, lyrae, citharaeque sonum ueteres saltasse. Saltantes breuibus utebantur uestibus, crinibusque calamistratis; cincinnatorum quippe calamistratorumque saltatorum tum Cicero, tum alii scriptores mentionem faciunt. Quem *Tab. CII. Fig.* 17. exhibemus saltator eo, quo diximus, habitu apparet et calceatus est more minus solito.

§. 20. *Ludus Troiae* in Sicilia ab Aenea institutus perhibetur, ut filium Ascanium, aliosque pueros exerceret, et ab Ascanio in Latium translatus est. Ludus autem hic erat puerorum ex ordine patricio uel equestri, qui in circo decurrebant, simulque ludebant. Qui coetui praeerat *Princeps iuuentutis* uocabatur, quem titulum plurimi ex Imperatorum filiis sibi arrogarunt; quod in nummis Augustorum saepius uidemus. Quum hic ludus per longum temporis spatium obsoletus esset, a I. Caesare eo tempore instauratus est, quo Dictator creatus est; eo quod ab Aenea atque Ascanio originem suam deriuatum ibat. In hoc ludo pueri equis uecti ordines constituebant, et simulatam aliquando pugnam committebant; altera tandem pars alteri cedebat, quae fugientes insequebatur, postea pace composita ludus terminabatur. Non autem pueri tantum simulatum huiusmodi inibant certamen; sed uiri quoque nonnunquam in manipulos ordinati ludendo pugnae simulacrum edebant, dum modo agmen instituebant quadratum, modo urbem quasi oppugnantes testudinem, scutis supra caput positis repraesentabant. Pugnae quoque uisebantur equestres, quibus uiginti nonnunquam elephantos contra quingentos pedites in aciem producebant, quum alia uice uiginti elephanti, singuli in turribus dorso ipsorum impositis sex uiros armatos gestantes contra quingentos equites et totidem pedites pugnarent. Nonnunquam uariarum gentium captiuos committebant, Dacos e. c. cum Sueuis; quod spectaculum pluribus diebus continuabatur. Oppugnationes item, expugnationes urbium, aliaque eiusmodi exercitia bellica repraesentabantur.

§. 21. *Naumachia* naualis erat pugna, quae loco illi destinato committebatur, qua naues biremes, triremes, quadriremes, classesque Aegyptiae atque Tyriae inter se pugnabant. In eiusmodi spectaculo a I. Caesare edito, *Suetonio* teste in uita huius Imperatoris cap. 39. tanta populi, tum urbanorum, tum extraneorum multitudo confluxit, ut multi conculcarentur. In hac quippe pugna nauali, quater mille remiges erant, et ex utraque parte mille milites. Loco itaque ad capiendas tot naues amplissimo opus erat; quapropter Caesar in campo Martio magnam foueam excauari, et fluuium Tiberim eo deriuari iussit. Augustus in opposita fluminis ora etiam eiusmodi Naumachiam instituit; et quia concurrente ad spectaculum populo urbs ab incolis deserta manebat, per uicos custodes posuit, ne fures interea in aedes irruentes eas spoliarent. Caligula multas aedes diruit, ut Naumachiam nouam pararet. Nero simile spectaculum editurus, aquam marinam, quae fossam impleret, aduehi iussit, in eaque pisces quoque et monstra marina posuit. Domitianus ceteros

5) Scriptores de *Pila* nominat *Fabricius* bibliograph. antiq. cap. 22. n. 6.

ceteros omnes in hoc longe ſuperauit. Huic enim non ſufficiebat Naumachiam in amphitheatro dediſſe, ſed ad radices montis Pincii aliam inſtituit, cuius hodieque ueſtigia quaedam ſuperſunt. Qui huius Naumachiae delineationem, qualem *Tab. CIII. Fig. 1.* proferimus Seculo XVI. dederunt, haud dubie ex aliquibus eiusdem ruinis totius ſtructurae rationem diuinaſſe uidentur. Hoc autem *Domitiani* ſpectaculum multis exitio fuiſſe teſtatur *Dio* his uerbis: *in nouo loco, ubi non modo fere omnes, qui pugnarunt, ſed etiam ex ſpectatoribus multi perierunt; ingens imber tempestasque horrenda populo impedimento fuere, quin ſecederet, Domitianus penulam mutauit, nec permiſit, ut eam ſpectatores mutarent, quod cauſſa fuit, ut multi in graues morbos inciderint, compluresque extinguerentur. Vt populum conſolaretur, magnum conuiuium nocturnum dedit.* Prorſus cruentum erat hoc ſpectaculum; quandoquidem maxima pugnantium pars, quos *Naumachiarios* uocabant, qui captiui aut ſceleſti erant homines, capitalibus criminibus obnoxii, in pugna interibant. Duae partes aduerſariae nationum quarundam maritimarum nomina induebant. Rhodii ſcilicet cum Siculis pugnabant, Athenienſes cum Perſis, Aegyptii cum Tyriis. *Imperator Claudius*, narrat Suetonius cap. 21. *Naumachiam commiſit. Sed quum proclamantibus Naumachiariis, aue Imperator, morituri te ſalutant, reſpondiſſet, auete uos; neque poſt hanc uocem, quaſi uenia data quisquam dimicare uellet, diu cunctatus, an omnes ferro et igne abſumeret, tandem e ſede ſua proſiluit, ac per ambitum lacus non ſine foeda uacillatione diſcurrens, partim minando, partim adhortando ad pugnam compulit. Hoc ſpectaculo claſſis Sicula et Rhodia concurrerunt, duodenarum triremium ſingulae, exciente buccina Tritone argenteo, qui e medio lacu per machinam emerſerat.* De eadem Naumachia conferatur etiam *Tacitus* annalium XII, 56.

Tab. CIII.

CAPVT IV.

De Pompa Romanorum et Graecorum.

§. 1.

POMPA Romanis ſolennis erat proceſſio, Romae in memoriam uictoriae de Latinis reportatae, cuius nuncii ipſe Caſtor et Pollux fuiſſe credebantur, quotannis celebranda. Ab initio id feſti Ioui, Iunoni et Mineruae conſecratum erat; deinde in honorem omnium Deorum maior feſtiuitas inſtituebatur. Tempus ad ſolennia haec concelebranda ſtatutum erat menſis September. Initium cepit haec Pompa a templo Iouis Capitolini, unde in forum Romanum procedebant, indeque in uelabrum, et porro in Circum maximum, ubi poſt oblatum ſacrificium uaria edebantur ſpectacula. Qui pompam ducebant, primi magiſtratus erant, quot quidem eorum tunc in urbe fuerunt. Ut autem *Onuphrius* Panuinius recenſet, ipſa pompa hoc modo procedebat. Pueri nobiles primi incedebant, equitum filii, quorum patres cenſum haberent CL HS equites aderant; alii, quorum facultates tenuiores erant, pedites incedebant, ordinati more militum, diuiſique in alas, centurias atque manipulos, ac ſi ad bellum procederetur. Hos ſequebantur bigae atque quadrigae, equitesque, qui deſultorii appellabantur, ab aurigis atque agitatoribus ducti. Hos excipiebant athletae, nempe curſores, pugiles, luctatores, nudi exceptis uerendis, ſaltatores, uiri puerique, tunicis induti puniceis, cincti balteis aeneis, ex quibus gladii et cultri dependebant, et breues haſtas ferentes. Viri inſuper galeas aeneas geſtabant, pulcris iubis inſtructas.

§. 2. Quaelibet turba a uiro praecedebatur, et qui primos tenebant ordines, ad concinnam ſaltationem ſequentibus praecepta dabant. Ex coetu quiſpiam bellicum concinebat, qui cantus *proceleusmaticus* uocabatur; haec erat ſaltatio Pyrrhica, de qua paulo ante dictum. Hos ſepuebantur Satyrici, ii uidelicet, qui modo Satyrorum ſaltabant. Eorum quidam ueſtibus piloſis Silenos referebant, palliaque geſtabant omnigenis floribus ornata. Alii tanquam uere Satyri pellibus ueſtiebantur, quibus etiam caput obtegebant. Hoſce Satyricorum choros excipiebant tibicines et citharistae, poſteaque miniſtri ſacerdotum, qui thuribula geſtabant et acerras aureas, argenteasque, in quibus thus aliaque aromata ſeruabantur. Hos ſequebantur Camilli utriusque ſexus, Flamines, et Aeditui, qui templorum erant cuſtodes; ſcribae publici, qui a commentariis; qui aruſpicibus adiuncti; Kalatores ſacerdotiorum, Pullarii, popae, uictimarii, lictores Flaminum, praeficae, ſimilesque alii miniſtri, qui

tauros



1. Naumachia a Domitiano instituta. 2. Venatores duo aprum deiecturi. 3. 4. Modus venandi tigres atque leones. 5. 6. Piscatores duo hamo sive linea pisces capientes.

tauros ducebant, uaccas, arietes, aliasque uictimas fasciis taeniisque ornatas, quae mactandae erant. Pretiosissima quoque et pulcherrima templorum vasa gestabant, scyphos, pateras, candelabra, lituos, albogaleros, tripodas cultros, secures, simpula, aspergilla et similia.

§. 3. Statuae quoque imaginesque Deorum cum eorum symbolis et ornamentis deducebantur; aliae curribus, aliae uirorum humeris; Deorum etiam singuli signa sua atque symbola gestabant earum rerum, quas ad uitae commodum inuenerant. Iouis symbolum fulmen erat et aquila. Minerua oliuam habebat et oleum; Neptunus equum; Mercurius caduceum et litteras; Ceres frumentum; Triptolemus aratrum; paucis singuli notas suas et tesseras habebant. Duodecim Dii, qui maiores apud Romanos et Graecos dicebantur, priores incedebant. Proximi his erant Dii minores, Semidei et heroes; quibus posteriori aeuo adiiciebantur Augusti et Augustae. Statuas hasce et simulacra excipiebant Harmamaxae, currus Scytharum more concinnati, quorum singuli ex duobus curribus constructi esse uidebantur, qui coronis aureis uel deauratis, loricis, scutis, spoliis hostium, aliisque similibus erant onusti.

§. 4. Sequebantur omnium sacerdotum collegia; *Pontifex maximus* cum octo Pontificibus maioribus et septem minoribus; Flamines quindecim numero, quorum tres maiores erant, Dialis, Martialis et Quirinalis; duodecim minores, Volcanalis, Carmentalis, Floralis, Palatialis, Falacer, Furinalis, Volturnalis, Virbialis, Laurentialis, Lauinalis, Ligularis uel Lucullaris, Pomonalis; *Rex sacrorum* cum regina eius uxore; collegium Augurum, numero quindecim; Quindecimuiri sacrorum cum magistro suo; Epulones septem, quorum numerus dein adauctus est; sex uirgines Vestales, alia duce, quae quasi princeps erat; triginta curiones cum duce suo; duodecim *Salii* cum magistro suo; collegium uiginti Fecialium, cum eo, qui *Pater Patratus* appellabatur; *fratres Aruales*; *sodales Titii;* sexaginta sacerdotes publici. duo ex qualibet curia; Sodales augustales, cum iis, qui postea pro Imperatoribus in numerum Deorum relatis instituti fuerunt; Luperci Panos Lycei; sacerdos graeca Cereris; Galli, sacerdotes Cybeles cum Archigallo suo; sacerdotes uniuscuiusque Dei templis praepositi; haruspices; sacerdotes bonae Deae.

§. 5. Hos sequebantur *Dictator* et *Magister equitum*, tempore reipublicae, uel Imperator cum filiis Caesaribus post extinctam rempublicam; duo Consules uel alii magistratus consulari potestate praediti; Decemuiri legibus scribendis; Tribuni militares; Triumuiri reipublicae seruandae; duo Censores; Praetores, nonnunquam duodecim numero, aliquando quindecim; Praetor peregrinus; Praetores de maiestate, ui, repetundis uel peculatu, crimine inter sicarios, ambitu, ueneficio, falso; Cerealis et Tutelaris praefectus urbi; sex Aediles curules; decem Tribuni plebis; duo Quaestores urbani aut thesauri custodes; tres uiri capitales; tres uiri nocturni; Triumuiri monetae; Quatuoruiri curandarum uiarum; praefecti thesauri; curatores rerumpubl. Tiberis et cloacarum; praefectus uigilum; Curatores et Denunciatores XIII. regionum, Magistri uicorum urbis, Aduocatus fisci, Triumuiri legendi senatus; Triumuiri legendorum equitum Romanorum, ministri eorum, apparitores, aliique.

§. 6. Postquam Pompa metas circumierat: Dictator, siue Consul, siue Imperator, uel qui tum haec solennia administrabat, iubebat uictimas immolari Diis, quibus pompa haec destinata erat; idque in strue illa, quae medium circi obtinebat, fieri solebat. Postquam sacerdotes manus abluerant, aquam puram in uictimas coniiciebant, earumque capita aspergebant, ac precibus, uotisque emissis, ministris uictimariisque praecipiebant, ut eas immolarent; quod illi eo, quo supra diximus, modo peragebant. Post sacrificium peractum sacerdotes, magistratus, coetusque totus loca sedesque suas petebant; quo facto ludi circenses a cursu bigarum, quadrigarum, equorumque incipiebant.

§. 7. Graecorum principum pompae pompis Romanis longe erant magnificentiores. *Athenaeus* duas eiusmodi pompas describit; quarum postrema longe elegantior et magnificentior prima. Ambas hic proferre uisum est, quia non solum ob magnificentiam spectabiles sunt, sed etiam multa ad antiquitatem spectantia suppeditant. Prima illarum Antiochi Epiphanis, Syriae Regis erat. Hic enim quum resciuisset, ab Imperatore Romanorum Aemilio Paullo ludos in Macedonia editos esse: magnificentia illum superaturus per

urbes Graeciae legatos misit, qui nunciarent, ipsum ad Daphnen, Antiochiae suburbium ludos exhibiturum esse. Eo itaque ingens hominum multitudo confluxit, pompaque ipsa hoc pacto celebrabatur. Quinque millia iuuenum more Romano armatorum cum loricis hamatis praeibant; quos totidem Mysi sequebantur; hos excipiebant ter mille Cilices leuis armaturae cum aureis coronis, post illos Thraces totidem; hinc Galatarum quinque millia, et Macedonum uiginti millia, quorum quinque millia scuta aenea, alii argentea gestabant. Hos excipiebant ducenta et quadraginta gladiatorum paria; proximi erant equites Nisaei mille, et urbani ter mille, quorum plerique aureis phaleris et coronis, alii argenteis phaleris ornati erant. Horum a tergo socii erant et amici, ἑταῖροι dicti, equites circiter mille, omnes similiter aureis phaleris instructi. His iunctum amicorum (φίλων) agmen, numero et ornatu illis par; postea electi milites numero mille, quorum a tergo τὸ ἄγημα, selectissimum mille equitum agmen uidebatur. Agmen hoc claudebant mille quingenti equites cataphracti. Omnes autem, quotquot hactenus enumerauimus, purpureis chlamydibus erant ornati, quarum plurimae auro intertextae fuere, et uariorum animalium figuris condecoratae.

§. 8. Post hunc equitatum uehebantur centum seiuges siue currus sex equis iuncti; quibus succedebant quadraginta quadrigae et biga elephantorum, cum triginta sex elephantis, qui diuisi incedebant. Horum terga premebant octingenti pueri coronis aureis ornati; boues optimi circiter mille, mensae plus minus trecentae; elephantorum dentes octingenti. Numerus statuarum uix referri potest; omnium enim quotquot apud homines credebantur uel dicebantur esse Dii uel Daemones, uel heroes, statuae aderant; quae idola uel deaurata uel uestibus aureis induta fuerunt. Istic etiam depicta uidebantur omnia, quae ad numinum illorum historiam spectarent; itemque imagines noctis et diei, terrae atque caeli, aurorae et meridiei. Multitudo uasorum et instrumentorum aureorum argenteorumque ex iis quae deinde dicentur, intelligetur. Dionysius, qui regi ab epistolis erat, mille pueros in hac pompa secum habebat, argenteis uasis, quorum minora erant pondo mille drachmarum, onustos. Regii autem pueri sexcenti sequebantur aurea uasa gestantes; mulieres ducentae urnas aureas ferebant, queis aromata effunderent; octoginta mulieres lecticis gestabantur, quarum pedes ex auro concinnati fuere, et quingentae in lecticis, quarum pedes argentei fuere; earumque uestimenta admodum erant magnifica. Haec in eiusmodi pompa erant memoria digniora. *Athenaeus* deinde post Polybium multa his adhuc iungit, quae recensere hic nimis longum esset.

§. 9. Quantumuis magna fuerit haec Antiochi pompa: minime tamen comparanda est cum Ptolemaei Philadelphi pompa, multis ante annis facta, quam *Athenaeus* Antiochi pompae subiunxit. Antequam pompam 6) illam Ptolemaeus institueret, magnificum construxit tentorium, cui nullum fortasse par fuit. Tam amplum erat, ut centum et triginta lectos in circulum positos contineret; sed hoc misso, ad ipsam pompam ueniamus. Pompa haec, quae per stadium urbis Alexandriae ducebatur, a Luciferi repraesentatione initium ceperat; quoniam summo mane, quo tempore stella haec fulget, pompa coepit. Hanc stellam sequebantur imagines patris atque matris regis Philadelphi, posteaque Deorum omnium cum apparatu et ornamentis ad historiam eorum pertinentibus. Ordo pompae is ipse fuit, quem in ludis Olympicis obseruabant. En speciatim, quid in pompa Bacchica gestum sit. Qui primi incedebant, Sileni erant, purpureis alii, alii puniceis uestibus induti; hique turbae arcendae deputati erant. Hos sequebantur Satyri ad utrumque latus uiginti, lampades hederaceas et deauratas gestantes. His proximae fuere Victoriae, alis aureis instructae, quae thymiateria longitudine sex cubitorum gestabant; haec thymiateria partim deaurata, partim hederaceis foliis erant ornata; earum uestes animalium figurae decorabant, ipsaeque uictoriae auro undique fulgebant.

§. 10. Post has ara sex cubitorum duplex portabatur, hederacea fronde inaurata densius stipata, et coronam habens auream ex pampinis constantem, et albicantibus taeniis undique ornatam. Subsequebantur centum ac uiginti pueri, purpurea tunica amicti, thus, myrrham et crocum in aureis *mazonomis* f. uasculis gestantes. Post hos incedebant quadraginta Satyri aureis coronis hederacea folia referentibus redimiti; quorum corpora uariis

6) *Athenaeus* lib. 5. c. 6. in istam pompam 2239. talenta, et 50. minas regem impendisse tradit.

riis coloribus depicta erant. Praeter coronam, quam capite geſtabant, auream, aliam item auream pampinis ornatam manibus tenebant. Duo dein Sileni incedebant, aurea chlamyde crepidisque albis inſtructi, quorum alter petaſum geſtabat et caduceum aureum, alter tubam. In medio illorum incedebat uir, ſtatura quatuor cubitorum, habitu tragico et larua tectus, cornu ſimul copiae aureum geſtans, quem Annum appellabant. Hunc excepit mulier formoſiſſima eiusdem ſtaturae, multo auro aliisque ornamentis condecorata, et altera manu coronam ex foliis Perſeae textam, altera uero palmae ramum geſtans, eaque *Penteteris* ſeu quinque annorum ſpatium uocabatur. Huius ueſtigiis inhaerebant quatuor *Horae* ſeu anni tempeſtates, uario modo exornatae; duo porro thymiateria aurea quatuor cubitorum hederaceis foliis exornata, et in medio eorum ara quadrata aurea. His ſuccedebant Satyri cum coronis aureis, hederacea folia referentibus, puniceis induti ueſtibus, quorum alii uaſa aurea uinacea, alii carcheſium geſtabant. Proximus his erat Philiſcus poëta et Bacchi ſacerdos, et omnes Bacchi artifices. Secundum haec ferebantur tripodes Delphici, illorum praemia, qui certaminibus athletarum neceſſaria ſubminiſtrarent; alter nouem cubitorum pueris, alter duodecim cubitorum uiris erat deſtinatus.

§. 11. Poſt hos ingens quatuor rotarum currus, longitudine quatuordecim cubitorum, latitudine octo, a centum et octo uiris trahebatur. In hoc ſtabat Bacchi ſtatua cubitorum decem, aurea patera libantis, cum tunica purpurea ad talos defluente, ſupra quam crocota pellucida; amiciebatur autem pallio purpureo auro fulgente. Ante illum iacebat crater aureus Laconicus metretarum quindecim, et aureus tripus, ſuper quo thymiaterium aureum, duae phialae aureae, caſia et croco plenae: ſimulacrum umbraculo circumdabatur ex hedera, uite aliisque arborum frugiferarum frondibus, appenſis coronis, taeniis, thyrſis, tympanis, mitris, perſonisque tragicis, comicis, ſatyricis. In eodem curru erant ſacerdotes uiri feminaeque, orpheoteleſtae, ſeu myſteriorum interpretes, thiaſi uariae formae, et mulieres uannos geſtantes. Haec ſequebantur *Macetae*, quas Mimallonas, Baſſaras ac Lydas uocabant, paſſis capillis, quaedam ſerpentibus coronatae, aliae ſmilace, hedera, uite; manu aliae pugiones, aliae ſerpentes tenebant. Has alius quatuor rotarum currus excipiebat, quem uiri ſexaginta trahebant, cuique effigies Nyſſae uel Nyſae cubitorum octo inſidebat; tunica haec crocea, auroque diſtincta induta erat, et ueſte Laconica tecta. Ope machinae ingenioſe fabrefacta haec effigies nullo manus admouente ſeſe erigebat, lac ex phiala aurea libabat, et rurſus ſedebat, thyrſum manu laeua tenens mitris coronatum, et capite coronam auream geſtans, quae hederarum folia referebat cum uuis, ex uariis magni pretii lapillis concinnatis; haec etiam umbraculo gaudebat; ad quatuor currus angulos quatuor lampades inauratae conſpiciebantur. Sequebatur deinde currus alius quatuor rotarum, uiginti quatuor cubitos longus et ſexdecim latus, quem trecenti uiri trahebant: in hoc erat torcular uiginti quatuor cubitorum longum, et quindecim latum, uuis repletum, quas ſexaginta Satyri calcabant, tibia cantilenas uindemiales canentes; praefectus his erat Silenus; per totam uiam muſtum defluebat. Huic currui alius ſuccedebat quatuor rotarum, longitudine uiginti quinque cubitorum, latitudine quatuordecim, quem uiri ſexcenti agebant; in quo uehebatur uter ter mille metretarum uini, ex pellibus pardorum conſutus, unde uinum per uiam paullatim defluebat. Hunc ſequebantur centum et uiginti Satyri et Sileni coronati, quorum alii uini ſcyphos, alii phialas, alii uaſa Thericlea magna, eaque omnia aurea geſtabant. Hinc agebatur crater argenteus ſexcentas capiens metretas in curru quatuor rotarum, a ſexcentis uiris tract : ſub crateris huius labris, auribus et baſi uariorum animantium figurae torno fuere inſculptae; medius crater corona aurea atque gemmata cingebatur. Iungebantur huic pocula argentea duo, duodecim cubitorum latitudine, altitudine uero ſex cubitorum, ſuperne acroteriis ornata, et cum ornamentis in uentre; ad pedes eorum animalia, quorum tria unius cubiti, reliqua plura dimidii. Luteres poſtea decem ſequebantur, ſexdecim crateres, quorum maiores triginta metretas, minores quinque capiebant; decem lebetes, uiginti quatuor diotae, ſuper repoſitoriis quinque; duo torcularia argentea, ſuper quibus fuere cululli uiginti quatuor; menſa ex argento ſolida duodecim cubitorum, aliaeque menſae triginta ſex cubitorum: quatuor tripodes, quorum unus circuitum habens ſexdecim cubitorum, totus argenteus erat; tres alii minores in medio gemmis exornabantur. Hos excipiebant tripodes Delphici argentei, numero octoginta, praecedentibus minores, quadratis angulis; hydriae uiginti ſex, amphorae panathenaicae ſexdecim, pſycteres centum ſexaginta, quorum maximus

ſex metretas capiebat, minimus duas. Haec omnia argentea fuere. Poſteà incedebant illi, qui aurea uaſa geſtabant; crateres ſcilicet Laconicos quatuor, cum coronis pampineis, Corinthii operis uaſa duo cum animantium figuris tornatis, et in collo atque uentre aliis figuris affabre caelatis; quorum ſingula metretas octo capiebant. Torcular, in quo erant decem cululli; holcea duo, quorum ſingula metretarum erant quinque; cothones duo duarum metretarum ſinguli. Pſycteres uiginti duo, quorum maximus uiginti metretas capiebat, minimus unam. In pompa item ducti ſunt quatuor tripodes magni aurei; magna item theca aurea, reponendis uaſis aureis, gemmis ornata, decemcubitalis, ſex gradibus erecta, in quibus animantium effigies multae fuerunt quatuor palmorum: duo magna pocula; duo pocula uitrea deaurata; duo repoſitoria aurea quatuor cubitorum, minoraque alia; hydriae decem, ara tricubitalis, mazonomi uiginti quinque.

§. 12. Poſt haec incedebant pueri mille ſexcenti, alba induti tunica, coronati partim hedera, partim pino; ex his ducenti et quinquaginta aurea uaſa geſtabant, et quadringenti uaſa argentea, trecenti et uiginti Pſycteres aureos. Hos alii pueri ſequebantur amphoras geſtantes, quibus uinum ad potum funderent: ex amphoris uiginti aureae, quinquaginta argenteae et trecentae uariis coloribus erant decoratae. Hos excipiebant menſae quatuor cubitorum, ubi res multae notatu dignae obſeruabantur. In una earum Semeles lectus, ubi tunicae aureae aliaeque lapidibus pretioſis ornatae. Non omittendus quatuor rotarum currus, uiginti duobus cubitis longus, et quatuordecim latus, à quingentis uiris tractus, ſupra quem antrum erat profundum, hedera pampiniſque opertum; unde egrediebantur columbae auolantes, palumbi, atque turtures, pedibus faſcia reuinctis, ut a ſpectatoribus facile caperentur. Ex antro profluebant fontes duo, alter lacte, alter uino, nymphae circa antrum coronis aureis erant ornatae. Aderat etiam Mercurius caduceum aureum geſtans, ac ueſtibus magnificis ornatus.

§. 13. In alio quatuor rotarum curru expeditio Bacchi in Indiam repraeſentabatur. Conſpiciebatur in eo Bacchus duodecim cubitis altus, elephanto uectus, purpurea ueſte, aurea corona, hedera pampiniſque ornata, manu thyrſum oblongum aureum tenebat, calceosque aureos geſtabat. Elephanti collo inſidebat Satyriſcus, quinque cubitos altus, aurea corona pineos ramos referente redimitus, dextra manu cornu caprae tenens, quod inflans aduentum Dei ſignificabat. Aureus item elephanti ornatus erat, cum hederacea corona circa ceruicem aurea. Quingentae inde ſequebantur uirgines, tunicis purpureis amictae et aureo cingulo circumdatae. Harum duces erant centum uiginti aureis coronis pini ramos referentibus ornatae. Proximi his erant Satyri centum uiginti, panoplia armati, argentea alii, alii aurea. Horum ueſtigia premebant quinque aſinorum turmae, quibus Sileni atque Satyri coronati inſidebant; aſini aurea partim frontalia cum aliis ornamentis aureis gerebant; alii argentea. His ſuccedebant currus uiginti quatuor elephantis iuncti, hircorum bigae ſexaginta, leonum duodecim, orygum ſeptem, bubalorum quinque, ſtruthiocamelorum octo, ceruorum ſeptem, aſinorum ſiueſtrium quatuor. His inſidebant pueri aurigarum habitu, cum petaſis. His ſe comites addiderant pueruli peltis, longiſque thyrſis armati, palliiſque auro diſtinctis ornati; illi aurigae pinu, hi puerili hedera coronati. In utroque latere tres erant camelorum bigae; quas carpenta ſequebantur iunctis mulis, quibus barbarorum tentoria uehebantur: in his ſedebant mulieres Indicae, aliaeque captiuarum habitu. Ex camelis quidam trecentas thuris libras portabant; alii croci, caſiae, cinnamomi, iridis et aliorum odorum libras ducentas. Proxime incedebant Aethiopes haſtati, quorum alii dentes elephantorum ſexcentos, alii ebeni ſtipitum duo millia, alii crateres aureos argenteosque ſexaginta et auri ramenta ferebant. Hos ſequebantur Venatores duo cum iaculis inauratis, bis mille et quadringentos canes ducentes, partim Indos, partim Hyrcanos, Moloſſos, aliorumque generum. Qui hos excipiebant uiri centum quinquaginta, arbores portabant, quibus uariae ferae cum auibus alligatae fuere, pſittaci quoque permulti, pauones item, meleagrides, phaſiani, auesque aliae magno numero in caueis portabantur; aderant porro aues Aethiopicae centum triginta, Arabicae trecentae, Euboicae uiginti, boues Indici candidi uiginti ſex, Aethiopici octo, ingens urſus albus unus, pardi quatuordecim, pantherae ſexdecim, lynces quatuor, urſorum catuli tres; camelopardalis una, rhinoceros Aethiopicus unus. Poſt haec Bacchus in curru quatuor rotarum cernebatur, inſectante Iunone ad aram Rheae confugiens: aderat illi Priapus corona aurea hederacea cinctus: Iunonis etiam imago cum diademate aureo uiſebatur.

§. 14.

§. 14. Alexandri et Ptolemaei ſtatuae etiam ibi fuerunt coronis aureis hederacis redimitae. Statua porro uirtutis prope Ptolemaeum coronam auream forma ramorum oliuae geſtantis: his quoque aderat Priapus coronam habens auream, quae hederae folia referebat. Corinthus porro urbs diademate ornata prope Ptolemaeum conſpiciebatur. Iuxta ſingulos uas erat magnum uaſculis aureis plenum, et crater aureus metretarum quinque. Currum illum quatuor rotarum ſequebantur mulieres ueſtitu corporisque cultu perquam pretioſo, quae ciuitatum Ioniae et Hellenidum nomen gerebant, quotquot earum in Aſia et Inſulis Perſis ſubiectae fuerant; omnes aureis coronis ornatae. In alio quatuor rotarum curru thyrſus aureus nonaginta cubitorum, et lancea argentea ſexaginta cubitorum uehebatur; in alio phallus aureus cubitorum centum et uiginti, depictus et ornamentis inauratis uinctus, cum ſidere aureo in uertice illius micante, cuius circuitus ſex cubitos exaequabat.

§. 15. Adhaec magnus equorum et ferarum numerus aderat; leones praegrandes uiginti quatuor; multique alii quatuor rotarum currus, qui non modo Regum ſed etiam multorum Deorum ſtatuas ferebant. Proximus his erat chorus ſexcentorum uirorum, in quibus citharistae trecenti, coronas aureas geſtantes, et citharas inauratas pulſantes concinebant. Bis mille dein tauri colore ſimiles, qui frontalia aurea habebant, quorum in medio etiam corona erat aurea, ſequebantur; ſinguli quoque circa pectus aegide aurea condecorabantur.

§. 16. His ſuccedebat pompa Iouis aliorumque Deorum magno numero, et poſt alias omnes *Pompa Alexandri Magni*, cuius ſtatua aurea in curru elephantis iuncto uehebatur; isque ex uno latere Victoriam, ex altero Mineruam habebat. In hac pompa plurima etiam erant ſolia regia ex auro et ebore confecta; uni illorum diadema aureum impoſitum erat; in alio cornu aureum, et rurſus in alio corona aurea uiſebantur. In ſolio, Ptolemaei Soteris aurea corona iacebat decem mille aureorum. Trecenta quoque thymiateria aurea in hac pompa geſta ſunt; arae porro quinquaginta inauratae cum coronis aureis, quarum uni affixae fuerunt faces quatuor aureae decem cubitorum; foci item inaurati duodecim, quorum unius ambitus duodecim cubitorum fuit; altitudo quadraginta; alius quindecim cubitorum fuit; Producti quoque ſunt Tripodes Delphici aurei nouem, quatuor cubitorum; alii octo, cubitorum ſex; alius cubitorum triginta, ſuper quo erant animalia aurea quinque cubitorum et in circuitu corona aurea pampinea: praeteruectae quoque ſunt palmae ſeptem inauratae octo cubitorum; caduceus inauratus quadraginta cubitorum; fulmen inauratum quadraginta cubitorum; templum inauratum, cuius ambitus erat quadraginta cubitorum; cornu geminum cubitorum octo; magnus etiam animalium inauratorum numerus, quorum plurima erant duodecim cubitorum; ferae quoque enormis magnitudinis et aquila cubitorum uiginti. Coronae aureae in hanc pompam adhibitae fuere ter mille ducentae; aliaque corona ſacra myſticaque aurea, multis exornata lapillis pretioſis octoginta cubitorum; illa enim templi Berenices ualuas circumdabat: ſpectata etiam ſunt multa diademata aurea, quae puellae magnifice exornatae geſtabant, quorum unum altitudine erat duorum cubitorum; aegis item aurea, nec non thorax aureus duodecim cubitorum et alius argenteus octodecim cubitorum, in quo duo fulmina aurea duodecim cubitorum conſpiciebantur; item corona querna gemmis diſtincta; clypei aurei uiginti; panopliae aureae ſexaginta quatuor, ocreae aureae tricubitales; aureae pelues duodecim; phialae numero perquam multae; gutti uinarii triginta ſex; unguentaria uaſa magna decem; hydriae duodecim; mazonomiae quinquaginta; menſae uariae. Haec autem uaſa omnia aurea fuere, praeter ea, quae in Bacchi pompa uiſa ſunt. Quadringenta deinde plauſtra argentea ſupellectile onuſta; aurea uiginti; odoramentis uariis, octingenta procedebant. Agmen claudebant copiae equeſtres et pedeſtres, omnes armis mirum in modum munitae; peditum quidem 57600, equitum uero 23200. Haec itaque Ptolemaei pompa opibus et magnificentia omnia in hiſtoriis commemorata, immo omnem quaſi fidem ſuperat.

LIBER QVARTVS.

DE VENATV ET PISCATV, NEC NON LVDIS QVIBVSDAM MINORIBVS.

CAPVT I.

De Venatu. 1)

§. 1.

V*enationis* speciem quamdam inter praecipua amphitheatri et circi exercitia fuiſſe, iam ſupra indicauimus. Ibi enim aut beſtiae cum beſtiis committebantur, aut homines atrociorum criminum rei, et extremo ſupplicio damnati cum feris pugnabant. Nonnulli etiam pecunia ad eiusmodi certamen redemti; alii, ut roboris agilitatisque ſuae ſpecimen ederent, ipſi ſeſe ad pugnam offerebant. Iam de uenatu in genere acturi de illius origine non multum diſputabimus. Eum paullo poſt orbem conditum coepiſſe dubio ideo carere uidetur; quod ſimulac greges eſſe coeperunt, feras, quae iis inſidiari ſolent, lupos inprimis, urſos, leones, uenando depellere atque interficere neceſſarium erat; ne et gregibus nocerent, et progeniem ſuam in perniciem aliorum animantium nimium augerent. Hoc enim niſi cautum fuiſſet, ne hominibus quidem ſecuris eſſe licuiſſet. De uenatione leporum aliorumque huius generis animalium et aucupio, dubium forte exinde ſubnaſci poſſet, quod ante diluuium orbis incolas a carnium eſu plane abſtinuiſſe multi arbitrantur; ſed ideo tamen et huius generis uenationes fuiſſe inſtitutas, ne nimia quadrupedum et auium copia fructibus terrae noceret, uero admodum ſimile eſt. Mythologia uenationis inuentum Diis tribuit; Apollini ſcilicet atque Dianae.

§. 2. Ad uarios apud ueteres uenandi modos procedentes, notamus, quod pro diuerſitate animalium, quae uenando appeti ſolebant, duplex in genere uenatus occurrat, quorum alter ad aues, alter ad animalia agreſtia et feras inprimis fuit directus. Feras uel foueis et caſſibus impeditas capiebant, uel ſeptis cuſtodiebant, ut ad libitum uenatus exerceretur; loca etiam, 2) in quibus illae commorabantur, retibus et palorum ordinibus circundabant. Canes fere ubiuis ad uenationem adhibebantur; qui uenandi modus in ſpecie nobilis uocabatur; qui enim caſſibus exercebatur uenatus, is apud uillicos maxime in uſu erat. Canes comitabantur equites uenabulis et gladiis longioribus inſtructi; nonnunquam uiri armati ſine canibus feras perſequebantur. Canes ad uenandnm deſtinati ſummo ſtudio inſtituebantur, et Xenophonte teſte, contra quadrupedes non prius mittebantur, quam menſem octauum uel decimum attigerant; eosque uenator longis funibus et loris retinebat, ne nimio impetu laederentur. Secundum eundem ſcriptorem canes breuibus admodum nominibus appellare ſolebant, ut facilius uocari poſſent, e. c. Thymus, Phylax, Taxis, Alce. Romani canes ſecundum regiones diſtinguere ſolebant; ubi omnium audaciſſimi Moloſſi putabantur, itemque canes Pannoniae, Britanniae, Galliae, Acarnaniae, nec non canes Indi et Libyci in magno pretio fuerunt. 3) Aliis aptiores credebantur Cretenſes, Aetoli, Thuſci et Vmbri; ueliociores erant Galli, Belgae, Seguſii, Sicambri. A graecis aliis praeferebantur canes Indi, Spartiatae, Cretenſes et Locri. Inter canes porro alii aptiores erant ad uenandum leones alii ad urſum, alii ad ceruum, leporem etc. Canes Indi, narrat *Strabo*

1) *Venatus*, *Venatio*, e. g. in circo fiunt *uenationes*, ut res ipſa docet, alia ſignificatione hic gaudet, ac cetera eſſe ſolet; pugna cum beſtiis, uel beſtiarum inuicem, hic intelligenda.

2) adde: moris fuiſſe uenatoribus, ferarum latebras circumdare funiculis appenſis *purpureis pennis*, ut perterritae earum conſpectu, funes non tranſilirent, eoque facilius capi poſſent. Verbis *Ioh. Hartungi* hoc elocuti ſumus, decuria 3. locorum memor. c. 8. n. 20.

3) *Henricus Stephanus* ſchediaſm. libro 4. ſched. 1. 2. canum quaedam genera illuſtrat, plura a ſcriptoribus uenaticis petenda.

Strabo L. XV. p. 481. in persequendis leonibus aliisque feris adeo acres atque strenui sunt, ut semel morsu correptas minime dimittant, etiamsi crus illis amputares. Inter ueterum canes uenaticos ii potissimum magni aestimabantur, qui ex lupo uel leone uel tigride mare geniti essent. Graeci etiam non colla tantum, sed lumbos quoque canum circulis muniebant.

§. 3. Qui aucupium exercebant, accipitres et falcones aliasque aues rapaces ad genus hoc uenatus instituebant; licet nonnulli prorsus negare audeant, quod aucupium apud ueteres unquam in usu fuerit; quibus tamen multa scriptorum testimonia facile opponi possunt. Hoc forte concedendum uidetur; genus hoc uenandi apud ueteres admodum fuisse rarum. Ex *Aristotele* certe Hist. Animal. L. X. *Appiano* 4) de uenatione L. 1. *I. Firmico Materno* V, 7. *Aeliano* hist. anim. II, 42. aliisque facile efficitur, *homines atque accipitres* (uerba sunt Plinii) *societate quadam fuisse aucupatos.*

§. 4. Apros iam ueteres uenando persecutos esse, uel ex eo patet, quod *Homerus* in Odyssea sua Vlyssem ab apro uulneratum fuisse commemorat. Hic obseruatione digna est uenatio Narbonensis quam *Tab. CIII. Fig. 2.* exhibemus. Immanis hic magnitudinis aper conspicitur, quem duo uenatores iaculis s. uenabulis suis instructi aggrediuntur, qui sinistra pannum quendam seu mantile obtendunt, quo ictus apri, quos fulmineis dentibus infligere solet, excipiant. Tigridem qua ratione ueteres uenati sint *Fig. 3.* repraesentatur, ubi duae tigres a decem uenatoribus, qui omnes uenabulis et magnis scutis instructi sunt, impetuntur. Altera tigris iam corruit, et supina iacet; altera ne fugiat speculo de industria posito retinetur; quod in aliam tigridem se incidisse putat. Hic autem aliquis Venatorum immoratur iaculum in eam uibraturus. Singularissimum omnium uenandi modum ex Nasonum sepulcro eadem exhibet *Fig. 4.* ubi octo uiri praegrandibus scutis muniti contra duos leones pugnant. Hic autem cuiuspiam uenatoris ars prae ceteris eminet; dum a leone iam prostratus clypeo totum corpus suum tam apte contegit, ut a leone laedi nullo modo possit. Venatio haec in septo 5) peragitur; atque ad uenantium tantum uoluptatem instituta uidetur. Id quod exinde colligimus, quod uenatores plane inermes sint, nec uenabulis uel sagittis utantur.

CAPVT II.

De Piscatu. 1)

§. 1.

De *piscatu* ueterum nonnisi pauca nobis innotescunt. Retibus illos atque linea fuisse piscatos, dubio caret. De linea *Martialis* III, 58. de uillicis loquens ita canit, *tremulaue captum linea trahit piscem.* Iuuenis ille, quem *Fig. 5.* ex marmore Romano proferimus, galerum gestat Mercurii petaso non dissimilem; alius *Fig. 6.* a *Bonnanio* proditus rupi insidet, pileumque gestat, isque plurimos, quos iam ceperat, pisces in canistro habet. *Aelianus* hist. animalium l. 1. c. 29. et lib. 15. adhuc alios piscandi modos recenset. Sic e. c. nonnunquam foraminibus in glacie fluminis congelati factis hamos cum esca demergebant; id quod in Eridano inprimis fieri solebat. Thynnos praecipue magnis retibus extensis eodem, quo hodie, modo capere solebant. De piscatu in prouincia Narbonensi *Plinius* VIII, 8. rem plane singularem commemorat, quod scilicet in stagno agri Nemausensis, quem Latara uocat, delphini in societatem piscandi mugiles cum hominibus uenisse uisi sint; quod auctor hic nominatus l. c. pluribus describit.

§. 2. Amplissimas quoque Romani habuerunt piscinas, quibus ob insignem, qui iis continebantur, piscium multitudinem uillarum quoque pretium quam maxime adaugebatur. Sed non in uillis tantum, sed etiam in oris maris magnas habuerunt piscinas maritimas,

4) *Oppianus* intelligendus, qui uersibus graecis de uenat. et piscatu scripsit; latinos *rei uenaticae* scriptores habemus Lugd. Bat. 1728. cum uariorum notis in 4. editos cum *Kaempheri* obseruat. in Calpurnium.

5) Septum; quod saepe plurium iugerum siluam maceria complectebatur, etiam θηριοτροφεῖον dictum. *Varro* de re rustic. lib. 3. c. 12. 13. 3.

1) Vid. *Oppianus* de uenatione et *piscatu*, graecolat. per *Rittershusium* Lugd. Bat. 1597.

mas, quae piſcibus marinis erant repletae; immo plures eiuſmodi piſcinae inter ſe iunctae uidebantur. *Hirrius*, (tradit Varro de RR. 2) c. 17.) *circum piſcinas ſuas ex aedificiis duodena millia ſeſtertia capiebat. Eam omnem mercedem eſcis, quas dabat piſcibus inſumebat.* Quae alendis et ſeruandis piſcibus impendit Lucullus, ea omnia fere ſuperant, quae Romanos in hoc genere adhibuiſſe conſtat. De eo enim *Varro* l. c. ita loquitur: *ad Neapolim L. Lucullus poſtquam perfodiſſet montem et maritima flumina immiſiſſet in piſcinas, quae reciprocae fluerent, ipſe Neptuno non cederet de piſcatu: factam enim eſſe, ut amatos ſuos piſces uideatur propter aeſtus eduxiſſe in loca frigidiora, ut Appuli ſolent facere pecuarii; quod propter calorem in montes Sabinos pecus ducunt. In Baiano uero tanta ardebat cura, ut architecto permiſerit, ut ſuam pecuniam conſumeret, dummodo perduceret ſpecus e piſcinis in mare, obiectaculo, quo aeſtus bis quotidie ab exorta luna ad proximam nouam introire ac redire rurſus in mare poſſet, ac refrigerare piſcinas.*

CAPVT III.

De ludis quibusdam minoribus. 1)

§. 1.

Praeter ludos illos maiores, de quibus ſupra pluribus egimus, ludi etiam alii minores, ut ſunt hodie, apud ueteres in uſu fuere. Ludos hos minores uocamus, qui non publice, ſed intra priuatos parietes ſine maiori ſtrepitu exercebantur. Huius generis fuere *tali*, graecis πεσσοὶ dicti, qui uetuſtiſſimi ſunt uſus. Illos enim iam ante Homeri tempora in uſu fuiſſe ex eo patet, quod antiquiſſimus hicce poëta ſub initium odyſſeae commemoret, procos Penelopes ante aedium oſtium talis animum oblectaſſe. Tali iſti oſſa fuere ex talis uel potius malleolis pedum educta; ſequiori tempore ex alia quoque materia, auro, argento, ebore conficiebantur. Ex aere confecti ſunt duo illi tali, quos *Tab. CIIII. Fig. 1. et 2.*

Tab. CIIII. proferimus, quorum unus ex muſeo clariſſimi Abbatis Fauuelii, alter ex muſeo Brandenburgico Begeri eductus eſt. Quum uero latera ea, quibus tali conſiſtere poterant, prominentias et excauationes quasdam haberent, hae pro numeris habitae fuiſſe putantur; quanquam alii exiſtiment, in talis puncta quaedam et notas fuiſſe; eſt tamen et hoc notandum, quod quatuor tantum in talis latera ualuerint. Praeter hos talos, alias quoque teſſeras habuerunt uariis numeris notatas et noſtris plane ſimiles; quales *Fig. 3. et 4.* exhibemus. In iis autem aliqui in medio numeri quaterni magnum foramen habuerunt; cuius uſus non liquet. Begerus quidem arbitratur, eiusmodi foramina fraude quadam facta fuiſſe, ut argentum uiuum uel aliud quid ad dirigendos iactus, quod hodie a luſoribus fraudulentis fieri nonnunquam ſolet, in iis conderent. Sed cum foramina haec in omnibus fere ueterum teſſeris conſpiciantur, nulla fraude id factum uidetur; et cui uſui fuiſſet fraus toties repetita?

§. 2. Alia item nota teſſera dicta eſt, quadratum ſcilicet oblongum ſolidum quatuor ſuperficierum ex oſſe cuiuspiam animalis factum; teſſeraeque huiuſmodi inſcriptionibus notatae fuere. Exempla earum exhibent *Fig. 5. et 6.* Teſſera ſequens *Fig. 7.* duorum piſcium illius generis erat, quod *ſortem conuiualem* uocabant; notam ſcilicet illis dari ſolitam, qui in conuiuium admittebantur; ſi quidem Cauceo credamus, qui ad certa Liuii et Lampridii loca rem ita explicat. *Liuius* quippe L. 9. ait, *Conſul teſſeram dari iubet, ut prandeat miles.* Lampridius autem in Heliogabalo plurium teſſerarum mentionem facit, quos hunc Imperatorem diſtribuiſſe refert. Teſſera item leonis *Fig. 8.* eidem uſui deputata uidetur. Teſſeris nonnullis ſententiae inſcribebantur, qualis illa, quam *Fig. 9.* poſt Begerum damus.

§. 3. Alius adhuc ludus apud ueteres in uſu erat, qui ſub *latrunculorum ſiue latronum* 2) appellatione innoteſcebat. In hoc autem ſigna ſeu teſſerae, quibus duae ludentium partes

a) adde lib. 3. eſſe, cuius cap. 17. hic citatur. confer. etiam cap. 3. ubi de piſcinis et *dulcibus* et *ſalſis*, ſeu maritimis plura occurrunt.

1) Conferendi *Io. Meurſius* de ludis graecorum; et *Stukius* antiquitatum conuiualium lib. 3.

2) de ludo latrunculorum uid. *Turrigium* ad inſcriptionem Vrſi togati, tom. 12. theſauri graeuiani.

Tab. CIIII



1_6. *Tali et tesseræ variæ lusoriæ.* 7_9. *Tesseræ aliæ pro sorte convivali habitæ.* 10. *Taurocathapsia.* 11. *Ascoliasmus.* 12. *Varia instrumenta Architectonica.* 13_18. *Ascia et scalpra ad poliendos lapides.* 19. *Choraules cum tibiis.* 20_33. *Tibiæ formæ variæ* 34. *Syrinx.* 35_42. *Tubæ variæ.* 43. *Tibia utricularis.* 44. *Idem instrumentum cum Syringe.*

partes utebantur, diuerſo colore diſtinguebantur. Ludus ipſe belli erat imago, in quo uaria latrunculorum ex utraque parte pugnantium certamina et oppugnationes locum habebant. In utroque exercitu Rex erat ſeu Imperator multis militibus ſeu latronibus ſtipatus, qui non niſi urgente neceſſitate ex loco ſuo procedebat. Qui aduerſarii ſui milites capere, regemque illorum praeſidio ſuo exuere poterat, is uictor habebatur. Exercebatur hic ludus in peculiari tabula luſoria uariis lineis diuiſa, intra quas ſingulis latrunculis locus ſuus erat aſſignatus, qui a graecis πόλις (urbs) uel χώρη (regio) nuncupabatur. Rex autem cui unicus tantum locus ſupererat, ex quo ulterius fugere non poterat (capi enim per leges ludi nequibat) *ad incitas*, i. e. ad locum, unde moueri non poterat, *redactus* dicebatur. Huic latrunculorum ludo Nero operam dediſſe legitur; hunc enim *Suetonius* in uita ipſius c. 22. quadrigis eburneis in abaco luſiſſe refert. *Ouidius* Triſt. II, 431. peculiaris ludi mentionem iniicit, quem *lapillos* uocat, ita canens.

Parua ſedes ternis inſtructa tabella lapillis,
In qua uiciſſe eſt continuaſſe ſuos.

Lapilli hi ſpecies forte teſſerarum erant, quas ludentes ex certo loco in tabellam coniiciebant, ubi is, poſt cuius iactum tres illi lapilli ſeſe mutuo coniungerent ſiue continuarent, uictor abibat. Alea denominatio generica eſſe uidetur, ſub qua omnes illi ludi intelligebantur, in quibus caſus fortuitus locum habet, nec uictoria a ludentium arte praecipue pendet.

§. 4. His ludis duo alios iungimus, quorum ſchemata *Fig. 10. et 11.* ex marmoribus Oxonienſibus educta ſunt. Prior *Taurocathapſiorum* nomine ueniebat, quo eum tauris currebatur, isque per dies plurimos continuabatur. Equites ſcilicet poſt tauros currebant, et cornua manibus prehendentes in terram illos proſternebant. Theſſali, apud quos ludi eiusmodi frequentiores erant a I. Caeſare dictatore inuitati illos primum repraeſentarunt. Poſt I. Caeſarem alii quoque Imperatores idem ſpectaculum dederunt. Haec autem Taurocathapſia a *Tauromachiis*, quae haud dubie pugnam taurorum denotant, longe diuerſa fuiſſe uidetur. Poſterior ludus *Fig. 11.* ſaltatione in utre uino repleto conſiſtebat, quae ueteribus non ignota fuit. Ipſe quippe *Virgilius* L. II. Georg. u. 383. eius mentionem facit his uerbis;

atque inter pocula laeti
Mollibus in pratis unctos ſalire per utres.

Vtres quippe ungebant, ut ſaltatio lubrica eſſet, et artificium ſaltantium firmiterque in utribus illis conſiſtentium eo magis compareret. Si uter eiusmodi uino repletus erat, is qui in eo ſaltando et firmiter ſtando ceteros antecellebat, et utrem et uinum praemii loco auferebat. Graecis hoc exercitium a uoce ἀσκός, quae utrem denotat, *aſcoliaſmus*, (et ἀσκωλιάζειν) appellabatur. Qui hic in utre tripudiant Satyri ſunt uel potius Fauni uitis foliis coronati. Veteres enim in ludis feſtisque Bacchicis ſaepe uiros ſub forma Satyrorum, Faunorum, Silenorumque repraeſentabant.

LIBER QVINTVS.
DE
VARIIS ARTIVM QVARVNDAM INSTRVMENTIS.

CAPVT I.
De inſtrumentis architectorum uſitatioribus.

§. 1.

De diuerſarum artium inſtrumentis acturi illa prae ceteris notamus, quorum figura in ueterum monumentis obſeruatur. Nulla autem ars maiori inſtrumentorum apparatu

opus habuiſſe uidetur, quam Architectura. Praeter enim illa', quae cum aliis artibus inferioribus, ferraria ſcilicet, ſcriniaria, carpentaria, communia habebat, uariis inſuper machinis et organis gaudebat ad ſtupendas erigendas moles, columnas et obeliſcos aptiſſimis. Quanto ſcilicet labore nuper eques *Fontana* 1) Architectus egregius ſudauerit, ut in platea S. Petri obeliſcum, qui nunc ibidem uiſitur, erigeret, nemo ignorat. Qua uero ad hanc molem tollendam uſus eſt machina, illius imago adhuc in aere inciſa uidetur, et ab Architectis nonniſi cum ſtupore conſpicitur. Hic autem obeliſcus, ſi cum ſtatuis Coloſſalibus, quarum altitudo plus quam centum pedum erat, Coloſſo Rhodio et obeliſco Lateranenſi comparetur; longe maioris illae molis erant, quam hodiernus ille Vaticanus. Obeliſcus certe Lateranenſis adhuc proſtratus iaceret, niſi ruptus et in plures partes diuiſus, fragmentis ſuo loco poſitis per partes erigi potuiſſet. Omnes illae machinae nunc ſunt amiſſae et ad pondera inſolita extollenda, nouas ſubinde machinas comminiſci et inſignes nonnunquam impenſas adhibere neceſſe eſt. Sola ſupereſt machinarum forma, quibus ad erigendum obeliſcum aliaſque columnas in hippodromo Conſtantinopolitano uſi ſunt; ſed ſchema tam rudi manu et tam imperfecte delineatum eſt, ut ſtructura illius machinae ex eo uix ac ne uix quidem concipi uel intelligi poſſit.

§. 2. Ad inſtrumenta ipſa procedentes primum *Tab. CIIII. Fig. 12.* ex Grutero et diario Italico uaria inſtrumenta minora exhibemus, quae ad artes inferiores pertinebant; normam ſcilicet tum rectam tum rectangulam, circinos, rectis alium, alium curuis uirgulis inſtructum, forcipem, malleos, perpendiculum, ſerram, falculas, runcinas aliaque, quorum uſum qui has artes exercent, melius internoſcere poterunt. *Fig. 13.* aſcia conſpicienda traditur ex muſeo illuſtris D. *Foucault* educta, cui *Fig. 14—18. Scalpra* quaedam ſubiungimus, quibus lapides poliebantur, ex uariis muſeis deſumta; quorum nonnulla aenea ſunt; ubi ſimul obſeruandum ueteres aliqua temperatura uſos fuiſſe, qua aes, ut alias ferrum, indurabant; ita ut ex eiuſmodi aere multa conficerent, quae ex ferro cudi ſolebant; clauos ſcilicet cuſpides, aliaque eiuſmodi arma. Eiuſdem materiae fuerunt ligamina ad aſſerendos et coniungendos in muro lapides ita adbibita, ut foramine in utroque lapide excauato ligamen illis inſereretur; quanquam etiam ex alia materia facta fuiſſe nullum dubium eſt. Nonnulli eiuſmodi ligamina ferrea fuere et plumbo obducta; immo ex ligno quaedam reperta ſunt; aſſulae ſcilicet in modum caudae hirundinis concinnatae et ab una parte in unum, ab altera in alterum lapidem immiſſae. Caeterum ipſe aedificandi modus, operae, baiuli conſpiciuntur in columna Traiani, Tab. 9. et 10. in Antonini, Tab. 56.

CAPVT II.

De inſtrumentis muſicis.

§. 1.

Etſi inſtrumenta ueterum muſica magno numero eſſent, maxima tamen eorum pars ſolo fere nomine nobis innoteſcit. Quae plurimum conſpicimus, ea aut flatu perſonant, ut tibiae, tuba et ſyrinx, aut manu uel plectro, ut lyra uel cithara; quibus pro attemperanda modulatione tympana, cymbala, crotala, ſiſtrum et ſcabilla nonnunquam accedebant. Frequentiſſimus erat uſus tibiarum, quae non in choris tantum muſicis, theatris et amphitheatris, ſed et in ſacrificiis, immo ubique fere locum habebant. Forma illarum ab hodiernis parum erat diuerſa; illarumque plurimae ad lineam rectam fuere directae; aliae uero ab altera parte recuruatae. Ceterum tria tibiarum genera traduntur; quum aliae proprie et in ſpecie *tibiae* dicantur, aliae *fiſtularum* et rurſus aliae *auenae* nomen gerant. Quae *tibiae* dicebantur, inde nomen accepiſſe dicuntur, quod olim ex crure ſeu tibia cuiuſdam animalis, equi, canis, gruis etc. concinnatae fuerunt; *Fiſtula*, calamus erat ad ſonum adornatus; *auena* ex auenae culmo a paſtoribus conficiebatur. Certum tamen eſt, haec nomina promiſcue uſurpari; quum auenam nonnunquam pro fiſtula, et pro hac tibiam

1) Horrendae machinae, quibus uſus fuit doctiſſimus eques, deſcribuntur in ſumtuoſiſſimo libro *Caroli Fontanae templo Vaticano*, Romae 1694. fol. libro 3. Diſcimus hoc ex celeberrimi et longe optimi *Boſii* non uno nomine illuſtri commentatione epiſtol. de *Obeliſco*, pag. 3. not. b).

biam poni uideamus. Tibiarum, quas in monumentis ueterum obſeruamus, plurimae ex ligno confectae uidentur; nec dubitandum quin et maxima illarum pars ex eadem materia fuerit concinnata.

§. 3. In ſacrificiis et Bacchanalibus ſaepe tibicines conſpicimus duplicem tibiam inflantes; uſus etiam paſtoritii tibia erat duplex; nec non in aedibus priuatis frequentiſſime illa utebantur. *Choraulem* 1) ſiue chori praeſidem duplice tibia canentem *Tab. CIIII. Fig.* 19. ſiſtit, in cuius tibiis hoc peculiare eſt, quod nullis foraminibus ſint perforatae; quum tamen certum ſit, tibias ſingulas olim ad minimum tria habuiſſe foramina, quorum numerus deinde ad ſeptem, octo, immo decem uſque fuit adauctus. Tibia Panos ſiue ſyrinx, multis fiſtulis, quae plerumque ſeptem, aliquando ſex calamis compacta fuit; illudque inſtrumentum ſaepius in Panos, Siluani, Satyrorumque manibus uiſitur. *Panduria* etiam ſpecies erat fiſtulae, quae ore et flatu reſonabat. Pollux tamen illam organum trium chordarum uocat; adeoque nec forma nec uſus illius ſatis notus eſt. Idem affirmandum uidetur de alia tibiarum ſpecie, quae ſecundum Xenophontem ab *Athenaeo* 4, 23. allatum *gingra* uel *gingrus* dicebatur. Vnius tantum palmae longitudinem illa exaequabat, lugubremque quaſi ſonum edebat; 2) apud Phoenices in luctu Adonidis, qui ab iis *Gingris* appellabatur, admodum celebris. A Phoenicibus aliud inuentum erat inſtrumentum muſicum, cuius ſonum, chordis licet eſſet inſtructum, flatu modulabantur; illudque *Nablam* uocabant. Aliud adhuc tibiae ſpecies erat *Monaulus*, de quo pluribus *Athenaeus* l. c. *Tuba* uel *buccina*, Graecis σάλπιγξ dicta, uſus erat bellici; nihilominus tamen etiam in ſacrificiis aliisque actibus publicis, ubi tibiarum ſono admiſcebatur, adhiberi conſueuit. Tubae uero eiusmodi reflexae plerumque et contortae fuere, ut hodiernae. *Hydraulus* organorum ſpecies erat, ubi aqua delapſa aeremque mouens ſonum indebat tubis pluribus. Simile inſtrumentum Tuſculi uiſitur; eiusque inuentum *Vitruuius* 9, 9. *Plinius* 7, 37. atque *Athenaeus* 4, 23. Cteſibio Alexandrino tribuunt. Veteres de illius forma atque uſu admodum diſputarunt, ut apud Athenaeum uidere eſt. Haec autem uulgatior erat opinio, uentum ab aqua motum hydraulo ſonum indidiſſe, forma ſecundum Athenaeum arae rotundae ſimilis erat. *Ammianus Marcellinus* 14, 18. narrat, ſuo tempore inſtrumenta hydraulica lyrasque adornatas fuiſſe, quae currum magnitudine aequarent. *Organa* Iuliani Apoſtatae tempore inuenta dicuntur, eorumque uſus, Pipino regnante, in Gallias inductus eſt, quum illi a Conſtantino Copronymo eiusmodi organum miſſum eſſet. *Vter ſymphoniacus* ſiue *tibia utricularis* uetuſti quoque uſus uidetur; id quod ex uerſibus nonnullis probant, qui *Virgilio* uulgo tribuuntur,

Copa Syriſca caput Graia redimita mitella
Criſpum ſub crotalo docta mouere latus;
Ebria famoſa ſaltat laſciua tabella,
Ad cubitum raucos excutiens calamos.

§. 3. Quae nunc in medium prolaturi ſumus inſtrumentorum muſicorum ſchemata, ea maximam partem ex collectione clariſſimi *Blanchinii*, Antiſtitis Romani eruditiſſimi depromta ſunt. Quas *Fig.* 20. et 21. exhibemus tibias duplices, illae inferius latiores iisque ſimiles ſunt, quas Galli hodie *hautbois* uocant, eaeque plurimis infixis clauis, quibus foramina uel aperiuntur, uel clauduntur, inſtructae uidentur. Sequens *Fig.* 22. quatuor foramina habet, et tubae ferme formam refert. Proxima *Fig.* 23. hoc ſingulare habet, quod tubum minorem recuruatum ipſi inſertum uidemus; quo id efficitur, ut commode inflari poſſit, etiamſi deorſum teneatur. Simili tubo inſtructa eſt tibia ſequens *Fig.* 24. cuius forma omnino inſolita eſt. In ſuprema quippe tubi parte duos emittit tubos minores, quorum minori tubulus inflandus inſertus eſt; ceterum ſeptem haec tibia foraminibus perforata eſt, et ad inſtrumentum illud, quod Gallis *Fagot* dicitur, proxime accedit. *Fig.* 25. et 26. tibias ſimplices exhibent, quarum poſterior ſiſtro Heluetiorum ſimilis creditur. Rimam certe ſiue foramen oblongum ori admouendum, quale in inſtrumentis Heluetiis obſeruatur, prae ſe fert. Formam tibiae reflexae ſeu curuae exhibet *Fig.* 27. Duae tibiae ſequentes

1) uid. *Gutberlethi* coniectanea ad monumentum Heriae Thisbes *Monodiariae* et T. Cl. Glaphyri *Choraulae*, edita cum diſſert. de deorum Cabirorum Myſteriis 1703. et 1704. 8.

2) uid. *Pollux* lib. 4. c. 14. ubi etiam ſpecies ſaltationis ab iſta tibia denominatur.

Fig. 28. tenuiore ſui parte maiori tubo infixae a *Bartholino* ex Boiſſardo ſunt eductae, earumque tubus hic maior adhuc minori inſtructus eſt, quem tibicen inflaſſe uidetur. Vero autem ſimile hanc tibiam ideo fuiſſe inuentam, ut incommodum illud uitaretur, quod illi haud dubie experiebantur, qui duas ſimul tibias inflandas ori admouebant. Quae *Fig.* 29-33. offeruntur, tibiae rectae partim, partim incuruatae ſunt, nec ullis inſtructae foraminibus, ut pro tubis potius haberi poſſint. *Fig.* 30. et 33. litui, ſeu ſigni militaris, quo Romani in bello utebantur, formam habent. *Lituus* autem uocabatur hoc inſtrumentum, quod uirgae augurali, quam ſimiliter lituum uocabant, ſimile fuit. Quique in bello lituum hunc inflabant *liticines* appellabantur.

§. 4. *Fig.* 34. *Syringem* nobis ſiſtit ſiue tibiam Panos ex ſeptem fiſtulis compactam. In monumentis hoc inſtrumentum frequentiſſime, ſed non pari ubique fiſtularum numero apparet, nam quinque modo, modo ſeptem, nonnunquam etiam decem fiſtulas continet. Quae *Fig.* 35. ex Boiſſardo proferuntur tibiae ſeu tubae ſimul iunctae, incertum, utrum pro uno tantum, an pro tribus inſtrumentis habendae ſint. Quod *Fig.* 36. uidemus inſtrumentum, illud in multis monumentis occurrit, et ſignum militare, quod lituum uocabant, omnino refert; nihil tamen obſtat, quo minus etiam ad alios uſus adhibitum fuerit. Inſtrumenta ex cochlea oblonga, quae in lineam ſpiralem procedit et in acumen deſinit, confecta, ut *Fig.* 37. uidemus, itidem ualde fuere uſitata. Inſtrumentum ſequens *Fig.* 38. aut tibia eſt, aut tuba, inferiore ſui parte latiſſima. Cornu *Fig.* 39. et 40. non ad uenatum tantum, ſed etiam in bello adhibebantur; quique eiusmodi cornua inflabant, *cornicines* appellabantur; ubi ſimul notandum, cornua haec ex aere, nec non ex cornu uri, qui bouis ſpecies eſt, concinnata, et nonnunquam argento fuiſſe exornata. Inſtrumentum ſequens *Fig.* 41. ex memoriis Brixianis depromſimus; cornu hoc exhibet alio cornu ſeu tubo incuruato transfixum; cetera oculis facilius, quam uerbis diſtingui poſſunt. Ex iisdem monumentis Brixianis quoque deſumtum eſt inſtrumentum proximum *Fig.* 42. quod plane inſolitum eſt, et quale me nunquam uidiſſe recordor. Quis tubae uel tibiae huius uſus fuerit in concentibus, id aliis indagandum relinquimus. Quam *Fig.* 43. proferimus tibiam utricularem uel utrem tibiis coniunctum, graecis ἀσκαυλος dictum, illius uſum apud ueteres frequentiſſimum fuiſſe conſtat. Vtri illi inflato duas tibias longiores inſertas eſſe uidemus, et tertiam ex altero latere breuiorem, quinque foraminibus inſtructam. Longius a ceterorum inſtrumentorum forma recedit *Fig.* 44. Ex una illius parte duas conſpicimus tibias breuiores, ſiue tubos, quorum ſinguli quatuor uel quinque foramina habent; ab altera uero parte decem tubi in ligno quodam eo ordine defixi comparent, ut ſyringis formam prae ſe ferant. Iunctus his eſt uter inflatus, qui uentum receptum machinae muſicae iterum tradere uidetur. Blanchinius machinam hancce ex nummo contornato Neronis deſumtam eſſe refert.

§. 5. A tibiis et tubis, quae flatu ſonabant, ad illas inſtrumentorum ſpecies progredimur, quae uel manibus uel plectro pulſabantur, quorum uel ſola enumerare nomina, nedum eorundem formam deſcribere, perquam eſſet difficile. Nos quidem nomina ſequentia ex uariis auctoribus colligimus: teſtudo, lyra, cithara, baton ſeu barbiton, phorminx, pſalterium, chelys, harpa, trigonum, ſambuca, pectis, phoenix, ſpadix, lyrophoenicium, clapſiambus, pariambus, iambuca, ſyndapſus, epigoneum quadraginta chordis inſtructum, ſimium triginta quinque chordarum, monochordon, Arabum inuentum; trichordon, quod Aſſyriorum panduria eſt, et pentachordon. Forte in his inſtrumentis unum idemque diuerſis nonnunquam nominibus exprimitur.

§. 6. *Teſtudo* ſecundum Mythologos Mercurii inuentum eſt, ex cochlea teſtudinis confecta; qua autem potiſſimum ratione lyra, cithara, chelys, pſalterium et harpa inter ſe differant, non ita facile eſt dictu. Sexcentas in marmoribus uidemus ſeu lyras, ſeu citharas, ubi chordarum ſpatium totum pellucidum eſt, ut harpa illa, quae in manibus Regis Dauidis pingi ſolet. Forma fere ſemper eadem eſt, ſi unam excipias a Sponio publicatam, quae paene triangularis eſt; eam infra proferemus. Haud dubie idem eſt cum trigono, cui ſambuca quoque ſimilis fuiſſe creditur; inſtrumentum ſcilicet triangulare chordis adornatum. Numerus Chordarum in his inſtrumentis non ſemper idem erat, ſed modo paucioribus, modo pluribus chordis conſtare leguntur; unde monochordiorum, dichordiorum, trichordiorum, tetrachordiorum etc. nomina ipſis inhaeſerant. Pauca illorum plectro, ſed plerum-

Tab. CV.



1–15. Lyræ sive Citharæ formæ variæ. 16. Plectrum. 17–21. Aliæ citharæ species.
22–26. Tympana formæ variæ. 27. 28. Cymbala. 29, 30. Puellæ cymbala pulsantes.
31. Crumata. 32–34. Tintinnabula. 35. Crotala. 36. Scabillum sive crupezium.

plerumque digitis tangebantur. Ad Citharam atque lyram, tympana pulsantur in monumentis, quae supersunt; aliquando etiam tuba interuenit.

§. 7. *Cymbala* bina erant uasa concaua, quae simul concussa cum modulatione aliqua resonabant. Concaua illa fuisse, tum ex uerbis Clementis Alexandrini in protrept: *ex cymbalo bibi, ex tympano comedi*, tum ex Ouidii uersu *cymbala pro galeis pro scutis tympana pulsant*, a Sponio colligitur. *Crotala* scissae erant arundines, quae motae concussaeque resonabant. Narrant quidam, Herculem ad abigendas aues ex lacu Stymphalidis eiusmodi crotalis usum esse. Species crotalorum erant *crumata* (κρέματα) quibus in partibus Hispaniae meridionalis ludebant, eaque id ipsum fuisse putantur, quod Galli sub uoce *castagnettes* intelligunt. Conficiebantur ea uel ex fragmentis testaceis, uel ex ossibus. Tam in marmoribus quam aliis monumentis nihil frequentius *tympanis*, quae forma nostris admodum erant similia: inprimis iis utebantur in sacrificiis Cybeles; saepius etiam in manu ipsius matris magnae conspiciuntur. In aliis quoque sacrificiis, festis et choris usurpabantur, usus que eorum ex Syria uenisse perhibetur. *Scabilla* et *crupezia* inter saltandum pedibus pulsabantur, sonumque crotalorum strepitui simillimum edebant. De *sistris* quum supra de Iside agentes mentionem fecerimus eiusque formam *Tab. LXXIII. Fig.* 5. 6. distincte exhibuerimus, Lectorem ad illa remittimus.

§. 8. His praemissis ad uaria instrumentorum schemata procedimus, et primo quidem illa exhibemus, quae uel pluribus uel paucioribus chordis erant instructa. Talia fuere lyrae uel citharae uariae formae, *Tab. CV. Fig.* 1—20. Harum prima *Fig.* 1. quatuor chordis, pro basi bouem resupinatum habet; duo latera totidem Delphines referunt. *Fig.* 2. trichordium siue instrumentum trium chordarum exhibet, quod in marmore Romano Apollinis et Clatrae reperitur. Lyra sequens *Fig.* 3. septem chordarum, secundum Virgilium Orphei lyrae similis, ex globo antiquo Farnesiorum, in quo constellationes designatae uidentur, desumta est. Quae hanc *Fig.* 4. excipit lyra, et ipsa septem chordas habet; sed ob hoc notatu dignior, quod chordae infra continuantur supra tabulam rotundam ligneam, ipsam lyram inferne terminantem. Visitur illa in anaglypho in aedibus Cardinalis Spadae, ubi Amphion cum lyra repraesentatur. *Fig.* 5. lyram decem chordarum ex Alexandri mensa eductam nobis exhibet; ornamenta illius admodum sunt spectabilia. Tetrachordon seu instrumentum quatuor chordarum *Fig.* 6. ex Aringhio desumtum est, qui ipsum ex antiqua pictura coemeterii Callisti expressit. Secundum *Macrobium* Saturnalium I, 18. Mercurius eius inuentor erat. Lyra sequens *Fig.* 7. septem chordis instructa, ex ueteri monumento, est ita concinnata, ut partes eius omnes facile perspici possint. Decem chordarum lyra, quae *Fig.* 8. sequitur in plurimis ueterum monumentis inuenitur, et ob grandem, qua nititur basin quadratam spectabilis est. Tab. CV.

§. 9. Quae *Fig.* 9. exhibetur lyra secundum Artemonem, *Athenaeo* teste, Pythagorae Zazynthii *tripus* appellabatur. Delphico enim tripodi hoc instrumentum simillimum erat, et citharae triplicis usum praebebat. Stantibus quippe in basi uersatili pedibus, quomodo sellarum, quae circumaguntur, positus fiunt, per spatia tria intermedia, quae a pede ad pedem pertinent, fides erant extensae, addito supra lebetis ornatu, et quorundam aliorum appensorum, quae pleniorem et elegantiorem sonum edebant, ubi cuiuis interuallo peculiares dispertiti erant modi, Doricus scilicet, Lydius et Phrygius. Sedens igitur Pythagoras in sella a tripode aliquantum distante prolata sinistra manu pulsandis fidibus, et altera plectrum incutiens, in quamcunque forte incidisset ex illis tribus modulationis speciem, sedem instrumenti pede in orbem agitabat, tantaque uelocitate manum huc illuc transferre consuetus erat, ut si quis oculis id non usurparet, sed auribus tantum iudicaret, tres se audire citharistas, diuersos modos canentes, facile crederet. At instrumentum hoc in magna licet admirationi fuerit; post eius tamen obitum statim neglectum exoleuit; idque, quod uel tractaturis impeditum nimis et difficile uidebatur, uel ob alias caussas; quapropter multis etiam plane fuit ignotum. Desumtus est hic tripus ex anaglypho Romano Matthaeiae illustris familiae. Lyra sequens *Fig.* 10. ex museo Cardinalis Alexandri Albani producta est. *Dichordium* sequens *Fig.* 11. ex anaglypho ueteris sepulcri excerptum, instrumentum est quadratum et oblongum, quod ex altera parte continuo minuitur et coarctatur. Non desunt, qui dichordium idem esse putant cum instrumento illo, quod ab Athenaeo *pectis* uocatur. De pectide uero *Athenaeus* quid dicat I, 14. legere facile quisque

 potest.

poteſt. Pectidem porro plurimi id ipſum inſtrumentum eſſe putant, quod aliter *magadin* appellant. *Fig.* 12. lyram nobis offert a ceteris, quas adhuc uidimus, in eo differentem, quod chordae illius luci et oculis non peruiae, ſed machinae ligneae applicatae ſint, ut lyrae hodiernae. Doctiſſimus Blanchinius illam pro *chely* ueterum habet. Deſumta illa eſt ex anaglypho noſodochii S. Iohannis Lateranenſis. Inſtrumentum ſequens *Fig.* 13. Blanchinius modo nominatus pro Hebraeorum *Nabla* habet, et ut Sopater in Athenaeo tradit, a Sidoniis illud uenerat. Manus uero illa extenſa et cornu pro plectro tenens in imagine huius uaſis non comparet; Lyra ſequens triangularis *Fig.* 14. cuius latus unum inflexum eſt, ex anaglypho uillae Mediceae Romae depromta eſt; et quae *Fig.* 15. ſequitur *harpa* ei, quae a pictoribus Regi Dauid adaptari ſolet, ſimillima eſt; eademque forma in ueterum monumentis reperitur. Ceterum harpa haec utraque manu pulſatur, quum in multis aliis tractandis plectro uterentur, cuius formam *Fig.* 16. exhibet. Quantum ad Trigonum *Fig.* 17. attinet, tres tantum chordas habet, quum ſequens *Fig.* 18. triginta quinque chordis ueſtitum ſit. Sequens inſtrumentum *Fig.* 19. triangulum eſt Iſoſceles ſiue aequicrurum, cuius alteri cruri circulus circumdatus, et ab eiusdem uertice et baſi aliquot fila ferrea cum annexis globulis dependent. *Figurae* ſequentes 20. et 21. ex *Kirchero* deſumtae ſunt; unde uero illas exceperit, nobis quidem non conſtat; certe iis inſtrumentis muſicis, quae nos clauichordia uocamus, admodum ſunt ſimilia.

§. 10. Pergimus ad cetera inſtrumenta chordis deſtituta, in quibus tympana atque cymbala cum uariis tintinnabulis, nec non crotala cum crumatibus, et ſcabillo ſiue crupezio numeranda ſunt. Primum locum obtinent *tympana*, quorum formam *Fig.* 22—26. exhibent. Horum primum *Fig.* 22. ex leuiori materia conſtitiſſe uidetur; circulus forte ligneus erat cum pelle ſubtenſa, quae uel digitis uel radio pulſabatur. Deſumtum illud eſt ex *Bellorii* admirandis antiquitatum Roman. Secundum *Fig.* 23. cum tintinnabulis, Vaſconum tympanis ſimile eſt, et haud raro in monumentis inter coetus Bacchicos obſeruatur. Tertium *Fig.* 24. cum radio ſeu bacillo, quo pulſatur, Blanchinius ſe ex ueteri pictura a Bartolo exhibita imitatum eſſe prodit. Quartum *Fig.* 25. in cuius medio tigris repraeſentatur, ex Begero hauſimus. Quintum *Fig.* 26. quo Armenii in officio ſuo Eccleſiaſtico uti ſolent, ſaepe nominatus Blanchinius nobiscum communicauit. Graeci eiusmodi inſtrumenta ἀνάρριπίδια uocant. Eorum officio ipſe Romae aliquando interfui, ubi ἀναρριπιδίοις hisce ſonitum edebant, ut ſacerdotis ſacra celebrantis animum iis excitarent. Tympanis *Fig.* 27—30. *cymbala* iungimus, quorum deſcriptionem et uſum iam ſupra §. 7. indicauimus. *Fig.* 27. et 28. ipſa cymbala *Fig.* 29. et 30. duas puellas ea pulſantes exhibemus. *Fig.* 31. *crumata* uidemus, de quibus ſupra §. 7. iam plura diximus. *Fig.* 32. 33. et 34. uarias *tintinnabulorum* ſpecies repraeſentant. *Fig.* 32. duo tintinnabula de arboris ramo ſuſpenſa uidemus. Inſtrumentum ſequens *Fig.* 33. quo tintinnabulum minus ex maiori dependere uidemus Blanchinius thermarum uſui aptatum putat; ut nimirum ex eorum ſono ſciri poſſet, qua balneum ingredi, eoque rurſus egredi oporteret. Forma ex ueteri anaglypho deſcripta eſt. Inſtrumentum ſequens, quod tympanum tintinnabulis inſtructum prae ſe fert, ad ſtrepitum potius, quam ad harmoniam, concinnatum uidetur. *Crotalorum* formam *Fig.* 35. exhibet; puellae illa tractantes Crotaliſtriarum nomine ueniebant. Denique *Fig.* 36. *ſcabillum* ſiue *crupezium* conſpicimus, de quo ſupra §. 7.

CAPVT III.

De inſtrumentis, quibus ueteres ad ſcribendum utebantur.

§. 1.

Quonam omnino tempore ſcribi coeperit, ſatis certum non eſt. Scriptura ſacra de hoc tacet, et ſcriptores profani ad tempora fabuloſa hanc artem referunt. Nec magis notum eſt, quo foliorum genere, qui primi ſcripſerunt, uſi fuerint. Nos de ueterum ſcribendi ratione breuibus acturi, primo liquorem ad ſcribendum adhibitum, ſecundo folia ſiue chartam, cui inſcribebatur, et tertio ſtylum ſeu calamum, cuius ope ſcribebatur, notabi-

tabimus. In *palaeographia* 1) noſtra *graeca* de his omnibus quidem iam fuſius egimus; ſed quum ibi omnia in medium proferre libuit, quae a ſcriptionis graecae origine ad extrema usque Chriſtianismi ſaecula ſpectarent: multa ſimul retulimus, quae ad infimum tantum aeuum pertinent, quaeque hic pluribus repetere nihil attinere, ab inſtituto certe noſtro remotum ducimus. Hoc itaque loco de iis tantum agetur, quae priſcum aeuum reſpiciunt.

§. 2. De atramento 2) igitur aliisque liquoribus ad ſcribendum uſurpatis primo notamus, quod atramentum a Graecis μέλαν ſiue μέλαν γραφικὸν dictum fuerit; qua poſteriori denominatione a *Clemente Alexandrino* Strom. 6. inſignitur. Latini liquorem ad ſcribendum adhibitum *atramentum*, nonnunquam etiam a graeca uoce ἔγκαυστον, *encauſtum* appellare ſolent. Atramentum hoc librarium autem, ex ſucco loliginis uel ſepiae, quorum piſcium ſanguis ater eſt, fieri ſolebat. Varios atramenti conficiendi modos refert *Plinius* 35, 6. *Atramentum quoque, inter factitios erit: quanquam eſt et terra geminae originis; aut enim ſalſuginis modo emanat, aut terra ipſa ſulphurei coloris ad hoc probatur. Inuenti ſunt pictores, qui e ſepulcris carbones infectos effoderent. Sed importuna haec omnia et nouitia; fit enim ex fuligine, pluribus modis, reſina uel pice exuſtis. Propter quod officinas quoque aedificauere, fumum illum non emittentes: laudatiſſimum eodem modo fit e taedis: adulteratur fornacum balnearumque fuligine, quo ad uolumina ſcribenda utuntur. Sunt qui et uini faecem ſiccatam excoquant: affirmantque, ſi ex bono uino faex fuerit, Indici ſpeciem id atramentum praebere. Polygnotus et Micon, celeberrimi pictores, e uinaceis fecere, tryginon appellabant. Apelles commentus eſt ex ebore combuſto facere, quod elephantinum uocant. Apportatur et Indicum ex India, inexploratae adhuc inuentionis mihi: fit etiam apud infectores ex flore nigro, qui adhaereſcit aereis cortinis: fit et e taedis ligno combuſto, tritisque in mortario carbonibus. Mira in hoc ſepiarum natura, ſed ex his non fit. Omne autem atramentum ſole perficitur, librarium gummi, tectorium glutino admixto: quod autem aceto liquefactum eſt, aegre eluitur.* Libro autem 27. c. 7. atramentum librarium ex diluto abſynthii temperatum litteras a muribus defendere aſſerit.

§. 3. Praeter atramentum, ad titulos 3) et literas maiuſculas ueteres ſaepiſſime minium adhibebant: unde *Ouidius* Triſt. L. I. El. 1. v. 7. ait: *nec titulus minio, nec cedro charta notetur.* In Epiſtola Ammonii ad Carpianum, quam *Euſebius* refert, dicitur, notas cinnabari ſcriptas eſſe. Imperatores quoque ad nomina ſua ſcribenda liquore rubro uel cinnabari utebantur; qui mos a multis hiſtoriae Byzantinae ſcriptoribus commemoratus omnino antiquus fuit; quod Dio L. 40. nomina Imperatorum in uexillis φοινικέοις γράμμασι i. e. *rubris litteris* ſcripta eſſe aſſerit. Mos porro titulos litterasque maiusculas aureis exprimendi litteris, etiam antiqui uſus eſſe uidetur. Vetuſtiſſimi certe codices manuſcripti hoc ornatu condecorantur. In hiſtoria quoque Imperatorum Conſtantinopolitanorum χρυσογράφυς uel χρυσογραφέας (Chryſographos) qui aurum ad ſcribendum adhibebant, reperimus. Priſcis etiam temporibus ea, de quibus in libris agebatur, imaginibus exprimere ſolebant; quod etiam ſaeculis poſterioribus factum eſſe deprehendimus; rarius tamen, quam ſaeculo tertio et quarto. Figuras eiusmodi in ſingulis fere foliis exhibitas uidemus in libris antiquiſſimis; in bibliis ſcilicet graecis Bibliothecae Caeſareae, in Virgilio Bibliothecae Vaticanae, et in Codicibus Dioſcoridis Bibliothecarum Caeſareae, Regiae Gallicae et Auguſtinianorum Neapoli, et alibi.

§. 4. Materia, 4) cui ueteres inſcribebant, ſub uario chartarum genere nota fuit; a Graecis quippe folia quaeque ad ſcriptionem deſtinata χάρτης appellabantur. Inter uarias

 uero

1) libro 1. inde a cap. 1. quocum etiam *Mabillonii* liber 1. c. 8. de re diplom. conferendus, et quae Marchio *Maffeius* recens obſeruauit, non pauca eiusdem argumenti etiam *C. G. Schwarzius* illuſtrauit in diſſertationibus 3. de *ornamentis librorum*, quae Lipſiae iam recuſae ſunt, et *Iac. Frider. Reimmannus*, in idea ſyſtematis antiquitatis litterariae, Hildesh. 1718. 8.

2) de atramento, palaeogr. lib. 1. c. 1. *Mabillon.* de re diplom. lib. 1. c. 10. *Schwarzii* diſſ. 1. quorum compendium ſcire ſufficit; *Petri Mariae Caneparii* uerboſum commentarium *de atramentis cuiusque generis* tot inutilibus rebus ſcatet, ut rarum inuentu eſſe librum, parum referat.

3) uid. *Schwarzii* diſſert. 2dam; et *Reimmannum* p. 593.

4) conf. *Palaeogr.* lib. 1. c. 2. *Mabillonii* de re diplom. lib. 1. c. 8. et *Schwarzii* diſſert. 1mam. *Melchior. Guilandini Papyrum*, ſeu commentarium in *Plinii* de papyro capita; et *Ioſ. I. Scaligeri* animaduerſiones in eum librum; quorum excerpta dedit *Reimmannus* inde a pag. 284. ſeq.

uero chartae ſpecies nullam uetuſtiorem deprehendimus, quam pelles animantium, quae uel ſubigebantur, ut aluta et plicabiles fiebant, ut pelles chirothecarum; uel ita conficiebantur, ut pergamenum uel membranae uitulinae. Pelles illae priori modo ſubactae rarioris uſus fuere, et Iudaei inprimis in exaranda lege ſua, aliisque Scripturae ſacrae libris, iis utebantur; cuiusmodi uolumina in ſynagogis illorum et Bibliothecis publicis paſſim conſpiciuntur. Poſterior pellium ad ſcribendum parandarum ratio, quam pergamenum uulgo appellamus, antiquiſſimi uſus eſt. Pergamenum autem, *Iſidoro* teſte, a Pergami regibus nomen accepit. Quum enim folia ad ſcribendum apta iis non ſuppeterent; pelles animantium ita praeparari curarunt, ut ſcripturae recipiendae idoneae eſſent. Longe alia de cauſſa pelles pergamenas inductas fuiſſe perhibet *Varro* apud *Plinium;* cuius uerba haec ſunt: *mox aemulatione circa Bibliothecas regum Ptolemaei et Eumenis, ſupprimente chartas Ptolemaeo, idem Varro membranas Pergami tradidit repertas. Poſtea promiſcue patuit uſus rei, qua conſtat immortalitas hominum.* Attamen antequam Pergami Reges eſſent, iam pelles animalium ad ſcribendum adhibebantur. Iones certe, Herodoto teſte, quum folia ſeu chartae ad ſcribendum iis non ſuppeterent, pelles ouium et caprarum ſubactas huic negotio aptas reddiderunt; nec ullum chartae genus pergameno longius conſeruatur. Libri quoque, qui ex ſaeculo quarto et quinto ſuperſunt, Virgilius ſc. Vaticanus, Terentius Florentinus, aliique omnes in membranis ſcripti ſunt. Immo tanta eſt membranorum antiquitas, ut origo illarum inueſtigari nequeat.

§. 5. Si porro animaduertimus, quanta chartarum foliorumque copia ad epiſtolas, ſchedas, libros, et quicquid uulgo ſcribi ſolet, opus fuerit; facile intelligitur animalium pelles ad omnes eiusmodi uſus minime potuiſſe ſufficere, maximeque fuiſſe neceſſarium, ut alia chartarum genera excogitarentur. Hinc factum, ut pelliculae illae, quae inter cortices arborum eorumque ligna deprehenduntur, nonnunquam etiam linteamenta atque pugillares ex aere, plumbo et ebore confectae ad hoc negotii adhiberentur. In iis autem arborum plantarumque tunicis, quas *Iſidorus* lib. 6. Orig. c. 14. *libros* uocat, papyrus inprimis Aegyptiaca per totum fere terrarum orbem ad epiſtolas, libros, et quicquid hodie chartae mandari ſolet, adhiberi coepit. Ipſa papyri planta, *Theophraſto* teſte, in Nilo, poſtquam auctior terras uicinas inundauerat, iis praeſertim locis, ubi aqua non plus quam duos cubitos alta fuit, naſcebatur. Radices ea multas et admodum tortuoſas agebat, quarum quae maior eſſet, pugni craſſitudinem habebat, decemque ſaepius cubitos longa fuit. Altitudo caulis ſiue ſcapi, cuius forma triangularis perhibetur, eodem auctore *Theophraſto*, quatuor plerumque erat cubitorum. Nullo porro ex ſemine planta haec progerminabat, nec ullos ferebat fructus, tantaque illius copia ad Nili oras creſcebat, ut *Caſſiodorus* Lib. II. ep. 38. illam ſiluae compararet; unde apud Aegyptios uarius quoque illius uſus fuit. Ex ea quippe calceos parabant, ligamina, ſtupam lucernis fouendis, ſtoreas, culcitras, ſtragula, uela nauium etc. Inopes ex eadem ueſtes ſibi conſuebant, immo ſcaphis nauiculisque conſtruendis papyrum adhibebant. Ad medicinam quoque illa apta putabatur, ut ait *Dioſcorides* L. I. c. 116. Pauperioribus ſaepe cibi loco erat, dum illam mandebant, et ceteris abiectis ſuccum tantum deglutiebant. Radix papyri non igni tantum fouendo inſeruiebat, ſed et ad ſculpturae opera nonnunquam adhibebatur.

§. 6. De foliis autem, quae ex papyri philyra ſ) conficiebantur, ante omnia notamus, philyram hancce alio nomine βίβλον appellari, unde libris ipſis τῶν βίβλων nomen haeſit, graecis χάρτης ſ. charta dicebatur. Nam licet charta, quod iam ſupra monuimus, de quouis foliorum genere ad ſcribendum apto dici poſſit: Plinius tamen ceterique ſcriptores uulgo ſub chartae nomine papyrum inprimis Aegyptiacam intelligunt, nec conuenit inter ſcriptores, quo potiſſimum tempore folia eiusmodi ex papyro ad ſcribendum parare coeptum ſit. *Varro*, quem *Plinius* allegat, hunc uſum ad Alexandri M. usque tempora reiicit, poſtquam Alexandria ab ipſo aedificata fuiſſet; at *Plinius* huius opinionem L. 13. c. 13. refutat, quod *Caſſius Hemina*, auctor antiquiſſimus, in annalibus ſuis memoriae prodidit, P. Cornelio Lucii filii, Cethego et M. Baebio Quinti filio Tamphilo, Conſulibus in agro Ianiculi arcam repertam fuiſſe, in qua *Numa* Rex Romanorum ſitus fuiſſet, in eademque libros

ſ) uid. praeter *Mabillonium, Salmaſii Plinianas* exercitatt. *Reimmanni* antiquitates Aegyptiorum pag. 91. ſeq. *Guilandinum* membro 7. et 10; cuius excerpta habet *Reimmannus* in *idea* ſyſtematis. p. 290. 91.

bros eius in charta scriptos fuisse repertos. Certiores adhuc habemus auctores, etsi minorem uetustatem prae se ferant, quibus conficitur, papyrum Aegyptiacam iam ante aeuum Alexandri M. in usu fuisse; quibus citandis hic non immorabimur.

§. 7. Adornandorum eiusmodi foliorum modus a *Plinio* L. 13. c. 11. et 12. pluribus describitur. Tunicae nempe illae s. philyrae acu separatae iungebantur et turbida Nili aqua intingebantur; et plagulae hae praelo compressae ad solem siccabantur. Nili enim aqua glutini loco erat. Posteriori tempore glutino iungi et ut firmius cohaererent, conglutinari solebant. Hadriano Augusto in Epistola sua apud Vopiscum auctore, Alexandriae imprimis ingens fuit hominum multitudo, quae chartis hisce conficiendis quasi diurno quaestu sibi uictum parabat; unde apud eundem Vopiscum legitur Firmum tyrannum, qui in Aegypto defecerat, *tantum habuisse de chartis, ut publice saepe diceret, exercitum se alere posse papyro et glutino.* Papyri certe per totum imperium Romanum quam maximum olim fuit commercium.

§. 8. Ad libros itaque scribendos et conficienda diplomata papyrus olim adhibebatur. Adeo fragilis uero illa materia fuit, ut nonnisi paucissima eiusmodi monumenta hodie supersint. In hoc chartae genere scriptum est Euangelium S. Marci Venetiis; sed adeo putrida sunt eiusdem folia, ut putredine compacta atque coagulata deterantur iam potius, quam separari possint. *Iosephus* in Bibliotheca Ambrosiana Mediolanensi papyreis item foliis descriptus longe meliori conditione est. Sed singularissimus et ipsa foliorum integritate praestantissimus omnium liber papyraceus epistolae sunt S. Augustini, quarum partem codex ille complectitur; quemque ego ab annis circiter decem Bibliothecae nostrae San Germanensi comparaui. Qui hunc librum scripserunt, quum materiae fragilitatem compertam haberent, post quaterna uel quina folia papyracea unum uel duo membranacea inseruerunt, in quibus scripturam continuabant; quo factum est, ut folia papyracea integra sanaque manserint. Quodlibet autem folium papyri duplex est, quia folium unicum admittendae scriptioni minus fuerat idoneum; id quod *Plinius* etiam innuit, dicens: *transuersa postea crates peragitur*, quae uerba inspectis foliis hisce facile intelliguntur. Quodlibet folium scilicet ex duobus constat, quae longa filamina habent ab ima parte ad summam protensa et ualde conspicua; sic autem coniunguntur et coagulantur, ut unius folii filamina recta ab ima libri parte ad summam dirigantur, alterius uero transuersa imponantur; ex quo crates a *Plinio* commemorata emergit; in qua explicanda multi eruditorum magnopere sudarunt. Haec enim filamina sic decussata cratem quasi texturamque conficiunt. Ex hisce quoque foliis papyreis, hodiernae chartae ex detritis pannis confectae nomen inditum; licet ea a uera charta papyrea quam maxime differat.

§. 9. Officinae in quibus charta ista papyrea conficiebatur, multis iam saeculis desiere; idque uel ideo, quia Aegypto saeculo VII. ab Arabibus subacta commercium Aegypticum Europa et Imperio Constantinopolitano haud ita liberum fuit, uel quod aliud chartae genus inuentum fuerit, quod et solidius et ad usum opportunius esset; charta scilicet bombycina, quae ex bombyce, uulgo *Cotton*, conficiebatur. Et ad huius chartae bombycinae similitudinem papyrus s. charta hodierna ex detritis pannis facta, scriptioni adhiberi coepit.

§. 10. Ad instrumentum quo scribentes utebantur quod attinet, calamus omnium usitatissimus fuit, si quidem atramentum adhiberent; et ualde dubito, utrum pennae usus sit tantae antiquitatis; licet ex *Isidoro* l. 6. c. 14. ubi instrumenta scribentium calamum et pennam esse, ex iisque uerba paginis infigi dicit, recte colligatur, pennarum usum admodum fuisse antiquum; eo quod scriptor hic de usu ueterum plerumque loqui soleat. *Clemens* item *Alexandrinus* L. 6. de sacro aliquo scriba loquens, *deinde autem*, inquit, *sacrorum scriba procedit, habens pennas super capite, librum in manibus, uasculum, in quo atramentum scriptorium, et iuncum* (hic arundinis quaedam species fuisse uidetur) *quo scribere solent.* Praeter calamos et pennas alia quoque habuere instrumenta, cultellos scilicet siue scalpella temperando calamo, circinum, quo linearum spatia metiebantur; item forfices 6)

 ad

6) Harum rerum imagines non rarae sunt in antiquis codicibus; uid. *Palaeographiam* pag. 22. seq. de *Pennis*, quas pictores scriptoribus antiquis suffecerunt, quaedam collegit *Mabillonius* in Supplem. ad diplomat. c. XI. §. VIII.

ad ſcindendam chartam accomodatas; uaſculum plumbeum atramento ſeruando deſtinatum; thecam, calamis cuſtodiendis, et cotem ad ſcalpellum exacuendum.

§. 11. Atramentarium antiquitatis uetuſtiſſimae, quod in thesauro *San-Dionyſiano* aſ- Tab. CVI. ſeruatur *Tab. CVI. Fig. 1.* exhibet. Vſum hoc olim fuiſſe putant S. Dionyſium Galliae Apoſtolum, et primum Epiſcopum Pariſienſem. Tabella eius maior ex ligno Indico forma triangulari concinnata eſt. A medio circiter usque ad imam et anguſtiorem tabellae partem thecae formam repraeſentat quatuor foraminibus inſtructae, et inſerendis totidem calamis adaptatae. Superior et latior tabellae pars utrinque lamina argentea uariis figuris ornata munitur. Suprema quoque et inferior thecae pars ſimili lamina tegitur. Quatuor thecae angulos a ſumma ad imam partem totidem muniunt laminae argenteae minores et clauis argenteis aſſertae. Thecae pars inferior corio ueſtitur ſubnigro et uariis lineamentis exornato. Vaſculum atramentarium ligneum eſt, corio itidem ſubnigro tectum et lamina argentea a ſumma parte munitum. Intus autem aliud habet uaſculum aeneum pro recipiendo atramento. Operculum eius priſcum iam diu periit; quod autem iam extat, et materia et forma diſſimile, ab aliquot ſaeculis ſubſtitutum atque aetate iam ipſum detritum eſt.

§. 12. Stili, quorum acumine ueteres litteras tabellis inſerebant, exemplar unum tantum in palaeographia Graeca 7) dedi, ſed deinde plures reperi, quos hic exhibendos cenſui. *Fig. 2—13.* duodecim ſtilos diuerſae formae proferimus. Primus illorum *Fig. 2.* a Cl. Cauſeo datus; ſecundus *Fig. 3.* ex muſeo RR. PP. Ieſuitarum Veſontionentium depromtus; tertius *Fig. 4.* et nonus *Fig. 10.* eſt ex muſeo Dn. Abbatis Fauuelii. Quinque ſequentes *Fig. 5—9.* a Bonannio dati ſunt; qui hos ſequitur *Fig. 11.* ex muſeo Dn. Boiſot, ſupremae curiae Veſontienſis Praeſidis, proditur, isque ab altera parte cochlearis quaſi uaſculo terminatur, quo ad delenda ea, quae in tabulis ceratis exarata fuere, plerumque utebantur; quum alii, qui in caudam hirundinis deſinebant ad ea eradenda forte adhiberentur. Tabulae eiusmodi, in quibus prius exarata eradebantur, *Palimpſeſta* 8) dicebantur; unde *Cicero* ad Trebatium Ep. L. VII. Ep. 18. *nam quod in palimpſeſto, laudo equidem parſimoniam; ſed miror, quid in illa chartula fuerit, quod delere malueris, niſi forte formulas tuas; non enim puto te meas epiſtolas delere, ut reponas tuas.* Hoc autem, quando conuerſo ſtilo priora delebant, *ſtilum uertere dicebant.* Stilus ille, quem *Fig. 13.* exhibet pro fibula potius habendus uidetur; ut e contrario fibulae multae aliae, quae magno numero in muſeis paſſim conſpiciuntur, a uiris eruditis falſo pro ſtilis ſunt accepti. Etenim minime nobis perſuadere poſſumus, qua ratione aculei illi tam exigui, qui infibulandis tantum ueſtibus inſeruire poterant, brachium totum uiri traiicere potuerint; cuius rei exemplum apud *Suetonium* legimus, ubi C. Iulius Caeſar c. 82. coniuratis inſtantibus necemque ipſi intendentibus brachium Caſſii graphio ſuo traieciſſe dicitur. Stili autem eiusmodi ſeu graphia ex aere olim parabantur, donec inſequenti tempore, quum pueri ludum litterarium frequentantes et inter ſe rixantes ſaepius ſtilis ſeſe mutuo uulnerarent, illi ex oſſe confecti ſunt; unde Atta in ſatyra ita canit: *uertamus aream in ceram, mucroque aremus oſſeo.* Antequam ſtilorum materia mutaretur, ex ſtilorum abuſu multa exorta fuere mala. Sic Antillus apud Plutarchum ſtilo ſauciatus refertur; et Prudentio narrante, Caſſianus martyr ſtilorum uulneribus a diſcipulis ſuis interfectus dicitur.

§. 13. Pueri, qui ad ſcribendum inſtituebantur, parua habuerunt ſcrinia rotunda, in quibus inſtrumenta ad ſcribendum neceſſaria et pugillares ſuos ſeruabant. Tabulae, quibus ueteres inſcribebant, ex uaria materia concinnabantur, ex aere ſcilicet, plumbo, ebore. Ex hac poſtrema materia ſunt muſei noſtri tabellae ſ. pugillares, quorum opercula uariis anaglyphis ornata ſunt. Orae foliorum in iis altiores ſunt, ut in excauata tabula, cera ad hunc uſum illi impoſita, ſuperficies plana eſſet. Schemata eiusmodi tabularum exhibent *Fig.* 14. 15. 16. De ſcriniis hoc addendum, quod ea aſſeruandis quoque inſtrumentis ſiue documentis publicis fuerint adhibita; unde ſcribae publici alio nomine etiam *ſcriniarii* uocabantur. In aula tamen Conſtantinopolitana illi ſcriniariorum nomine ueniebant, qui circa cubiculum Imperatoris ſilentium imponebant, ne quies illius interturbaretur.

CAPVT

7) pag. 21.

8) de *palimpſeſto* uid. *Pauli Leopardi* emendat. lib. 13. c. 11. tomo 3. *Facis* criticae *Gruteri* et *Montf.* palaeograph. pag. 20; qui et *palinxeſti* meminit p. 19. 20. quod eiusdem rei aliud ſit nomen.

Tab. CVI.



1. Atramentarium. 2–13. Variæ stilorum formæ. 14, 15, 16. Pugillares. 17. Mulier colonens. 18. Aratrum cum variis illius partibus. 19, 20. Falces duæ. 21. Rustici olivas colligentes. 22. Rusticus alius sive pastor. 23, 24. Duo instrumenta ad equorum ungulas incidendas apta. 25, 26. Mola et modius, quibus pistores utebantur.

CAPVT IIII.

De arte textoriâ, inſtrumentis agriculturae et piſtorum, nec non manu quadam ſymbolica.

§. 1.

Ex monumentis artis textoriae atque textorum, quae ſuperſunt, textrinam ueterum cognoſcere perdifficile eſt. Si picturis ſaeculo quarto et quinto adornatis fides habenda, haec ars admodum fere ſine arte tractabatur. In uetere *Virgilio* manuſcripto, qui nunc in Vaticano aſſeruatur, et quarti ſaeculi eſſe putatur, mulier uiſitur telam aut pannum texens, quae ſtans uirgam manu tenet, nec ulla nauicula utitur. Qui id fieri potuerit, ut ſolo baculo ſeu uirga texeret, id ego quidem non intelligo; ſed aliis peritioribus examinandum relinquo. Nobis h. l. ex admirandis antiquitatum *Fig.* 17. mulierem colo nentem protuliſſe ſufficiat.

§. 2. Inſtrumenta ueterum ad agriculturam 1) uſitatiora, quae ſuperſunt, paucis complectemur. Aratio longe ſimplicius fiebat, quam nunc in Galliae prouinciis Septentrionalibus; in meridionalibus enim, in Hiſpania atque Italia uetus arandi ratio ſeruatur. Arandi inſtrumenta paſſim in nummis uidemus nec non in anaglypho, quod Sponius in miſcellaneis expreſſit; ſed imagines illae adeo ſunt exiguae, ut aratri partes ex illis accurate dignoſci nequeant. Melius illae diſtinguuntur in manuſcripto monaſterii Benedictinorum S. Mariae Florentiae, ubi interpres Heſiodi arandi inſtrumenta cum omnibus partibus et adiectis Graecis illarum nominibus diſtinctius expreſſit, quales *Fig.* 18. exhibemus. Hic autem uidentur 1) Aratri capulus, ἐχέτλη graece dictus; 2) lignum iugo adhaerens, cui nomen ῥυμὸς, 3) lignum aliud transuerſum quod prius illud lignum cum aratro iungit, cui nomen ἔλυμα. 4) Vomer, graece ὕννις. 5) ἱστοβοεὺς i. e. lignum aratri longius, quod inter utrumque bouem eſt medium ſ. temo. 6) Iugum, graece μέσαβα. 8) Stimulus, cui nomen κέντρον. 8) σφύρα ſ. malleus. 9) ἀψὶς ſiue ligneus rotae circulus. 10) ὕπερον i. e. piſtillum. 11) ὅλμος ſiue mortarium. Inter inſtrumenta metendi ſolam falcem habemus ex columna Traiana *Fig.* 19. 20. cribrum ſupra Tab. VI. Fig. 5. in manu Virginis Veſtalis uidimus. Sponius ex anaglypho quodam *Fig.* 21. ruſticos oliuas colligentes exhibuit, qui culullum geſtant. Apes mellis et cerae gratia in agro fouebantur, qua de re *Virgilius* carmen edidit, et aluearia ex uimine confecta docet; quorum exemplum ſupra Tab. XXXVIII. Fig. 10. imagini ſpei iunctum uidimus. Paſtorum ueſtes, quae *Fig.* 22. repraeſentantur, in uariis monumentis apparent.

§. 3. Duo inſtrumenta, quae Bonannius *Fig.* 23. *et* 24. protulit, Romae prope caſtra peregrina reperta ſunt. Prius illorum incidendis equorum ungulis et ad ferrum recipiendum aptatum eſſe aſſerit. Poſterius, cuius pars ſuprema ad inſtar laminae in ſemicirculum deſinit, inciſionibus in equorum pedibus faciendis et ad tollendam morborum quorundam, quibus pedes equorum obnoxii ſunt, radicem deſtinatum fuiſſe tradit. In nonnullis monumentis Romanis inſtrumenta quaedam piſtorum, molam ſcilicet et modium ea forma uidemus, qua *Fig.* 25. *et* 26. exhibentur, quae iam ſupra Tab. VI. Fig. 9. Veſtae imagini adiectae conſpiciuntur. Piſtores enim Deam hanc in magno honore habuerunt. Antequam autem molarum uſus inuectus eſſet, piſtores frumenta ſua in mortariis pinſebant; unde piſtorum nomen accipiebant. Molam uero inuentam opera aſini circumeuntis cuius oculos contegebant, mouebant; unde molae aſinariae nomen ortum. His ſucceſſerunt tandem molae aquariae quae fluentibus aquis uerſantur, quorum tamen uſus non tam recens eſt, ut quidam exiſtimant.

§. 4. Monumentum prorſus ſingulare offert *Fig.* 27. manum ſcilicet aeneam, manus humanae formam et magnitudinem prae ſe ferentem, ex qua duo digiti exciderunt. In uola illius haec uerba leguntur σύμβολον πρὸς Οὐελαυνίους i. e. *ſymbolum ad Velaunios.* Velaunii Aruernorum confines erant, eorumque regio hodie *le Velai* uocatur. *Symboli* denomina-

1) Exſtant etiam in *Palaeographia Montfauconii* lib. 1. c. 1.

tio uarios ſignificatus ſuſtinet. Primo quidem in ſenſu latiori ſumta ſignificat notam ſeu teſſeram rei cuiusque a propria illius imagine diſtinctam, ut e. c. aquila Iouis, Gallus Mercurii, Aegis Mineruae, pileus libertatis ſymbola dicuntur; quod genus ſymbolorum priſcis temporibus frequentiſſimum fuit; quum praeter Deos urbes etiam, mundi partes, flumina, resque innumerae aliae peculiaribus ſymbolis ſignificarentur; de quibus ſupra pluribus actum eſt. 2) Symbolum uel potius *ſymbola*, genere feminino, ſiue pecuniam ſiue quicquid aliud, quod ſinguli conuiuae ex condicto ad coenam conferebant, denotat; quo ſenſu illi, qui nihil conferentes conuiuiis nihilominus intererant, *aſymboli* nuncupabantur. 3) Symbola etiam ſumitur pro re qualibet, quae a pluribus ad eundem uſum uel finem colligebatur. 4) Symbola quoque dicebantur arrhae ſiue pignora quae e. c. ſponſus ſponſae, uel quiuis alius aliis in ſignum fidelitatis dare ſolebat. 5) In iure ciuili ſigilla ſ. inſignia, quae actis publicis iungebantur, etiam nonnunquam ſymbola uocantur. 6) Teſſerae uel notae fuerunt, quibus fides uel exhibenda uel iam exhibita ſignificabatur; quales ſunt teſſerae contractus, itemque pacti uel foederis inter principes uel populos initi; uti manus ipſa ſeu data dextra ſollemne fidei ſeruandae ſymbolum eſt; quare multa eiusmodi ſymbola paſſim in nummis uiſuntur, ubi modo duae, modo tres manus ſimul iunctae exhibentur. Minime uero dubitamus, quin haec manus aenea ad poſtremam ſignificationem pertineat; ut illa pro ſymbolo Velauniis a conterminis et contribulibus, qui *Strabone* l. 4. teſte, Aruerni erant, in fidem pacti uel foederis dato, habeatur.

ANTI-

ANTIQVITATIS EXPLANATIONE ET SCHEMATIBVS EXPLANATAE

TOMVS QVARTVS

OMNIA, QVAE AD REM MILITAREM ET VEHICVLARIAM, VIAS PVBLICAS, PONTES, AQVAEDVCTVS ET NAVIGATIONEM PERTINENT, COMPLECTENS,

EIVSQVE

PARS PRIMA

DE DELECTV MILITVM, VESTIBVS MILITARIBVS, ARMIS, SIGNIS MILITARIBVS, HORREIS, VARIISQVE MILITVM OPERIBVS, PVGNIS ET MACHINIS BELLICIS AGENS.

LIBER PRIMVS

DE

DELECTV MILITVM, VESTIBVS MILITARIBVS, DEQVE ARMIS PEDITVM VARIARVM GENTIVM.

CAPVT I.

De delectu militum apud Graecos. 1)

§. 1.

Quam nunc aggredimur operis huius pars ad intelligenda rerum olim gestarum monumenta apprime utilis nobis uidetur. Quum enim antiquitatis monumenta cum Historicis scriptoribus non ubiuis consentire notum sit; quo pacto id euenerit, intellectu non admodum est difficile. Scriptorum quam plurimos ea praecipue, quae sua aetate gesta fuerunt, referre uidemus. Quum uero paucissimos in narrationibus suis ad singularia illa, quae formam modumque rerum respiciunt, quaeque uariis et temporum et hominum mutationibus obnoxia fuerunt, satis fuisse attentos, sciamus: minime miremur, si pro ingenii sui modulo res nonnunquam antiquas sub schematibus nouis, quae antiquitati minime respondent repraesentant; ut contra scriptores ipsi iustae cuiusque rei formae

Dddd

1) Praecipua huius capitis argumenta ex antiquitatibus graecis, *laconicis* maxime, illustrari uerbosius possunt. *Meursii Laconica* uolum. 5. Gronouiani thesauri cum aliis huc pertinentibus habeatur; quorsum et *Potteri* facit Archaeologia.

formae et figurae ignari, eiusmodi formam illi induerunt, quae cum temporibus iſtis, quibus factae ſunt, parum conueniunt.

§. 2. De re militari quum hoc libro acturi ſimus, ut ordine procedamus, remque a primis ſuis principiis quaſi deducamus: quo pacto non Graeci tantum et Romani, ſed aliae quoque gentes milites ſuos conſcribere conſueuerint, ante omnia paucis ediſſeremus. Actum ipſum conſcribendi militem Graeci ϛρατολογίαν et καταγραφὴν, Romani *delectum* uel *dilectum* appellabant. Lacedaemoniis quidem nullo militum delectu opus fuiſſe, quilibet facile intelliget, ſi meminerit, illos omnes a prima ſtatim adoleſcentia ad bellum fuiſſe inſtitutos, quandoquidem *Xenophonte* de rep. Laced. p. 685. teſte, Ephoris iubentibus omnes ad bellum proficiſcebantur, equites, pedites, aliique, qui commeatibus et operibus incumbebant. Equites tamen eiusdem gentis ſecundum eundem Auctorem p. 679. certo modo deligebantur. Ephori ſcilicet ex iis, qui prae ceteris bello ſtrenui exiſtimabantur, tres conſtituebant, quos *Hippogretas* i. e. equitum collectores nuncupare ſolebant; quorum quisque centum uiros ſeligebat, cauſſamque explicabat, ob quam ſelectos hosce ceteris anteponeret. Iidem Lacedaemonii ad bellum proficiſcentes, eodem *Xenophonte* p. 686. indice, ueſtibus rubris induti, aeneisque clypeis inſtructi erant; ſi qui amiſſo clypeo ex pugna rediiſſet, capitali poena plectebatur. Ideo uero, uti *Suidas* refert, ueſtimento rubro amiciebantur, ne uulneratorum ſanguis in ueſtibus ſtatim comparens, animos frangeret. Bene quoque capillati erant Spartani, quod ex coma non tantum ſibi ipſis ornatum comparari, ſed aliis terrorem incuti arbitrabantur. Ceterum praeter proprios et indigenas ſuos milites extraneos quoque et ſtipendiarios conducebant, quos τροφίμυς ſeu alumnos appellabant, quod impenſis publicis alebantur.

§. 3. Vniuerſus porro Laconum exercitus ab initio in ſex cohortes diuidebatur, quarum quaelibet quingentos pedites atque equites comprehendebat. Singulis cohortibus praeerant 1) *Polemarchus*, 2) *Centenarii* quatuor, 3) *Quinquagenarii* octo, 4) *Praefecti* ſedecim, quorum quisque uiginti quinque militibus praeerat. Cohortes nonnunquam etiam, ſi ſuadente neceſſitate, ſummo belli duci ita uiſum erat, in turmas admodum exiguas trium ſexue militum diuidebantur. Hic autem militum numerus ſequenti tempore adauctus eſt. Hunc exercitum Rex ipſe nonnunquam ducebat; qui, antequam ad bellum proficiſceretur, *Ioui* ἀγήτορι i. e. *Ductori*, nec non aliis Diis ſacra faciebat. Dei miniſter quispiam ignem ex ſacrificio deſumtum non procul ab urbe ad regionis Laconiae fines deportabat, ubi Rex denuo Ioui atque Mineruae ſacrificare ſolebat.

§. 4. Apud alias Graeciae nationes priſcis temporibus milites ſorte deligebantur. Sed cum ciuitates illae et respublicae exiguae, quibus Graecia conſtabat, cum uicinis multa bella gererent, eos promiſcue conſcribebant. Sic Athenienſes omnes illos, qui uigeſimum annum iam erant emenſi, ad militiam adlegebant; immo octodecim etiam annorum iuuenes ad bellum aſſumebantur; qui tamen urbis tantum et agri praeſidiis cuſtodiendis deſtinabantur. Quumque ab initio aduerſus finitimos tantum bella gererent: ſtipendiarium militem nullum conſcribebant; ſed qui ad expeditionem bellicam proficiſcebantur, ſuo quique ſumtu bellum gerebant; id quod iis non adeo fuit moleſtum, quod prouincia tum tantae non erat amplitudinis, ut domo ſuffici a quoque neceſſaria non potuerint. Pro ſtipendio uero adire militiam, Athenienſibus turpe uidebatur. Sed ſequiora tempora in his quoque alium morem requirebant. Antequam ad bellum proficiſcebantur, milites in lyceum conuocabant, ut luſtrarent et recenſerent, qui ad pugnandum aptiores uiderentur, quos deligerent. Pericles primus militem ſtipendiarium conſcripſit, quod iniquum putaret, pauperes et artifices, qui diurno quaeſtu familiae ſuae uix alimenta pararent, ad militares expeditiones abducere. Ex hoc itaque tempore exercitum ſtipendio cogere coeptum eſt; uictisque ciuitatibus imperabant, certum militum nauiumque numerum ad bella ingruentia ſiſtendum.

§. 5. Milites, ut tradit (Aelianus) impreſſa manibus ſuis ſigna ſeu ſtigmata habebant, quae ipſa nonnunquam Ducum nomina, uel aliud quidpiam exprimebant. Conferatur de his etiam *Vegetius* L. II. c. 5. et *Potterus* in Archaeolog. L. III. c. 2.

CAPVT

CAPVT II.

De delectu militum apud Romanos. 1)

§. 1.

Romae delectus maiores per Consules fiebant; eorum loco nonnunquam *Tribuni militares Consulari potestate;* et si Dictator creatus erat, hoc eidem competebat. Postquam Romanorum dominium Italiae fines excessit: Proconsules quoque, Praetores, aliique Magistratus delectui huic habendo operam dabant. Si Consules militem conscripturi erant, (*Polybius* VI, 17.) Romanos omnes aetatis militaris sese sistere oportebat, capitisque poena iis indicta fuit, qui sese occultantes militiae eiusmodi subducerent; nec, si quis tentaret maxime, id poterat, quod non uiuentium tantum, cum nascerentur, sed defunctorum quoque nomina in tabulis erant conscripta. Aliquae tamen fuerunt caussae, quae absentes excusabant; qua de re *Aulus Gellius* XVI, 4. ita loquitur: *militibus autem scriptis dies praefiniebatur, quo die adessent, et ut citanti Consuli responderent: deinde ita concipiebatur iusiurandum, ut adessent, his additis exceptionibus, nisi harumce quae causa erit, funus familiare, feriaeue Denicales, quae non eius rei causa in eum diem collatae sint, quo is eo die minus ibi esset; morbus sonticus auspiciumue, quod sine piaculo praeterire non liceat; sacrificiumue anniuersarium, quod recte fieri non posset, nisi ipsus eo die ibi sit; uis hostisue, status condictusque dies cum hoste.* Praeter has caussas adhuc aliae fuerunt, ob quas a militia nonnulli eximebantur, e. c. quando quinquagesimum aetatis annum iam erant emensi; etiamsi per uiginti annos nondum meruissent; annos enim uiginti qui meruerant, a militia erant exemti. His addendi etiam illi, qui magistratum aliquem ciuilem gerebant, qui officio sacerdotum fungebantur, qui a populo et senatu immunitate hac donati, aut qui manci uel mutili corpore erant. Vrgente tamen necessitate nulla erat immunitas; quandoquidem ingruente bello Gallico ipsi quoque sacerdotes ad militiam proficisci iubebantur. E contrario saepius inuenti sunt, qui quum a militia recedere potuissent, sua sponte illi nomen dabant; quos *Liuius* I, 31. *Voluntarios* uocat.

§. 2. In ipso delectu Consules, teste *Cicerone* de diuinatione I, 45. obseruabant, ut primus miles bono nomine fieret; quod *Festus* in uoce *Lacus Lucrinus* ita explicat: *ominis boni gratia in delectu censuue primi nominantur VALERIVS, SALVIVS, STATORIVS; Valerius quidem a ualendo, Saluius a Salute et Statorius a stabilitate* s. firmitate. Porro in delectu hoc uiri a decimo septimo aetatis anno ad quadragesimum sextum usque conscribebantur; prouectiores non nisi urgente necessitate uel deficientibus aliis deligebantur. Pro primis autem legionum cohortibus tales deligebantur, quorum statura sex pedum esset, aut saltem quinque pedes et decem pollices. Hic ex *Vegetio* I, 5. in mentem reuocandum est pedem ueterum Romanorum eundem fuisse ac hodiernum Romanum, qui uno tantum pollice pede nostro regio minor est. Sociarum ciuitatum praefecti certum statutumque militum numerum ad condictum locum mittere iubeantur. Equitum autem numerus pro ratione ad peditum numerum habita deligebatur.

§. 3. Septendecim annorum iuuenes ad militiae exercitia conscribebantur, et per totum hoc tempus, quo exercitiis eiusmodi incumbebant, sumtu reipublicae alebantur, neque prius milites esse censebantur, quam sacramentum militare praestitissent; nec cuiquam licebat sacramento nondum praestito contra hostem pugnare, quae lex adeo seuere et stricte seruabatur, ut Postumius Dictator et L. Manlius Torquatus filios, quod eam uiolassent, necari iusserint; qui enim sacramento nondum praestito hostem occideret, homicida existimabatur. Ideoque, *Cicerone* teste, de officiis I c. 11. Cato Censor, postquam filius eius sub Paullo Aemilio meruerat, uoluit, ut si in exercitu remaneret, secundo sacramento obligaretur, quod priore amisso iure cum hostibus pugnare non poterat.

1) Plura de *sacramento, stipendio, uestitu, cohortibus,* aliisque, quae hoc et seqq. capitibus occurrunt; collegit *Rath. Hermannus Schelius; Salmasius, Patricius,* de re militari Rom. scriptores tomo 10 *Graeuii* excusi.

§. 4. Sacramenti forma non una eademque apud ſcriptores occurrit. Nam *A. Gellius* XVI, 4. eam ex Cincio ſic effert: *Decem millia paſſuum prope furtum non facies dolo malo ſolus, neque cum pluribus, pluris nummi argentei in dies ſingulos. Extra haſtam, haſtile, ligna, pabulum, utrem, follem, faculam: ſi quid ibi inueneris, ſuſtulerisue, quod tuum non erit, quod pluris nummi argentei erit, uti tu ad Conſulem proferas.* Ex T. Liuio autem 22, 38. *iurabant, ſeſe fugae aut formidinis ergo non abituros, neque ex ordine receſſuros, niſi teli ſumendi, aut petendi, aut hoſtis feriendi, aut ciuis ſeruandi cauſſa.* Sub Imperatoribus haec forma mutata eſt.

§. 5. Equitum delectus ex peditibus fieri conſueuit; ſed ii tantum deligebantur, qui pinguiori erant fortuna et probitatis fama clari, hique ab iſtis Equitibus diſtinguebantur, qui equum publicum, reipublicae nomine iis datum, habebant. Qui enim equum eiusmodi publicum non habebant, equo pereunte inter pedites pugnare poterant; illi non item; eo quod quotannis certam pecuniae ſummam accipiebant, qua equum emerent alerentque.

§. 6. In Ordinibus exercitus illi *Socii* dicebantur, qui non eſſent Romani, ſed in aliis Italiae ciuitatibus conſcripti; *auxiliares* uocabantur, qui ex aliis exteriſque nationibus adſciſcerentur. Sociis frumentum tantum ſuppeditabatur, auxiliariis uero ſtipendium; quod tamen non ſemper, nec ubique factum eſt. Exterarum quippe gentium reges auxilia ſaepe ſuo ſumtu mittebant et alebant. Itali quoque ſacramentum praeſtare ſolebant, auxiliarii non item.

§. 7. Porro militum quidam *euocati* dicebantur, Veterani ſc. equites peditesque, ſiue ex Romanis ſiue ſociis adlecti, uiri experientia et ſapientia praediti. *Euocati* uero audiebant, quia precibus denuo ad militiam euocabantur, licet annos militiae iam eſſent emenſi; iique ab operibus et cuſtodiis erant immunes, et aliis ſimul priuilegiis fruebantur. Imperatorum aeuo ii quoque *euocati* dicebantur, qui ad Principis cuſtodiam erant delecti. Euocatio autem fieri conſueuit, emiſſis huc illuc nunciis, qui copias colligerent, uel, ut uerius dicam, euocarent.

§. 8. Militiae ſeu potius delectus ad militiam tria fuerunt genera 1) Sacramentum, 2) Coniuratio, 3) Euocatio. *Sacramentum* eorum erat, qui Duci ſponte ſe offerebant, quique ſacramentum praeſtabant, quod miſſionem, quam *exauctoramentum* uocabant, niſi poſt 20. ſtipendia petere nolint. *Coniuratio* dicebatur, ſi ob temporis anguſtias Dux exercitus in Capitolium adſcendebat, et roſeo vexillo prolato pedites, coeruleo equites ad bellum euocabat, clamans: *qui ſaluam uult rempublicam, me ſequatur.* Tunc quicunque militiae nomen dare uolebant, cum tumultu accurrebant, iuratique fidem dabant; unde *coniuratorum* nomen ſortiebantur.

§. 9. Qui in militia uiginti annos tranſegerant *Veterani* uocabantur; qui ſponte merebant, *Beneficiarii* nuncupabantur; ut nimirum Conſulum, Imperatorumque gratiam ſibi conciliarent, nec non praemio aliquo mactarentur. Hi quidem in cohortibus ſub ſignis militaribus ſtabant, ſed ab excubiis et operibus Valli et caſtrorum, plane erant immunes. Nonnunquam Centurionum quoque officio fungebantur. Beneficiariorum nomen uarios admittit ſignificatus; nec inter ſcriptores ſatis conuenit, qua potiſſimum ratione nomen hoc iis inditum ſit.

CAPVT III.

De uariis militum Romanorum Claſſibus atque Ordinibus.

§. 1.

Poſt militum delectum, uariae, in quas iidem diuidebantur, claſſes cum ipſo militari ordine ratione regiminis conſiderandae ueniunt. Si itaque diuerſas militiae Romanae claſſes reſpicimus: eam primum in *Velites*, *Haſtatos*, *Principes* atque *Triarios* fuiſſe diuiſam ſatis notum eſt. *Velites* appellabantur leuis armaturae milites, qui pro infima exercitus parte computabantur, eminusque pugnabant fundis, lapidibus atque ſagittis; uelitationibus

nibus porro, procursationibus et explorandis hostium castris inseruiebant, et a tergo legionum dimicabant. Ad leuis armaturae milites etiam referendi sunt *Rorarii* atque *Accensi*, quorum illi hastis seu iaculis, hi fundis lapidibusque pugnabant. *Hastati* ab hastis, quas gerebant, nomen traxerunt, et plerumque iuniores erant milites, qui pugnantes in fronte legionum stabant, primosque hostium impetus excipiebant. Hastae illorum aeuo Titi Imperatoris ad Theodosii usque tempora uiri staturam non multum excedebant, sex circiter pedes regios longae; ubi hoc simul notandum, quod Duces pariter ac milites eiusmodi hastas habuerint. Post hastatos in acie illi stabant, quos *Principes* uocabant, qui clypeo et gladio erant armati; nec desunt, qui hos perinde atque hastatos hastas habuisse asserunt; quod certe cum monumentis, quae adhuc supersunt, apprime conspirat. Principum in quauis legione quindecim erant centuriae. Tertium ordinem tenebant *Triarii*, unde etiam ita nominati fuere. Hi selectissimum cuiusque legionis robur erant; ueteres scilicet milites, gladio et pilo i. e. hasta breuiori siue iaculo armati, qui in eo, quo stabant loco, scutum pilumque suum defigebant, flexoque genu dextro pugnandi signum exspectabant; a pilo *pilani* quoque nonnunquam appellantur.

§. 2. De legionibus notandum, quamlibet earum 60. centurias, manipulos 30. et decem cohortes complexam esse. Cohortem milites 600, manipulum 200, centuriam centum explebant; ex quo simul apparet, manipulum in duas centurias, quae singulae centurionem suum habebant, fuisse diuisum. Numerus militum, qui legionem complebant, non semper idem fuit. Ab initio legio tria tantum millia comprehendebat: qui numerus subsequenti tempore ad quatuor uel quinque, immo sex usque hominum millia adauctus est. Ita nec legionum, quibus exercitus consistebant, numerus unus idemque semper deprehenditur. In nummis M. Antonii legiones numero triginta uisuntur. Inscriptio a *Fabretto* publicata p. 619. quadragesimam legionem commemorat, et *Appianus* de bello ciuili I, 5. legionum numerum ad 43. usque adauctum, sed ab Augusto rursus minutum esse, commemorat. Vespasiani tempore triginta septem legiones erant, quae secundum eum, quo constitutae fuerunt, ordinem, prima, secunda, tertia etc. nuncupabantur. Ex regionibus non raro, in quibus militabant, nomina iis indita fuere; sic e. c. Gallicae, Italicae, Pannonicae, Hispanicae, Britannicae, Macedonicae, Parthicae, Scythicae etc. nominabantur. Aliquando a Diis nomina sua accepere, ut e. c. alia Martia, alia Apollinaris, Mineruia etc. diceretur; item ex Imperatoribus, unde nomina legionis Augustae, Flauiae, Claudiae, Antoninianae; item ex conditione sua et moribus peculiaria nonnunquam nomina sortiebantur, ut alia Rapax, alia Victrix, Fulminatrix, Ferrea, Pudica, Salutaris etc. nuncuparetur.

§. 3. Equitum alae in turmas decem diuidebantur, et in qualibet turma 30. erant equites, ita ut in ala 300. equites haberentur. Turmarum numerus cohortium numerum in qualibet legione adaequabat; et singulae equitum turmae in tres distribuebantur decurias; decem scilicet equitum, quod ipso nomine significatur. Alas autem auxiliorum plerumque copiae, equites uidelicet et pedites, occupabant; eorumque equitatus Romano semper numero erat maior; eo quod alae ipsorum 600. equites comprehendebant. Quum enim delectus equitum in agris fieret, maior equorum numerus ad manus erat. *Cohortes Praetoriae* auctore Dione I, 55. decem numero fuerunt, quarum singulas mille milites explebant, eaeque ab Augusto erant institutae. Tacitus nouem tantum commemorat; sique perpendimus, non raro mutationem in eiusmodi rebus factam esse, utrique forte credendum; quod quisque talem rerum statum refert, qualis ipsius aetate fuit. Similis dissensus obseruatur in cohortibus, quas *urbanas* uocabant. Dio quippe quatuor eiusmodi cohortes urbanas commemorat, quae simul sumtae sex equitum millia complexae fuerint. Tacitus uero tres tantum recenset. Idem *Tacitus* Hist. L. 2. c. 93. sexdecim cohortes Praetorias refert et quatuor urbanas, quae singulae mille militum fuerint; unde liquet numerum cohortium mutationibus ualde fuisse obnoxium.

§. 4. Ordo militaris ratione regiminis hic erat. *Duces* exercitus reipublicae tempore Dictatores erant, (si quidem necessitate urgente tales essent) Consules, Proconsules, Praetores, Propraetores; hique belli gerendi administratores *Imperatoris* nomine insigniebantur; quod tamen nomen, belli Ducibus etiam tunc dari consueuerat, si praecipue strenuum aliquod in bello facinus ediderant. Hi Duces, principatus sui signum, lictores habebant

 cum

cum fascibus; ipsi paludamentum gestabant, quod pallii genus erat. Sed Imperatorum aeuo in his quoque pleraque fuerunt immutata. Ducibus his porro tum a republica, tum ab Imperatoribus certi iungebantur *Legati*, qui ipsis a consiliis essent, iisque absentibus cum insignibus imperii exercitui praeessent. Numerus Legatorum non status erat; nonnunquam enim tot in exercitu erant Legati; ut quisque legioni suae praeesset.

§. 5. Post Duces legionibus imperabant *Tribuni;* quorum in quauis legione sex numerabantur. Ipsum Tribunorum nomen exinde profectum uidetur, quod legio tribus olim militum millibus, ex tribubus Rhamnensi, Luceria et Tatiensi, constiterit. Quum dein legiones ad sex usque militum millia auctae essent, Tribuni sex constituebantur, quorum singuli mille armatis praeerant. Primos Tribunos Romulus instituit; reipublicae tempore a Senatoribus deligebantur; nonnunquam etiam populus per suffragia id muneris dignioribus impertiebat. Ceterum Tribuni alii equites erant, alii plebeii. Belli tempore Tribuni creabantur Senatores, qui *laticlauii* dicebantur, quum contra equites *angusticlauii* uocarentur. Munia Tribunorum erant excubiis signa dare, uigilias custodiasque constituere, de capite cognoscere et sententiam dicere, munitionibus et castris aduigilare. Insigne honoris annulus aureus iis erat, cuius usus equitibus quoque concessus erat; milites ferreo tantum annulo utebantur. Vestis Tribunorum et Centurionum quoque ornatior erat, iisdemque peculiares quoque additi fuerunt apparitores, ut ipsis belli Ducibus, quod honoris signum iis subsequenti tempore sublatum est.

§. 6. A Tribunis consensu Consulum et dein Imperatorum deligebantur *Centuriones*, in quorum delectu natalium aliqua ratio haberi solebat. Sed nonnunquam etiam infimae sortis milites rebus praeclare et strenue gestis ad dignitatem Centurionum prouehebantur; talesque *promotos* appellabant. Ex singulis porro manipulis, quarum in quauis legione triginta fuere, totidem uiri deligebantur, quos *Primipilos* uocabant, qui ceteris, qui secunda eiusmodi electione 30. uirorum eligebantur, aliquo gradu praeeminebant. Insigne Centurionum uitis erat.

§. 7. Centuriones hoc modo electi rursus alios deligebant, qui ab agminis tergo aduigilarent et quasi Centuriones secundi essent; unde *Succenturionum* et *Optionum* nomen iis haesit; eo quod a Centurionibus optarentur s. eligerentur. Obiter hic notandum, quod ex Succenturionum nomine uox *Succenturiatus* orta sit, qua ii significantur, qui ad alius munus simul cum eo exsequendum deputati sunt. Succenturiones isti olim alio nomine etiam *Accensi* dicebantur. Alii uero putant, accensos fuisse milites, qui funda et lapidibus decertabant, atque in militia postremi erant. Hi tamen accensi ab aliis eiusdem denominationis, qui Magistratibus dicto audientes aderant, probe sunt distinguendi. Hi scilicet iidem fere cum iis erant, qui alias *Apparitores* nuncupabantur.

§. 8. Centuriones et Optiones, duo simul *Vexillarios* eligebant, ut altero uel absente uel aegrotante, alter illorum partes expleret. In monumentis passim etiam *Suboptionum* mentio fit, qui iidem cum Optionibus secundis fuisse uidentur. Centuriones primi locum suum habebant in prima legionis cohorte; duo ex illis duorum primorum hastatorum locum occupabant; primus quoque illorum, quos Principes appellabant, Centurio erat. Primipilus siue is, qui Centurio Primipili dicebatur, Centurionum quasi Princeps erat; praeterquam quod centuriae imperabat. Hic enim mandata a Duce uel Tribunis accepta in uulgus edebat; ad nutum illius milites uel procedebant, uel gradum sistebant; isque primam etiam aquilam regebat, atque si proficiscendum erat, eam in terra defixam euellere et signifero tradere solebat, eamque in proelio defendebat.

§. 9. Hi omnes, Tribuni, Centuriones, Succenturiones, aliique olim a ueste distinguebantur; quamuis in columna Traiani nullum in uestibus discrimen appareat, nisi praecipuorum in exercitu et Tribunorum, quibus eadem omnino cum ipsis Imperatoribus uestium forma fuit; ita ut solo colore ab iis distinctae uiderentur. In uestibus tamen grauioris armaturae militum maior exhibetur differentia; de qua infra pluribus agetur. Signiferi et tubicines prae ceteris ex pelle leonis, qua caput tegebant, dignoscuntur.

§. 10. Imperatoribus peculiares etiam iuncti fuere custodes, quos *Speculatores* uel alio nomine *corporis custodes*, nonnunquam etiam *corpore custodes* appellabant. Alii, qui equos

pro



1. Protome Alexandri M. 2. 3. Statuæ Pyrrhi Regis Epiri. 4. Ptolemæus Evergetes. 5. C. Iulius Cæsar. 6. Augustus. 7. 8. M. Aurelius à parte antica et postica. 9. Domitianus. 10. Antoninus Caracalla. 11. Constantinus Versaliensis. 12. Alius Imperator. 13. Traianus cum aliquot Tribunis vel Prætoribus.

pro exercitu comparatum ibant, hos ſternebant et tenebant, quum Imperator aut herus equum conſcendere uellet: *Stratores* dicebantur; quod munus non tantae dignitatis fuiſſe uidetur primis Imperatorum ſeculis, quantae ſequioribus temporibus eſſe coepit.

§. 11. Tandem hoc loco non praetereundum eſt munus *Magiſtri Equitum*, quod tempore reipublicae admodum erat inſigne. Ingruente ſcilicet bello, quum periculi quicquam portenderetur, Dictator creabatur, cui Magiſter equitum iungebatur, idemque a Dictatore, ſimulac ipſe deligebatur, cooptatus fuit, et Dictatorem auctoritate paene aequabat. Hoc autem munus Imperatorum tempore exſpiraſſe uidetur.

CAPVT IV.

De ueſtibus militaribus atque armis Graecorum et Romanorum.

§. 1.

De ueſtibus militaribus, deque armis Graecorum pariter atque Romanorum, item aliarum gentium paucis acturi, a Graecis, pro more noſtro, ad Romanos procedemus, qui armorum, ueſtium, aliarumque rerum uſum atque formam ab Hetruſcis mutuati ſunt; quorum magnam partem ipſos Hetruſcos a Graecis accepiſſe notum eſt; quapropter Pyrrhus, Rex Epiri, quum bellum inferret Romanis, quos Graeci, ut alias nationes omnes, pro barbaris habebant, illorum caſtra et ordines conſpicatus, caſtra haec barbarorum minime ſibi barbara uideri, profeſſus eſt. Conferri hic meretur *Florus*, qui L. 1. c. 5. *Tarquinius Priſcus*, inquit, *Corintho oriundus Graecum ingenium Italicis artibus miſcuit. Duodecim namque Thuſciae populos frequentibus armis ſubegit; inde faſces, trabeae, curules, annuli, phalerae, paludamenta, praetexta; inde quod aureo curru quatuor equis triumphatur; togae pictae, tunicaeque palmatae; omnia denique decora et inſignia, quibus imperii dignitas eminet.* Quum uero pleraque eorum, quae de ueſtitu militari dicenda forent, ex ipſis ſchematibus longe facilius, quam amplo uerborum apparatu dignoſcantur, ſine omni ambage, praecipuas belligerantium ſtatuas atque imagines ob oculos ponemus.

§. 2. Primo omnium loco *Tab. CVII. Fig. 1.* elegantiſſima Alexandri Magni protome, quae in muſeo Domini Mareſchalli d'Etrées conſpicitur, ſeſe nobis offert. Solum autem caput, collum et caſſis a prima illa et antiqua manu profecta ſunt; pectus uero et brachia, cum omnibus aliis ornamentis, a Girardonio, ſculptore celeberrimo, addita ſunt. Caput porphyreticum, inſigne opus eſt; quod omnibus artis ſummae notis ſplendet. Materia enim quamuis duriſſima ſit, in uultu tamen animi magnitudinem, ingentemque in periculis quibusuis ſubeundis audaciam facile perſpicies et obſtupeſces; ita quidem, ut cum celeberrimis illis opificiis, quae omnes ad ſui ſpectaculum euocant, cum Hercule nempe Farneſio, Meleagro Pichineo, Apolline et Laocoonte in aedibus Beluedere dictis, Venere item Medicea, immo etiam cum Ioue Verſalienſi, conferri iure ſuo poſſit. Nos hic et caput et humeros cum pectore ad fidem imaginis, quam ipſe Girardonius aeri incidi curauit; proferimus; quae tamen ad natiuam archetypi elegantiam minime pertingit, immo eam nonniſi imperfecte refert. Summum enim in delineatione artificium requiritur, ſi quis totum archetypi decus in delineatam imaginem transfundere cupiat. Tab. CVII.

§. 3. Proximus Alexandro eſto Pyrrhus *Fig. 2.* qualis in aedibus Marchionis de Maximis Romae uiſitur. Huius galea ſuperne tribus auibus exornatur, quarum media criſtae locum obtinet, ipſa galea caſſidum Graecarum more profunda uidetur. Romani etiam hoc galearum genere nonnunquam uſi ſunt; praeſertim in imaginibus Deae Romae comparet. In thorace illius ſiue lorica caput Meduſae conſpicitur, duoque pegaſi, quos tutius, pro gryphis accipias. A zona faſciae dependent, quales in ueſtibus heroicis non raro uidentur. Calceamentum compagus eſt ſiue ocrea, graecis κνημις dicta, ut digiti pedum omnes compareant. Clypeus hexagonus eſt et oblongus; pallium, Romanorum paludamento ſimile, chlamydis formam refert. Dextra baculum breuem ſeu ſceptrum tenet, ſiniſtra clypeum terrae innixum. *Fig. 3.* aliam exhibemus eiusdem Pyrrhi imaginem, quantum ad uultus lineamenta pertinet priori illi perquam ſimilem, ſed cuius armatura cum ornamen-

namentis ceteris admodum dissimilis est. Minime enim putandum, heroas illos uno semper habitu processisse, nullamque unquam armorum admisisse uarietatem. Cassis eius Graeco more concinnata cristam habet ab alterius imagine plane diuersam, sed cassidi Alexandri Magni similiorem. Hic hastam tenet, ille sceptrum, huius lorica et caliga militaris longe simplicior; clypeus hic formae ouatae est, ille hexagonus. His *Fig.* 4. subiungimus schema Ptolemaei Euergetis, quod ex *Cosma* Aegyptio desumtum est. Depictum est ad fidem statuae cuiusdam Ptolemaei prope Axumin in Abessinia positae. Huius uestis militaris praecedentibus longe simplicior est, clypeus formae ouatae, hasta uno pede ipso Ptolemaeo longior. Ceterum a capite ad calcem adeo stricta est uestis, ut fere nudi uiri forma uideatur.

§. 4. A Graecis ad Romanos transimus, quorum uestes militares cum Pyrrhi aliorumque Graecorum habitu in multis ita conueniunt, ut facile credas, Romanos uestes istas a Graecis desumsisse. Sic militaris I. Caesaris uestis *Fig.* 5. praecedentibus omnino affinis est; thorax, cuius medio praecinctus est, uariis figuris, gryphis inprimis, exornatur; paludamentum solito longius est. In Augusti statua *Fig.* 6. lorica ad Zonam usque simplex est, ut corporis forma quasi nuda compareat; paludamentum praecedenti persimile, eaque calceorum forma uterque utitur, qua infima pedis pars non obtegitur; nisi forte pedes, qui nobis nudi uidentur, udonibus tecti sint, in quibus digiti comparent, ut in chirothecis; hoc autem calceamentorum genus *compagum* supra nominauimus. Augustus idem paruum gladium tenet, quem parazonium nominabant; chlamys siue paludamentum I. Caesaris et Augusti longius est, quam aliorum Imperatorum. His *Fig.* 7. *et* 8. Marci Aurelii imaginem ex museo nostro iungimus. Obseruatu illa omnino digna est ex modo, quo paludamentum complicatur; quod facilius oculis perspici, quam uerbis describi potest; quapropter faciem illius anticam et posticam offerimus. Manu haec statua parazonium tenebat, cuius pars delapsa est.

§. 5. Statua sequens Domitiani *Fig.* 9. quae Romae uisitur, omnium pulcherrima est. Declinauit itaque et temporum iniuriam et iustam senatus indignationem, qui secundum *Suetonium* c. 23. scalas inferri, clypeosque et imagines eius coram detrahi et solo affigi iussit, ut monumenta illa aboleret, quae principis huius omnibus postea saeculis ob immanitatem abominandi memoriam seruare possent. Veste militari indutus est, et lorica aliisque ornamentis, explicatu difficilibus, tectus. Eques Maffeius putat, duas mulieres in lorica exhibitas duo esse monstra marina, quomodo pictores hodierni Sirenas repraesentant. Sed Sirenes non in pisces, sed in aues desiisse, supra docuimus. In eadem lorica puellus conspicitur dorso animalis minus noti insidens. Ipse Domitianus sinistra globum, imperii symbolum, tenet; dextra sceptrum erigit; calceamenti forma minus est uulgaris. Antonini Caracallae statua *Fig.* 10. cuius brachium dextrum truncatum est, Romae in aedibus Farnesiis conspicitur, et a loricae ornamentis spectabilis est. Sub Zona duo gryphes sese contra intuentur, et infra eos aquila conspicitur. In semicirculis porro, qui in loricae ora infima comparent, uariorum animalium capita uisuntur; calcei ea forma sunt, quae ocrearum olim nomine ueniebant. Qui *Fig.* 11. sequitur Constantinus, Versaliensis, Romano more armatus, ob plura obseruandus est. Thoracem et paludamentum gestat, ut Imperatores alii omnes, manuque sinistra sceptrum erigit. In thorace uictoria depicta est cum machina, quam uix internoscere possis. Gladius, eius a pectore dependens, adeo breui instructus est lamina, ut, si ex statura Imperatoris mensuram examines, uix unius pedis longitudinem reperias. Calcei eius, quae ad genua fere ascendunt, omnino spectabiles sunt, et a forma uulgari multum recedunt. Clypeus formae est ouatae. Ceterum et clypeus et gladius, ita gestati, inferius aeuum redolere uidentur; nec in imaginibus Imperatorum primi et secundi saeculi hac forma conspici solent. Alius Imperator *Fig.* 12. in lorica duas uictorias praefert, et sinistra parazonium tenet.

Tab. CVIII. §. 6. Schemata sequentia *Fig.* 13. et *Tabula CVIII.* sequente *Fig.* 1—5. obseruatu sunt dignissima; eo quod uestes militares Imperatorum, Tribunorumque a Traiano ad Constantinum usque exhibent. Traiani uestis militaris, qualis *Tab. CVII. Fig.* 13. conspicitur, in columna Traiani saepius uisitur, et a ueste illorum, qui ipsum comitantur, parum differt; hoc uno scilicet discernenda, quod loco fasciarum, in ima loricarum parte dependentium, pannus sit, cuius medium limbo quodam, aut fimbria undique exornatur. Qui illi adstant

uel



1. Traianus 2. Idem cum Tribunis vel Prœtoribus. 3. M. Aurelius cum Trib. 4. Septimius Severus cum Tribunis. 5. Constantinus M. 6. Levis armaturæ miles. 7. 8. 9. Gravioris armaturæ milites. 10. Signifer. 11. Tubicen. 12. Miles lorica squammata indutus. 13. Duo milites ex arcu Severi. 14. Miles ex ævo Constantini.

Tab. CVIIII



1. Miles ex ævo Theodosii. 2–7. Milites Romani vario habitu. 8. Miles commilitonem vel mortuum vel saucium humeris gestans. 9.10. Duo milites Hetrusci ævi vetustissimi. 12. Miles Romanus cum gladio insolito. 11,13,14,15. Milites Hetrusci sequioris ævi.

uel Praetores sunt, uel Tribuni. Traianus imperantis more manum extendit, altera uolumen (seu mappam) tenens, quod etiam alibi non raro uisitur. *Tab. CVIII. Fig.* 1. idem Traianus gladium tenet, cuius lamina uagina tegitur. Alia plane ueste indutum hunc Imperatorem exhibet *Fig.* 2. uestis enim haec duplicata est, et hiberno tempori destinata uidetur. Eiusdem formae uestimentis utuntur, qui ipsum comitantur Tribuni. M. Aurelius Imperator *Fig.* 3. in columna sua eadem forma conspicitur, qua hic exhibetur. Qui lateri eius adstant Praetores uel Tribuni eodem fere, quo Imperator, modo sunt uestiti. Hasta Imperatoris perbreuis est, pilumque forte refert; quae autem sub thorace eius defluunt, iis non omnino similia sunt, quae sub Traiani lorica dependere uidimus. Septimius Seuerus, quem *Fig.* 4. exhibet, ab Imperatore Traiano, uestimenti ratione non multum differt; qui uero illum comitantur Tribuni, uestitu ab eo quam maxime discrepant. Qui *Fig.* 5. sequitur Constantinus Magnus eodem fere, quo praecedentes, uestis militaris cultu ornatus est; clypeum tenet plusquam tripedalem, si cum eius statura comparetur.

§. 7. Praetores atque Tribunos eadem fere ueste, qua Imperatores plerunque usos fuisse, iam aliquoties monuimus. In militibus uero duo inprimis uestimentorum genera obseruantur, uestes scilicet uulgares, et illae, quas, ingruente frigore, induebant; quae ab imperatorum uestibus hiemalibus parum erant absimiles. Vestis forma prior, quam uulgarem appellauimus, in militibus rursus duplex obseruatur. Alii enim loricas habebant simpliciores, breuiores et leuiores, clypeosque gestabant formae ouatae; nec desunt, qui hos pro Velitibus habent. Sed quamuis haec armatura leuior quibusdam uideri possit, omnino tamen grauior erat quam illa, quae Velitibus competebat. Aliud uestis militaris genus est ceterorum militum, qui grauiori armatura instructi fuere, et in quibus robur legionum consistebat. Hi quippe multis loris cingebantur, quae a zona plerumque incipiebant, et ad axillas usque pertingebant. A loris hisce loricae nomen habent. Scuta illi gestabant oblonga et concaua, quae canalem referebant. Signiferi, Tubicines, aliique pauci galeae loco, uel etiam supra galeam, leoninae pellis caput gestabant cum iubis dependentibus, ut hosti formidabiles essent. *Titus Liuius* I, 43. de ueste militari loquens, quam Seruius Tullius Romanis militibus dederat, *arma*, inquit, *his imperata*, *galea*, *clypeus*, *ocreae*, *lorica*, *omnia ex aere*. Sed ab illo tempore non tantum materiae, sed et forte formae ratione, pleraque mutata fuere. A Traiano tamen usque ad Theodosium Magnum mutationes adhuc modicae fuerunt, quod ex sequentibus schematibus apparet.

§. 8. Primus ille miles *Fig.* 6. qui ouatae formae clypeum gestat, ex columna Traiani eductus est, isque non tam grauis armaturae est, ut duo sequentes *Fig.* 7. *et* 8. Limbis, uti uidetur, coriaceis circa pectus cincti et scutis concauis instructi sunt. Militem sequentem, *Fig.* 9. ex columna Antonini, uestis militaris eius generis tegit, quo tempore M. Aurelii utebantur; isque hastam breuiorem seu pilum gestat. Milites duo sequentes *Fig.* 10. et 11. Signiferi et Tubicinis formam prae se ferunt, quorum uterque caput pelle leonis texit. *Fig.* 12. exhibet militem, lorica squammata indutum, quae ab aliis loricis, quas hamatas appellabant, probe distinguenda est; quod hae ex connexis catenulis erant concinnatae. Duo milites *Fig.* 13. sequentes ex arcu Septimii Seueri sunt depromti; eorumque alter clypeum hexagonum, alter oualem gestat. Prioris galea hoc peculiare habet, quod pars illius posterior uersus anteriorem reducta uidetur; in quo tiarae Parthorum, quibus cum Septimius Seuerus tunc temporis bellum gerebat, similis est. Qui *Fig.* 14. sequitur miles, is aeui Constantini est, et a permagno clypeo spectabilis.

§. 9. *Tab. CVIIII. Fig.* 1. exhibemus militem, qui ad aeuum Theodosii M. referendus est; eius paludamentum ab ora extrema fimbriatim decisum est; gladio tam breui cinctus est, ut illius lamina uix manus longitudinem exaequare uideatur; uti eiusdem calceamentum a praecedentibus longe diuersum est. Quos adhuc dedimus milites, certas illi aetatis notas prae se ferunt; qui sequuntur non item. Suspicamur tamen, eum, quem *Fig.* 2. offert, reipublicae romanae tempore factum esse. Vestis eius militaris simplicior est, scutum formae ouatae, et plus quam tripedale. Sequens *Fig.* 3. calceamento spectabilis est. Alius *Fig.* 4. ex museo D. Moreau de Mautour tibialibus instructus est ad malleolos usque pertingentibus, at pes totus nudus est; cassidi cristae loco auis insidet. Miles sequens *Fig.* 5. a lorica tantum conspicuus est; haec enim ita concinnata est, ut corpus nudum esse crederes. Sequens *Fig.* 6, balteum gerit cum parazonio; ceterum nudis ille cruribus est. Tab. CVIIII.

 Alius

Alius *Fig. 7.* Narbonensis imago, singulari modo uestitus est; uestis certe militaris hiberna uidetur; obseruari porro merentur gladius et cassis, calceamentum et tibialia; quae ab imo pede ad femur usque protenduntur. *Fig.* 8. alius commilitonem suum aut mortuum aut saucium humeris gestat. Duo milites Hetrusci sequentes *Fig. 9. et 10.* ab equite Maffeio mihi transmissi sunt, et uetustissimum aeuum redolent. A femore ad pedes usque nudi sunt; nisi forte braccas atque tibialia habeant tam stricta, ut corporis formam retineant. Vterque pari longitudine hastam tenet, gladii figura multum inter se differunt. Alii Hetrusci *Fig.* 11, 13, 14, 15. ex monumentis Etruscis producti sunt, uestesque militares habent Graecis et Romanis similes; clypei eorum ouatae modo, modo rotundae formae sunt cum oris peluium maximarum; excepto primo illo *Fig.* 11. qui pelta munitur. Ceterum pugnantium modo repraesentantur; ex quo simul perspicitur, quomodo arma sua tractauerint. Gladium tenet miles quem *Fig.* 12. exhibemus, quo caesim tantum, non punctim, hostem ferire poterat; contra Romanorum morem; clypeus concauus est et calceamentum ad mediam usque tibiam ascendit, in eoque omnes pedum digiti apparent.

Tab. CX. §. 10. *Tab. CX. Fig.* 1. et 2. duos Veteranos milites uidemus, quos *Boissardus* ex monumento Baiis reperto delineauit. Prior ibi Asamonis Turriani nomen gerit; posterior Cornelii Castoris. Castor hic imberbis est, Turrianus uero barbatus. Vestimento induti sunt plane simili, nisi quod Castoris chlamys atque tunica in ora ima fimbriata sit. Manu dextra hastam inuersam, sinistra uolumen gestat; quod alibi pro magistratus symbolo habetur: forte etiam nonnunquam pro schedula habendum, qua quae per diem agenda essent, consignata fuerunt. Calceamentum utriusque, totum pedem tegit, et totam fere tibiam operit. Turrianus manu dextra instrumentum militare tenet, cuius usum adhuc diuinare non potui; hastae forte cuiusdam species est, cuius summitati signa militaria imponebantur, sinistra clypeo ouato innititur; gladius a medio uentre dependens pro capulo lunam crescentem exhibet. Imago sequens *Fig. 3.* ex monumento quodam Pettauii in Stiria seruato, ab eodem Boissardo proditum est. Lorica huius militis, si quidem loricae nomen meretur, plane singularis est; saltem pro ueste militari habenda; chlamydem gestat humero dextro fibula connexam; clypeus formae ouatae circumquaque circulis ornatus est; calceamentum undique clausum ad cruris usque medium ascendit; manu sinistra hic quoque uoluminis instar tenet. Alium militem exhibet *Fig. 4.* cuius galea a forma illarum solita multum recedit; clypeus eius tantae amplitudinis est, ut ad hominis axillas facile pertingat. Tunica ipsius plicata est modo eodem, quo praecedentis. Miles sequens *Fig. 5.* cassidem gestat formae adeo insolitae, ut uehementer dubitem, utrum huic similis unquam uisa sit; tiarae Phrygiae retrouersae simillima est; hastae et clypei forma cum praecedente conuenit.

CAPVT V.

De uestibus militaribus et armis aliarum nationum.

§. 1.

Orientalium gentium uestes militares Herodotus, qui satis uetusto tempore uixit, describit, ubi de nationibus, quibus maximus ille Xerxis exercitus consistebat L. VII. c. 61. ita loquitur: *Circa capita PERSAE gestabant pileos impenetrabiles, quos uocabant tiaras; circa corpus tunicas manicatas uariis squammis ex ferro consertas in similitudinem piscium; braccis utebantur; pro clypeis gerras gestabant, sub quibus pharetrae; hastas breues, arcus grandes, sagittas arundineas; ad dextrum femur pugiones e balteo suspensos. MEDI eodem armorum genere militabant; immo haec armatura Medica est, non Persica. CISSII in militia cetero ornatu ut Persae sunt armati, sed pro pileis mitras ferunt. HYRCANII eodem uestium et armorum genere utebantur, quo Persae. ASSYRII ferreas capite gestabant galeas barbarico modo formatas, quae non facile describantur; clypeos, hastas, pugiones Aegyptiacis similes; ad haec ligneas clauas ferro armatas lineosque thoraces. Cum Assyriis etiam comprehenduntur CHALDAEI. BACTRII capitis ornatu Medico simili ornati erant, sed more gentis arundineis arcubus et hastis breuibus instructi. SACAE, qui Scythae erant, cristatas cassides gestabant in acumen erectas, braccisque induti erant; sagittis utebantur patrio more confectis, itemque securibus aliisque instrumentis quae sagares* (secundum Xenophontem bipennes erant) *uocabantur.*

§. 2.

Tab. CX.



1, 2. Duo milites Veterani. 3, 4, 5. Milites dissimili ab aliis veste induti. 6. Miles Aethiops. 7. Amazon. 8. Miles Aegyptius. 9, 10. Milites Daci. 11, 12. Milites Germani. 13. Miles Germanus cum aliquot Sagittariis. 14, 15. Duo funditores.

§. 2. *INDI uestiti erant amictu ex lignis confecto; arcus arundineos gestabant, itemque arundineas sagittas ferro munitas. ARII Medicis arcubus muniti erant, in ceteris Bactriis similes. PARTHI, CHORASMII, SOGDI, GANDARII et DADICAE eandem in acie, quam Bactrii armaturam gestabant. CASPII sagis induebantur ex pellibus; arcus ex arundinibus regionis suae confectos habebant et acinaces. SARANGAE uestimentis depictis ornati, caligis genuum tenus extentis utebantur; arma eorum erant arcus et lanceae Medicae. PACTYES sisyras gestabant, et arcus patrio more confectos atque pugiones. VTII, MYCI et PARYCANII eodem, quo Pactyes, modo armati erant. ARABES ziris seu latis zonis praecincti erant, cum arcubusque magnis bisque recuruis militabant. AETHIOPES leonum, pardorumque pellibus amicti arcus ex palmarum spathis concinnatos gestabant, non minus quatuor cubitos longos; arundineae quoque sagittae praelongae erant, pro ferro praefixae eo lapide acuminato, quo sigilla sculpebant; hastae eorum capreae cornu in modum spiculi acuminato munitae; clauae eorundem ferratae erant; quum ad pugnam procederent, dimidiatum corpus gypso, dimidiatum minio illinebant. Aethiopes diuidebantur in Orientales et Occidentales, qui lingua tantum et coma inuicem distinguebantur. Orientales Aethiopes capillos rectos, Occidentales crispos magis quam omnes homines habebant, de his iam locuti sumus; Orientales uero Aethiopes, qui ex Asia erant, in multis eodem, quo Indi, modo armabantur et uestiebantur; pro casside pellem capitum equinorum gestabant cum auribus atque iubis, ut ipsae iubae pro cristis essent, et aures arrectae hinc inde manerent; pro clypeis gruum pelles gestabant.*

§. 3. *LIBYES corio armati erant, et adustis iaculis utebantur. PAPHLAGONES galeas contextas habebant, scuta exigua, hastas haud longas, praetereaque iacula; caligae ad media usque crura protendebantur. Eandem, quam Paphlagones, armaturam gestabant LIGYES, MATIENI, MARIANDYNI et SYRI. PHRIGES proxima Paphlagonicae armatura instructi erant. ARMENII Phrygum cultu armati erant, utpote eorum coloni. LYDI proxime ad Graecorum armaturam accedebant; olim Meones uocati, sub Lydo Atyis filio nomen mutarunt. MYSI galeas habebant secundum morem regionis, clypeosque paruos, iaculisque utebantur adustis. THRACES capitibus uulpes gestabant, tunicis uestiti pluribusque cingulis constricti; calcei, quibus pedes tibiasque tegebant, ex neruis contexti erant; iaculis armabantur, peltis, breuibusque gladiis. Thraces Asiatici instructi erant clypeis paruis ex bubula pelle; duo iacula singuli habebant, ex more Lyciorum; cassides eorum aereae cum auribus et cornubus bubulis item aeneis, atque crista in medio eiusdem materiae; tibiae eorum erant panno rubro opertae; apud illos est oraculum Martis. CABELCES MEONES, qui LASONII uocantur eundem cultum gestabant, quem Cilices, de quibus infra. MILYAE paruas lanceas habebant, uestesque fibulis constrictas; ex iis plurimi Lyciis arcubus instructi erant, et galeis pelliceis. MOSCHI ligneis cassidibus et hastilibus, scutisque breuibus muniebantur, sed longis hastilium spiculis. TIBARENI, MACRONES et MOSINOECI eodem, quo Moschi, cultu erant. MARES galeis more patrio textis utebantur, scutulisque ex pelle confectis atque iaculis.*

§. 4. *COLCHI ligneas cassides scutulaque ex crudo bouis tergore, iacula parua insuperque machaeras gestabant. ALLARODII et SASPIRES perinde atque Colchi erant armati. Insulanae gentes ex mari rubro cultu et armis ad Medos proxime accedebant. PHOENICES galeis more paene Graecorum armati erant, loricisque lineis, clypeis planis et iaculis. AEGYPTII cassides gestabant, quarum uertex bifariam diuidebatur; scuta concaua, quorum pars conuexa in medio admodum prominebat, hastas classicis certaminibus aptas, securesque magnas. CYPRII tunicis uestiti de ceteroque graeco more armati erant. CILICES galeas more patrio concinnatas gestabant, scutula ex crudo bouis tergore, tunicasque laneas. Singuli iacula duo gestabant, et gladios Aegyptiacis similes. PAMPHYLII graeco more armati erant. LYCII loricas et ocreas habebant, arcus e corno factos, arundineas sagittas sine pennis, et iacula; gerentes ex humeris suspensas caprarum pelles et in capitibus pileos pennis coronatos, insuperque pugiones et falces. DORES ex Peloponnesiis orti graeca arma gestabant. CARES etiam Graeco more armati erant, insuperque falces et pugiones gestabant. IONES, AEOLES et HELLESPONTII Graeci erant et Graeco ritu armati.*

§. 5. *Indi*, narrat *Strabo* lib. 15. p. 493. arcu et sagittis tricubitalibus armati erant; iaculis item, peltis, gladiisque latis tricubitalibus; pro ferro utebantur capistro. De *Ae-*

 gyptio-

gyptiorum armis, quae *Herodotus* refert, ea cum iis, quae *Xenophon* Cyrop. L. 6. p. 158. de iisdem commemorat, minime pugnant. Scuta, inquit, gestant, quae ad pedes usque pertingunt; hastas habent praelongas breuesque gladios. De *Thracibus* Herodotus supra dixerat, illos uulpes capiti ipsorum imposuisse; sed pro uulpibus Xenophon loco citato p. 408. uulpium pelles ponit, quibus ingruente frigore, quum per niuem glaciemue iter facerent, ad uultum tegendum utebantur. *Strabo* de *Aethiopibus* loquens ab Herodoto non multum recedit. Aethiopes Megabares, inquit, L. 16. p. 534. clauas gestant ferratas, hastas et clypeos habent ex corio non subacto. Alii Aethiopes arcu et lancea utuntur. *Arabes Scenitae*, teste *Ammiano Marcell.* lib. 22. c. 34. qui Saraceni uocati sunt, crinitis, uittatisque erant capitibus, seminudo corpore et laxos arcus uibrantes hastilia longa portabant. Aethiops ille, qui *Fig.* 6. cum lancea breui graditur, et ex Cosmae, Aegyptii libro desumtus est, ex illa Aethiopiae parte fuit, quam Abyssiniam uocabant. *Amazones* non infrequenter in ueterum monumentis uisuntur. *Figura* 7. statuam Amazonis tunica tectae repraesentat; arcum illa tenet, et ad latus pharetram sagittis plenam habet; ad pedes illius galea, pone illam bipennis atque pelta positae iacent.

§. 6. *Fig.* 8. antiquissimum exhibemus schema militis, qui Aegyptiorum armaturam, ab Herodoto descriptam, satis referre uidetur. Cassis eius, in conum paene extollitur, et in suprema parte finditur; clypeus rotundus est et concauus; lorica ex filis implexis concinnata uidetur, qualem Herodotus Amasis, Aegyptiorum Regis, thoracem describit; calceamentum atque tibiale usque ad genu protenditur; hasta, quam manu tractauit, temporis iniuria lapsa uidetur.

§. 7. *Parthorum* cultus militaris in Septimii Seueri arcu conspicitur. Multi eorum nudo capite incedunt, alii tiara tecti sunt, Phrygum more antrorsum reflexa; tunica uestiuntur ad genua usque defluente, medioque corpore succincta, chlamydeque seu pallio breui, (*Candyn* uocant,) humeros obtegente; braccae seu anaxyrides laxiores circa pedum malleolos peronum more restringuntur; calcei rotundi sunt et clausi. Genus hoc calceorum et tibialium omnibus fere nationibus barbaris, Occidentalibus pariter atque Orientalibus commune est; adeoque in tropaeis captiuos semper hoc calceorum tibialiumque genere instructos uidemus. Parthorum uestis Dacorum uestimento plane similis est; ut infra uidebimus; ubi de equitatu dicendi locus erit. Eademque uestis Germanorum plurimis in usu fuit. Tunicae quippe Dacorum ad genua usque defluentes Zona erant praecinctae. Pallia s. chlamydes habebant breues et plerunque fimbriatas; scutis utebantur ouatis duos et dimidium siue tres pedes longis. Arma fuerunt gladius Romano longior et falcis modo reflexus; multi arcubus quoque et sagittis utebantur; nonnulli praeter gladium etiam pugionem gestabant; quae omnia in arcu Traiani uisuntur, in quo uaria praelia Imperatorum Romanorum contra Dacos repraesentantur. Huiusmodi miles ille est, quem *Fig.* 9. proferimus, cuius palliolum, quod Parthorum candyn refert, in infima parte fimbriatum est. Proximus huic alius miles est *Fig.* 10. qui clypeum oualem et gladium Dacico similem gestat; caput illius tibiaeque nudae sunt; calceum simplicem habet, quem *soleam* uocabant, quo pars pedis superior non tegebatur.

§. 8. Miles sequens *Fig.* 11. qui clypeum magnum praetendit et claua pugnat, ad Germanos referendus uidetur; hic a Zona ad uerticem usque nudus est; braccis indutus est Dacicis similibus, quae ad malleolos pertingunt, et simul tibialium loco sunt. Alium Germanum, cuius claua excidit, offert *Fig.* 12. isque clypeum ouatum praetendit; caput illius pileo superne plano tegitur. Adhuc alium exhibet *Fig.* 13. cui claua similiter excidit; gladium gestat breuem Romano persimilem; braccae infimas corporis partes plane tegunt. Sagittarii, quorum tergo ille inhaeret, singulari plane ratione amicti sunt; praeter cassides quippe hic inprimis notari merentur thoraces, sub quibus tunicam amplam ad malleolos usque defluentem gestant; ita quidem, ut pro tot mulieribus facile habeas. Dextrum eorum latus pharetra et gladio munitum est. Fabrettus putat, sagittarios hosce reuera pro mulieribus habendos; quod apud gentes barbaras uxores non raro cum maritis ad bellum profectas legamus. *Fig.* 14. *et* 15. duos Germanorum funditores uidemus, quorum primus humeros nudos pallio tegens lapides iacit, secundus pileo plano tectus itidem lapides proiicit. Funditores palliis ideo instructi sunt, quod continendis lapidibus admodum apta fuerunt.



1. Scytha. 2. 3. Milites Hispani. 4. Sagittarius Gallicus. 5, 6. Duæ galeæ Romanæ. 7, 9, 10. Clypei formæ ovatæ. 8, 11. Scuta oblonga Hexagona. 12. Clypeus rotundus admodum concavus. 13, 14. Duæ Peltæ. 15. Ancile. 16. Scutum formæ plane insolitæ. 17. Clypeus Votivus. 18, 24. Gladii formæ variæ. 25–31. Varia lancearum s. hastarum ferramenta.

§. 9. Quem Tab. CXI. *fig. 1.* profert, miles ex Columna Theodoſiana, quæ Conſtantinopoli uiditur, expreſſa fuit. Eſt autem Scytha uel ex uicina quadam Scythis gente, a Theodoſio M. cum aliis in triumphum actus. Duo ſequentes *fig. 2 & 3.* Hiſpani ſunt, ex ſcuto Scipionis depicti. Gladium illi geſtant Romano plane ſimilem; ſiquidem Romanos gladiorum formam ab Hiſpanis eſſe mutuatos, non uno tantum ſcriptorum teſtimonio conſtat. Veſtibus Maurorum haec Hiſpanica perſimilis eſt. Tab. CXI.

§. 10. Ad *Gallos* quod attinet pauca admodum ſunt monumenta, in quibus illi armati comparent. Tota quippe natio haec, a I. Caeſare ſubacta, ſub ſignis poſtea Romanis militauit, iisdemque forte, quibus Romani, armis uſa eſt. *Strabo* Lib. IV. p. 135. Galliae Belgicae incolas ceteris Gallis fortiores fuiſſe, & in Belgis ipſis Bellouacos & Sueſſones ceteros uirtute bellica ſuperaſſe dicit. Hi ſaga geſtabant, comam alebant, pro tunicis ueſtes apertas, easque manicatas & infra femora defluentes induebant. Gladiis utebantur praelongis, qui ad latus dextrum propendebant; clypei erant oblongi, praeter lanceas; iaculis ſ. tragulis utebantur, quas *materes* ſiue *mataras* uocabant; quae pro praecipuo Gallorum telo habetur. Nonnulli etiam arcu et funda armati fuerunt. Tela lignea habebant, pilo Romano ſimilia; quae iaculari ſolebant, et ad uenatum cumprimis uſurpabant. Diuione apud Virum clariſſimum *du Mai* in ſuprema Diuionenſi curia Senatorem, in anaglypho ſagittarius Gallus ex forma, quam *Fig. 4.* exhibet, conſpicitur; nudo ſcilicet capite, pharetram ad humeros geſtans, arcumque manu dextra tenens; longior ipſius tunica manicata, cingulo admodum reſtricta, ut ad genua tantum defluat; tibialia Dacorum braccis et tibialibus ſimilia ſunt. *Diodoro* teſte, Galli galeis utebantur, quibus ad ornatum uarias animalium figuras, item aures & cornua boum, cum iuba criſtae loco, addere ſolebant. Hiſpani fere omnes, (*Strabo* Lib. 3. p. 106.) latrociniorum cauſſa peltis leuique armatura utebantur. Luſitani, eodem Strabone teſte, inſidiandi & indagandi erant peritiſſimi, celeres inſuper, leues & uerſatiles; clypeos habebant paruos, eosque cauos et extrinſecus conuexos; iisque nec anſam nec fibulam iungebant, ſed lora, quibus brachia inſererent; ſicas porro ac bipennes geſtabant. Thoracibus induebantur lineis, pauci loricis hamatis et galeis tres criſtas habentibus; nonnullorum galeae ex neruis erant contextae; pedites ocreas habebant; ſinguli pluribus inſtructi erant iaculis et lanceis, quarum laminae et cuſpides aeneae fuerunt. In Cannenſi pugna, uti *Liuius* Dec. III. lib. 2. c. 46. tradit, Galli et Hiſpani clypeos eiusdem paene formae geſtabant, ſed gladii admodum diſſimiles erant; Gallorum gladii oblongi nec acie praecipua inſtructi erant; nam punctim ii magis, quam caeſim feriebant.

LIBER SECVNDVS.

DE ARMATVRA ET SINGVLIS ILLIVS PARTIBVS.

CAPVT I.

De Galeis & Loricis.

§. 1.

Quod Graecis κυνέη 1) uel κράνος eſt, id Romani *galeam* uel *caſſidem* nuncupant. Duo quondam tegminum genera fuerunt: *caſſides* ſcilicet, antiquitus ex metallo factae, et

1) κυνεη proprie *canina* pellis, inde in genere protegumento capitis militari, quod alium animalium *vacua ora*, ut *Statius* alicubi cauis, capiti aptata ſunt.

Gggg

et *galeae* 2) ex *corio* concinnatae; quae tamen uoces apud Auctores promiscue usurpantur. Cassidibus nobilium addebantur figurae animalium, leonum, pardorum, gryphum; tota cassis plerumque caput humanum referebat. *Cares*, *Herodoto* lib. I. 71. teste, cristas inuenerunt, quae ab illo tempore galeis imponebantur. Galeae maxime Graecorum, ante uultum demitti, eumque tegere potuerunt; quod et Romanorum cassidibus fiebat. Cassidibus ferreis, animalium nonnunquam pelles imponebantur, quae illas obtegerent, et in humeros defluerent; quod in signiferis, tubicinibus, primipilis aliisque saepius uisitur. Milites porro cassidibus uarie utebantur; inprimis autem ad colligendas, iaciendasque sortes.

§. 2. Cristarum uariae formae fuerunt. Aliquando animal repraesentabant, leonem puta, uulpem, gryphum; aliquando iubam, quae proprie equi esse intelligitur. Nonnunquam tres in una casside cristae conspiciebantur; qualis illa *Turni* fuit, cuius *Virgilius* Aen. VII. v. 785. mentionem facit. Cassidum atque galearum formas iam iam sat multas uidimus: iis tamen *Fig. 5 & 6.* adhuc duas iungimus, forma plane singulari, quarum altera cristae loco gryphem habet immanis magnitudinis. Cetera lectori consideranda relinquimus. Cassides insolitae formae multas in statuis atque protomis Mineruae supra Tab. XVI. et XVII. pluribusque aliis huius operis locis iam prodidimus; unde eas hic denuo repetere superuacuum existimamus.

§. 3. *Lorica* 3) Graecis Θώραξ dicebatur, quae vox etiam ad Latinos transiit; usitatius tamen apud Latinos lorica, atque ab eo dicta, quod hae ex loris olim s. pellibus animantium subactis conficiebantur. Hinc etiam gallica huius armaturae denominatio, *cuirasse*, ex uoce *cuire*, quae corium denotat; ex quo infimi aeui thoraces non raro fiebant. Pars loricae legionariorum Romanorum ex loris constabat, quibus milites a zona ad axillas usque praecincti erant. Insequenti tempore loricae ex aluta superpositis laminis ferreis in modum squamarum concinnari solebant; cuiusmodi loricas, quas deinde squamatas uocarunt, in ueterum monumentis multas passim videmus. Ex annulis item s. catenulis ferreis complicatis et connexis conficiebantur; quod loricae genus ἁλυσιδωτὸν, Latini *loricas hamatas* uocabant. Ex ferro quoque vel aere parabantur; ita ut partem anticam posticamque fibula connecteret, ut hodieque fieri solet. Ceterum hae loricae chlamyde uel sago tegebantur. Plurimas uidimus nationes, quae lineas laneasque loricas habebant, quae uel multiplicatae fuerunt, uel plures aliis suppositae, ut ferri ictum uel frangerent uel imminuerent. De Imperatore Galba, *Suetonius* cap. 19. commemorat, quod loricam linteam gestauerit, quam idem Auctor infirmum omnino contra tot gladios coniuratorum praesidium fuisse arbitratur. De loricis hamatis, ne cum squamatis confundantur, hoc addendum: hamatas ex catenulis complexis fuisse concinnatas, squamatas uero laminis munitas. Varia loricarum schemata hic facile omittimus, quod illarum sat multae conspiciuntur tabulis praecedentibus CVII. sqq. 4)

CAPVT II.

De scutis et clypeis uariae formae.

§. 1.

Scutum 1) *clypeumque* uocamus, ista armorum genera, quae manu brachioue ad corpus obtegendum protendebantur. Clypeum uero a scuto fuisse distinctum, *Liuius* I, 43. apertius nos docet, dum primae classi clypeum cum galea, ocreis & lorica, imperatum esse commemorat; secundae uero *scutum pro clypeo*, et praeter loricam omnia eadem. *Scuta* scilicet, plerumque maiora fuerunt; cetera, quae equitibus et peditibus quibusdam in usu fuere, *clypei* dicebantur. Sed uehementer uereor, ne his quoque uocibus promiscue multi utantur. His aliud genus iungimus, quod *parmam* appellabant, quae clypeo minor erat, et diametrum trium pedum habebat. Quod *peltam* uocabant, ex graeca uoce πέλτη, breuiorem parmam diuersae formae denotat, alioque nomine etiam *cetra* dicitur. De singulis distinctius agemus.

§. 2.

2) De *galeis*, *galeris*, vid. *Lipsium* de militia rom. lib. 3. dial. 1. et 5. γαλέη, *felina* proprie pellis; nec ex corio tantum, licet plerumque. Memorantur etiam κράνη οἰσΰϊνα, galeae *vimineae* Parthorum.

3) vid. *Lips.* l. c. dialog. 6; qui haud paulo luculentius illustrat.

4) adde *ocreas* ferreas, siue alteri, siue utrique pedi armando; *Lipsius* lib. 3. dial. 7. occurrunt iam in *Homero* iliad. 18. u. 612.

1) vid. pluribus *Lipsius* lib. 3. dial. 2, et quos nominat *Fabricius* in bibliographia cap. 18, n. XII.

§. 2. Quod Latini *Scutum* Graeci σάκον et θυρεὸν uocabant, immanisque olim magnitudinis erat, ut uirum totum a capite ad calcem usque tegeret. Duo formae ouatae scuta supra Tab. LXIIII. uisuntur, quae uirum totum ab humeris ad pedis usque plantas tegunt, nec ea gestantes admodum grauare uidentur. Inter clypeos Graecorum, Macedonum clypei aenei maiori in pretio habebantur; nec admodum concaui illi fuere, octoque palmorum (palmus manus hic latitudinem denotat) diametrum habuerunt. Graeci in clypeis et scutis suis primam ciuitatis suae litteram sculpebant, Sicyonii sc. litterarum Σ, Lacedaemonii Λ etc. In Macedonico exercitu, *Plutarcho* teste, in Eumene p. 593. legio erat, quam *Argyraspidum* uocabant, quoniam, ut nomen ipsum sonat, clypeos habebant argenteos, aut saltem argenteis laminis obductos. Alcibiadis scutum, si *Athenaeo* 9, 13. credendum, longe pretiosius erat; ex auro scilicet & ebore concinnatum; et pro signo habebat Cupidinem, fulmen amplectentem; quod symbolum Alcibiadis indolem, qui bellicosus simul et effeminatus erat, optime exprimit.

§. 3. Materia scutorum clypeorumque uaria fuit; Demosthenes Dux Atheniensium, *Thucydyde* lib. 4. p. 247. teste, exercitui classico clypeos salignos dedit, quae materia ad ictus excipiendos non satis apta fuit. Cares, inquit *Herodotus* I, 171. primi morem clypeos certis signis notandi, iisque ansas infigendi introduxerunt. *Fig. 7. et 8.* duos clypeos exhibemus, quorum prior formae ouatae Telamonis est, et amplam peluim refert; posterior oblongus et hexagonus Pyrrhi clypeum refert.

§. 4. Scutum militum Romanorum concauum erat ad instar canalis lateritii siue imbricis; quumque ad militum staturam comparatum esset, duos circiter pedes cum dimidio longum fuit, et latitudo eius cum tota curuatura unius et dimidii pedis mensuram adaequabat. Si de materia quaeratur, plerumque lignea olim fuerunt. Camillus tamen, celeberrimus Romanorum Dux, ferreis illa laminis obduci curauit; ut ferro resistere possent. Scutis uero eiusmodi non in eum tantum finem utebantur, ut in praelio contra impetus hostium sese tuerentur, sed etiam ad alia opera. Ad adornandam scilicet testudinem in obsidionibus, ad modicam militis supellectilem gestandam, quando ipse nudus flumen forte traiiciebat. Scuta porro plerumque exteriori aliqua figura condecorabantur. Sic aliqua fulmen gerebant, quod forte legionis fulminatricis signum erat; cuiusmodi scuta passim vidimus, et postea uidebimus. *Traiani* tempore maxima militum pars eiusmodi scuta habebant; quod ex Columna Traiana facile constat. *Seruii Tullii* tempore, cuius rei *Dionysius* l. 4. testis est, scuta aenea facta sunt; et ex *Plinio* 34, 7. apparet, omnem olim Samnitum armaturam ex aere fuisse; quandoquidem iis deuictis ex armis eorum Colossus Iouis aeneus, in Capitolio positus conflatus est. Praeter scuta formae ouatae, quae *Fig. 9. et 10.* uidemus, alia passim obseruantur; hexagona scilicet et oblonga, quam formam Romani a Dacis, Germanis et Gallis sumsisse uidentur. Tale scutum exhibemus *Fig. 11.* de clypeis rotundis et admodum concauis iam quaedam monuimus; formam illorum praefert *Fig. 12.*

§. 5. Quae *parmae* vocabantur, plerumque admodum paruae erant et rotundae. *Varro* de LL. lib. 4. eiusmodi clypeum ideo parmam uocari asserit, quod a medio in omnes partes *par* sit, siue quod a centro ad peripheriam aequaliter extendatur. Secundum Polybium aliquae ex his parmis tres pedes pro diametro habebant. Coriacea esse solebat. Parmae Thracum longae fuerunt, et scutis Romanis persimiles; quapropter etiam Romae gladiatoribus, quos Thraces vocabant, parmae dabantur. Ex multis porro Historiae Romanae locis apparet, equites parmis usos esse.

§. 6. Aliud genus clypei leuis in formam lunae dimidiae siue semicirculi redacti *Pelta* uel *Cetra* dicebatur, quales *Fig. 13. et 14.* uidemus; illae Amazonibus praecipue in usu fuisse dicuntur 2); unde *Virgilius Aen.* I, 494. ita canit: *Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis.* Peltam eiusmodi Tabula procedente *Fig.* 7 post statuam Amazonis et *Tab. CVIIII. fig. 11.* in manu militis Etrusci uidimus. Peltae in monumentis quoque Romanis nonnunquam inueniuntur; ex quo haud inepte colligitur, hanc peltarum formam apud plerasque nationes in usu fuisse. Ceterum non negandum, quod alii interdum clypei peltarum nomine veniant; ut e. c. Plutarchus ancilia quoque et scuta Macedonica, peltas vocat. Peltae itaque uariae fuerunt formae.

§. 7. *Ancilia* 3) etiam ad clypeos sunt referenda, quorum forma nobis eo accuratius innotescere debet, quod non tantum varia illorum monumenta supersunt; sed et scriptores in iis describendis

2) vide P. *Petitum* de Amazonibus cap. 25. 26.

3) vid. *Gutberlethum* de *Saliis* c. 12. qui et figuram ex nummis addidit, post alios.

bendis inter se pugnare uidentur. Alii scilicet magna illa fuisse dicunt, alii parua; alii rotunda, alii peltis Thracibus similia. Ad formam Ancilis proxime accessisse uidetur, Plutarchus dicens, peltam esse, quae incisionem habeat lineae cochleatim sinuatae, nec circuli illud formam habere. Longitudo ancilium ex comparatione uirorum, qui in monumentis ea gestare uidentur, pedum duorum est cum dimidio. Ceterum clypei erant sacri, qui magna religione seruabantur. Ad Historiam illorum secundum *Dionysium Halicarnass.* Lib. II. haec pertinent: Ancile de coelo decidit; haruspices consulti responderunt, imperium orbis eius urbis futurum, in qua hoc Ancile seruaretur. Numa Pompilius, ne ab hostibus auferri posset, multa similia confici et in templo Martis collocari curauit. Plutarchus in Numa rem alio modo commemorat. *De hoc mira tradunt praedicasse Regem ex Egeria se et Musis accepisse, esse ancile illud ad salutem urbis missum, seruandum cum undecim aliis, quae pari figura, amplitudine et forma facienda erant, ne fur aliquis propter similitudinem aliorum, uerum interuertere ualeret.* Qui ancilia haec fabricatus est, Mamurius, mercedem solam habuit gloriam. Tullus Hostilius Saliorum et Anciliorum numerum duplicauit. Caerimonia Anciliorum ita institui solebat. Salii loco suo ea auferebant, perque urbem salientes et tripudiantes, peculiares simul versus s. carmina canentes, in pompa gestabant. Eaque festiuitas, quae calendis Martiis incipiebat, per triginta dies continuabatur; quo toto tempore rem nullam cuiuspiam momenti aggredi licebat, e. c. matrimonium inire, iter aut expeditionem militarem suscipere, quod priscis illis temporibus religiosissime seruabatur. Si quis legem hanc contemsisset, infausta omnia futura credebant. Eiusmodi ancilia in nummis passim conspiciuntur, quorum exemplum *Fig. 15.* offert.

§. 8. Alia quoque scuti species *Gerrum* 4) erat, quo Persae, aliaeque nationes Orientales utebantur. Ex uimine illud textum erat & pelle bubula opertum. Xenophon illius saepe mentionem facit; Lucianus etiam in Dialogo Philippi et Alexandri M. 5) En tandem scutum insolitae formae *Fig. 16.* tuberibus 6) scilicet uberum formam habentibus plenum.

§. 9. Minime hoc loco praetereundi sunt clypei, quos ueteres *uotiuos* appellarunt, eo quod Diis, Mineruae maxime, dicati essent. *Poeni*, inquit *Plinius* 34, 3. *ex auro factitauere et clypeos et imagines secumque in castris tulere. Certe captis eis talem Asdrubalis inuenit Q. Marcius Scipionum in Hispania ultor, isque clypeus supra fores aedis capitolinae usque ad incendium primum fuit.* Titus Liuius clypeum hunc argenteum fuisse ait, pondo centum triginta et octo librarum, *Marciumque* appellatum fuisse ab eius nomine, qui ipsum ceperat. 7) Graeci in signum pugnae eiusmodi clypeum erigebant, aureum scilicet vel auratum. Clypei uotiui passim in nummis uisuntur, ubi litteris plerumque CL. V. i. e. *clypeus uotiuus* notati sunt. Sic in postica nummi Augusti facie, quam *figura 17.* exhibet, clypeus eiusmodi apparet, cuius medio litterae CL. V. insculptae sunt. Ad utrumque vero huius clypei latus duo uidentur signa militaria, intra quae quatuor litterae S. P. Q. R. cum inscriptione SIGNIS RECEPTIS leguntur; ita ut totius schematis interpretatio haec sit. Clypeus uoto senatus populique Romani oblatus in memoriam signorum sub Augusto ex Parthis receptorum. Parthi enim antea Romanis multa signa in proelio abstulerant.

CAPVT III.

De Gladiis.

§. 1.

Gladiorum, ut rerum ceterarum fere omnium, origo admodum est obscura. Nonnulli usum eorum a Curetibus derivant. Vero autem simile est, eos paullo post orbem conditum fuisse inuentos; utprimum scilicet ferri usus repertus esset; quo tempore statim cultros, gladios, pugiones, aliaque instrumenta ferrea confecta fuisse dubio caret. Nihilominus tamen ex Homero, Hesiodo, Lucretio, aliisque scriptoribus antiquis facile confirmatur, gladios olim ut arma alia quam plurima, postquam ferrum iam erat repertum, ex aere 1) fuisse confectos. In aedificiis quoque, quod iam supra monuimus, claui aenei adhibebantur ea temperatura, ut perinde, ac clauis ferreis iis uti liceret. - *Bernardus Trevisanus*, nobilis Venetus, in museo suo gladium seruat, cuius lamina aenea ferri aciem atque duritiem aemulatur. *Raphael* quidem *Fabrettus* Col. Trai. 109. ex

4) *Gerrum* et *Gerrae* occurrit apud Graecos scriptores.

5) adde ibi scholia graeca.

6) fallendis telis eximie fecisse id uidetur.

7) Liuius lib. 25. c. 39.

1) densari aes temperatura quadam poterat. Hier. *Magii* miscellan. lib. 3. c. 3.

ex multis Auctoribus efficere nititur, ferri usum tempore Traiani, immo etiam antiquiori aevo adeo fuisse uulgatum, ut in cudendis armis gladiorumque laminis nullus esset amplius aeris usus; sed quum satis notum sit, totum armamentarium sagittis aeneis plenum, quibus aliquot nauiculae fuerint oneratae, quondam Romae fuisse repertum, et multos passim in museis gladios lamina aenea instructos, clauos, et similia videre liceat; haud male inde colligitur, veteres diu aere usos fuisse ad ea conflanda, quae hodie ex ferro tantum parantur.

§. 2. Romani ensem plerumque ad dextrum femur gestabant; sed non desunt exempla, quae contrarium ostendunt. Milites certe Traiani tum in columna Traiani, tum in arcu Constantini gladium dextro femori ita iunctum habent, ut capulus cum eiusdem pila ad humeros illorum pertingat. In arcu *Septimii Severi* et columna *Theodosii* similiter plerique militum ensem dextro femori affixum habent. Sed *Iosephus* Lib. 3. de bello Iudaico tradit, quod Romani milites duos gladios habuerint, quorum alterum longiorem femori sinistro, alterum breuiorem, qui unius tantum palmi longitudinem aequabat, dextro iunxerint; ex quo hoc sequitur, ut mores subinde cum tempore mutasse credantur. Ceterum gladii isti longitudine minime inter se pares erant. Gladius *Hispaniensis,* 2) cuius usus ad Romanos transierat, lata instructus erat lamina pedem unum cum duobus vel tribus pollicibus longa. In *Traiani* monumentis omnes ferme gladii eadem forma sunt atque longitudine. In Columna M. *Aurelii* uero et arcu *Seueri* acutiores sunt. Longe breuiores gladios Romani tempore *Constantini* ac *Theodosii* M. habuerunt; quorum aetate uix octo pollicibus longi fuerunt. Minime tamen negandum est, quod in monumentis nonnullis gladii videantur multo longiores: sic e. c. Traianus in monumento, quod ipsum ursum uenantem repraesentat, gladio cinctus uidetur, cuius sola lamina duos pedes exaequat.

§. 3. *Parazonii* quum supra aliquoties mentio facta sit: monendum, quod sub hoc nomine proprie gladius breuis s. pugio intelligatur, quem Zonae appendebant. Hetruscorum gladius in quibusdam monumentis longior est Romano; Dacorum etiam longior est, et falculae more reflexus. *Fig. 18. et 19.* Prusiae et Telamonis gladios exhibemus, quorum laminae duos circiter pedes longae fuerunt. Amazonum et Graecorum gladii laminas habebant perlongas. Gladii Persarum *acinaces* appellabantur. Thracum uero ensis *Harpe* dicebatur, eiusque lamina angulum quasi obtusum referebat. Gladius sequens *Fig. 20.* ex museo Dn. *Boisot*, in suprema Vesontionis curia praesidis, eiusdem fere formae est, ac gladii Romani, qui in columna Traiana conspiciuntur, eiusque lamina non ad unius pedis longitudinem pertingit. Alius *fig. 21.* ex museo Dn. *Foucault* expressus laminam aeneam habet, 13. pollices longam. *Pugionum* usus, qui Latinis etiam *sicae* dicebantur, Romae frequens erat. Pro eiusmodi pugione forte habenda est sica *fig. 22*, quam una cum uagina ornatissima ex museo Dni Abbatis *Favelii* deprompsimus. Ex eodem museo *fig. 23.* aliam sicam offerimus longiori capulo, qui capite arietis terminatur. Instrumentum sequens *fig. 24.* Dacorum ensem falcis instar recuruatum esse putamus.

Capvt IIII.

De pilis variisque hastis aliis, arcubus atque sagittis; securibus atque fundis in bello usitatis.

§. 1.

Pilo Romanorum nihil cognitu difficilius est, nec certo dici potest, qua in re a ceteris iaculis differat. 1) Iaculum certe diuersum erat ab hasta et lancea; sed quid discriminis inter tela illa interfuerit, non ita perspicuum est. *Polybius* fragm. 6. de castramet: *pili telum lignum habet longitudine plerumque bicubitali, crassitudine digitali, spiculum unius spithamae, palmi inquam maioris, eo usque attenuatum et acutum, ut mox primum post iactum necessario flectatur, sitque inhabile ad remittendum; aliter vulgare fieret telum.* Et loco alio bina pilorum genera fuisse dicit; *quaedam, crassa erant, quaedam tenuia; e solidioribus quae rotunda sunt palmarem habent diametrum.* Sed quis certam et distinctam illius formam ex his eruet? Pilum certissime iaculum erat, quod Romani in hostes vibrabant, antequam gladios stringerent. Nonnunquam tanto

2) de gladio hispaniensi uid. *Lipsius* l. c. dialogo 3. punctim maxime feriebat.

1) Compara *Lipsium* l. c. dialog. 4. et *Poliorcet.* lib. 4. dial. 4.

to impetu in hoſtes ferebantur, ut ne tempus quidem iaculandi ſibi ſumerent, ſed abiecto pilo ſtrictis ſtatim gladiis in hoſtes irruerent. Graeci pilum ὑσσὸν vocabant, eiusque uſum Romanis tribuebant. 2) Quatuor illae cuſpides aut ſagittarum antrorſum et retrorſum acuminatarum aut haſtarum, quas *fig. 25-28.* exhibemus, a Begero publicatae ſunt. *Verutum* 3) quoque iaculi ſpecies erat, cui Polybius longitudinem tricubitalem tribuit; quadratum autem erat et veru ſimile, unde etiam nomen accepit. Aliud iaculi genus erat, quo ad ignem immittendum utebantur, *Falarica* 4) dictum, et tres pedes longum.

§. 2. *Haſta* lanceae ſimilis erat, quod nomen *lanceae* a quibusdam Gallicae, ab aliis Hiſpanicae originis eſſe creditur. Hoc certum eſt, Gallos aeque atque Hiſpanos ad ſignificandam haſtam hac denominatione uſos eſſe. Inter haſtam tamen et lanceam aliquid diſcriminis fuiſſe uidetur; haſtam ſcilicet, ceu pilum iaculabantur; quum contra pedites legionarii, qui haſtam uibrabant, eam nunquam dimitterent. 5) Nonnulli putant, haſtam originem traxiſſe ab Etruſcis, qui eam *Coris* appellabant. Sabini dein, a quibus poſtea Romani illam mutuati ſunt, alio nomine *quiris* dicentes, unde Romulus tandem *Quirinus*, et Romani *Quirites* dicti ſunt, eo quod telo hoc utebantur. Haſtarum porro quaedam *amentatae* dictae fuerint; quae ſcilicet non tantum aliis erant grauiores, ſed in medio ligamen quoque habebant coriaceum ſiue *amentum* 6) cui digitus inſerebatur, ne haſta manibus elaberetur. Aliae quoque longiori eiusmodi amento inſtructae fuerunt, ut emiſſae retrahi poſſent. Haſtam, quae ferro non munita erat, *puram* uocabant, illaque in ſignum honoris illis dabatur, qui ſtrenue et fortiter ſe geſſiſſent. Haſtas eiusmodi puras nonnunquam ex argento factas eſſe P. *Noriſius*, Cardinalis in *Cenot. Piſan.* p. 121. aſſerit.

§. 3. Quae in monumentis ſuperſunt haſtae uel lanceae Imperatorum Romanorum, eiusdem fere longitudinis ſunt; ſex uidelicet pedum circiter cum dimidio, ferro et acumine una comprehenſo. *Lanceae Herculianae*, quarum Trebellius Pollio in uita Imperatoris Claudii Gothici mentionem facit, aliis haſtis uel longiores uel ornatiores erant. M. Aurelii temporibus haſtis utebantur breuioribus, quae una cum ferro militibus non erant altiores. Theodoſii tempore longitudo illarum uix quatuor pedes exaequabat. Quod *Gaeſum* 7) dicebatur, iaculum erat leuiſſimum, quo Galli inprimis utebantur; una manu ſimul duo eiusmodi gaeſa geſtantes. *Sariſſa* contra Macedonum tam immanis erat magnitudinis, ut nonnulli dubitent, reuera aliquem eius uſum unquam fuiſſe; uiginti quatuor enim pedes longa nonnullis dicitur, eoque Macedones utebantur, ut elephantos procul ſiſtere gradum cogerent. Lacedaemones quoque eandem uſurpaſſe perhibetur. Chalybum haſtae Macedonicis non multo erant breuiores, quindecim ſcilicet cubitorum. *Fig. 29.* lanceae ferrum proferimus a Raphaele *Fabretto* publicatum, cui *fig. 30.* aliud ex muſeo Kircheriano adiicimus; et aliud ferrum duplex *fig. 31.* ex muſeo Dn. Ab. Fauvelii, quod furcae formam imitatur. Xenophon peculiaris haſtae mentionem facit, quae ipſi δόρυ καμάκινον appellatur, de qua uariae ſunt eruditorum opiniones. At Leunclauius oſtendit, hanc uocem nihil aliud ſignificare, quam haſtam eiusmodi fuſcinatam. Eadem ſignificatio etiam in Lexico Cyrilli effertur, nec non in Codice regio per D. Cangium allato, qui omnes dicunt, uoces καμαξ et καμάκη *fuſcinam* ſignificare; adeoque δόρυ καμάκινον lanceam eſſe uel haſtam fuſcinatam vero ſimillimum eſt.

§. 4. *Arcus* 8) *et ſagittarum* uſus, (*Plinius* 7, 56.) *vel a Scythe, Iouis filio, uel a Perſe, Perſei filio repertus eſt.* *Diodorus Siculus* Lib. 5. arcus inuentionem Apollini tribuit, aitque Cretenſes primum illo uſos eſſe; ſed incerta haec omnia ſunt et fabuloſa. Arcus forma ubiuis fere eadem eſt; duplici nempe flexu gaudet, ita ut media illius pars, qua tenebatur, dum tela uibrabant, lineam rectam offerat. Paucae gentes erant, quae arcu non uterentur. Romani tamen primo reipublicae aeuo arcu uſi non uidentur; quamuis inter milites auxiliarios ex aliis nationibus ſagittarios habuerint. Artem tamen ſagittandi illos ipſos edidiciſſe dubio caret. Commodum Imperatorem eius fuiſſe peritiſſimum, omnibus notum eſt. Erant enim Romae peculiares huius artis doctores. Barbari, qui Cyro iuniore deuicto Graecos inſequebantur, teſte *Xenophonte* p. 322. arcus habe-

2) *Appianus* in celticis: οἱ Ῥωμαῖοι ὑσσοὺς καλοῦσι, ſed non occurrit apud romanos ſcriptores. Adde iaculis *Sibynam* uel *Sybinam*, uenatorum proprie ſed et bellici uſus.

3) Ubi *Liuius uerutum*, ibi Dionyſius σαυνίον graece nominat.

4) Scribunt etiam *Phalarica*; a *Falis*, ſeu turribus, e quibus, aut quibus incendendis miſſae. uid. *Lipſii* poliorc. lib. 5. dial. 5.

5) eius ima pars ferrea ſuo nomine σαυρωτὴρ dicta, ut certius figeretur. uid. Hier. *Magii* miſcell. lib. 3. c. 2.

6) uid. *Lipſii* poliorcet. lib. 4. dial. 5.

7) uid. *Lipſii* Poliorcetica lib. 4. dial. 4.

8) uid. *Lipſii* poliorcet. lib. 4. dialog. 6. quo augendus *Fabricius* in bibliographia c. 18. XII.

habebant tricubitales i. e. quatuor circiter pedum et dimidii, quod facile credendum, quando scimus barbaros Americanos arcubus, quinque sexue pedum uti. Iidem illi barbari sagittas habebant $2\frac{1}{2}$ cubitorum, et iaculantes pede sinistro alterum arcus latus premebant, adeoque mira dexteritate uibrabant, ut clypeos loricasque traiicerent. Indi non sagittas modo, sed etiam arcus ex arundinibus regionis suae conficiebant. Arabes quoque magnos habebant arcus; sed Aethiopum arcus ceteros omnes magnitudine superabant, ex ramis palmarum concinnati; quatuor pedes longi erant, per ignem praeparati; sagittae laminarum ferrearum loco lapidibus durissimis erant munitae. Lycii arcus suos ex corno conficiebant, et Plinio teste nationes illae Orientales ad arcum tendendum neruo camelorum genitali utebantur. *Begerus* sagittarum hamatarum ferrum protulit; quae sagittae olim admodum erant usitatae. Barbari plerumque sagittis ferri loco osseas apponebant cuspides. Id etiam Germanos deficiente ferro fecisse, Tacitus testis est. *Pharetrae* in monumentis saepissime et eadem ferme forma occurrunt; hoc uno tamen discrimine, quod quaedam opercula habebant, quibus sagittae plane operiebantur; aliae non item. Tanto autem numero ubique uisuntur, uisaeque a nobis antea fuerunt, ut aliquas proferre minime necessarium existimemus. Praeter thecas sagittarum, alias quoque habebant ad reponendum arcum; quas *Corytos* appellabant.

§. 5. *Secures* 9) quoque in bello usitatas fuisse, relatum legimus. Amazones bipennes gestasse iam supra monuimus, illudque securis genus a *Xenophonte* lib. 4. Exped. Cyri *Sagaris* uocatur. Bipenne quoque utebantur Ambrones et Teutones. Ex barbaris nonnulli lapideas habebant bipennes.

§. 6. *Funda* 10) instrumentum erat bellicum nationibus plerisque usurpatum. Haec autem taenia fuit, cuius duo extrema manibus tenebantur, in ima uero complicata funda, lapis ponebatur; in altera taeniae parte extrema foramen fuit digito inserendo aptum, ut funda lapide misso manui semper inhaereret. Baleares inprimis egregios fuisse funditores, apud *Strabonem* Lib. 3. p. 116. relatum legimus, *tribus utebantur fundarum generibus; longo, quod macrocolon uocabant, ad ictus longius dirigendos; breui ad ferienda propinqua; illud erat brachycolon; et mediocri ad mediocres missus. A puero autem ita exercebantur funda, ut non aliter panis daretur, nisi funda scopum attigissent.* Baleares hi funditores saepius erant in exercitibus Poenorum atque Romanorum et non raro ad victoriam reportandam ualuerunt. Inter Graecos Thucydide teste, Acarnanes funditores erant eximii. Achaei triplicis chordae fundas habebant, quibus strenue utebantur; ictus enim fortius dirigebant, quam Baleares, et ex fundae peritia adeo celebres euaserunt, ut *Achaicum* telum diceretur eorum, qui perite et feliciter iacularentur. Erant etiam qui claua pugnabant, in iisque inprimis Germani.

LIBER TERTIVS.

DE EQVITATV NATIONVM NOTARVM OMNIVM ITEM DE SIGNIS ET OPERIBVS MILITARIBVS.

CAPVT I.

De equitatu Graecorum et Romanorum.

§. 1.

Graeci, qui ut in multis aliis, ita etiam equitandi more cum Romanis conueniebant, in modo equos sternendi et instruendi non multum differebant. Quod Xenophon in libro de re eque-

stri

9) quae etiam missiles fuerunt. *Lips.* poliorcet. lib. 4. dial. 4. P. *Petitus* de Amazonibus c. 32.

10) *Lipsius* l. c. dial. 2. et 3.

ſtri circa formam freni et capiſtri monuit, id in monumentis Romanis paſſim obſeruatur. Graecos etiam equites in nummis ſaepe uidemus, ſed forma plerumque tam exigua, ut ſingulae imaginis partes difficulter dignoſci poſſint. Romani autem equites in columnis atque arcubus per omnes partes accurate diſtinguuntur.

Tab. CXII. §. 2. Equi duo in monte Caballo cum duobus uiris illos ducentibus, quos *Tab. CXII. fig. 1 et 2.* exhibemus, adeo ſimiles ſunt, ut eques Maſſeius ſufficere exiſtimauerit, unum tantum equum cum ductore proferre. Alter inſuper equus adeo labefactatus et truncatus eſt, ut iam totus dari nequeat, niſi ex altero ſuppleatur, quod deficit. Ex inſcriptione patet, alterum ex his equis cum equite ſuo opus eſſe *Phidiae*, alterum *Praxitelis*; quoniam haec uerba leguntur: *opus Phidiae*, *opus Praxitelis*. Certe fatendum eſt, haec opificia tantis ſculptoribus eſſe digniſſima, Equi pectus arrigentis, actio prorſus incomparabilis eſt, et ductoris ad illum cohibendum et poſtea conſcendendum modus et conatus plane admirabilis. Quem *fig. 3.* ſiſtimus, eques Lugduni erutus fuit. Qui archetypum aeneum inſpexerunt, mirabilis illum artificii opus eſſe produnt. Fatendum eſt, tum eum, qui monumentum hoc delineauerit, tum eum, qui aeri idem inſculpſerit, opus omnibus modis abſolutum repraeſentaſſe. Multi putauere Curtium eſſe, qui poſtquam pro exercitu Romano ſeſe deuouerat, cum equo in uaraginem praeceps abiit. Sed nihil hic uidemus, quod ad Hiſtoriam Curtii referri poſſit. Hic enim M. Curtius ſemper ſub forma equitis Romani armati repraeſentatur, qui uel mox ſe praecipitaturus eſt, uel qui iam praeceps agitur, qualem iam ſupra *Tab. LXVIII.* uidimus. Hic autem eques nudus nec comam nec barbam habet Romanorum ſimilem; Gallum potius crederem, qui induſtriae ſuae et equi celeritati fidens, conſtituto pignore contendit, ſe equo uectum certo tempore maius aliquod itineris ſpatium emenſurum; qui reportato uelocitatis praemio id meruerit, ut in rei memoriam monumentum hoc poneretur.

§. 3. *Fig. 4.* equitem damus equum habenis ducentem, qualem Raphael Fabretus in columna Traiana p. 226. publicauit. Equus lunam bicornem in pectore geſtat, quod ornamentum in equis Romanis frequentiſſimum eſt. Eques dextra haſtam tenet, eiusque lateri ſiniſtro gladius iunctus eſt, cuius lamina duorum circiter pedum eſt. *Fig. 5.* Alexandrum Magnum Bucephalo uectum exhibet; id quod ex prioribus huius nominis Syllabis BOYKE recte colligitur. Ipſe Alexander uerſus orientem pergit, ſole ſupra imaginem eius fulgente; in oriente quippe uictorias reportauit, variosque populos domuit; quamobrem etiam lauream coronam dextra tenet. Imago ſequens *fig. 6.* prae ſe fert Imperatorem equo uectum et lauro coronatum, qui peditem haſta transfodere tentat; miles uero ſcuto ſe tegens equitem gladio ſtricto propulſare nititur. Equus lori pectoralis uice pellem habet leoninam in duas partes diuiſam, quae in equi pectore ſine dubio iunguntur. Qui *fig. 7.* ſequitur eques, Imperator Traianus eſt, qui citato curſu pergit; de quo hoc ſolum notandum, quod equus illius duas in pectore lunulas habeat. *Fig. 8,* equitem Romanum offert ex columna Traiana, qui ſcutum ouatae formae geſtat, et equi poſtilena peculiari modo ornata eſt. Alius eques *fig. 9.* qui citato curſu fertur et diſtrictum gladium manu tenet, ſimiliter ex columna Traiana deſumtus eſt. Imperator M. Aurelius *fig. 10.* ex elegantiſſima ſtatua equeſtri, ob uictoriam quandam erecta, et in Capitolio poſita, expreſſus eſt. Eques ſequens *fig. 11,* ex columna Traiana, itidem concitato curſu fertur.

Tab. CXIII. §. 4. Tabula ſequente *CXIII. fig. 1.* equus Imperatoris Traiani a Stratore ductus a latere totus conſpicitur; ita ut omnia, quae ad ornatum pertinent, facillime explorari poſſint; capiſtrum ſcilicet, frenum, lora, duplex funiculus a freno ad ephippium ductus, lorum pectorale, ephippium ex panno ſimplici et, prout uidetur, ſine tomento, poſtilena cum iisdem ornamentis, quibus lorum pectorale conſpicuum eſt. Equus alius *fig. 2.* ex iis eſt, qui equitibus, ut uocant, ſingularibus, in uſu erant. Hi in pugna ad laeuam Imperatoris erant; Praetoriani uero ad dextram. Eques ſequens *fig. 3.* ex columna Theodoſii deſumtus eſt. Veſte hic Romana militari indutus eſt, quae a praemiſſis parum differt; galeae ingens criſta impoſita eſt, ſub qua auis conſpicitur; gladius omnium, quos adhuc uidimus breuiſſimus eſt; equus magnis ſtragulis ſquamatis paene totus opertus eſt; ephippium hodierno non abſimile uidetur.

§. 5. Non praetereundi hoc loco ſunt equites *cataphracti* ſeu *clibanarii*, quo nomine, ut tradit *Seruius* ad Aen. II. illi equites uenerunt, qui ipſi ferro muniti, et equos ſimiliter munitos habebant; equis ſcilicet paria erant operimenta, quae linteo ferreis laminis in plumae modum annexuerant. Plumam autem in armatura uocabant, ubi laminam in laminam ſe indere uidemus. Eiusmodi equites undique ferro muniti tempore Conſtantini Imperatoris permulti fuere.

§. 6.



1, 2. Statuæ equestres in monte Caballo. 3. Statua equestris Lugduni eruta. 4. Eques Romanus equum habenis ducens. 5. Alexander M. Bucephalo vectus. 6. Imperator peditem aggrediens. 7. Traianus equo vectus. 10. M. Aurelii statua equestris. 8, 9, 10. Equites Romani.

§. 6. In his omnibus equitum figuris non ullus usquam conſpicitur ſtapes uel biſtaphia; unde recte colligitur, illius uſum priſcis temporibus fuiſſe ignotum; quod etiam ſilentio tot auctorum Graecorum Latinorumque, qui nullam unquam *biſtaphiarum* mentionem faciunt, ſatis comprobatur. Immo ne illi quidem, qui lexica ſcripſerunt biſtaphiae denominationem indicibus ſuis inſeruerunt. Fieri certe non potuit, ut res tam uulgaris uſus ab illis auctoribus omnibus ſilentio praetermiſſa, nec unquam in marmoribus uel tabulis aeneis expreſſa fuerit, ubi tot equites repraeſentantur. Verba itaque illa *ſtapes*, *ſtapeda*, 1) *ſtapia* et *biſtapia* ſequioribus demum ſaeculis inuenta eſſe putentur, poſtquam ſtapedis uſus inductus eſt: *Xenophon*, qui equum conſcendendi modum docet, pag. 942. ait, equitem dextra iubam equi una cum loris freni apprehendiſſe, adeoque in equum inſiliiſſe. Quum uero eques mole grauis equum inſilire non poſſet, Perſarum more ab equiſone erigebatur. Eodem loco idem Xenophon docet, equiſones quosdam tanta equos tractandi peritia fuiſſe, ut ii ſe inclinarint et demiſerint, ut eques nullo negotio conſcendere poſſet. Romani, iuuenes ad equum conſcendendum inſtituentes, equos ligneos parabant, 2) ac primo iuuenem, ut ab utroque latere, dextro pariter atque ſiniſtro, inermis aſcenderet, docebant; ut urgenti neceſſitate utraque ratione equum conſcendere poſſet. Si iuuenes diuturno exercitio hoc didicerant, armis onuſti id ipſum agebant, immo etiam ſtricto gladio et manu haſtam tenentes. Haec exercitia omnia ſine ſtapede fiebant, et artem in equum inſiliendi, non callere iuueni Romano turpe fuit. Qui autem aetate grauiores erant, neceſſe fuit, ut uel a ſeruis uel ab equiſonibus in equum tollerentur, uel ut ex loco editiore, lapide e. c. truncoue equum conſcenderent.

§. 7. *Ferreas ſoleas* equorum pedibus ſupponere ueteribus non erat ignotum; licet uſus earum non adeo frequens et omnibus communis fuiſſe uideatur. Celeberrimus Fabrettus aſſerit, ſe ex equis omnibus, qui magno numero in ueterum monumentis comparent, quos diligentius explorauerit, unum tantum uidiſſe ſoleis ferreis munitum. De mulis mulabusque ſcriptores non diffitentur, illis huiusmodi ſoleas fuiſſe ſuppoſitas; de quo conferri meretur *Suetonius* in Nerone c. 30. et in *Veſpaſiano* c. 23. *Plinius* item 11, 33, aliique. Xenophon contra in libro de re equeſtri ne uerbum quidem de ferreis ſoleis habet; docet tantum, quo pacto cornu pedum equinorum durandum firmandumque ſit; ex quo apparet ferrearum ſolearum uſum tunc temporis non ita fuiſſe frequentem. Idem auctor L. 4. exped. Cyri p. 333. ait: nationem quandam, cuius equi admodum parui erant, pedes eorum in ſaccis colligaſſe, ne ad uentrem usque in niuem ſeſe demergerent.

Capvt II.

De aliarum gentium equitatu.

§. 1.

Ad ceterarum nunc gentium equitatum pergentes primo ſtatim ex *Xenophonte* L. I. p. 263. notamus, in exercitu Cyri iunioris, qui fratri ſuo Artaxerxi bellum inferebat, ſexcentos equites circa eum poſitos fuiſſe, qui thoracibus magnis, femorum tegumentis et galeis erant muniti; quum ceteri Perſae nudo capite pugnarent. In eodem exercitu equi ceteri tegminibus in fronte et pectore induti erant, ut caput et totum corpus tegeretur. In arcu Septimii Seueri equites Parthos conſpicimus, quorum tiara more Phrygum a tergo reflexa eſt; tunica uix ad genua defluit, zonaque praecingitur; pallium ſ. candys in pectore fibula nexus a vento agitatus retro uolitat; braccas illi geſtant, quas Strabo Anaxyridas appellat, quaeue ad malleolos uſque propendent et ſupra calceum colligantur. Ex imagine *fig.* 4. fugientes equorum colla amplexi uidentur, quod etiam in quibusdam aliis nationibus obſeruatur. Quamuis uero Parthi in hiſce monumentis, quae ex arcubus et columnis iam ſaepe citatis deſumta ſunt, nulla arma habere uideantur, credendum tamen, illos minime fuiſſe inermes, ſed arma illorum, quae in iſtis monumentis prominebant, ut fragilia, uariis caſibus deleta fuiſſe. Praeſertim quum aliunde ſciamus, Parthos omnino gladiis uſos eſſe, et longioribus quidem quam Romanos, eosdemque arcu pugnaſſe, ſagittas magna dexteritate mittentes; fugiendo item dimicaſſe et quum profligati putarentur pugnam inſtauraſſe et magnas de Romanis uictorias reportaſſe.

1) Confer. praeter Hier. *Magii* miſcell. lib. 2, c. 14. *Lipſium* de militia rom. lib. 3. dial. 7, qui tradit, *Franc. Philelphum* ſtapedam primum nominaſſe; *Budaeum* maluiſſe *ſubiicem* dicere *pedaneum*. Idem quid ſit ἀναβολευς exponit.

2) Haec *Vegetius* lib. 1. c. 17. tradit, ſed aliis uerbis.

§. 2. *Maſſagetae* Herodoto teſte, l. 1. c. 215. Scytharum more uiuentes equo pedibusque militabant, arcubus et haſtis utebantur, ſagaresque ſeu bipennes geſtabant; aurum praeterea et aes adhibebant; hoc quidem ad haſtas, ſagittas et bipennes; illud ad ornamentum capitis, Zonas et alia. Equorum pectora thoracibus aeneis contegebant, et frena cum habenis auro ornabant; auri enim et aeris ingentem uim habebant, argento uero et ferro carebant. *Scythae* magno pollebant equitatu 1) eodem ferme quo Parthi bellandi genere arcu et ſagittis pugnantes. Nullum ſupereſt monumentum, in quo equites Scythae compareant; niſi forte pro Scythis ii habendi ſint, quos infra ſub Sarmatum nomine repraeſentabimus. Nam ſaltem Graecorum more hi quoque Scythae uocari poſſunt; quod Graeci populos omnes uerſus Septentrionem Scythas uocabant; uti Occidentales Celtas, Meridionales Aethiopes, et Orientales Indos uocarunt. *Amazones*, ut Herodotus cum ſcriptoribus multis aliis tradit, bellicoſae fuerunt mulieres prope Scythiam. Res illarum geſtae omnibus notae ſunt. Primo Scythas bello impetiuere, dein Athenienſium regionem inuaſerunt, Alexandrum in Orientem pergentem ſub regina ſua adierunt. Sed multa in his pro fabulis habentur; nec deſunt, qui Amazonas unquam fuiſſe ualde dubitant. Ex monumento Viennae in Auſtria pugnam Amazonum exhibente unam tantum earum depromſimus, quam *fig. 5.* offert. Bipenni haec pugnat, et equus eius ingenti panno tectus eſt, qui et ephippii et pectoralis uicem ſuſtinet. Ceterum iam ſupra monuimus, illas peltis dimidiae lunae forma uſas fuiſſe. De iisdem narratur, illas filiabus teneris mammam dextram aduſſiſſe, ne arcu utentibus obeſſet; ſed omnes, quas in monumentis uidi Amazonas, utramque mammam oſtendunt.

§. 3. Quem *Fig. 6.* exhibemus eques, is ex Sarmatum gente eſt; forma plane ſingulari. Pileus tiarae ſimillimus eſt, ueſtis tota a capite ad calcem uſque corpori ita adſtricta eſt, ut niſi ſquamarum uarietas, quae ad pugnum et pedis digitos usque pertingit, aliud ſuaderet, uiros eos nudos crederes. Quod autem ſummopere mireris, equus eodem tegumento ad imos pedes et nares uſque obductus eſt; immo etiam cauda ſacco quaſi ſquamato incluſa uidetur. Conferatur hic locus *Pauſaniae* in Atticis lib. 1. p. 37. ex quo hoc ſolum monemus, quod quum apud Sarmatas magna eſſet ferri penuria, tegumenta illa ſquamata ex ungulis equorum hoc modo fecerint. *Ungulas*, ſcribit Pauſanias, *perpurgatas atque diſſectas ad ſimilitudinem ſquamarum draconis perpoliunt. Quodſi quis draconem non uiderit, haud errauerit, ſi opus illud ungulis confectum ſtrobili adhuc uiridis lineamentis ſimile eſſe putauerit. Squamas illas perforatas equinis uel bubulis neruis conſuunt, indeque ſibi loricas concinnant, quae neque elegantia neque firmitate Graecorum inferiores ſunt. Ammianus* etiam *Marcellinus* lib. 17. ait Sarmatas et Quados loricas habere ex cornibus raſis et laeuigatis plumarum ſpecie, linteis indumentis innexas.

§. 4. *Daci* equites, quorum exemplum *Fig. 7.* prae ſe fert Parthis fere ſimiles erant. Pileus a tergo reflexus ad inſtar tiarae Phrygiae; nec eiusdem ſemper formae eſt; immo Daci aliquando nudo capite uidentur. Tunica ad genua uſque defluit, pallium breue geſtant, ante pectus annexum, a tergo uolitans; ingruente frigore pallia reducebant. Pro armis gladio mediocri, cuius lamina falcis modo inflexa et clypeo formae ouatae utuntur. Equi apparatus frenum erat, lorum pectorale et poſtilena; plerique ephippio carent. Equites *Germani* multis modis exornati fuere. Alios quippe ſecundum *Fig. 8.* ab humeris ad Zonam nudos pallium breue, quod circa pectus infibulatum retro fertur geſtare uidemus, braccasque habent Dacorum plane ſimiles. Non pauci ſane prorſus Dacorum more ueſtiti ſunt, et ouatae formae ſcuto inſtructi. Quum enim Germania in plures nationes, quarum ſingulae ſuis legibus et moribus uiuebant, diuiſa eſſet, non eſt, quod ueſtium diuerſitatem miremur. Equi illorum ſolum frenum frenique lora habent, ſine ullo uel pectorali loro, uel ephippio uel poſtilena. Plurimi etiam freno carent; equites uero cum citato curſu feruntur, equorum colla amplectuntur, equis ita adſuetis, ut currentes caput erigant; id quod *Fig. 9.* uidere eſt.

§. 5. Equites *Gallos* licet in ueterum monumentis magno ſtudio quaeſierim, nusquam tamen deprehendi. I. Caeſar in bello contra Pompeium eiusque aſſeclas ſe feliciter iis uſum eſſe ipſe fatetur. Nullos item equites *Hiſpanos*, quibus I. Caeſar in bellis ſuis etiam uſus eſt, adhuc uidi. *Strabo* l. 3. p. 114. ait, Hiſpanos binos eundem equum conſcendere, et ubi dimicandum ſit alterum equo deſilire et peditem pugnare. Equitatum *Maurorum* Traiano in Dacia bellum gerenti adfuiſſe, ex Dione nouimus; et dubio caret, illum eſſe exercitum, qui columna Traiana p. 43 et 44. exhibetur. Hic *Fig. 10.* equitem Maurum damus, qui ex capillorum cincinnis et barba depexa cognoſcitur. *Mauri enim*, docet *Strabo* l. 17. *comas cincinnis exornant et barbam comunt, aurumque geſtant, dentes tergent, unguium incrementa reſecant, ac raro, dum una deambulant, ſe contingunt, ut*

capilli

1) equisque optimis, inde *Philippus* 20000 equas Scythicas abduxit. Iuſtinus lib. 9. c. 2.

capilli compositi maneant. Equis insident freno, loris quibuslibet et ephippio carentibus, ut Numidae, Getuli, aliaeque Africae gentes. Hic tamen equus in ima colli parte funiculum contortum habet, quo forte Mauri equum stiterunt, et in quam uellent partem uerterunt. Maurorum uestis erat tunica leuis, duplici cingulo succincta, quae ne ad genua quidem descendebat; crura, tibiae, pedesque nuda prorsus conspiciuntur, uti brachia quoque nuda sunt. Scutum sinistro brachio gestant, dextraque aut lanceam aut hastam s. iaculum haud dubie tenebant; sed haec omnia in figuris exciderunt. Imago sequens *fig. 11.* equitem Numidam repraesentat, quem miles Romanus crinibus arreptum in terram prosternere nititur. Hic Numidam omnibus notis probat. Vestis uniuersa palliolum est, quod in aere uolitans totum corpus nudum relinquit; id quod cum Claudiani uersu conuenit, de Numidicis equitibus. *Dextra mouet iaculum, praesentat pallia laeua, cetera nudus eques.* Hic autem eques nec hastam nec iaculum tenet; quod arma delapsa sunt. Equus etiam nec freno, nec ephippio, nec loro ullo instructus est. De Numidarum equis et hoc obseruatum, quod admodum exigui fuerint, sed celeres et adeo mansueti, ut sola uirga gubernarentur, immo nonnunquam canum more dominum sequerentur. Clypeus, qui cecidit, pelta est luniformis.

§. 6. De equitatu antequam dicendi finem faciamus, de *Ismaelitis* siue *Saracenis*, quorum Hieronymus in uita Malchi mentionem facit, pauca monenda sunt. Saraceni in deserto uagabantur, quemadmodum Arabes ab iis prognati; equorum camelorumque sessores erant, corpore seminudo, capite crinito et uittato, laxos arcus uibrantes et hastilia longa gestantes, ex rapto uiuere consueti; tribus post Hieronymum saeculis elapsis imperium maximum stabilierunt, et omnibus fere totius orbis gentibus terrorem incusserunt.

§. 7. Ad calcem eorum, quae de equitatu dicta sunt, *fig. 12.* muricem damus e museo S. Genouefae eductum. Hi murices qua hostium equitatus transiturus putabatur, per agros conspersi pedibus equorum infigebantur, quo ipso ordines turbabantur. Hoc enim instrumentum ita concinnatum est, ut ex quatuor aculeis tres semper terrae innitantur, quartus uero erectus maneat. Conferatur de eo *Valerius Maximus* L. 3. c. 7. n. 2. De stapede iam supra quaedam monuimus; hoc loco illud addimus, quod non adeo mirandum sit, cur ueteres stapedibus ita commodis atque inuentu facillimis tamdiu caruerint, quod ephippium priscis illis temporibus pannus erat, qui nonnunquam utrinque ad terram usque defluebat et fortasse duplicatus erat; cuiusmodi ephippiis stapedes, qui sat firmiter haererent, non adeo facile erat aptare. Nondum enim didicerant, ligneam ephippiis inducere machinam; quod Theodosii demum tempore coepit. Equos ueterum frenis saepius caruisse in schematibus praecedentibus satis abunde perspeximus. Sat tamen multos etiam uidimus, qui frenis utique erant adstricti; quorum tamen forma a nostris aliquantum fuit diuersa. *Fig. 13.* illam freni partem exhibemus, quae in os equi inserebatur. Haec autem formae plane singularis est: ferrum quippe, quod os equi transuersum permeat, ex altera parte in equi caput desinit. Quodsi igitur hoc uere sit frenum, clarius forte intelligetur, quid *lupata* ueterum *frena* significent. Uti enim hoc loco frenum uidemus, cuius altera pars in equi caput abit, sic multa quoque fuere frena lupi capite munita; et haec credo lupata fuisse dicta; forte caput lupi ex utraque illorum parte conspiciebatur. *Seruius* tamen ad *Virgilii* Georg. 3, 208. rem alio modo intelligit, dum *frena lupata* a dentibus lupinis, qui inaequales sunt, unde morsus eorum uehementer etiam obest, dicta fuisse, contendit.

§. 8. Tandem calcaria quoque ueteribus in usu fuisse, dubio caret. Calcaris quippe uoce Cicero non semel tantum utitur; qui hoc uocabulum etiam adhibet eo modo, quo dicere solemus, *huic freno, illi calcaribus opus est;* (ille celerius quam par est, hic lento nimis gradu in rebus gerendis procedit.) Virgilius quoque calcar per calcem ferratam exprimit *Aeneid.* XI, 714. *quadrupedemque citum ferrata calce fatigat.* Attamen in tanto equitum numero, quos adhuc in monumentis conspeximus, ne uestigium quidem calcaris uidi. Calcaria illa ueterum forte aculei tantum erant minuti et ferrei, qui ex lamina ferrea calceo annexa circa calcem ipsam emittebantur; hinc fieri etiam potuit, ut calcaria eiusmodi in monumentis negligerentur. Calcar illud, quod *Fig. 14.* proferimus, aculeus tantum ferreus est, ex eiusdem materiae semicirculo, qui calceamentis aptabatur, emergens.

CAPVT III.

De ſignis militaribus 1).

§. 1.

Priſcis reipublicae romanae temporibus ſimplicitate regnante ſignorum militarium locum obtinebat faſciculus foeni aut herbarum, conto altiori alligatus; dein uaria animalia, lupi ſcilicet, minotauri, equi, aprique uſurpata fuere; eaque poſtea *Plinio* 10, 4. teſte a Mario ad ſolam aquilam redacta ſunt. Secutis deinde reipublicae et Imperatorum temporibus, tanta ſignorum militarium occurrit diuerſitas, ut cum ſcriptoribus ea commemorantibus ſaepius parum conueniant. *Primum ſignum totius legionis,* ſcribit Vegetius II, 13. *eſt aquila, quam aquilifer portat. Dracones etiam per ſingulas cohortes a draconariis feruntur ad proelium: ſed antiqui, quoniam ſciebant, in acie, commiſſo bello, celeriter ordines aciesque turbari et confundi, ne hoc poſſet accidere, cohortes in centurias diuiſerunt, et ſingulis centuriis ſingula uexilla conſtituerunt. Ita ut ex qua cohorte, uel quota eſſet centuria, uexillo litteris eſſet adſcriptum, quod intuentes uel legentes milites, in quantouis tumultu a contubernalibus ſuis aberrare non poſſent. Centuriones inſuper, qui nunc centenarii uocantur, transuerſis caſſidum criſtis, ut facilius noſcerentur, quos ſingulas iuſſerunt gubernare centurias, quatenus nullus error exiſteret, quum centeni milites ſequerentur, non ſolum uexillum ſuum, ſed etiam centurionem, qui ſignum habebat in galea.*

§. 2. Praeter aquilam legionariam, quod ſignum in monumentis ſaepe conſpicitur, ſingulae cohortes ſaltem infimis Imperii temporibus peculiare ſignum habuerunt. In his rotundae uel ouatae erunt tabulae, in quibus imagines Deorum, Imperatorum, aliorumue ducum conſpiciebantur; et in eodem ſigno militari plures ſaepe eiusmodi tabulae, aliae aliis ſuperpoſitae apparent. Nonnunquam etiam in haſtae uertice ſtatuae erant paruae uel Numinum uel Imperatorum. Bellica ſigna Romani ſumma ueneratione proſequebantur. Per illa quippe iuramenta et ſacramenta fiebant, dicit *Tertullianus* Apol. c. 16. illa inungebantur etiam, teſte *Plinio* 13, 3. floribusque decorabantur.

§. 3. Vexillum, equitatus ſignum, alio nomine *cantabrum* uocabatur. Tertullianus illud *ſiparum uexillatum* appellat. A tempore Conſtantini M. *labarum* dicebatur; illudque Imperatorum Chriſtianorum aeuo monogramma Chriſti cum cruce geſtabat. Vexillum hoc in ſumma haſtae, quae formam litterae T habebat, affigere ſolebant, cum panno quadrato, materiae pretioſae, et unum circiter pedem longo atque lato. Inter haec ſigna militaria quaedam aurea erant, alia argentea; maxima uero pars aenea uel ferrea. Singulae legiones aquilas ſuas habebant. De ceterorum ſignorum numero ſcriptores non conſentiunt. Locus, ubi ſigna haec Romae ſeruabantur, Martis templum erat, e quo belli tempore rurſus petebantur.

Tab. CXIIII. §. 4. Miles ille armatus, quem *Tab. CXIIII. fig. 1.* ante Bellonam uidemus, a celeb. Cauceo pro *Feciali* habetur, quem Romani ad indicendum bellum mittere ſolebant. Bellona hic iaculum emittere uidetur, quam caerimoniam ipſe aliter Fecialis ſeruabat, quum populo cuipiam, bellum indiceret. Duae tabulae rotundae *Fig. 2 et 3.* partes tantum ſunt ſigni militaris, in quibus, ut iam ſupra monuimus, uarias Deorum Imperatorumque imagines ponere ſolebant. Aquila ſequens *fig. 4.* baſi rotundae inſidens ſignorum militarium praecipuum erat. Quod *Fig. 5.* ſequitur inſtrumentum, affigendo uexillo deſtinatum erat. *Fig. 6 et 7. Aquiliferum* et *Draconarium* repraeſentat. Aquilifer aquilam baſi triangulari inſiſtentem in conto geſtat. Draco, unde Draconarii nomen, nonniſi poſteriori aeuo inter ſigna militaria referebatur. Hiſtoriae enim Romanae ſcriptores antiqui nullam eius mentionem faciunt. Draco Parthorum Dacorumque proprie ſignum erat; quod in arcu Seueri uidere eſt. Ab his dein Germani idem mutuati ſunt; tandem hoc ſignum ad Romanos quoque tranſiit. Inter ſigna militaria ſequentia fig. 8-16. primum, lupum effert, ſecundum et tertium, *fig. 9, 10,* ſuperne ſub haſtae ferro tribus baculis terminatur, qui dimidium quadrati efficiunt, ſub quo aquila circulo incluſa; ſub aquila uariae tabulae uiſuntur, in quarum aliquibus imagines Numinum uel Imperatorum referuntur. Signum ſequens *Fig. 11.* uexillum eſt. Signum quintum *Fig. 12.* inter tabulas rotundas aliam quadratam habet, in qua urbis porta exhibetur; quo ſignificatur, legionem iſtam urbi hoſtium capiendae inſeruiſſe. Signum aliud *Fig. 13.* quinque tabulas rotundas repraeſentat, in quarum uertice manus aperta uiſitur; quod in ſignis militaribus admodum frequens eſt

In

1) Confer pluribus exponentum *Lipſium* de militia rom. lib. 4. dial. 5.



1. Fetialis ad statuam Bellonæ. 2. 3. Tabulæ signorum militarium. 4. Aquila, signum præcipuum. 5. Fulcrum vexilli. 6. Aquilifer. 7. Draconarius. 8–16. Signa militaria varii generis. 17. Tuba militaris. 18. Lituus. 19. Horrea ad ripam Danubii posita.

In sequenti *Fig. 14.* manus illa lauro coronatur. Signum sequens *Fig. 15.* lectoribus explorandum relinquimus. Proximum *Fig. 16.* quod omnium maximum, praeter aquilam et tabellas rotundas uarias imagines prae se ferentes turri quoque exornatum est; quae captam aliquam urbem denotare uidetur. Loco tabularum, in quibus imagines numinum ducumque apparent, nonnunquam integras Deorum statuas in summo uertice positas uidemus. Vero autem simile est, omnes illas statuas, tabellas, aliaque symbola amoueri potuisse, et pro ratione temporum, rerumque uicissitudine saepius fuisse mutata. Ceterum intra castra signa haec defigebantur, nec nisi peracto sacrificio illa euellere fas erat. Infausti autem ominis erat, si aegere euellebantur.

§. 5. Signa militaria Graecorum, auctore *Pottero* p. 479. admodum erant diuersa. Quaelibet enim urbs et natio peculiare suum signum habebat. Sic Athenienses noctuam, auem Mineruae sacram, gestabant. Thebani in memoriam Oedipi, Sphingem habebant. In signum certaminis adeundi nonnunquam chlamys purpurea in summa hasta appendebatur; quae signa ab arbitrio Ducis dependebant. *Scytala* Lacedaemoniorum inuentum erat, quo Duces ultro citroque litteras mittebant, quae licet essent interceptae, a nemine tamen legi poterant. *Quum praefectum classis uel ducem Ephori mittunt*, narrat Plutarchus in Lysandro, *ligna bina parant teretia, pari prorsus longitudine et crassitie, ut dissecta inter se quadrent. Horum alterum ipsi retinent, alterum tradunt ei, quem dimittunt. Ligna haec* Scytalas *appellant, ubi arcana et ardua mandare uolunt, codicillos faciunt instar corrigiae longos et strictos: his scytalam suam circumplicant, nullo interstitio relicto, sed faciem eius undique amplectuntur codicillis. Inde quod libuerit in circumiecto codice scribunt; ubi scripsere, detractos codicillos mittunt ad ducem absque ligno: acceptos ille legere non posset, quod non iunguntur litterae, sed uagis interuallis disruptae; adhibet autem scytalam suam et segmento codicillorum circumplicat. Ita spirae in eadem positae serie, in pristinum orbem legendam epistolam oculis offerunt.*

§. 6. Praeter signa militaria, de quibus egimus, supersunt alia, 2) quae uel ipsa uoce, uel instrumentis sonoris proferri solebant. In castris noctu ab iis, qui excubias agebant, his aliisque uerbis, *uictoria*, *palma*, *fortitudo*, *Deus nobiscum sit*, *triumphus Imperatoris etc.* clamabatur. Diuersos autem clamores edebant, ne, si eodem modo semper clamarent, hostes illum imitarentur. Quando hostem inopinatum aggredi uolebant, profectionis signum per notam aliquam tesserae uel aeneae, uel argenteae, uel eburneae incisum dabant; uel si aperto Marte ad pugnandum proficisci debebat exercitus; tubae buccinaeque sono excitabatur. Nonnunquam utroque signo per tubam et tesseram simul utebantur; eaque omnia pro temporum ratione uariabant. Plutarchus in Fabio Maximo scribit: eum tunicam purpuream in tentorio Ducis collocatum, in pugnae signum apponi iussisse. *Clemens Alexandrinus* Paedag. l. 2. c. 4. Hetruscos in bello tuba, Arcadas fistula, Siculos pectide, Cretenses lyra, Lacedaemonios tibia, Thraces cornu, Aegyptios tympano, Arabes cymbalo usos esse, asserit. Graeci Veteres, *Pottero* notante in Archaeolog. l. 3. 9. cochleis quibusdam utebantur, quae tubarum instar resonabant. Cornu, cuius Schema *Fig. 17.* exhibet, etiam signum militare fuit; qui illud inflabant, *Cornicines* dicebantur. Litui formam offert Fabrettus in columna Traiana talem, qualis *Fig. 18.* profertur; quod signum aliqui ipsam tubam esse existimant. De tubis hisce, cornubus atque lituis, aliisque instrumentis musicis supra iam pluribus egimus.

CAPVT IIII.

De Operibus militaribus 1).

§. 1.

Operibus militaribus, in quibus Graeci et Romani palmam ferebant, Persae uero Graecis non multum concedebant, per antiquam historiam nihil singularis reperitur. Ea omnia a nobis intelliguntur, quae tuendis et exornandis castris, uallis, arcibus atque praesidiis parabantur. Persae quantum in hac re praestiterint, in expeditione Xerxis ostenderunt; exercitus enim eorum, quum apud Plataeas profligatus esset, ex uictis multi in castra sese contulerunt, ibidemque adorientibus Graecis tamdiu obstiterunt; donec aduenientibus tandem Atheniensibus, oppugnandis eiusmodi munimentis adsuetis, ipsa castra expugnarentur; quod infelicissimae illi Persarum expeditioni finem imposuit.

2) Adde *Lipsium* de militia lib. 4. dial. 12.

1) Adde *Lipsium* l. 5. de militia, qui est, de disciplina.

posuit. Athenienses autem operibus militaribus exsequendis celeberrimi fuere. Quum urbes obsidebant, illas muris constructis cingebant, quas certo militum numero relicto tuendos defendendosque commendabant; quo facto reliquus exercitus ad alia bella properabat, de obsidionis diuturnitate parum sollicitus; eo quod probe intelligebant, deficiente commeatu atque annona urbem obsessam andem in potestatem suam uenturam. Hac in re Macedones quoque excellebant; unde Liuius illos cum Romanis comparat; quamuis hos illis in multis praeferendos asserat. Macedones, scribit Polybius, in effodienda terra admodum laboriosos, et ad praesidia castraque munienda perquam aptos, et in quouis opere perquam strenuos fuisse; quod eo praecipue tempore animaduertebatur, quo Alexander M. Tyrum, quae tunc insula erat, obsidere cupiens, aggeribus comportatis immenso labore cum continente ita coniungeret, ut ab illo tempore Tyrus orae uicinae iuncta haeserit.

§. 2. At Romani in hac re ceteris omnibus merito praeferendi, quum a nulla unquam expeditione, quantumuis ardua, illos unquam absterritos fuisse legamus. Caius Marius modico temporis spatio adeo castra muniuit contra Cimbros et Teutones, ut inexpugnabilia dein haberentur. I. Caesar paucis diebus murum construxit longitudine nouendecim millium; a Lacu scilicet Lemano, qui flumen Rhodanum recipit, ad montem usque Iuram, qui fines Sequanorum ab Heluetiis diuidebat; Murum, inquam, in altitudinem pedum sexdecim, eoque opere perfecto fossaque deducta, praesidia disposuit et castella muri muniuit. Quod opus ineunte bello editum fidem omnem superaret, nisi I. Cæsar ipse narraret. 2) Pons item supra Rhenum structus non minus a temporis breuitate quam operis arte et firmitate quam maxime conspicuus erat. Castra eiusdem circa *Alesiam* tam stupendi laboris erant, ut hodie exercitui uel centies mille militum, plurium annorum opus uideretur. 3) Descriptionem illius Libro VII. comment. non sine stupore leges. Et quis cetera artis bellicae miracula omnia referre audeat. Si uero quaeratur, qui fieri potuerit, ut tam stupenda opera tam breui tempore tantaque celeritate perficerentur? in promtu est ratio: negotium enim illud publicum suum quisque esse reputabat, eodemque, quo is, qui rem iusserat, animo manum suam operi admouebat. Contra hodie miles rei susceptae exitum parum curans, segniter agit, et quam minimum potest laboris aggreditur; qui curatoris nomine adest, saepius proprium quaestum, quam Principis sui honorem, exercitusque salutem, respicit: hinc autem accidit, ut uel ingentibus sumtibus opera perquam mediocria construantur.

§. 3 Varia eiusmodi opera militaria quibus milites e. c. 1) caedendis lignis, lignorumque struibus congerendis incumbunt, 2) malleo seu scalpro lapides incidunt, et castra uel castellum aliquot saxis quadratis et politis exornant, aliaque aedificia construunt, 3) frumenta falce demetunt, et spicas in manipulos collectas comportant, horreisque parandis, muniendisque operam dant, 4) construendis castris laborant, et alia similia, in columna Traiana saepissime iam excitata repraesentantur. Nos uero earum rerum schemata huc transferre ideo noluimus, quod nihil fere in iis occurrit, quod peculiari obseruatione dignum existimemus. Horreorum tantum formam *Fig. 19.* Lectori ob oculos ponere placuit, quod a nostris quam maxime differant. Aedium nimirum speciem habent, cum tabulato superiori, in cuius fenestra magnae uisuntur faces seu funalia, ut noctu in Danubio, qui oras hasce praeterfluit, nauigantibus aliquid lucis afferrent. Praeter eiusmodi aedes palearias quoque construxerunt casas, quarum tectum ex stipulis confectum in conum desinebat. Horrea singula hic duorum militum praesidio custodiuntur. Hic tamen ingenue fatendum est, quod peritiorum etiam sculptorum circa scenographiam insignis passim sese prodiderit uel ignorantia uel negligentia. In hoc quippe Schemate quis non uidet, milites eadem cum ipsis aedificiis esse altitudine, portas quoque aedium uix tres pedes altas et usque adeo esse angustas, ut miles adstans ne crus quidem in illas immittere possit. Tabulatum superius, si secundum militum staturam metiaris, uix uno pede altum est, et porticus cum cancellis in circuitu tabulati forinsecus ne quidem quinque pollices altitudine exaequat.

2) lib. 7. de bello gallico.

3) Addatur *Iosephi* narratio de bello iudaico, ubi urbs muro et uallo romano cincta est.

LIBER QVARTVS.
DE
ALLOCVTIONIBVS, PROFECTIONIBVS EXERCITVS, PVGNIS ET ORDINIBVS MILITARIBVS.

§. I.

Allocutiones 1) Imperatorum Ducumque ad milites duabus praecipue de caussis fieri solebant. Sive sub initium expeditionis alicuius suscipiendae ad rem strenue gerendam et acriter pugnandum milites excitarent; siue, cum fortiter se gesserunt, gratias agerent. Hoc si fiebat, Imperator plerumque in loco edito consistebat, ex utroque latere tribunis, ceterisque exercitus primoribus, stipatus. Locus hic editior, cui Imperator insistebat *tribunal* uel *suggestus* dici solebat; isque uel lapidibus quadratis extructus, uel congestis cespitibus paratus erat. In columna quidem Traiana haec tribunalia fere omnia ex lapidibus quadratis eleganter constructa uisuntur; ita ut sculptor in suggestibus hisce exhibendis elegantiae potius quam rei ueritati studuisse uideatur. Vero enim uix simile uidetur, exercitum, qui saepius sedem suam mutauit et castra mouebat, tanto temporis spatio usum fuisse, quantum satis esset, ut tanta arte construerent. Si uero simul perpendamus in tanto exercitu magnum militum numerum operibus eiusmodi manum admouisse, modico temporis spatio tribunalia ista lapidea construi potuisse facile credatur. Ceterum fatendum, eundem sculptorem non lapidea tantum, sed etiam cespititia, uel nulla arte constructa tribunalia repraesentare; ita quidem, ut quam plurima illa loca, in quibus tribunalia ista ex cespite constructa leguntur, quam operam Fabrettus impendit, ad culpandum sculptoris nimium studium, nihil efficiant, quod uitio ei dandum sit. Schemata talia Montfauconius noster operi suo quam plurima inseruit, quae nos hic lubentes omittimus, quod Imperatores et Tribunos in altiori suggestu constitutos et militum circumstantium coronam quilibet animo sibi concipere facile potest; nec quicquam uel in uestitu uel armis eorum commemorabile appareat, cuius uel imagines uel descriptionem desiderare quis iure possit.

§. 2. Exercitus Romani profectio res erat eximii spectaculi; eaque duplici modo considerari potest. Alia quippe exercitus proficiscendi ratio erat, si ex castris non mutatis egressus, ad expeditionem siue ad pugnam properabat; ubi milites aut nullo plane, aut paruo commeatu opus habebant, nec cibaria atque supellectilem secum ferebant. Alius contra proficiscendi modus erat, qua exercitus relictis et sublatis omnino castris pergebat, et in longinquiorem regionem belli caussa contendebat; ubi milites cibariis et supellectili onusti itineri sese committebant. In profectionibus hisce Imperatores siue Duces cum Tribunis, comitantibus illos signiferis atque tubicinibus, plerumque praeibant, eosque exercitus omnis sequebatur; agmen claudebant carri, galeis et scutis et hastis onerati; quod postremum tamen non semper fiebat; quod milites ipsi non arma tantum, sed et cibaria cum supellectili portare cogebantur. Milites quippe grauioris armaturae, galeas sub humero dextro anterius appensas una cum scuto gestabant. In hastae uero uertice sarcinas collectas portabant; i. e. cibaria, farina, aut panis bis coctus, lardum seu salsamentum, acetum aqua mixtum ad potum, uascula nonnulla cum cochleari etc. ita ut tota cuiuslibet militis sarcina, non minor quam quinquaginta librarum fuisse putetur; quo ipso exercitus magno commeatus carrorumque onere leuabatur. Caius Marius primus, milites suos ad haec onera adsuefecit; quapropter milites aeuo illo *Mariani muli* uocabantur. Haec uero consuetudo multis postea mutationibus fuit obnoxia. Pescennius Niger, qui postea Imperator factus est, teste *Spartiano* in uita eius c. 10. disciplinae militaris seuerissimus instaurator, praecepit, ut milites uasis ligneis uterentur. Idem iussit uinum in expeditione neminem bibere, sed aceto quemlibet esse contentum. Vbi scilicet potandum erat, tantillum aceti in aquam infudisse putantur, ut haec acumine aliquo inficeretur, isque potus *posca* uocabatur. Idem Niger pistores quoque expeditionem sequi prohibuit, milites aliosque omnes *buccellato* contentos esse iubens.

§. 3. In monumentis Veterum et marmoribus Romanis, columnisque, Traiana inprimis et Antoniniana, arcu Theodosii, aliisque, multae quidem uidentur pugnarum repraesentationes; sed exer-

1) Vide *Lipsis* de militia lib. 4. dialog. 9.

exercitus ordo nullus in iis obseruari poteſt. Tacemus, quod arma pleraque, quae in anaglyphis ſine dubio prominebant, disrupta ſint, et militantibus exciderint. Quum autem haec monumenta non niſi modicam exercitus partem exhibere poſſint: militantium numerus adeo exiguus in iis apparet, ut nihil eruas, quod ad totius exercitus ſtatum ordinemque pertineat. Idque illo maxime aeuo, quo ars ſtenographiae atque proſpectus, quam hodie barbare *perſpectiuam* uocant, nondum inuenta erat. Nos itaque explicandis ſchematibus illis, quae nihil perfecti prae ſe ferunt, non immorabimur. Variae quippe armaturae milites, quales ſupra ex omnibus gentibus ſigillatim uidimus in ſe inuicem irruentes, aliosque uel fugantes uel caedentes, quum oculis animi perſpicere quilibet poſſit, inſerere his ſuperuacaneum duximus.

§. 4. Quod ad militares exercitus, ſingularumque eius partium Ordines ſpectat, poſt uarios ſcriptores antiquiores, quorum commentarios temporum iniuria maximam partem amiſimus, *Aelianus* inprimis integrum de hac re librum conſcripſit. Hic enim cum Arriano (hic auctor in multis etiam locis non amplius integer eſt) militares Graecorum ordines, copiarumque uarias in partes diuiſiones una cum modo, quo phalanges ordinari ſolebant, item equitatus et peditatus figuras uarias et ſecundum locorum et circumſtantiarum conditionem, aciem inſtruendi rationes, quantum fieri potuit, deſcribit; quanquam quae ſubinde dari conſueuit norma, ex uſu et uariis, qui ſeſe obtulerunt, caſibus, ſaepius iterum mutanda fuit. Tempus enim et locus, nationumque aduerſariarum conditiones, phalangum ordines uarie inſtaurare non raro iubebant. 2)

§. 5. Peditatus in tria plerumque genera diſtribuebatur; quorum primum grauioris armaturae milites, ſecundum *Peltaſtas*, qui pro clypeis peltis utebantur, et tertium leuis armaturae milites ſeu *Velites*, ſub ſe comprehendebat. Grauioris armaturae milites, quos alio nomine *hoplitas* graece, uocabant, ſcutis magnis, iisque rotundis, haſtisque more Macedonum longiſſimis, quae *ſariſſae* nuncupabantur, erant inſtructi. *Peltaſtae*, qui inter Hoplitas et Velites medium quaſi locum tenebant, a peltis, nomen trahebant. His autem ii quoque iungebantur, quos *Argilos* appellabant, qui cum peltis breues lanceas geſtabant. *Velites* nec loricam nec clypeos nec ocreas habebant; ſed telis tantum uel lapidibus, quos uel manu uel funda in aduerſarios mittebant, iaculisque procul pugnabant. Idem diſcrimen in equitatu obſeruare licuit. In his enim alii grauiori armatura erant onerati; quos in ſpecie *cataphractos* 3) appellabant, iisque non ſolum ipſi, ſed et equi eorum loricis undique tecti erant; alii contra leuioris armaturae nullis loricis tegebantur, et lanceis tantum iaculisque, quas eminus uibrabant, pugnare ſolebant, et poſt ſecundum uel tertium iaculum emiſſum cominus dimicabant, ſeu manus conferebant; iique *Tarentini* uocabantur.


§. 6. Grauioris armaturae pedites phalangis aut exercitus frontem occupabant; leuiores milites, pedites pariter atque equites, agmen claudebant. Nonnunquam tamen, urgente neceſſitate, leues quoque pedites et equites in fronte collocatos fuiſſe conſtat. Phalanges apud Graecos fuiſſe ſingas, quod in noſtris exercitibus *Brigades* uocamus; quae pro magnitudine exercitus, maiores minoresque fuerunt. Tacticorum ſcriptores phalangem numerum ſedecim millium trecentorum et octoginta quatuor militum exaequaſſe dicunt. Singulae autem phalanges in plures partes erant diuiſae, quarum quaelibet peculiarem ducem habebat. Et in fronte ii ſemper ponebantur, qui prae ceteris fortiores exiſtimabantur; quod magno honori ducebatur.

§. 7. Inter phalanges dignitate eminebat Macedonica. In ordinibus quilibet grauioris armaturae miles duorum cubitorum ſpatium occupare cenſebatur. Sariſſae ſedecim plerunque cubitorum erant, uel ad minimum quatuordecim. Sex ordines priores ſimiles omnino haſtas gerebant, ita ut ultimae ſeriei haſtae ſ. ſariſſae primum ordinem duobus adhuc cubitis, penultimi ordinis quatuor cubitis, antepenultimi ſex cubitis, huic proximi, qui ſeriem tertiam conſtituebant octo cubitis, ſecundae ſeriei decem cubitis excederent; quo ipſo phalanx tota ſariſſaram cuſpidibus horrebat; quae cuſpides aliae aliis longius protendebantur. Ordines ſequentes ſariſſas nullas habebant, ne ferrum, priorum militum ordines uulneraret. Aliquando phalanx denſis ordinibus conſtituebatur, ut ſub hoſtium aſpectum non caderet. Leuioris armaturae milites ſic ordinati erant, ut rei praeliique conditio iubebat. Aliquando in phalangis fronte collocabantur, aliquando agmen claudebant; nonnunquam alternis ordinibus inter grauioris armaturae milites ita ponebantur, ut primus ordo grauioris, ſecundus leuis armaturae eſſet; et ſic porro.

§. 8.

2) Confer. de forma aciei *Lipſium* de militia lib. 4. dial. 6. et 7.

3) *Lipſius* de militia lib. 3. dial. 6. qui et de cetero hoc argumento pluribus agit.


Phalanges Bifrontes.
2.
3.
a
Equites in rhombi formâ dispositi.
Cuneus equitum triangularis phalangem perrumpens.
4.
5. Agminis forma quadrata.

§. 8. Graeci cuneos modo quadratos, modo oblongos coordinabant. Thessali auctore Iasone peculiarem cuneorum modum seruabant; cuneos scilicet in rhombi formam disponebant; ita ut unus tantum in fronte consisteret, qualis *Fig. 1. Tab. CXV.* uidetur idque ideo factum esse dicit Aelianus, ut cuneus ita ordinatus in quamuis sese conuertere partem posset. Persae, Siculi et magna Graecorum pars quadratos cuneos constituebant; hi tamen postremi putabant, cuneos, qui duplo latiores essent, quam profundiores, aliis esse praestantiores. Tab. CXV.

§. 9. Phalanges etiam hac nonnunquam ordinabant forma, ut bifrontes essent: hostesque qui a fronte et a tergo illos simul aggrederentur excipere possent. Duplicem eiusmodi frontem, quae equites utrinque adorientes propellit, ostendit *Fig. 2. et 3.* Quum triangularis equitum cuneus, qualem *fig. 4.* exhibet, phalangem adoriebatur, ut medium illius perrumperet: phalanx in duas partes sese diuidens spatiumque in medio relinquens frontem uersus spatium illud utrinque conuertebat; ut si cuneus in spatium hoc sese immitteret, ex utraque parte impeteretur. Cuneum equitum triangularem Philippus rex Macedonum inuenisse dicitur; graece ἔμβολος appellabatur; et in fronte illius eques omnium maxime strenuus collocabatur. *Fig. 5.* quadratam agminis formam exhibemus, qualem Aelianus circa finem libri de instruendis aciebus edidit. Exercitus totus quadrata forma ordinatus quatuor lateribus aduersa fronte consistit. Ordines duo priores in quaternis illis faciebus hastatorum sunt, et tertius sagittariorum. Pone tres illos ordines magnum aliquod intervallum relinquitur, in quo equitatus ordinatur tribus pariter lineis, ut supra peditatus; sed lineae hae sunt breuiores et procedendo minuuntur. Hic autem equitatus, cui in linea prima sagittarii et hastati intermixti sunt, in medio amplum adhuc spatium relinquit, ubi boues, commeatum et annonam item magnum tentorium collocatum uidemus. Verum quadrata haec agminis forma Aeliani forte commentum est, nunquam re ipsa adhibitum; aliquid tamen notitiae dare potest, quo ordine Graeci exercitus suos ordinauerint. Exercitus autem ad pugnam instructi in historiarum monumentis saepius commemorantur; in iisque raro idem aciem instruendi modus reperitur; quoniam pro locorum atque hostium diuersitate ille uariabat, et ab arbitrio et prudentia ducum merito pendebat. Exempli loco conferri meretur illa potissimum pugna, quam Scipio Asiaticus cum Antiocho Rege commisit; ubi *T. Liuius,* qui illam L. 37. c. 38 sqq. pluribus describit, utriusque aciei ordinem diligenter et accurate recenset.

LIBER QVINTVS.

DE CASTRAMETATIONE ET MACHINIS BELLICIS.

CAPVT I.

De castra metandi modo. 1)

§. 1.

Castrorum origo remotissimae antiquitatis est. Iam apud Homerum eorum mentio fit, quodque uallo et portis munita fuerint. Inter Graecos Lacedaemonii inprimis castra metandi omnium peritissimi existimabantur. Castra illi rotunda omnium tutissima et perfectissima iudicabant. Nec tamen credendum, illos castrorum rotunditatem adeo necessariam duxisse, ut si locus aliam formam exigeret, a rotunda minime recesserint. Lacedaemoniorum exemplum Iulianum quoque Apostatam imitatum esse testatur *Ammianus Marcellinus* l. 24 in fine. Scriptores Graeci atque Latini tot fere diuersos castra metandi modos suppeditant, quot exempla similia referunt; casus quippe et locorum temporumque opportunitas nunquam eadem esse solet. Ducem certe, qui ea ponit, ex suo

1) Adde *Lipsium* de *militia* lib. 5. dialog. 1-4.

ſuo ingenio agere oportet; et periti prudentisque Imperatoris eſt, noua ſaepe caſtrametationum genera, tempeſtati hoſtiumque rationi conſentanea comminiſci.

§. 2. Romani caſtra quadrata plerunque et oblonga facere eaque turribus et palis ſuperne acutis denſisque munire ſolebant. Sed uero admodum ſimile eſt, hos quoque illa ſecundum locorum ſitum et opportunitatem alia atque alia ſubinde figura adornaſſe. Romanos caſtra metandi artem a Pyrrho Epirotarum Rege didiciſſe (Frontini hoc aſſertum eſt) uſque adeo falſum eſt, ut quum Pyrrhus caſtra illorum primum uidiſſet, formamque et ordinem eorum miratus eſſet, Megazi diceret: *haec barbarorum caſtra minime barbara uidentur.* In obſidione Veiorum primum hiems ſub pellibus agebatur. Si bella procul gerebantur, caſtra ſaepe ex lapidibus quadratis conſtruebantur; qualia in columna Traiana aliquot uidemus. Caſtra uero ita ſtructa non raro oppidis originem dederunt; illa praecipue, quae *ſtatiua* dicebantur; in quibus cohortes, legionesque multo tempore ſtabant, uel in quibus hibernum tempus tranſigebant. Multa eiusmodi ſtatiua olim ad Rhenum erant, quae Germanos a tranſitu illius in Galliam coercerent. Sed praeter hiberna ſtatiua etiam aeſtiua fuerunt, in quibus aeſtatem ſub tentoriis agebant.

Tab. CXVI. § 3. Schemata caſtrorum *Tab. CXVI, fig. 1, 2, 3.*, ex columna Traiana, formam admodum anguſtam prae ſe ferunt; qualis ſc. delineari poterat, nulla prorſus a ſculptore, quod iam ſupra monuimus, proportionis ratione habita. Primum rotundum eſt et tam anguſtum, ut duo tantum tentoria contineat; adeoque parua, ut, ſi miles in maiori decumberet, dimidium corpus extra tentorium eſſet. Duo milites, qui ad introitum caſtrorum excubias agunt, manum dextram cum indice erigunt, cuius rei cauſſam me ignorare fateor. Sunt, qui dicunt, id eos in fidei ſignum facere, alii putant illos certae rei (quam attendant,) indicium dare; quidam forte dicant, eos ut facilius uigilent, nec obdormiſcant, id agere. Pone alterum militem pellis, ut puto, leonina, qua ſigniferi caput obtegebant, iacet. In caſtris figebantur tentoria, quorum quaedam ex auro et ſerico erant concinnata. Ratione formae alia quadrata erant, alia rotunda ſuperne in conum deſinentia. Schema ſecundum *Fig. 2.* caſtra nobis exhibet ex uno tantum latere rotunda, ceteroquin formam quadratam referentia. Captiui in illis Daci ſub militum Romanorum cuſtodia incluſi uidentur. Caſtra ſequentia *Fig.* 3. irregularis prorſus figurae eſſe uidentur; in iisque duo conſpiciuntur tentoria. Inter tres milites excubias agentes unus tantum manum digitumque erigit.

§. 4. Caſtra, quae *Praetoria* dicebantur, illa ſcilicet, in quibus milites Praetoriani degebant, fuere in urbe Roma ad portam Nomentanam, quae hodie ſanctae Agnetae nomen habet, a Tiberio ideo extructa, ne milites Praetoriani per totam urbem diſperſi et ſeparati habitarent. Turribus ea undique munita fuerunt, ut oppidi uel arcis faciem prae ſe ferrent, eaque murorum pars, quae agrum reſpiciebat, ſimul erat pars murorum urbis. Alia fuerunt caſtra, quae *Gentianorum*, *Peregrinorum*, *Miſenatium* et *Rauennatium* nomine ueniebant. *Gentiana* caſtra in ea urbis regione, quae *via lata* uocabatur, poſita erant; nomen erat a Lolliano Gentiano; quorum ne ueſtigium quidem ſupereſt. *Peregrina* eo loco erant, quo hodie hortus eſt Sanctorum Iohannis et Paulli. Ibi enim magni muri lateritii terram aggeratam continentes uidentur, quos alii pro caſtris peregrinis, alii pro Curia Hoſtilia, quae eodem fere loco ſita fuit, habere ſolent. *Miſenatium* caſtra Romae prope porticum Liuiae erant conſtituta, in iisque Claſſiarii maris inferi ſiue Tyrrheni, quorum ſtatio Miſenii erat, continebantur. Pro claſſiariis uero maris ſuperi, ſeu Adriatici, quorum ſtatio Rauennae fuit, caſtra *Rauennatium* conſtructa fuere. Horum caſtrorum omnium, pluriumque aliorum, quae a Victore Rufo, aliisque commemorantur, nulla rudera ſuperſunt.

§. 5. Praeter haec caſtra, quae Romani tam in urbe, quam in prouinciis conſtruebant, arces etiam et praeſidia iis locis aedificabant, quibus neceſſarium uidebatur; idque uel pro coercendis incolis uel ut agros regionesque a finitimarum gentium incurſionibus tutas praeſtarent. Tale e. c. illud praeſidium erat, quod L. Calphurnius Coeleſyriae Praetor ad coercendos Arabes, quos a σκηναῖς ſ. tentoriis, in quibus degebant, *Scenitas* uocabant, conſtruxerat.

CAPVT

Tab. CXVI.



1. 2. 3. Variæ castrorum formæ. 4. Catapulta. 5. Eadem machina curru vecta. 6. 7. 8. 9. Ballistæ variæ formæ. 10. Aries brachiis contra murum impulsus. 11. Aries intra duas scalas suspensus.

CAPVT II.

De machinis bellicis. 1)

§. 1.

Postquam de castrorum tum Romanorum, tum Graecorum, forma paucis actum est, iam de machinis, quibus ad bellum et ad obsidiones potissimum utebantur, paucis quoque agendum est. *Diodoro Siculo* L. XII. p. 89. teste Pericles primus erat, qui artifice usus Artemone Clazomenio machinas obsidionales inuenit, earumque ope Samum oppugnans moenibus urbis prostratis urbem ipsam expugnauit. Hae autem machinae, quarum formam nobis Scriptores Graeci transmiserunt, intellectu admodum sunt difficiles, earumque explicatio, quam cum figuris quidam ediderunt, parum saepe nos iuuat. Nam praeter difficultatem uocum Graecarum, quae ad figuras referebantur, litterae in textu positae ad indicandas eas machinae partes, quae explicandae fuerunt, ex schematibus plerumque exciderunt. Nos, quantum fieri potuit, organorum illorum schemata talia dabimus, qualia passim occurrunt; explicationem clariorem, quam scriptores suppeditare solent, minime promittentes.

§. 2. In his machinis describendis primum hic locum obtinet *Catapulta* ad emittendas sagittas et lapides destinata. Veram illius formam atque structuram explicare perquam difficile, immo fere ἀδύνατον est. *Vitruuius* quidem X, 15. illam descripsit, sed tanta uerbis illius inest obscuritas, ut ex iis ueram huius machinae ideam concipere nemo facile possit. Magnam tamen eiusdem fuisse uim uel exinde patet, quod immensae molis lapides, quorum pondus centum nonnunquam libras exaequasse dicatur, emiserit; unde *centenariae* quoque nomen sortita est. Consentit cum iis, quae dicta sunt a *Iosepho* de bello Iudaico Lib. 3. c. 16. his uerbis: *Iaculorum et catapultarum ui multi transfigebantur: emissa machinis saxa pinnas murorum auferebant et frangebant angulos turrium; nulla militum series tanta erat, quae non ad extremam usque phalangem et ui et mole saxi tota prosterneretur. Ex iis, quae illa nocte contigerunt, quanta machinae uis esset compertum est. Cuiuspiam ad latus Iosephi stantis uno lapide percussum caput auulsum, et caluaria quasi fundae iactu emissa ad tria usque stadia peruenit; sequenti die mulier praegnans in uentre percussa est, infansque ad dimidium stadium abactus.* Athenaeus in libro de machinis dicit Hegesistratum catapultam fecisse tripalmarem i. e. duobus circiter pedibus regiis paullo longiorem, ad tria usque stadia iaculantem, quae dimidium paene milliare Gallicum complent, aliamque machinam quatuor palmorum ad quatuor stadia impositam ei molem proiicientem.

§. 3. Non desunt, qui *catapultam* et *ballistam* pro una eademque machina accipiunt et omnino difficile est ex scriptorum locis eruere, in quo differat. Omnes in eo consentiunt, utramque machinam ad emittendas sagittas, lapides, aliasque moles grauiores fuisse comparatam. Talis illa fuit, cuius imaginem *Fig.* 4. proferimus, a Fabretto ex columna Traiana delineatam. Nonnullae plaustris quoque uehebantur, ut tormenta bellica hodierna; id quod *Fig.* 5. uidere licet. Ballistae imagines sequentes *Fig.* 6-9. ex libro Heronis, mechanici celeberrimi, desumtae sunt, qui singulas earum partes etiam separatim edidit cum explicatione, cuius tamen obscuritas alios deterruit, ab ulteriori indagatione et interpretatione. In his autem, quam *Fig.* 6. uidemus, eam in specie χειροβαλλίστραν ideo uocauit, quod nudis manibus tractari potuit.

§. 4. Quae ceteris usitatior erat machina latine *aries*, graece Κριος dicebatur. Arietis nomen inde sortita est, quod ea parte, qua muros quatiebat, ferreo uel aeneo arietis capite munita fuit. De origine huius machinae uehementer disputatur. Multi eam a Carthaginensibus inuentam esse perhibent (*Vitruuius* X, 19.) qui in obsidione Gadium, quum castellum a se captum diruere uellent, nec ferramenta ad eam demolitionem haberent, arreptam trabem ui maxima contra murum manibus impulerunt, ac repetitis ictibus totum munimentum diruerunt. In columna Traiana Dacos uidemus, qui, uti *Fig.* 10. uidere licet, in arce quadam Romanos obsident et bracchiis manibusque arietem contra murum impellunt; iique aperte et sine tegmine, ita ut obsessorum telis plane expositi sint, machinam hanc mouent. Tres autem praecipui erant arietem admouendi modi. Primus, quo bracchiis manibusque tantum et sine tecto muros percutiebant; secundus, quum funibus s. catenis suspensum arietem libratione in murum immittebant; tertius, quo aries testudine tegebatur, ut eum impellentes ab obsessorum iaculis tuti essent.

1) Conferendus hic inprimis est integer et luculentus *Lipsii* commentarius, quem *Poliorceticon* siue de machinis, tormentis, telis, inscripsit.

§. 5. *Apollodorus* in editione regia p. 38 et 39. tres alias, easque diuerſas et inter ſe diſſimiles arietum formas tradit; quae tamen omnes in eo conſentiunt, quod arietes ſuſpenſi ſint. Primus aries *fig. 11.* inter duas ſcalas ſuſpenſus eſt; ſecundus *Tab. CXVII. Fig. 1.* per medium rotae uacuae et hauriendae aquae deſtinatae impellitur; ut ſi forte ignis ab obſeſſis in machinam immitteretur, ſtatim extingueretur. In tertio ſchemate *Fig.* 2, quod turris quadratae paene formam refert, arietem duplicem uidemus funibus ſuſpenſum. Quum uero obſeſſis aries machinarum omnium perniciosiſſima eſſet, multae rationes inuentae ſunt, quibus illi inutiles redderentur. Itaque hoſtis uario teſtudinum genere illos texit; quorum exemplum *fig. 3.* conſpicitur. In hoc autem hoc inprimis notandum, quod ſub hac teſtudine aries non ſuſpenſus, ſed trabibus longioribus nixus uariis machinis propulſus ſit. Teſtudo autem ait Vegetius IIII, 14. a ſimilitudine uerae teſtudinis nomen ſuum traxit; quoniam, ut illa caput ſuum modo profert, modo iterum reducit ita machina trabem ſ. arietem modo propellit, modo retrahit, ut fortius caedat. Sed ne hae quidem teſtudines arietem ſatis tegebant; dum multae aliae rationes inuentae ſunt, quibus illi inutiles redderentur. Ignis quippe tectis iniiciebatur, quo totum aedificium una cum ariete comburebant; quod damnum ut uitaretur circa arietem nonnunquam aedificium ex lapide quadrato conſtruebant. Ad ſedandam porro arietis uiolentiam obſeſſi ſaccos lana uel paleis plenos eo loco de muro ſuſpendebant, quo impetum facturus erat aries, ut ictus illius uel plane inutilis redderetur, uel ſaltem remiſſior euaderet. Ferrum item dentatum, quod *lupum* uocabant, protendebant, quod arietis uim eluderet, aut trabes mobiles quas uel attollebant uel demittebant, ut quo loco machina impellebatur, trabes adesſent, quae ictum exciperent.

Tab. CXVII.


§. 6. Alia machina obſidionalis ea fuit, quam Athenaeus *Helepolin* ſ. urbium expugnatricem uocat. Sex illa rotis uehebatur, quarum ope, quocunque liberet, machina duci poterat. Baſis machinae ex pluribus trabibus erat conſtructa, ex quarum medio denſior trabs erigebatur, cui turris quaſi quadrata inſiſtebat, eamque militibus complebant. Haec autem turris moenibus urbis obſeſſae ſublimior erat, et qua parte urbem reſpiciebat magnum habebat oſtium, ex quo pons ſublicius, in propugnaculum urbis declinatus, uiam parabat obſidentibus, qua in urbem irrumperent. Schema huius Helepolis exhibet *fig.* 4. Similem fere machinam adhibebant ad urbes uel maritimas, uel ad oram fluminum poſitas oppugnandas; dum eiusmodi turrim in naui, tanquam baſi ſua, eundem in finem erigebant.

§. 7. Proxime ad Helepolim aliud accedit organum bellicum, quod *grus* uocabatur, quod cum priori illa machina in multis conueniebat; praeterquam quod loco pontis ſublicii ſuperiori turris parti affixi, hic alius quaſi trames ligneus in baſi ita oblique collocabatur, ut altera illius pars baſi inniteretur, altera uero ad murum ſenſim ſenſimque erigeretur; cuius ope obſeſſis per milites turri huic impoſitos a propugnaculo depulſis, milites alii ad urbem expugnandam aſcendebant. Turres etiam ligneas rotis uectas et mobiles conſtruebant, quarum faſtigio ſimiliter pons aliquis ſublicius inhaerebat, quem ſupra muros urbium et arcium demittebant; quarum exemplum *Fig. 5.* exhibemus. Eiusdem fere uſus erant ſcalae uolubiles, quarum effigiem *Fig. 6 et* 7. prae ſe fert; illarum ope obſidentes urbem introſpicere, uel muros ipſos tranſcendere nitebantur.

§. 8. Machina ſequens *Fig. 8.* quae itidem rotis uehebatur ad muros ſuffodiendos erat comparata et teſtudinis locum obtinebat. Forte illa ipſa machina eſt, quam Caeſar *muſculum* uocat. Ex fortiſſima illa lignorum compage conſtructa eſt, quae ex una parte ad inſtar tecti ſenſim erigitur; ex altera uero parte trabibus ad perpendiculum poſitis ſuffulta fuit. Sub huiusmodi autem tecto milites ad urbis usque muros tuti procedebant, eumque pro lubitu ſuffodiebant. Ad muros uero perforandos magnis nonnunquam terebris utebantur, quarum formam *fig. 9.* perſpicimus. Adiicit Apollodorus, ut impediretur, quo minus ii, qui ſub teſtudine erant, ardenti arena, pice liquida, oleo feruenti, quae omnia ab obſeſſis effundi ſolebant, adurerentur: non pelles modo cum pilis teſtudini fuiſſe obductas, ſed et in compage lignorum, quae tecti uicem obtinebat, magnos infixos fuiſſe clauos, qui tamen in ſuperficie aliquantum eminebant, ut mollem madidamque terram tecto illi impoſitam ſuſtinerent, ne deflueret.

§. 9. Alia plane illa teſtudinis ſpecies erat, quam *Fig. 10 et 11.* repraeſentant, quae militibus armatis conſtabat, et qua Romani in primis in expugnandis urbibus ſaepiſſime utebantur. Conglobati ſcilicet ſcuta ſcutis ita imponebant, et ſupra caput erigebant, ut iis penitus tegerentur; qua in re tam erant exercitati, ut tectum facerent arte tanta, et tam firmiter conſtructum, ut quantascunque machinas obſeſſi intenderent, nec rumpere nec dimouere poſſent. Quum uero ſcutis

omnibus



1,2. Duo arietes suspensi. 3. Aries testudine tectus. 4,5. Helepoles duæ. 6,7. Scalæ volubiles ad muros tranſcendendos paratæ. 8. Testudo sive musculus eos tegens, qui muros suffodiebant. 9. Terebra ad perforandos muros. 10,11. Armati clypeis testudinem formantes.

omnibus hoc modo ſupra caput erectis extrema agminis latera nuda manſiſſent: milites extremi ſcuta ad latera et tergum aptabant. *Dio* lib. 49. Antonii receſſum deſcribens, Parthis, ait, inſequentibus et damna multa Romano exercitui inferentibus, Romanos hoc ſtrategema commentos eſſe, ut uniuerſi teſtudinem facerent, contra damna ſagittarum, quas Parthi uibrabant: Parthi, quibus hoc inſolitum et aſpectu nouum, arbitrati eos defatigatione et uulneribus concidiſſe, omiſſis arcubus ab equis deſilientes gladiis ſtrictis, quaſi ad certam caedem et uictoriam inuaſerunt. Tum Romani, ſigno dato, omnes inſurrexerunt, et hoſtem nihil tale exſpectantem adorti fugarunt.

§. 10. Graeci, Romani, Galli, maximeque Bituriges ad expugnandas urbes cuniculis et ſuffoſſionibus utebantur; eorumque ope turres, murorumque partes proſternebant. Urbes quippe atque arces turribus praecipue et muris cum pinnis erant munitae.

§. 11. Apud Graecos aliasque Aſiae gentes, currus etiam falcati 2) in uſu fuerunt; quibus etiam Galli, ceterique uerſus occidentem populi, utebantur. Sed currus illi plerumque plus pauoris quam damni inferebant. Alexander Magnus Macedonas ſuos docuit, qua ratione eosdem facile euitarent. Et in Syllano exercitu milites contra Archelaum, qui multos eiusmodi currus immittebat, pugnantes, ſpatium iis inter agmina liberum relinquentes, facile illos declinabant, ac profuſis cachinnis ſingulos excipiebant hac uoce, *ad alium.* Hi autem currus axes habebant magnis acutisque falcibus munitas; ita cum impetu emiſſi, iis multum nocere poterant, qui illos declinare neſciebant.

§. 12. Omnes ferme nationes Orientales in bello elephantis quoque, quorum dorſo turres ligneas militibus repletas imponebant, uti ſolebant; quem morem etiam Graeci poſtea ſequebantur. Pyrrhus Romanis bellum inferens ingentem elephantorum numerum adduxit; quorum inuſitato aſpectu milites Romani primo perterriti, in prima, quam cum iis commiſit pugna, uincebantur; dein ambulantibus hiſce molibus ſ. caſtellis aſſuefacti, et ipſi iisdem contra alios populos utebantur.

LIBER SEXTVS.

VARIA VICTORIAE SIGNA, TROPAEA SCILICET, TRIVMPHOS, CORONAS ET ARCVS TRIVMPHALES, ITEM COLVMNAS COMPREHENDENS.

CAPVT I.

De Tropaeis.

§. 1.

Tropaeorum uſus antiquiſſimus 1) eſt. Tropaei nomine ſtipes olim uel palus, aut arboris truncus in terram defixus, et hoſtium ſpoliis onuſtus, uenire ſolebat; ex arboribus ad hunc uſum adhibebantur fere, olea et quercus. Inſequenti tempore ex lapide illa ſ. marmore et aere adornabantur; qui tamen mos *Plutarcho* Quaeſt. Rom. 36. minus probatur; odioſum enim eſſe haec contentionum ſigna diu manere. Veteres nonnunquam poſt uictoriam murum uel lapidem magnum erigebant, quibus res ſuas in bello geſtas inſcribebant; cuius generis monumenta a nonnullis etiam

2) vide ſcriptores a *Fabricio* de iis excitatos, in bibliogr. cap. 17. n. VIII.

1) Si fabulis quidem fides; *Carani* tamen macedonici uetuſtiſſimi regis tempore tropaea iam commemorantur; quale diruerit leo aliquis; inde lis orta de numis quibusdam *Philippi*; uide *ſupplementa* ad hiſtor. uniuerſ. tom. 4. pag. 56. D.)

etiam *tropaeorum* nomine insigniuntur. Tropaei autem uocabulum a Graeca uoce τροπὴ, quae conuersionem in fugam denotat, sine dubio deriuatur; simulque significat, hostem ibi in fugam uersum esse. Tropaea, uti diximus, arboris trunci fuere, loricis, galeis, scutis, aliisque armis onusti. Pro trunco arboris aliquando columnam adhibebant. Lorica eodem modo, quo uiri corpori adaptari solebat, de trunco suspendebatur, et galea eidem imponebatur; arma reliqua utrique lateri adhaerebant; ita ut tropaeum eiusmodi militem armatum referret. Locus, quo eiusmodi tropaea erigere consueuerant, idem plerumque erat, quo pugnatum et uictoria reportata fuit; quae consuetudo apud Graecos inprimis, Herodoto et Thucydide testibus, perantiqua fuit.

§. 2. Romani eodem fere cum Graecis modo tropaea construxerunt. Flaminius, deuictis Gallis, Alpium incolis, *Floro* II, 4. teste, Ioui tropaeum 2) aureum erexit. *Fabius Maximus Aemilianus* (Strabo IIII, p. 128.) quo loco Isara et Rhodanus fluuii confluunt, ex albo lapide tropaeum statuit, quod ibi cum exercitu minus triginta millium ducenta millia Gallorum cecidisset. Domitius Aenobarbus et Fabius Maximus, *Floro* III, 2. testante, ipsis, quibus dimicauerant in locis, saxeas erexere turres, et desuper exornata armis hostium tropaea 3) defixerunt. Modus hic turres erigendi posterioribus saeculis saepius adhibebatur. Columnae quippe Traiana et Antonina, quid aliud sunt, quam turres rotundae, ad quarum fastigium cochlearum ope ascenditur. Tropaea marmoreis etiam nonnunquam tabulis insculpebantur, inque ima tropaei parte inscriptiones legebantur, quae tempus et caussam eius erigendi designabant.

Tab. CXVIII. §. 3. Duo illa tropaea, quae *Tab. CXVIII. Fig. 1.* e columna Traiana eduximus, ad dextram et sinistram Victoriae in clypeo scribentis collocantur. Truncis arborum imposita sunt, alterum quidem, ad quod Victoria sese conuertit, loricam habet, galeam et brachia, quod militem armatum ense oblongo cinctum repraesentat. In extremo brachio dextro Draco conspicitur, quem Dacorum signum militare fuisse iam supra monuimus; itemque duo scuta, tela duo et gladius Dacicus recuruus. In sinistro brachio securis conspicitur, Draco item, duo clypei, telaque duo. In ima tropaei parte aceruus comparet draconum, scutorum, securium, galearum, iaculorum, gladiorum, uexillorumque. In altero tropaeo, pone Victoriam constituto, thoracis loco pallium uidetur; cetera cum priori conueniunt.

§. 4. Quae in numis apparent tropaea, diuersae formae sunt. Modo enim aceruos armorum, modo captiuos ad pedem tropaei reuinctos, mulieres item sedentes et plangentes, prouinciarum deuictarum imagines, nobis offerunt; quales numos *fig. 2-5.* nobis exhibent. Aliud tropaeum *fig. 6 et 7.* ex parte antica et postica nobis oblatum, inferioris aeui esse uidetur, et hoc peculiare habet, quod praeter loricam et galeam genuum quoque atque crurum tegmina repraesentat. Elegantissimum porro tropaeum in marmore quodam incisum est, cuius partem potiorem *fig. 8.* nobis offert. Victorem hic uidemus, quem profligati deuictique populi supplices adeunt. Victor, quem multis argumentis inducti pro Imperatore Septimio Seuero habemus, sedens manu dextra gladium tenet, sinistram uersus gentes supplices (hae sine dubio pro Parthis habendae) extendit. Victoria capiti illius lauream coronam imponit. Qui ante Imperatorem prostratus ueniam postulat, et tiara Phrygia tectus est, ceterorum dux esse uidetur; quod ipsum Parthum prodit. Tres porro illi captiui *fig. 9, 10. 11.* quos Brunius, pictor celeberrimus delineauit, elegantiores sunt, quam ut hoc loco praetermitti potuerint. Singulorum uestimenta ita similia sunt, ut pro eiusdem gentis, Parthicae quidem, uti uidetur, hominibus recte habeantur. Vestes namque Dacorum Parthicis adeo similes sunt, ut non nisi aegre distingui possint. Largas omnes braccas gestant ad pedis usque malleolos protensas; tunicam habent alte praecinctam, candynque s. pallium. Secundus nudo capite comparet. Primus et tertius parastatae inhaerent, eorumque prior capitis ornatum gestat, quem nusquam alias conspeximus; posterior caput pallio tegit, quod ad terram usque defluit.

CAPVT

2) supersunt numismata, nomen huius imperatoris et tropaeum referentia; quod ad Florum iam notarunt eruditi.

3) Est res eadem, quae commodum et Strabone narrabatur. *Florus* addit: cum *hic mos* inusitatus fuerit nostris; quod uix omnino uerum est.



1. Duo tropæa. 2–5. Tropæa, qualia in nummis efferuntur. 6.7. Tropæum aliud ex parte antica et postica. 8. Tropæum elegantissimum marmori incisum. 9, 10, 11. Captivi tres 12. Triumphus Titi ex arcu illius eductus. 13, 14. Nummi triumphales.

Caput II.

De Triumphis. 1)

§. 1.

Praecipuus post uictoriam honor Triumphus erat, qui non apud Graecos tantum et Romanos, sed etiam alias nationes, ritu licet longe diuerso, actus fuit. Bacchi triumphum post expeditionem Indicam celebratum narrant Mythologi, quod scilicet elephanto uectus triumphauerit; unde pro triumphi auctore habetur. Graeci, qui post uictoriam ab hostibus reportatam tropaeum erigebant, triumphum Duci decernebant, si hostium Ducem occiderat, aut ipsum ad arma deponenda coegerat. Talis autem triumphus aut ingressus in urbem ipsa partim pompa, partim peplo, omnino magnificus erat. Peplum uelum erat, in quo res praeclare et fortiter gestae repraesentabantur, illudque dein in templo, tanquam publicum uictoriae documentum, suspendebatur. Lacedaemonii Ducem, si fortiter dimicasset, tropaei loco Galli gallinacei sacrificio Diis oblato honorabant. Si uero deditione et pacto, nec nimis cruenta uictoria potitus belli damna uitasset, tum bos mactabatur; ut significarent, decere Imperatorem, consilio potius et astu, quam sanguine fuso hostes uincere. In ludis Olympicis, Pythiis, Isthmicis et Nemeis, uictoribus itidem triumphi quasi adscribebantur.

§. 2. Romanorum triumphis nihil par erat, maximeque si finibus imperii, extra Italiam late propagatis, magnisque reportatis uictoriis, multisque populis subactis, Duces redirent. Peculiares autem circa triumphos leges obseruabant, ne dissidium seu perturbatio eorum caussa unquam nasceretur. Primo quidem legibus cautum erat, ne quis triumphum ageret, qui minus quam 5000. hostium uno proelio et bello iusto atque indicto uicisset. Si quis enim bello non rite indicto uicerat, facinus triumpho indignum iudicabatur. 2o. Eum, qui uicerat, Dictatorem, aut Consulem aut Praetorem, uerbo, a republica constitutum Ducem esse oportebat. 3o. Triumphum petituri litteras laureatas Romam ad Senatum mittebant, et SCtum exspectantes extra urbem manebant. Nam penes Senatum haec Auctoritas erat. Senatus consultum dein ad populum deferebatur, isque rogabatur, ut die agendo triumpho definita triumphanti imperium concederet. 4o. Nullus triumphabat, nisi ductu suo et in sua prouincia, non aliena, hostes cecidisset, bellumque totum sine multo suorum sanguine absolvisset; ne laetitiam superaret dolor. 5o. Dux dignitate maior solus triumphabat. Si itaque Dictator cum Consule uel Praetore fuisset, ille solus triumphabat; ne minor potestas maiorem aequare uideretur, neue auspicia Magistratuum maiorum cum minoribus confunderentur. 6o. Triumphus decernebatur illis tantum, qui rem Romanam bello auxissent, non iis, qui collapsam restaurassent; ideoque non triumphabatur de seruis, de piratis et fugitiuis, nec de bello ciuili extincto. Ne ouatio quidem, nec ullum sacrificium eiusmodi bello peracto permittebatur; nec ullus Romanus deuictus in triumpho unquam agi poterat. 7o. Qui triumphum peteret, exercitum uictorem Romam prius reducebat, prouincia domita successori tradita et pacata. 8o. Senatus extra urbem in aede Bellonae cogebatur, ut Patres res omnes illud bellum spectantes edocti, triumphum petenti decernere eo securius possent; Duci quippe ingressus in urbem ante triumphum interdictus erat. 9o. Triumphaturus tamdiu fasces et lictores laureatos habebat, donec triumphasset. Decreto autem triumpho in Capitolium ascendebant, et sacrificio ibi facto conuiuioque peracto uesperi positis imperii insignibus domum omnino priuatus redibat. Quum Tribuni plebis triumphum petenti non fauebant, triumphus negabatur. Idem accidebat, si Tribuno rogationem ferente, eam populus suffragiis suis improbaret; aut si Tribuno referente unus aut plures de Collegis intercederent; aut si, quod grauius erat, Tribunus, ipsi ob rem in bello secus gestam, diem diceret; quod fiebat, si exitus belli minus faustus erat.

§. 3. Si Imperatori triumphus decernebatur, pompa triumphalis haec erat. Imperator praetexta purpurea auro distincta atque palmata induebatur, muneraque Tribunis, Praefectis, Centurionibus atque militibus largitus, factoque sacrificio, currum triumphalem conscendebat, in haec uerba precatus: *Dii nutu et imperio quorum nata et aucta est res Romana eandem placati propitiatique seruate.* Currus turri rotundae plerumque similis, inauratus gemmisque exornatus erat, duabus rotis instructus, et imaginibus Deorum mire decoratus; nec tamen ornatus semper idem erat. Signum fascini sub ea currus parte, qua triumphator sedebat, suspensum erat. Aurigae uicem sustinebat

1) **Plures scriptores de triumphis nominat *Fabricius* c. 17. n. X.**

nebat triumphator, corona aurea et gemmis diſtincta redimitus. Pone ipſum aliquis ſtabat, qui coronam ſuſtentaret, Imperatoremque ſubinde moneret, ne reliquo uitae ſpatio ſuperbia intumeſceret; his ferme uerbis utens: *reſpiciens poſt te hominem memento te.* Coronam, triumpho peracto, in gremio Iouis Capitolini ponebant, uel in aliis templis conſecrabant; alio enim in loco illam ſeruare non licebat.

§. 4. Tintinnabulum praeterea et flagellum, quae inſtrumenta ultimis adhiberi ſuppliciis conſueuerant, currui triumphali appendebantur, ut triumphator admoneretur, aleam fortunae eſſe incertam, eumque eo facile deduci poſſe, ut capitali ſupplicio plecteretur. Si triumphanti filii fuiſſent uel filiae atque nepotes, ſimul cum eo currum triumphalem conſcendebant, uel, ſi iam grandiores eſſent, equo uecti currum iſtum comitabantur. Currui iungi ſolebant equi numero plerumque quatuor, nonnunquam ſex, octo, pluresque, quod tamen raro fiebat. Pompeius elephantos pro equis currui ſuo iunxit, alii ceruos, alii canes; quo cultu Imperator per portam triumphalem pergebat.

§. 5. Ipſe triumphator ueſte, uti iam diximus, purpurea, auro intertexta induebatur, coronam lauream capite geſtans, et altera manu ramum laureum, altera uero ſceptrum eburneum tenens, cui nonnunquam aquilam impoſitam fuiſſe legimus; faciem, Plinio teſte, Aſſyriorum Medorumque more, minio illinebat.

§. 6. Triumphantem praecedebant primo leuis armaturae milites, quos rorarii excipiebant, montium, fluminum atque urbium bello ſubactorum ſimulacra portantes. His ſuccedebant plauſtra, ſpoliis et armis hoſtium, item ſignis eorundem militaribus onuſta. Proxima his erant tormenta bellica, galeae, loricae, ocreae, clypei, lecticae, uaſaque aurea, argentea, aenea, cum omni auro et argento, tam ſignato quam rudi; ceteraque omnia, quae hoſtibus abſtulerant. Varia porro animalia et plantae, aliaque ſimilia, quae forte minus nota eſſent, pompam hancce decorabant. Iam tibicines ſequebantur coronati tibiis canentes; boues item albi cornibus inauratis, uittis ac ſertis redimiti, atque ad ſacrificium Ioui deſtinati. Hos dextra laeuaque popae ſuccincti cum aureis argenteisque pateris comitabantur. Dein Tribuni militum et Centuriones, equites et pedites inſigniores exercitus uictoris lauro coronati ſequebantur, dona, 2) quibus ob egregia ſua facinora aucti fuere, palam ferentes. Hos excipiebant Reges et Dynaſtae, quos cum aliis uiris nobilioribus in bello ceperant, manibus poſt terga reuincti; uel ſi forte mors illos praeoccupauiſſet, eorum ſaltem ſimulacra. Captiui autem, ſimul ac per forum tranſierant, in carcerem coniiciebantur, ibique necabantur; quem morem ſequenti tempore abrogatum eſſe, conſtat. Aureae quoque coronae, 3) quibus urbes ſociae populique foederati Imperatorem donauerant, in ferculis geſtabantur; qui ea ferebant coronis oleaginis ornati erant. Hae autem coronae, quas ab initio Principes, prouinciae atque urbes ſua ſponte offerebant, uectigalium deinde naturam induerunt, ita ut pro corona certam argenti ſummam pendere tenerentur; quae ideo *aurum coronarium* appellabatur. Currum ſtipabant Senatores, albis ueſtibus induti.

§. 7. Currum etiam ſequebantur captivi, ſeruitute liberati et libertate donati, raſis capitibus. His proximae erant legiones uictrices per turmas diſtributae cum ſertis laureis, quae Triumphatori Io triumphe! io! acclamantes ipſius ſimul uirtutes ad modos muſicos praedicabant. Alii uaria in eum ſcommata atque dicteria coniicere non dubitabant; ita, ut quod turpiſſimum per totam uitam unquam perpetraſſet, cantu et carminibus impune proferrent.

§. 8. Via autem per quam triumphus agebatur, aulaeis ad parietes ſuſpenſis ornabatur; flores praeterea et ſuauiſſimi odores, ubique ſpargebantur. Miniſtri baculos inauratos geſtantes turbam e medio ſubmouebant, ut tranſitus liberior eſſet. Templa, ſecus uiam poſita, patebant, et ſertis ornata, nec non ſuffimentis, quae gratiſſimum odorem late ſpargebant, fuere repleta; in iisque non uota tantum et preces fundebantur, ſed hoſtiis quoque immolatis gratiae Diis agebantur.

§. 9. Simulac Triumphator in Capitolium uenit; his uerbis Diis gratias agere ſolebat; *Gratias Tibi, Iupiter Optime Maxime, tibique Iuno regina, et ceteris huius cuſtodibus habitatoribusque arcis Diis lubens laetusque ago, re Romana in hanc diem et horam per manus, quod uoluiſtis, meas ſeruata, bene geſtaque, eandem, ut facitis, fouete, protegite propitiati, ſupplex oro.*

Tunc

2) uide de donis et praemiis militaribus *Lipſium* lib. 5. de militia dialog. 15.

3) de *auro coronario* uide *Lipſium* de magnitud. romana lib. 2. c. 9.

Tunc uictimae caedebantur. Corona uero aurea cum manubiis pretiosioribus et spoliis opimis in gremium Iouis proiectae consecrabantur. Hinc epulum publicum, idque sumtuosissimum, ad quod Consules quidem inuitabantur, sed ne uenirent, simul rogabantur (hoc ideo factum, ne quisquam triumphante maior uel honoratior in eo compareret) parari solebat. Ne uero sortis humanae in tanto fastu obliuisceretur, seruulus iuxta eum considebat, qui haec subinde uerba repetebat: *magis seruo tuo pareo quam tibi.*

§. 10. Praeter hunc honorem triumphi, quo certe maior et splendidior nullus habebatur, diuturnis quoque honoribus, per totam uitam reliquam duraturis, triumphatores illi afficiebantur. Honestissimum quippe ubique locum occupabant, in spectaculis insidebant sellae curuli lauro coronati; splendida item iis monumenta erigebantur, quae uictoriae honorem immortalitati commendarent; tropaea scilicet, arcus triumphales, columnae, anaglypha uaria etc.

§. 11. De triumphis antequam finem faciamus, Paulli Aemilii de Perseo, Macedoniae Rege, triumphum ideo hic inserere lubet, quod non modo inter magnificentissimos computatur, sed etiam pluribus, quam ceteri omnes, a Plutarcho uerbis, hunc fere in modum refertur. Populus Romanus in circis et in foro tabulata fixerat, in aliisque urbis partibus, ubi conspici poterat; spectauerunt autem candidis amicti uestibus. Omnia templa aperta et coronis suffituque plena erant. Multi apparitores lictoresque incomposite confluentem discurrentemque turbam de medio submouebant, et uias patentes ac uacuas praestabant. Per triduum vero triumphauit.

§. 12. Prima dies, qua statuae captae, tabulae pictae et Colossi, ducentis quinquaginta uehiculis inducta sunt, uix ad hoc spectaculum sufficiebat. Secunda die pulcherrima arma Macedonica plaustris transuecta sunt, aere ferroque nuper exterso fulgentia, quae quum perquam artificioso concinnoque essent ordine disposita, temere atque fortuito congesta putasses: galeae impositae clypeis, loricae ocreis, peltae Creticae, Thracicae parmae et pharetrae cum equestribus frenis commixtae, stricti gladii in medio horum eminentes, atque interiectae sarissae erant. Haec arma non usque adeo constricta, ut mutuo tactu sonum ederent asperum atque terribilem, ut uictorum spolia sine metu conspicere non possent.

§. 13. Plaustra haec armis onusta ter mille uiri sequebantur. Hi numos argenteos in septingentis quinquaginta uasis, quarum singula trium talentorum pondo erant, quaterni portabant. Alii crateras argenteas, cornua, phialas, calices, unumquodque eleganter compositum et omnia magnitudine et caelaturae crassitie conspicua.

§. 14. Tertia die summo mane processerunt tubicines, qui modos canebant, non quales solebant in supplicationibus et pompis, sed quibus classicum canunt, quum militem ad praelium acuunt Romani. Secundum haec in uictimas boues auratis cornibus centum uiginti, uittis sertisque redimitos iuuenes ducebant elegantibus cincti uestibus, comitantibus pueris argenteas aureasque pateras ferentibus. Hos sequebantur, qui aurum signatum gestabant in uasis pondo trium talentorum; uasa autem fuerunt numero septuaginta septem. Deinde illi, qui sacram phialam ferebant, quam decem talentorum pondo Paullus gemmis ornauerat; illi item, qui Antigonidas et Seleucidas atque Thericleos calices, ceteraque uasa, quibus Perseus in conuiuiis utebatur. His succedebat Persei currus, in quo arma eius, quibus impositum diadema. Mox paruo interuallo filii Regis captiui, quos comitabantur nutritii, praeceptores et paedagogi lacrimabundi. Hi manus ad spectatores tendebant, puerisque suggerebant, ut orarent et supplicarent populo. Duo pueruli erant et una puella magnitudinem calamitatis per aetatem non capientes, quo miserabilior ex uicissitudine fortunae simplicitas eorum erat, ut paene Perseus spectantium oculos praeterierit. Ita miseratio Romanorum oculos in infantes conuertebat, multorumque lacrymas excutiebat: omnibus mixtum acerbitate et laetitia spectaculum fuit, donec pueri praetergressi essent.

§. 15. Post filiorum comitatum Perseus pullatus patriis indutus calceis, prae miseriarum mole stupidus et mente attonito similis. Hunc sequebatur amicorum eius caterua luctu aestuans; qui quum semper defixam in Perseum aciem haberent, ac perpetuo lacrymarentur, spectantibus testificabantur, illius se lamentari fortunam, de sua minime sollicitos. Ille quidem miserat ad Aemilium deprecatum, ne in triumphum duceretur; qui ignauiam hominis uitam nimium amantis, ut uidetur, irridens respondit, id in sua, et prius situm fuisse et nunc esse potestate; significans, dedecus morte, praeuertendum fuisse.

§. 16. Sub haec coronae aureae quadringentae ferebantur, Aemilio cum legationibus uictoriae caussa missae. Indeque ipse in curru magnifice exornato in urbem inuectus est, uir uel sine tanta uictoriae pompa spectatu dignus, toga picta amictus et lauri ramum dextra protendens. Laureatus insuper erat uniuersus exercitus, per manipulos et ordines currum Ducis sequens; ex iis alii carmina iocis mixta, alii triumphalia et paeana, laudesque in Aemilium concinebant, quem suspiciebant omnes, ut aemulatione dignum; ita tamen, ut nullius probi uiri inuidiam concitaret. Sed aliquod, ut uidetur, numen est, quod hoc muneris habet, ut de insigni et immodica felicitate detrahat, uitamque misceat humanam, ut ne quis malorum prorsus expers sit; utque, secundum Homerum, bene actum de eo existimetur, si quis utramque fortunam expertus fuerit. Etenim Paullo quatuor filii erant, duo in alias familias per adoptionem dati, Scipio et Fabius; duoque ex altera uxore suscepti, quos adhuc pueros domi seruabat. Horum alter quatuordecim annos natus, diebus quinque ante triumphum eius, alter duodecim annorum, triduo decessit post triumphum. Adiicit Plutarchus, tantum auri argentique a Paullo hoc Aemilio ex subacta Macedoniae prouincia allatum fuisse, ut deinceps populus usque ad Consulatum Hirtii et Pansae censum pendere desierit. Ceterum notandum, Onuphrium Panuinium hunc Paulli Aemilii triumphum secundum Plutarchi narrationem delineari curasse: sed pleraque in illa imagine occurrere, quae a rei ueritate longius recedunt; quapropter schema illud hic referre non libuit.

§. 17. Triumphus Titi, post Hierosolymam captam, in eius arcu triumphali repraesentatur; eumque hic Tab. CXVIII, fig. 12. et Tab. CXVIIII. fig. 1-4. eodem modo atque ordine proferimus, quo Romae publicatus fuit. Tab. CXVIII. fig. 12. Imperator Titus, tanquam triumphator, thensae rotundae, cui quadrigae iunctae sunt, insidet. Victoria pone ipsum collocata, capiti illius coronam lauream imponit; dextra baculum tenet, sinistra uolumen, seu mappam. Urbs Roma cum galea et hasta equum habenis tenet; circa currum hinc inde milites laureati atque lictores conspiciuntur. *Tab. CXVIIII. fig. 1.* milites, tunicis induti et laurea coronati, mensam auream templi Hierosolymitani, duasque tubas ad usum templi eiusdem destinatas gestant. Qui sequuntur, magnum candelabrum aureum septem ramorum humeris ferunt. Baiuli omnes scipiones habent, quibus nituntur. Alii ramos gerunt laureos, tabulas alii, in quibus subactarum urbium nomina forte scripta fuere. *Fig. 2, 3, 4.* Iordani fluuium in triumphum duci uidemus, sub figura senis decumbentis, et urnae inuersae innixi; quo modo flumina plerumque adumbrari solent. Tauri porro comparent ad sacrificium adducti, et latis fasciis inferne fimbriatis ornati. Poparum seu uictimariorum duo canistra fructibus plena gestant. Senatores quoque hic nonnullos conspicimus, et milites formae ouatae scuta gerentes; nec non tabellas, quorum iam supra mentio facta est. His duos numos subiicimus *Tab. CXVIII. fig. 13 et 14.* Prior itidem triumphatorem repraesentat; ubi hoc inprimis notandum, quod supra equorum colla tropaeum cum captiuis erectum uideatur: Triumphator itidem a Victoria coronatur. Numus posterior uictoriam Titi et Vespasiani, qui Iudaeam imperio Romano subiecerunt, significat.

Tab. CXVIIII.

§. 18. Triumphum naualem hunc fere in modum exsequebantur. Imperator primo nauem, laurea coronatam, Romam mittebat. His aliae succedebant spoliis naualibus decoratae, uel ipse etiam ueniebat in naui splendidissime ornata, siue Romanae illa siue classis hostilis esset; captas etiam hostium naues, Romanarum nauium puppibus religatas, spoliisque onustas, secum ducebat. Aduentanti Romani obuiam ueniebant, isque ex naui descendens triumphum petebat; quem si impetrabat, sequenti modo agebat. Lictores praecedebant, aliique sequebantur, atque tibicines, cantilenas classicas canentes, comitabantur. Succedebant illi, qui tabellas gestabant, iis similes, quas in triumpho Titi uidimus, in quibus marium fluminumque, in queis pugna commissa fuisset, nomina designata fuerunt. Hinc arma spoliaque nautica gestabantur, prorae inprimis curribus uehebantur cum aplustribus, ceterisque nauium instrumentis. Pecunia deinde hostibus ablata, et coronae aureae a sociis oblatae ferebantur. Haec excipiebant nautae hostium, nauium Duces, ipseque totius Classis Dux, si quidem ille captus erat. Hos omnes sequebatur Imperator, toga picta indutus; an corona laurea, an alia coronatus fuerit, dubium est; lauream certe gestasse, ex eo recte colligi uidetur, quod milites classiarios, nauiumque patronos, nautas item omnes, laureas gestasse coronas compertum habeamus. Hoc ordine pompa triumphalis per uicos et plateas urbis Romae ad Capitolium usque procedebat; ubi Triumphator sacrificabat, et quaedam ex spoliis Diis consecrabat; quae spolia dein in templo suspendebantur. Alia quoque uictoriae monumenta erigebantur, tropaea scilicet, columnae et similia.

§. 19.

1.


ex arcu Titi.




2. ex arcu Titi.



3. ex arcu Titi.



ex arcu Titi. 4.



Triumphus Titi Imperatoris post expugnatam Hierosolymam.



1. 8. Coronæ triumphales ex lauro concinnatæ. 2. Corona myrtea ovantium. 3. Corona obsidionalis s. graminea. 4. Corona muralis aurea. 5. Corona vallaris sive castrensis. 6. Corona navalis sive rostrata. 7. Corona civica querna. 9. Arcus triumphalis Severi.

§. 19. Minoris triumphi ſpecies erat *Ouatio*, quae ab oue, quod immolabatur, nomen traxit; in triumpho quippe taurus mactabatur. Leges et conditiones triumphi ſupera uidimus. Si uero ex conditionibus illis aliqua deficiebat, ouatio tantum uictori decernebatur. Is, cui Ouatio concedebatur, non lauro ſed myrto coronabatur; ſenatus, ſingulique Magiſtratuum ordines obuiam illi ueniebant. Ceterum in ouantium pompa, perinde atque in triumpho, captarum urbium ſymbola, ſigna militaria, ſpolia, arma, urbiumque munera, quibus Imperator donatus erat, geſtabant. Milites quoque, quae ab Imperatore acceperant, munera publice conſpicienda praebebant. Imperator, ſecundum illos incedebat, myrto coronatus, ſceptrum manu tenens, ueſte purpurea indutus et equo uectus. Ab initio pedes quidem incedebat, deinde uero conſuetudo inualuit, ut equoueheretur. Plebs atque equites ouantem praecedebant, et Senatus ipſum ſequebatur. In ouatione tandem non tauri, quod in triumpho tantum fieri conſueuit, ſed oues uel potius arietes coronati Imperatorem anteibant, ut pompa peracta diis immolarentur. Denique loco Tubicinum hic quoque tibicines tantum audiebantur,

Capvt III.

De Coronis et Arcubus Triumphalibus.

§. 1.

De coronis acturi, non de triumphalibus tantum, ſed et alius generis pauca diſſeremus, de quibus uerboſiores exſtant aliorum 1) commentarii. De coronarum origine nihil certi definiri poteſt. Ianum alii, alii Bacchum Auctorem perhibuerunt. Imperatorum Romanorum coronae ab initio laureae fuerunt; deinde coronis radiatis, i. e. acuminibus, radiorum modo diſtinctis, caput redimibant. Procedente tempore circulos aureos, gemmis diſtinctos, geſtare coeperunt. Imperatores tandem Conſtantinopolitani coronas rotundas et ſuperne clauſas adhibuerunt. Multas alias coronarum ſpecies *Athenaeus* lib. 15. commemorat; quae tamen minus frequentis uſus fuiſſe uidentur. Ad illas igitur potiſſimum procedemus, quas, ob praeclara domi et militiae facinora, Romani bene merentibus offerre conſueuerunt.

§. 2. Corona *triumphalis*, quod iam aliquoties diximus, ex lauro concinnata fuit, filis foliisque laureis intermixta; qualem *Tab. CXX. fig. 1 et 8.* uidemus. Coronae aureae etiam Ducibus, qui rem praeclare geſſiſſent, nonnunquam datae fuere; quod de Aulo Poſtumio et Tito Quinctio Cincinnato relatum legimus. Quibus Ouatio tantum decreta fuit, ii myrtea corona utebantur; qualis *Fig.* 2. nobis offertur. Corona *obſidionalis* ex gramine erat confecta, qualis *fig. 3.* conſpicitur, eaque iis praecipue dabatur, qui ciues ab obſidione aliqua liberaſſent: alio nomine *graminea* dicebatur. Corona *muralis Fig.* 4. aurea fuit, illique tradebatur, qui urbis obſeſſae muros primus tranſcendiſſet. Corona *Vallaris*, cuius formam *fig. 5.* exhibet, quae aliter etiam *caſtrenſis* uocabatur, aurea ſimiliter fuit, iisque dabatur, qui caſtra hoſtium fortiter expugnaſſent; quapropter caſtrorum more palis erat munita. Corona *naualis fig. 6.* etiam *roſtrata* dicebatur, eique cedebat, qui in pugna nauali primus in nauem hoſtilem inſiliiſſet. Corona *ciuica fig.* 7. querna fuit, eius praemium, qui ciuem Romanum ſeruaſſet; eaque dignitate ceteris omnibus praeſtabat. Neceſſe autem erat, ut is, qui ſeruatus fuerat, ipſe rei fidem faceret. Corona haec ciuica peculiari quoque iure gaudebat; quod illa donatus, eam perpetuo geſtare poterat, eidemque, ſpectaculum forte intranti, Senatus omnis cum populo Romano aſſurgebat. Ius ſpectaculorum ipſi inter ſenatores concedebatur, itemque uacatio a muneribus non illi tantum, ſed et patri et auo paterno competebat; quo dignitatis et honoris cumulo populus Romanus ſignificabat, quanti ciuium ſuorum ſalutem aeſtimaret. Tab. CXX.

§. 3. Praeter iſtas coronas bellicas, aliae quoque fuere, ludis aliisque rebus deſtinatae. Talis erat e. c. corona ex apio nexa, graece σέλινον; haec iis dabatur, qui in ludis Nemeis uiciſſent, ſicut Victoribus in ludis Olympicis oleagina, illis uero, qui in Iſthmicis ſuperiores erant, pinea corona offerebatur. Agonothetarum corona aurea fuit. In conuiuiis non raro etiam conuiuis coronae diſtribuebantur. Saepius etiam quaedam ex floribus concinnabantur, quibus Lares inprimis coronabant. Corona *plectilis* illa dicebatur, quae ex materia quaelibet plicatili fiebat, hedera ſc. lana, lino, floribus, calamis etc. Corona oleagina nonnunquam etiam iis dabatur, qui, licet bellum ipſi non adiiſſent, triumphum tamen uictori conciliabant.

Nnnn 2 §. 4.

1) Eos nominat *Fabricius* in bibliogr. c. 14. n. 13.

§. 4. *Arcus triumphales* 2) perpetua erant uictoriarum monumenta, eorumque non pauci adhuc superſunt; plures in numis conſpiciuntur. Elegantiſſimus eſt arcus *Seueri* ad radices Capitolii erectus, cuius ſchema *fig. 9.* exhibemus. In ſupremo illius uertice currus uiſitur triumphalis ſiue thenſa, cui ſeiuges iuncti ſunt. Duo Imperatores, Septimius Seuerus et Caracalla triumphant; cetera Lectori obſeruanda relinquimus. Arcus tres ſequentes *Tab. CXXI, Fig. 1, 2, 3.* ex numis depicti, inter ſe ſunt diſſimiles. Primus et ſecundus in faſtigio quadrigas habent; tertius elephantos eodem modo ſiſtit.

Tab. CXXI.

Capvt IIII.

De Columna Traiana, Antonina 1) *et Roſtrata, deque columnis milliaribus.*

§. 1.

Veterum monumentorum elegantiſſimum eſt celeberrima illa columna *Traiani*, qua permulta ad antiquitatem ſpectantia edocemur. Poſita illa fuit in medio Fori Traiani, ubi etiamnum conſpicitur, et paruae turris ſpeciem refert, ad cuius faſtigium per cochleam aſcenditur; magna eſt anaglyphorum uarietas pro diuerſitate argumenti. Schema illius offert *Fig. 4.* Inſcriptio baſi inſculpta haec eſt:

SENATVS POPVLVSQVE ROMANVS
IMP. CAESARI. DIVI. NERVAE. F. NERVAE
TRAIANO. AVG. GERM. DACICO. PONTIF
MAXIMO. TRIB. POT. XVII. IMP. VI. COS. VI. PP
AD. DECLARANDVM. QVANTAE. ALTITVDINIS
MONS. ET. LOCVS. TANTIS. OPERIBVS. SIT. EGESTVS.

§. 2. Columnae huic Traianae *Fig. 5.* *Antoninam* iungimus, cuius Anaglypha plura itidem in hoc opere ſaepius uidimus. Haec quoque turris formam habet, cuius faſtigium ope cochleae conſcenditur. Facies illius exterior Victorias potiſſimum M. Aurelii Imperatoris aduerſus Marcomannos, aliasque Germaniae gentes, repraeſentat.

§. 3. Columna ſequens *fig. 6.* quam a roſtris ſ. proris nauium, quibus condecorata eſt, *roſtratam* 2) uocant, in honorem C. Duillii, poſt uictoriam naualem, a Carthaginienſibus reportatam, erecta fuit. Inſcriptio illius, temporis aeriſque iniuria ita truncata eſt, ut uix tertia illius pars illaeſa compareat. Duo Bibuli numi *fig. 7 et 8.* eum claſſi praefuiſſe docent; et tropaeum, prorae nauis impoſitum, uictoriam naualem ſignificat.

§. 4. Ad *columnas milliares* quod attinet, ex Plutarcho in Gracchis diſcimus, Caium Gracchum in uiis illis maioribus, de quibus infra pluribus agetur, ad milliaria ſingula poni curaſſe columnas, quibus ſpatiorum menſurae, locorumque interualla, determinarentur. Eiusmodi autem milliare, eodem auctore, octo ſtadiorum fuit; eaque in Italia a columna illa milliari, 3) quae in medio fori Romani poſita fuit, incepiſſe notum eſt; et inde per milliaria, itinerum ſpatia antiquitus metiri ſolebant. Ad ſingula quippe milliaria lapides erecti fuerunt, quibus pro numero milliarium ſigna II, III, V, VIII etc. inſculpta fuere. Dicebatur autem *ad ſecundum*, *tertium*, *quintum*, *octauum etc. lapidem*, quod item erat, ac ſi diceres, *ad ſecundum*, *quintum* etc. *ab urbe milliare.* Sique lapides illi forte fracti, uel euulſi fuiſſent: protinus alii ſubſtituebantur. Imperatorum aeuo, ipſa Auguſtorum nomina columnis eiusmodi inſcribebantur; quales hodieque paſſim uidentur. Ceterum non in Italia tantum, ſed etiam in prouinciis, Gallia ſcilicet, Hiſpania, Germania, Pannonia etc. milliares huiusmodi columnas erectas fuiſſe conſtat; ſiquidem magno illae numero uariis in locis e terra erutae ſunt, et etiamnum eruuntur.

§. 5. *Fig. 9.* proferimus columnam milliarem, quae anno 1709. prope coenobium S. Medardi Sueſſionenſis in agro quodam coenobii detecta eſt; eaque, ex petra licet duriſſima fabricata fuerit,


2) Confer. de arcubus *Bergerium* de *uiis publicis* imperii romani lib. 2. c. 40.

1) Scriptores de iſtis columnis notat *Fabricius* bibliographia c. 6. n. X.

2) quam *Noriſius* illuſtrauit.

3) Ab *Auguſto* erecta uid. *Plinium* hiſt. 3, 5. adde *Holſtenii* obſeruationem de milliario aureo, notis in *Stephanum* adiectam; qui lapides non ab hac columna numeratos eſſe, ſed a portis ipſis, contendit.

Tab. CXXI.



1. 2. 3. Arcus triumphales, quales in nummis exhibentur. 4. Columna Traiani
5. Columna Antonina. 6. Columna rostrata. 7. 8. duo nummi triumphales.
9. 10. Columnæ milliares.

fuerit, temporis tamen quandam experta eſt iniuriam. Sex illa pedes alta eſt, ſi baſin, quae quatuordecim pollices exaequat, una comprehendas; ſingulaque huius baſis latera duos pedes cum duobus pollicibus longa ſunt. Ipſius columnae ambitus inferne eſt quatuor pedum, nouemque pollicum, ſuperne pedum quatuor et quinque pollicum; foramen in ſumma columna excauatum, cui uſui fuerit, ego quidem neſcio. Ad crucem in eo defigendam deſtinatum fuiſſe, facilius aſſeritur, quam efficitur. Inſcriptio hoc modo legi poſſe uidetur

IMPERATORE CAESARE LVCIO SEPTIMIO SEVERO PIO
PERTINACE AVGVSTO ARABICO ADIABENICO PARTHICO
MAXIMO PATRE PATRIAE CONSVLE TERTIVM ET
IMPERATORE CAESARE MARCO AVRELIO ANTONINO
PIO FELICE — — — CONSVLE CVRANTE
LVCIO PIO POSTVMO LEGATO AVGVSTORVM
P. P. AB AVGVSTA SVESSIONVM LEVGA SEPTIMA.

Columna ſequens *Fig. 10.* quae in uico ad Axonam habetur in atrio ſubdiali caſtelli Abbatum S. Medardi, prope Sueſſionas poſiti, uiſitur et uiri circiter ſtaturam exaequat. Inſcriptio adhuc integra ita legitur

IMPERATORE CAESARE MARCO AVRELIO ANTONINO
PIO AVGVSTO BRITANNICO MAXIMO TRIBVNICIA
POTESTATE DECIMVM QVARTVM IMPERATORE
SECVNDVM CONSVLE TERTIVM PATRIAE PATRE
PROCONSVLE AB AVGVSTA SVESSIONVM
LEVGA SEPTIMA.

TOMI QVARTI
PARS SECVNDA
VIAS PVBLICAS, AQVAEDVCTVS, REM VEHICVLAREM ET NAVALEM COMPLECTENS.

LIBER PRIMVS.
DE
VIIS PVBLICIS, DE PONTIBVS, RE VEHICVLARI ET AQVAEDVCTIBVS.

CAPVT I.
De uiis publicis. 1)

§. 1.

Inter magnificentiae Romanae monumenta, quae totum terrarum orbem in admirationem ſui rapiebant, primas tenebant uiae publicae, aquaeductus et cloacae; quae ipſis etiam ita dictis mundi

1) Luculentiſſimus huius, imo fere omnis antiquarii argumenti, commentarius eſt, *hiſtoire des grands chemins de l' empire romain parez depuis la ville* de Rome, jusques aux extremités de ſon empire; latina uerſio exſtat, tomo X *Graeuii*, adde et *Lipſium* de magnitudine romana lib. 3. c. 10.

mundi miraculis anteponenda multis uidebantur. Verum ſi qui perpendant, quantum uiae illae publicae circumquaque per orbem fuerint extenſae, quam firma ſolidaque ſtructura concinnatae, et quam immenſis ſumtibus ſtratae: hoc Romanae magnitudinis monumentum duobus ceteris longe praeponendum eſſe exiſtimabit. Aquaeductus enim licet plane ſtupendi eſſent, circa Romam tantum et prope magnas quasdam urbes uiſebantur; cloacae uero in ſola urbe Romae erant; at uiae illae publicae a columnis Herculis, traiectis Hiſpania et Gallia, hinc ad Euphratem usque, inde ad meridionales usque Aegypti fines protendebantur.


§. 2. Centrum illarum uiarum lapis erat in medio urbis Romae defixus, quem *miliarium aureum* uocabant, unde uiae in ramos paene innumeros diuiſae, omnes imperii Romani partes peruadebant. *Iſiodorus* Originum L. 5 Carthaginienſes primos eiusmodi uias ſtrauiſſe aſſerit; de Romanis uero perhibet, quod propter itinerum rectitudinem, et ne plebs otioſa eſſet, per uniuerſum fere terrarum orbem uias publicas diſpoſuerint. Ex iis autem, quae hodieque paſſim ſuperſunt, uiarum ſtratarum reliquiis, facile colligitur, uias per Italiam protenſas longe firmius atque ſolidius fuiſſe conſtructas, quam illas, quae per prouincias fuerunt; quod uia Flaminia, Appia atque Aemilia, quae inter Italicas erant praecipuae, facile monſtrant. Sic uia inprimis Appia, licet bis mille circiter abhinc annis ſtructa fuerit, prope Tundos in Campania, per aliquot milliaria adhuc integra ſolidaque conſpicitur; in aliisque locis multis permulta illius ueſtigia ſuperſunt. In aliis quoque locis ſtratum illud firmum et inconcuſſum manet, ſuperne inſtar glaciei perpolitum; unde poſt pluuiam ſaepius equi fallente ueſtigio labuntur, imo uix unquam iter praepropere fieri queat. Saxa, quibus uia iſta ſtrata eſt, ipſo marmore ſunt duriora, forma impari, hexagona alia, alia pentagona. Raphael quidem *Fabrettus* in Columna Traiana p. 229. lapides illos omnes, praeter marginales, quos pentagonos eſſe concedit, hexagonos eſſe contendit; ſed dubito, an hoc conſtanter et ubique obſeruatum fuerit. Saxorum maior longitudo duos pedes, minima, unum pedem regium explet. Haec tamen et formae et magnitudinis inaequalitas nihil impediit, quo minus lapides tam apte et concinne iuncti ſint, ut uix tenuiſſimam cultri aciem inter iuncturas infigere potuiſſes. Lapidum altitudo unius circiter pedis regii; uiaque illis ſtrata ſolo proximo ubique ſublimior eſt. Multis quoque in locis uia haec per montes et rupes excisas continuatur; id quod e. c. prope Terracinam uidere licet, ubi rupes circiter centum uiginti pedes alta exciſa et inferne complanata, ſed ſulcata ſimul, ut pedes equorum ueſtigia figere poſſint, iter facientibus patet.

§. 3. Haec autem Appiae, ceterarumque uiarum publicarum firmitas, non ex magnitudine tantum et duritie ſaxorum concinne iunctorum, ſed etiam ex ſtrue ſuppoſita naſcitur. In ima ſcilicet illius parte lapides impoliti firmiſſimo caemento coagmentantur. Huic ſtrato aliud impoſitum eſt, glarea minuto lapide ac caemento conſtans, cui ſaxa illa, quae pauimentum ſuperius conſtituunt, ita impoſita ſunt, ut ſi qua in ſaxis his ab ima parte inaequalitas eſſet, ea in ſtrato ſecundo adhuc molli imprimeretur, ſuperficie ſuprema ſemper plana manente. Tota illa ſtructura altitudine ſua tres pedes regios exaequabat. Quibusdam in locis uiae iſtae margines habebant latitudine non prorſus bipedali, altitudine uero circiter pedis unius cum dimidio, iique peditibus deſtinati uidentur, forte etiam equitibus, ut poſtquam ex equis deſilierant, eo potiſſimum tempore, quo ſtapediorum uſus nondum inualuit, equum iterum conſcendere poſſent. Latitudo uiarum, uix ad quatuordecim pedes pertingebat; quod ſpatium omnino neceſſarium erat, ut duo currus aduerſi tranſire poſſent.

§. 4. Aliae extra Italiam uiae non eodem modo ſtructae fuerant. Pars earum adhuc ſupereſt in ea Galliae parte, quae olim Belgica dicebatur; ex qua apparet, uias iſtas Italicis fuiſſe latiores, et ex alia materia confectas. Duo quippe ſulci paralleli, ut tradit *Bergerius*, aratro aperiebantur, et inter illos foſſa, quae uel glarea, uel alia terra firmiore, quas feſtucis aliisque inſtrumentis condenſari poſſet, implebatur; ne, ſi minus ſolida haec baſis eſſet, ſtructura tota concuſſa labefactaretur. In locis depreſſis humidisque aggeres ſtruebant, quos aqua coenumque inundare nunquam poſſent. Plura autem ſtrata, aliud alii ſuperimponebantur. Primo quidem glarea ſternebatur, cui ſaxa plana, imponebantur; ſuperius uero ſtratum ſilicibus calculisque rotundis conſtabat, caemento ita firmatis, ut tota ſtrues per multas aetates ſolida et integra maneret. Ubi ſolum omnino aridum erat, ut ne imbribus quidem emolliri potuerit, nullum apponebatur pauimentum.


§. 5. In uiis hisce publicis identidem diuerſoria fuerunt, proprio nomine *manſiones* (graece *μοναὶ*) dictae, quae dimidia plerumque diurni itineris parte inter ſe diſtabant. *S. Athanaſius* triginta ſex manſiones ab Alexandria ad Antiochiam usque commemorat; totidemque reuera in Antonini itine-

1.



Agostino Martinelli.

2.




de la Carte de Nismes.

3.



Col. Antonina.

4.



Col. Antonina.

1. Rudera pontis Narniensis. 2. Pons Vardi. 3. 4. Pontes navales.

itinerario reperiuntur. Praeter hasce mansiones etiam *mutationes* erant, ubi cursores publici, quos *ueredarios* appellebant, equos mutabant.

CAPVT II.
De Pontibus.

§. 1.

In praecipuis antiquitatis monumentis pontes quoque ueterum numerari merentur. Ex iis plurimi adhuc integri supersunt. Quum enim ad commeatum et commercium quam maxime sint necessarii: Si quid detrimenti temporum iniuria forte passi essent, ab incolis plerumque instaurabantur. Multi tamen aut exundantibus fluminibus, uel aliis casibus funditus perierunt, aut uehementer labefactati sunt. Quorundam aliquot arcus supersunt, ex quibus structura cetera colligi potest. Pontes autem ceteris praestantiores et magnificentiores non tam in Italia, quam aliis potius in regionibus exstitisse constat.

§. 2. Romae octo quondam pontes numerabantur. *Fabricius* scilicet, qui hodieque maximam urbis partem cum insula Tiberina iungit. Pons *Cesti* ab altera insulae parte, qui ab Imperatoribus Valentiniano et Valente instauratus fuit. Pons omnium primus Romae structus ligneus erat, ideoque *Sublicius* dictus; postea lapideus factus est, eiusque aliquot uestigia uersus radices montis Auentini uisuntur. Pons, qui *Senatorius* appellabatur, e regione S. Mariae Aegyptiacae prope montem Palatinum fuit, unde alio nomine pons quoque *Palatinus* dicebatur; illius aliquot arcus restant. Hic autem pons exundante Tiberi saepius dirutus, saepiusque instauratus fuit. Sed quum sub Clemente VIII. aliquot illius arcus denuo collaberentur: reliquiae eius dirutae manserunt. Pons *Ianiculi* inde nomen traxit, quia per eum ad Ianiculum pergebatur; isque a Sixto IV. a fundamentis denuo aedificatus est. Prope nosocomium S. Spiritus pontis *Triumphalis*, quem triumphatores ad Capitolium ascendentes transibant, rudera quaedam uisuntur. Huic uicinus est pons S. Angeli, alias ab auctore illius Hadriano *Aelius* dictus; isque a Nicolao quinto instauratus, et a Clemente VIIII. statuis exornatus est, ceterum prae reliquis pontibus Romanis latitudine sua spectabilis est. Extra urbem notari meretur pons *Miluius*, hodie *Ponte Molle* dictus, qui tamen simplicis omnino structurae est. Anienis etiam ripae aliquot pontibus iunguntur, quorum praecipuus ille est, quem *Narsetis* pontem appellant.

§. 3. Pons structura sua prae ceteris omnibus maxime spectabilis ille nobis uidetur, cuius rudera quaedam *Tab. CXXII. fig. 1.* exhibemus; pons scilicet *Narniensis*, quo conditor illius Augustus ad urbem Narniam in uia, qua Roma Lauretum itur, sitam duos montes, quos flumen Nar interfluit, ita iunxit, ut ab urbe in aduersum iugum aequali uia transitus pateret. Quatuor ille arcubus latitudine haud aequali constabat; longitudo illius ab uno in alterum montem 636. pedum Romanorum fuisse dicitur. Ex quatuor arcubus primus angustior adhuc integer est, ceteri rupti dirutique sunt. Primus hic arcus ab altera ad alteram pilam centum palmos habet, altitudo palmos centum et quinquaginta exaequat; ex qua mensura reliquorum magnitudo facile colligi potest. Stupendus sane pons erat, cuius arcus postremus centum quadraginta duos pedes ab altera ad alteram pilam exaequasse perhibetur. Tab. CXXII.

§. 4. Extra Italiam nihil magnificentius fuisse dicitur ponte illo, quem Traianus Imperator trans Danubium fecisse, cuiusue partem superiorem Successor eius Hadrianus iterum diruisse dicitur. Sed quum scriptores in eo describendo quam maxime dissentiant, recensendis uel conciliandis eorum sententiis hic immorari animus non est; uti et Lectores, qui pleniorem alius pontis, quem I. Caesar in Rheno construxit, cognitionem desiderant, ad ipsos huius Imperatoris Commentarios, quos de Bello Gallico adornauit L. IV. cap. 17 sq. remittimus. Descriptio huius pontis a I. Caesare ipso prolata, satis quidem ampla est, sed ita comparata, ut quamplures, qui formam illius delineare ausi sunt, quam maxime inter se dissentiant. Pons *Vardi*, cuius schema *fig. 2.* exhibet, decimo a Nemauso urbe milliari constructus, simul aquaeductus uicem sustinebat. Primus infimusque illius ordo sex arcuum est, qui et pontem efficiunt, et fundamenta simul arcuum superiorum existunt; ita ut pilae inferiores superne continuentur. Secundus arcuum ordo, in accliui utriusque montis parte continuatur, ita ut arcus undecim prioribus illis sublimiores in eo compareant. Secundo huic ordini tertius adhuc, triginta quinque arcus minores complectens, impositus est; canalis tandem aquae, supra tertium hunc arcuum minorum ordinem constitutus, montium uerticem exaequat;

ita ut aqua ab uno monte in alterum lapſa, ſic per hunc aquaeductum Nemauſum usque deflueret. Arcus illius adhuc longa ſerie ſuperſunt. Pons hic et aquaeductus plane mirabilis ingentis magnitudinis lapidibus conſtructus eſt, hique lapides non caemento, ſed ferro erant coniuncti.

§. 5. Pontes quoque nauales apud Romanos in uſu fuiſſe conſtat. Nauiculas quippe, quibus ad conſtruendos pontes opus erat, curribus uehi curabant. Pontes huiusmodi, quos *fig. 3 et 4.* conſpiciendos exhibemus, ex columna Antoniniana ſunt. Prior nouem conſtat nauigiis, poſterior quinis. Nauigia illa nullo interſtitio coniuncta ſunt, quo fiebat, ut minus in aquam immergerentur. Vrgente neceſſitate Romani pontes aliquando ex doliis uacuis confecerant; cuiusmodi pontem Maximinus Imperator, teſte *Herodiano* L. VIII, c. 4. paraſſe dicitur. Alii ex utribus pontes adornauerunt; quod *Zoſimo* L. 3. c. 30. teſtante tempore Iuliani poſt infelicem contra Perſas expeditionem factum eſt.

CAPVT III.

De re vehiculari. 1)

§. 1.

Currum originem in antiquiſſima tempora reiiciendam eſſe, uel ex eo colligere licet, quod iam Iacobi et Ioſephi tempore uſum eorum in Aegypto inualuiſſe legamus. Mythologorum alii Vulcano, alii Mineruae, alii aliis originem illorum tribuunt. Id quod Latini ſub *carrus* et *carri* 2) nomine in genere intelligunt, apud Graecos ἅρμα, ἅρμαξα et ὄχημα dicebatur. Multae fuerunt ſpecies, quae pro diuerſitate formae uaria ſortiebantur nomina. Ratione numeri equorum, quos curribus iungebant, *bigas* alios, alios *quadrigas* nuncupabant; ſique ſex equi eidem currui iuncti eſſent, *ſeiuges*, ſi ſeptem *ſeptiiuges* appellabantur, nonnunquam etiam decem eidem currui iuncti fuere. Ubi tamen notandum, quod currus ſex, ſeptem et decem equis una linea iuncti, praeterquam in Circis uel triumphis uix locum habuerint. *Birotum* uero uel *Birotam* currum duarum rotarum denotare ipſa denominatio docet.

§. 2. *Thenſae*, Deorum imaginibus uehendis deſtinatae, et in ludis Circenſibus, aliisque adhibitae, triumphales quoque Imperatorum currus erant. *Carpentum* currus fuit ad uarios uſus, et matronis plerumque aut uxoribus et filiabus Imperatorum uehendis inſeruiebat; eique mulae iunctae fuerunt. Ceterum birotum fuiſſe dicitur, licet nonnulli pro uehiculo quatuor rotarum habeant. Nec mulieribus tantum hoc carpentum in uſu fuit; quandoquidem Rex quidam Gallorum, Bituitus nomine, ſecundum *Flori* III, 2. triumphum agens, carpento argenteo uſus dicitur. Equi et muli albi, quos ditiores inprimis curribus ſuis iungebant, in magno pretio fuerunt. Imperatores curribus aureis uehebantur; et de *Elagabalo Spartianus* c. 21. refert, eum uehiculis auratis, quibus mulieres nudas iunxit, uſum eſſe.

§. 3. *Carruca* etiam nobilioribus fere deputata fuit, eaque, *Plinio* 33, 11. teſte, ornatu argenteo fulgebat, quatuorque rotis erat inſtructa, et mulis plerumque ſeu mulabus iuncta. Alexander Seuerus Argenteas eiusmodi carrucas etiam Senatoribus permiſit. Sed Aurelianus, *Vopiſco* c. 36. aſſerente, easdem uiris quoque priuatis conceſſit. *Pilentum*, quoque quatuor rotarum fuit, et mulieribus inprimis deſtinatum. Idem cum pilento hoc nonnulli *Pitoritum* eſſe perhibent; non aliud inter utrumque diſcrimen agnoſcentes, niſi quod poſterior haec Pitoriti denominatio Gallicae originis eſſe putetur. *Rheda* ſecundum Quintilianum itidem nomen Gallicum eſt, et currum quatuor rotarum denotat, cui nonnunquam octo, imo decem equos, frequentius tamen tot mulos, mulasque, eosque non ſingulos poſt ſingulos, ſed binos iungebant. *Couini* currus erant falcati, quibus Galli in proeliis utebantur, de quibus iam ſupra mentio facta eſt. *Benna*, nomen Gallicum Celticumue, currum uimine ſuperne cinctum ſignificabat, et qui eiusmodi benna uehebantur, eos *combennones* appellabant.

§. 4. *Serracum* ſecundum Iuuenalem atque Hieronymum itidem Gallicum erat uehiculum, cuius forma plane eſt ignota. *Ciſium* currus erat leuiſſimus et duabus rotis inſtructus, in quo lignea ſ. uimi-

1) Exſtant *Io. Scheſſeri* libri 2. de *re uehiculari*, 1671. 4. quibus adiecta ſunt excerpta ex *Ligorii* de familiis rom. *de uehiculis.*

2) quaſi *quadrum* a quatuor rotis dictum quidam uolunt, ſi placet.



1. 2. Currus doliis onusti 3. Plaustrum maius armis onustum 4. Currus captivam vehens. 5. Currus alius armis onustus. 6. Currus, cui navis armis repleta imposita 7. Birotum s. pilentum 8, 9. Duo currus, quibus Principes bello capti in pompa triumphali vehuntur. 10. Equus sarcinarius vasis aureis et argenteis onustus. 11. Equus alius sine onere.



1, 2, 3. Muli variis sarcinis et armis onusti. 4, 5. Cameli duo itidem arma ferentes.
6–12. Arcus suffulciendis aquæductibus destinati.

ſ. uiminea capſa poſita fuit, qua ſedis loco uectores utebantur; isque tribus plerumque mulabus iunctis iis potiſſimum uſui fuit, qui celeri curſu aliquo pergebant; iisque uiri ſoli, mulieres nunquam uecti leguntur. *Eſſeda* uel *eſſedum* etiam currus Gallicus uel Belgicus erat, qui in Britannia quoque adhibebatur; eiusque axi falces affixas fuiſſe creditur; ſed non in bello tantum, ſed etiam pacis tempore ſine falcibus iis utebantur.

§. 5. Quod *plauſtrum* dicebatur carrus erat duarum, nonnunquam etiam quatuor rotarum; onerarius autem proprie currus erat, ut hodierni carri. Quod a Catone *plauſtrum maius* dicitur, id currus quatuor rotarum putatur. Veteres unius quoque rotae uehiculis uſi fuere, quae a Gallis *brouettes* dicuntur; eorumque inuentor, ſecundum Hyginum, Triptolemus fuiſſe creditur.

§. 6. Quae de curribus, carris, aliisque uehiculorum ſpeciebus diximus, diuerſas quidem denominationes arguunt; ſed diuerſitatem formae exinde dignoſcere non poſſumus. Thenſae formam iam ſupra in triumphis uidimus. *Tab. CXXIII. fig. 1 et 2.* duos currus doliis onuſtos, quorum bobus alter, alter mulis iunctus eſt, ex columna Antoniniana proferimus; iique ſine dubio pro plauſtris habendi ſunt. Currus ſequens *fig. 3.* ex eadem columna equorum biga trahitur, et quatuor rotis ſolidis inſtructus eſt; unde pro plauſtro forte maiori habendus. Arma, quibus ouuſtus eſt, clypei ſcilicet, loriçae, gladii, haſtae, concinno admodum ordine diſpoſita ſunt. Currui ſequenti fig. 4. ex eadem columna prolato mulier captiua inſidet, altiori quodam ſedili utens; quod forte pro capſa illa habendum, cuius paullo ante mentio facta eſt. Qui *fig. 5.* ſequitur currus prioribus multo ornatior eſt, et quatuor rotis, radiis ſuis diſtinctis, inſtructus, galeis ille onuſtus uidetur, in eoque ſcutum formae ouatae conſpicitur. *Fig. 6.* alium currum quatuor rotis ſolidis inſtructum exhibet; ſupra capſam illius, cui onus imponi ſolebat, nauigium collocatum uidemus, in quo loricae, galeae et ſcuta poſita ſunt; ipſa nauigia pontibus naualibus parandis deſtinata uidentur. Uſus uehiculorum, quae uulgo *caleches* uoçantur, antiquior eſt, quam uulgo exiſtimatur; ſchema eiusmodi uehiculi *fig.* 7. offert. Tab. CXXIII.

§. 7. *Fig. 8.* magnum currum ex columna Theodoſiana duabus rotis inſtructum, boumque bigis iunctum producimus. Princeps quispiam ex gente Scythica aut Septentrionali quodam populo illi inſidet; adeſt quoque mulier pro uxore illius uel filia forte habenda, uirque alius. In eadem columna currus alius, isque grandior, cuius effigiem *fig. 9.* exhibet, conſpicitur. Quatuor is rotis inſtructus, et duobus itidem bobus iunctus eſt. Princeps quidam Scytharum in triumphum eo duci putatur; lateri illius aſſidet amicus in moeroris ſocietatem compulſus. In anteriore currus parte uxor eius ſedet infantem ulnis geſtans, et in poſteriori parte iuuenis quidam, regis forte filius. Ceterum aliae quoque fuere curruum et uehiculorum ſpecies, quorum nomina tantum innoteſcunt; *ploxenum* ſcilicet, *ſirpea ſtercoraria* egerendo fimo, *arcera* ex ligneis tabulis facta et undique operta, ubi aegris aut ſenibus in iis decumbentibus ueſtimenta ſubſternebantur, *clauulare* ex cratibus ligneis confectum etc.

§. 8. Sarcinariis quoque iumentis, equis, aſinis et mulis, aliquando camelis et elephantis ueteres utebantur. Equum eiusmodi ſarcinarium uaſis et ſcyphis, paterisque aureis, uti uidetur, uel argenteis onuſtum conſpicimus *fig. 10* et alius equus *fig. 11.* fine onere a Daco ducitur. Columna Theodoſiana ſarcinaria iumenta plura habet, ex quibus Tab. CXXIIII, *fig. 1, 2, 3* tres mulos pro duximus haſtis, ſcutis, aliisque rebus onuſtos; ubi ſimul notandum, quod tertius eorum fiscellam habeat hodiernis plane ſimilem; muliones a forma petaſorum et a marſupiis lateri eorum accinctis conſpicui ſunt; alter illorum gladio cinctus eſt, cuius capulus in caput auis terminatur. In eadem columna duo cameli arma uaria aliaque onera portantes uiſuntur; quorum ſchema *fig. 4 et 5.* exhibent. Tab. CXXIV.

CAPVT IIII.

De aquaeductibus et cloacis. 1)

§. I.

Aquaeductus Romanorum inter mundi miracula computari iure ſuo poſſunt. Tantus enim eorum numerus erat, tantisque ſumtibus erant conſtructi, ut ſine ſtupore non facile quisquam illos

(1) Confer. *Lipſium* de magnitudine rom. lib. 3. c. XI. XII.

illos intueri queat. His quippe aquam e locis longe remotis per quadraginta, immo ſexaginta nonnunquam milliaria, excifis paſſim traiectiſque montibus et rupibus, ope arcuum lapideorum in urbem deduxerunt Romani. In agro Romano regionibusque uicinis multae eiusmodi aquaeductuum reliquiae ſuperſunt, ex quibus magna plerunque arcuum ſeries comparet. Arcus illi pro terrae inaequalitate demiſſiores modo, modo altiores ſunt. Multis in locis duplicem arcuum ſeriem, alteram alteri impoſitam, uidere licet. Materia, ex qua arcus illi conſtructi fuere, plerumque lateres, caemento ita firmo iuncti, ut uix particulam illorum excutias. Si, quo minus aqua curſum ſuum habere poſſet, mons aliquis uel rupes impedimento fuit, ea ſecundum altitudinem arcuum ſuperiorum perforabatur, ut aqua exinde ad inferiores aquaeductus deflueret.

§. 2. Quod autem obſeruatu digniſſimum eſt, aquaeductus illi, qui recta linea ad urbem pergere potuiſſent, flexibus ſinuoſis diſpoſiti aquam eo deducunt; cuius rei cauſſa certo definiri nequit; niſi forte ideo factum eſſe credatur, ne aqua nimio impetu defluens ductus illos laederet, et ut ipſae forte aquae flexibus hiſce purgarentur. Simili ratione mirandum, quod aquis in uicinia neglectis, alias e longinquo Romam deduxerint; illas ſcilicet, quas puriores et ſalubriores exiſtimabant. Sic e. c. Anienis aquas, quae Tibure praecipites aguntur, et perquam facile Romam deduci potuiſſent, ideo neglexerunt, quod certis in locis mineralem ſaporem habuerint, adeoque ad potum minus commodae credebantur.

§. 3. Ut autem horum aquaeductuum clariorem ideam pariamus, arcus nonnullos hic proferimus. Sic *fig. 6.* arcum duplicem exhibemus, quales, ut aquarum defluxui proſpiceretur, in locis demiſſioribus et in conuallibus conſtrui ſolebant. Arcus huius ſpatium inter utramque pilam duodecim pedes latum eſt; quae tamen latitudo non ubique eadem occurrit. Pilae ipſae, ſi quadratae prorſus ſunt, ſingula illarum latera octo pedes exaequant. Arcus ſequens *fig. 7.* admodum demiſſus eſt, quoniam in altiori ſolo ſtructus eſt. Hic ſupra aquaeductum foramen quoddam ſeu ſpiramen uiſitur, qualia multa hinc inde relinquebantur; ut ſi aqua fato aliquo curſum ſiſteret, exitum tamen haberet, donec ductus expurgatus eſſet. In aquae hiſce ductibus paſſim etiam putei fuere, quos aqua intrabat, ut limum in iis deponeret; imo et piſcinae ibi reperiebantur, in quas aqua delapſans ſi quid coenoſum forte ferret, deponebat, ut exinde purior ad urbem deflueret. *Fig. 8-10.* aliquas earum formas proferimus ex Fabretto, quorum tamen uſum non perfecte intelligimus. *Fig. 11.* anguſtius portae Maioris Romanae, quam a latiori facie ſupra *Tab. XCVI. fig. 28.* repraeſentauimus, latus offerimus; in cuius parte ſuprema duo canales uiſuntur, quorum ſuperior eſt aquae Anienis nouae, inferior aquae Claudiae. Totius aedificii altitudo eſt ſeptuaginta pedum Romanorum. In aquaeductus ſequentis ſchemate *fig. 12.* tres canales, alii aliis ſuperpoſiti conſpiciuntur; altior aquae eſt, quam *Iuliam* uocabant, medius aquae *tepulae* dictae, et infimus *aquae Marciae*; totius aedificii altitudo eſt quadraginta pedum Romanorum et unius cum dimidio.

§. 4. Admirandum quoque et magnificentia romana digniſſimum opus erat aquaeductus Metenſis; cuius altiſſimi arcus hodieque magno numero ſuperſunt, qui Moſellam, latiſſimum hoc loco flumen traiiciebant. Si Colmenareio in hiſtoria Segouiae, atque aliis, qui in Hiſpaniam profecti ſunt, credendum eſt, aquaeductus Segouiae inter praeſtantiſſima ueterum monumenta; quot quidem eorum ad noſtram aetatem peruenerunt, referendus eſt; illiusque centum quinquaginta nouem arcus ex magnis quadratisque lapidibus conſtructi ſuperſunt; iique cum toto aedificio centum et duos pedes altitudine ſua exaequant. Duo uero ſunt arcuum ordines, quorum alii aliis impoſiti ſunt. Aquaeductus totam urbem traiicit, eiusque maximam partem in ſolo demiſſiore poſitam longe ſuperat.

§. 5. *Cloacae* autem Romanae omnes illas intuentes in admirationem ſui rapiunt. Sub urbe quippe tota extendebantur, atque in riuos paene innumeros diuiſae in Tiberim confluebant. Magni autem illae et alti erant fornices, ita ut nauigiis poſſent permeari; unde *Plinius* 35, 15., urbem penſilem dixit. Latitudo atque altitudo canalium tanta fuiſſe dicitur, ut uehem foeni large onuſtam admitterent; hisque fornices uicorum pauimenta ſuſtinebant. In uicis paſſim foramina fuerunt, quibus ſordes omnes in cloacas iſtas ingerebant; qua de cauſſa urbs ſemper munda et nitida fuit. In easdem cloacas ineffabilis illa aquarum colluuies, quae per aquaeductus in urbem deducebatur per uarios riuos de induſtria factos tandem exonerabatur; qua de cauſſa in ipſis quoque cloacis nihil omnino ſordium manere potuit; ſed omnia quam primum in Tiberim deportabantur.

LIBER

LIBER SECVNDVS.

DE
RE NAVALI, NAVIVM INPRIMIS CONSTRVENDARVM RATIONE ET FORMA DIVERSA, DEQVE NAVIBVS CLASSICIS PRAECIPVE SEV BELLICIS, EARVMQVE APPARATV ET ORNAMENTIS, ITEM PVGNIS NAVALIBVS ET PORTIBVS. (1)

CAPVT I.

De diuersa nauium construendarum ratione.

§. 1.

Inuestigandae rei naualis origini non multum immorabimur. Nonnulli ipso diluuio illam antiquiorem putant, quam maxime dubitantes, artem nauigandi adeo commodam et necessariam, inuentuque tam facilem, per tot saecula, quae ab orbe condito ad diluuium usque effluxere, fuisse ignotam. Cymbas saltem, arbitrantur, scaphasque prioris illius orbis incolas traiiciendis fluminibus atque fretis aptas construxisse credibile esse. Ipsa certe natura ad artis huius notitiam perduxisse uidetur. Fluctuantes in aquis uidebantur trabes atque asseres; quid facilius, quam plures una iungere, ex iisque rates parare? Aquis innatantes cernebant crateres et scyphos ligneos; quid magis in promtu erat, quam cauas eiusmodi concinnare scaphas? Hoc sane uero admodum simile uidetur; nec ausim cum aliis affirmare, ante tempora Noae nullam omnino rei naualis in orbe obtinuisse notitiam. Scriptores profani atque mythologi uera falsis hic ita miscent, ut nihil certi exinde elici possit. De re nauali ex ueteribus uiri docti complures uaria scripsere. Lazarus e. c. Bayphius, Stewechius, Schefferus, Palmerius, Raphael Fabrettus, doctissimus Potterus, Episcopus Oxoniensis, aliique; in quibus ego quidem Scheffero, Fabretto et Pottero ducibus ita usus sum, ut illos in plerisque quidem sequens non tamen dubitauerim a sententia illorum nonnunquam discedere, si argumentorum uim in aliam me opinionem rapere sensi.

§. 2. Priscis temporibus rudi prorsus ratione ars nauigandi exercebatur, quum tigna quaedam trabesque iungebant, easque tabulis contegebant. Rates eiusmodi Graeci σχέδια uocant, earumque inuentum nonnulli Lydis tribuunt. Id quod μονόξυλον Graeci appellabant, etiam priscorum inuentioni tribuendum, et nonnisi arboris trunco in cymbae formam excauato constabat. Monoxylorum eiusmodi mentionem facit Xenophon Hist. Graec. lib. 6. hoc addens, singulis tres uiros uectos esse. In uadosis autem maxime locis iis utebantur, quod non plus uno pede aquis immerguntur. Sidonius Apollinaris in Panegyricis commemorat, nonnunquam equos iis fuisse uectos. Quod de monoxylis Germanorum *Plinius* Lib. 16, 4. refert, obseruatu dignissimum est. *Germaniae praedones singulis arboribus cauatis nauigant, quarum quaedam ad triginta homines uehunt.* Galli quoque *Liuio* 21, 26. teste monoxylis utebantur: *nouasque* (naues) *alias, primum Galli inchoantes cauabant ex singulis arboribus, simul facilitate operis inducti, alueos informes, nihil, dummodo innare aquae, capereque onera possent, curantes faciebant.* Strabo Hispanos quoque atque Lusitanos eiusmodi monoxylis usos esse asserit. Ceterum monoxyla haec etiam alio nomine *alueos* fuisse uocata ex loco Liuii modo citato apparet. Ouidius de Cymba loquens, in qua Romulus et Remus olim expositi erant, similiter alueum appellat.

§. 3. Rates illas, quibus priscis temporibus utebantur, deinde cratibus uimine textis cingere coeperunt. De Sabaeis *Strabo* Lib. 16. mentionem facit, quod illi coriaceis olim nauibus usi fuerint;

(1) uide scriptores a *Fabricio* in bibliographia citatos, c. 17. n. 6.

rint; quod non alio modo intelligendum uidetur, quam quod naues ipsae ligneae fuerint, sed extrorsum corio tectae; cui Sententiae etiam Schefferus fauet, idque non sine ratione. Nam sicut Strabo Sabaeorum naues pelliceas seu coriaceas uocat, ita Xiphilinus nauigia Britannorum, qui I. Caesare teste, nauibus itidem ligneis, sed corio contectis utebantur, δερμάτινα πλοῖα nuncupat. Schefferus etiam putat, id quod Graeci δερμάτινον πλοῖον uocant, id ipsum esse, quod VirgiliusAen. VI,413. cymbam sutilem appellat. Quod de Aegyptiis *Strabo* L. 17. refert, quod naues nonnunquam ex terra coctili confecerint, incredibile prorsus uideretur, nisi scriptor uerax et sincerus, de rebus, quae suo tempore gesta sunt, loqueretur. Eo quoque fortasse referri potest illud Iuuenalis Sat. XV, u. 126. sq. ubi *imbelle et inutile uulgus paruula fictilibus solitum dare uela faselis*, ait. De iisdem Aegyptiis Strabo, Plinius, Lucanus et Plutarchus, testantur, illos ex planta *papyri* scaphas suas parasse. Quum enim papyri folia latissima essent, longisque filaminibus munita: facile intelligitur, multa consuendo et conglutinando cymbam effici potuisse, quam dein pice illiniuerint, ne aquam folia imbiberent. De nauiculis autem eiusmodi papyraceis Plutarchus rem plane singularem commemorat; quod scilicet crocodili, qui scaphis nauigantes frequenter alias infestauerint, eos nunquam laeserint, qui cymbis papyreis usi fuerint. Caussa huius rei haec fabula traditur, quod Isis aliquando in nauicula papyrea nauigauerit, quo facto metus et reuerentia, qua crocodili erga Isidem affecti sint, eos a laedendis cymbarum papyracearum uectoribus coercuerit.


§. 4. Quod uero magis mireris, in India, confirmantibus hoc scriptoribus plurimis, ex arundine unica nauigia parabant. Etenim Indiae illae arundines tantae erant amplitudinis, ut, *Heliodoro* X, 27 teste, quaelibet illarum in duas partes fissarum sectio nauigiolum praebuerit; quarum nauicularum quaedam a *Plinio* 8, 2. duos nonnunquam tresue uiros uexisse dicuntur. Conferri hic meretur *Diodorus*, qui Ant. l. 2. narrat: *In India, magna est uis arundinum, quorum crassitudinem uix ulnis uir complectitur, ex quibus factae naues eximium dicuntur habere usum, quoniam carie non infestantur.* Ex quibus uerbis hoc simul patet, quod, dum nauiculas ex arundinibus istis conficiebant, illae in partes quoque separari potuerint; quo ipso cum Q. Curtii uerbis consentit, ubi de Alexandro M. refert, quod ad flumen Indum milites suos procedere et nauigia, quibus in ulteriora transportari posset exercitus, construi iusserit. Hic autem, quod plurima flumina erant superanda, naues ita fuisse iunctas, ut solutae plaustris uehi, rursusque coniungi possent.

§. 5. Aliud genus nauicularum erat, quas *plicatiles* appellabat, quarum *Plinius* V, 9, mentionem facit, dum *Elephantis*, ait, *insula, ibi Aethiopicae conueniunt naues, namque eas plicatiles humeris transferunt, quoties ad cataractas uentum est.* Naues hae forte (Schefferi haec coniectura est) ex pellibus, quas circulis ligneis affixas extendebant, et pro lubitu iterum soluebant, erant confectae. Herodotus de *Armeniis* loquens L. I. 195. eos nauigiis his fere similibus esse tradit. *Nauigia sunt illis, omnia circulari forma, eaque ex aluta uel corio: ubi enim ligna circularia ex salice coaptarunt, extendunt extrorsum tegumenta ex pellibus, quibus soli uice utuntur, carinaeque loco. Nulla neque puppis neque prorae forma discreta; uerum scuti instar in orbem composita, deinde stipula referciunt, oneraque imponunt; illudque nauigium flumini permittunt. Singula ex his intus habent asinos uiuos, et postquam Babylonem peruenerunt, lignis nauigii atque omnibus stramentis uenundatis pelles asinis imponunt, eosque in Armeniam agunt. Plinius* VIII, 5. narrat, in Nilo nauiculas ex scirpo fieri, qualem illam fuisse putant, in qua Moses infans expositus erat.

§. 6. Quae adhuc diximus ex ad eiusmodi nauiculas pertinent, quorum uel materia uel forma, nonnunquam utraque minime uulgaris erat. Quantum uero admodum construendarum nauium, quibus Graeci et Romani utebantur, attinet, haec notari merentur. Id primo curabant, ut ex lignis aridis naues suas fabricarent, nec aliis lignis ad hoc opus erat, quam quae nec grauiora, nec leuiora essent; ideoque pinis plerunque atque abietibus in hunc finem utebantur; passim ornos quoque, ilices, fagum, quercum, aliasque arbores ad construendas naues, uel saltem ad nonnullas earum partes adhibitas esse legimus. Romani uero abiete ideo lubentius usi uidentur, quod siluae ipsis erant, quae ligna eiusmodi abunde suppeditarent; aliquando ab amicis quoque et sociis lignorum copiam accipiebant.

§. 7. Si de modo construendi naues quaeratur ueteres ligna trabesque ad conficiendas naues aptatas clauis ferreis uel aeneis iungebant. Stupa porro utebantur, ut si quid uacui intra trabes et asseres maneret, id implerent. Hoc fine nonnunquam etiam iunci quaedam species adhibebatur, quam *spartum* uocabant. Tandem nauis cera uel pice liquida oblinebatur. Sic denique confectam

et



1–4. *Rostra navium diversæ formæ.* 5. 6. *Aplustria.* 7. 8. *Naves onerariæ.* 9. *Navis rostro munita.* 10. *Navis oneraria velis instructa.* 11. *Navis biremis.* 12. 13. *Duo Chenisci.*

et ad uehendum paratam floribus coronabant, eamque peculiari caerimonia ad mare trahebant; ubi illi quoque, qui eam deducebant, coronis cincti erant. Hoc autem ritu nauis numini, cuius figuram geſtatura eſſet conſecrata putabatur.

CAPVT II.

De praecipuis nauium partibus.

§. 1.

Praecipuae nauis partes erant *prora*, *puppis* et media inter utramque pars, quam *carinam* Latini uocabant, quae nauis quaſi fundamentum erat. Poetae his uocibus promiſcue utuntur, et carinam, puppim uel proram pro tota naui ponunt; ſed carina proprie fundus nauis eſt, qui inter proram et puppim intercedit; unde illae naues, quarum ima pars plana eſt, ſecundum *Iſidorum* lib. 19, c. 1. carina carere cenſentur. Supra maiorum nauium carinam latera in tres partes erant diuiſa, quarum inferior *thalamus* (Θάλαμος) media *Zyga* (ζύγια) ſuperior θρᾶνος uocabatur; unde remiges quoque diuerſa ſortiebantur nomina. In inferiori enim gradu qui ſtabant, eos *Thalamitas*, in medio *Zygitas* et in gradu ſuperiori qui collocati erant, eos *Thranitas* uocabant. In nauis lateribus foramina erant, quibus remi inſererentur, quae a Feſto, quod columbariorum more diſpoſita fuere, *columbaria* dicuntur. Non autem exiſtimandum eſt, tres illos remigum ordines in ſolis triremibus locum habuiſſe; unde triremes nomen gerere putantur. Verum Polybius in naui duodecim remigum ordinibus inſtructa Thranitas memorat, ſub quibus hoc loco ſine dubio illos remiges intelligit, qui, quantacunque nauis eſſet, tranſtra ſuperiora occupabant. Ex hoc recte colligi uidetur, infimum remigum ordinem ſemper Thalamum et Supremum Thranon, intermedios uero ordines omnes, quotcunque eorum numero fuerint, Zyga ſemper appellatos fuiſſe.

§. 2. Quicquid ultra carinam et nauis uentrem protendebatur, illud *prorae* nomine uenit, in cuius ſuprema parte ἀκροστόλιον ſiue κόρυμβον erat. *Roſtrum* trabs erat prominentior aere plerunque, nonnunquam ferro munita, Graeci ἔμβολον uocabant. *Tab. CXXV. fig. 1, 2, 3* tres elegantes proras Tab.
exhibemus ex anaglyphis marmoreis Eccleſiae S. Laurentii extra muros Romae. Prima inſigne habet caput Delphini, ſecunda caput apri furentis, tertia caput lupi. In ſingulis hiſce roſtris tres uiſuntur gladii ſtricti, quibus roſtrum in tres quaſi aculeos ſubdiuiditur. Alias naues multae duobus aut tribus, imo pluribus nonnunquam roſtris erant inſtructae, ut e. c. nauis Ptolomaei ſeptem roſtra habuiſſe fertur. In proris hiſce tribus grandis oculus conſpicitur, nec dubitandum, quin in altero latere huic oppoſito ſimiles oculi lateant; iique id praeſtabant, ut tota prora informe quodpiam animalis caput repraeſentaret. Prora ſecunda hic equum marinum habet, quod in nauibus admodum uulgare fuit inſigne. Pone oculum huius prorae Mercurii protome conſpicitur cum petaſo et alis; in proris quippe numinum effigies quam ſaepiſſime comparebant. In prorae tertiae latere Triton apparet cornu canens, isque humero apluſtre, puppis ornamentum, geſtat. In ſumma prorae parte caput Mineruae poſitum uidetur. De tribus hisce animalium capitibus, delphini ſcilicet, apri et lupi, hoc addendum, quod eiusmodi animalium capita ipſa nonnunquam roſtra conſtituerint. Sed quum hic retrorſum poſita ſint, huic uſui eſſe non potuerunt. Prora ſequens *fig. 4.* quam *Begerus* ex muſeo Brandenburgico Tom. 3. p. 406. publicauit, quibusdam tria roſtra habere exiſtimatur; quod in ima illius parte tria quaſi parua acumina ſunt, quae tamen ornatus potius cauſſa ita diuiſa uidentur. Quae *fig. 5. et 6.* ſequuntur *apluſtria*, ea puppis ornamenta erant, quo ea ſuperne terminabatur. Multi eruditorum putant apluſtre eſſe taeniam aut uelum paruum ſuper puppi erectum, et ad uentorum flatus mobile; ſed dubito an uspiam apud ſcriptores hoc ſenſu accipiatur.

CXXV.

§. 3. Altera nauis pars extrema puppis erat, quam Graeci πρύμναν uocant. Eo loco nauclerus gubernaculum tenens conſidere ſolebat. Dux quoque ſeu naui praefectus in puppi ſedebat, ut quicquid ageretur eo commodius ab eo conſpici poſſet. Extrema puppis pars a tergo ſurgens apluſtre fuit. De his autem, quae de nauibus diximus, hoc monendum eſt, quod innumeris ea mutationibus obnoxia fuerint; unde ea ſaltem, quae plerumque in nauibus conſpiciuntur, deſcripſiſſe nobis ſuffecerat.

Caput III.

De uariis nauium formis atque generibus.

§. 1.

Nauium duo genera fuerunt; primum earum, quae uelis regebantur, alterum eorum, quae remis agebantur. Quae uelis incedebant, *onerariae* erant *naues*, ad negotiationem et commeatum aduehendum paratae; quae remis propellebantur, *classicae* dicebantur, et ad bella naualia potissimum erant destinatae; ubi tamen minime negandum, quod naues classicae nonnunquam uelis et onerariae remis fuerint instructae; unde hae posteriores a Graecis ἐπίκωπαι dicebantur. Naues classicae a scriptoribus saepe dicuntur *naues longae*, quo nomine ab onerariis distinguuntur; et quando classes describunt, tot naues longas et tot onerarias in illis fuisse plerumque indicant. Naues onerariae fuerunt fere rotundae aut ouatae, graece στρόγγυλοι dictae. Hinc factum est, ut scriptores nonnulli naues in longas et rotundas distinguant; quae distinguendi ratio apud *Athenaeum* VIII, 10. occurrit. Naues longae in *actuarias* porro et *longas simpliciter tales* diuidebantur. *Actuariae* expeditae magis et leues erant, quales illae fere sunt, quas *brigantins* appellare consueuimus. Ex his parua quaedam erant nauigia, quae *Cicero* ad Atticum 16, 3. *actuariolas* naues appellat, quas numero scalmorum (erant autem scalmi, in quibus remi distinebantur) distinguit. Ex paruis huiusmodi nauigiis quaedam duos tantum remos habebant, quae ab eodem remige agebantur; et quamuis triremis plerumque accipiebatur de naui longa, triplici remorum ordine instructa; aliquando tamen etiam sumitur pro nauicula, tribus tantum remis acta, quae tres scalmos habet. Et huiuscemodi nauiculae alias etiam *scaphae*, *cymbae*, *acatia*, *celotia* et *lembi* uocabantur.

§. 2. Erat porro alia nauium Species, quae nec ad longas, nec ad rotundas naues, referripotest, sed ad utramque formam nonnihil accedebat; *phaseli* dicebantur. *Appianus* l. 5. eas ita describit: *Octauia impetrata ab Antonio licentia decem phaselos triereticos fratri dono misit, id est mixtos ex longarum et onerariarum forma.* Quas uero naues hoc loco Appianus phaselos appellat, illas Plutarchus in uita M. Antonii *Myoparonas* uocat. *Cicero* Verr. 5. eas piraticos Myoparonas nuncupat, et sex remorum esse dicit. *Hemiolia*, quae Graece genere neutro ἡμιόλιον et in feminino ἡμιολία dicitur, etiam erat leue nauigium, quo in classibus utebantur, ut hodiernae *fregattes*. Etymologicon asserit piratas hoc nauigiorum genere usos esse, quod ob leuitatem et celeritatem illis quam maxime idoneum uidebatur; quia paucissimis remis, duobus tribusue tantum, instructum erat. Nonnullis id ipsum fuisse putatur, quod alias *Cercurus* dicebatur. Multa certe nauigiorum nomina apud Scriptores deprehendimus, quae eandem non raro nauis speciem denotant. Minora haec nauigia saepe etiam dicuntur *aperta*, quod nulla habebant tabulata; id quod de iis, quas cymbas, scaphas, lintres uocabant, certissimum est. *Polybius*, qui L. 5. naues tabulis instructas *cataphractas*, κάταφρακτα πλοῖα uocat, ad illas quae tabulatis carent, *celoces* refert, quas ille κέλητας uocat. In maioribus classicis magna plerumque leuiorum, ueloclorumque nauicularum copia fuit, quae ad speculandum et ad explorandum, aliasque expeditiones, in quibus celeritate opus erat, mitti solebant. Minora nauigia nullis etiam rostris, quibus in pugnis naualibus utebantur, instructa fuere. Lembi tamen maiores etiam rostra habuerunt, quemadmodum etiam myoparones et hemiolia. Ex eorum genere duas illas nauiculas esse puto, quas *fig.* 7, 8 exhibemus, quas Fabrettus e columna Traiana produxit. Prior illarum frumenti saccis, posterior doliis, uino forte repletis, onusta est; adeoque ad naues onerarias sine dubio referendae; utraque rostro caret et aperta est; et quamuis unus tantum remus compareat; non tamen dubitandum, quin altero quoque latere adhuc alius adsit. His *fig.* 9. aliam iungimus, rostro uti uidetur munitam, licet septem remis ab uno latere instructa sit.

§. 3. Nauis sequens *fig.* 10. ex columna Theodosii desumta, catastromate pariter et rostro caret. Oneraria haec nauis est ad deportandos milites deputata; uelis tamen agebatur, sed quum malus et rudentes in ipso marmore ad carchesium non pertingant, uela non comparent. *Liburnae* seu *Liburnicae*, quarum frequens apud scriptores mentio fieri solet, aliam nauium leuiorum speciem efficiunt. Appianus de bello Illyrico agens, illas ex Liburnis, Illyriae populis, qui nauibus leuibus, celeribusque mare Ionicum et Insulas praedabantur, nomen traxisse asserit; siquidem Romani ex hoc tempore nauigia leuia duorum remorum *Liburnicas* s. *Liburnas* appellare coeperint. Aliud nauium leuiorum genus, quod piraticae inseruiebat, illud erat, quod ἐπακτροκέλης, *epactroceles*, appel-

appellabatur; uox compoſita eſt, quae celocem praeda onuſtam ſignificat. Complurium quoque ſcriptorum teſtimonio diſcimus, naues maiores ſcaphas ad puppim religatas ſecum traxiſſe, ἐφολκὶς ideo graece dicta ſcapha. Has autem ſcaphas ueteres Noui Teſtamenti gloſſae uimine textas, et corio contectas eſſe docent. Eaedem ſcalphae nonnunquam ipſis nauibus maioribus imponebantur, quod hodieque fieri ſolet.

§. 4. Ex nauibus illis, quas ſupra actuarias appellauimus, nonnullae maiores erant, quarum aliae uiginti, aliae triginta, aliae quadraginta remis agebantur. Quae uiginti remis agebantur, ab utroque latere remos habebant et εἰκόσοροι dicebantur; quae triginta remis inſtructae erant, τριακόντοροι et qui quadraginta τεσσαρακόντοροι nuncupabantur. Actuariae uero ideo dicebantur, quod remis et uelis ſimul actae ſumma celeritate mouebantur. Ceterum non eadem nauium longarum longitudine erant; et piratae, qui naues ueloces amabant, iis utebantur, ut ultro citroque diſcurrerent; apertae fuerunt et ſine tabulato, nec embolos ſiue roſtra in prora habebant; raro tantum roſtris quoque armari ſolitae.

§. 5. Naues longae, quibus in bello utebantur, duplicis iterùm generis erant. Aliae unum tantum remorum ordinem in utroque latere habebant; aliae duobus, tribus, pluribusque ad triginta uſque, remorum ordinibus erant inſtructae; ſed poſtremae ad oſtentationem potius et ſpectaculum, quam ad bellicum uſum exſtructae fuerunt. Ex iis, quae unum tantum remorum ordinem utrinque habebant, aliae quinquaginta remis, aliae pluribus conſtabannt, ita ut dimidia remorum pars in uno, dimidia in altero latere collocaretur. Quinquaginta remorum naues a Graecis Πεντηκόντοροι, centum autem remorum ἑκατόντοροι nuncupabantur. Naues hae *longae* appellabantur, et medium quaſi tenebant inter naues celeres, quae minores erant et maiores, quae pluribus remorum ordinibus erant munitae. Tales longae uno remorum ordine inſtructae alio nomine *aphractae* i. e. non tectae uel quae nullum tabulatum haberent, dicebantur, eaque denominatione nauibus *cataphractis*, quae tabulatis contectae fuerunt, contradiſtinguebantur. Aphractae uerſus puppim tantum atque proram tranſtra quaedam habebant, in quibus pugnaturi ſtabant; non tamen omnes apertae fuerunt, roſtris uero cunctae inſtructae erant.

§. 6. Naues denique *biremes* duos, *triremes* tres remorum ordines habebant, *quadriremes* quatuor, *quinqueremes* quinque, quam Graeci Πεντήρης uocabant. Graecis porro, nauis, quae uno tantum remorum ordine gaudebat, μονήρης dicebatur; quae duobus διήρης; quae tribus τριήρις; quae quinque Πεντήρης; quae ſex ἑξήρη; quae ſeptem ἑπτήρης; quae nouem ἐννήρης, et ſic deinceps. Nam longe plurium etiam remorum naues habebant.

§. 7. Ingens hoc loco quaeſtio moueri ſolet, quo pacto uarii illi remorum ordines diſpoſiti fuerint. Sunt, qui dicunt, omnes illos ordines in eadem ſuperficie plana poſitos fuiſſe, Ariſtophanis potiſſimum teſtimonio nixi, qui thranitas in puppi, zygitas in medio, thalamitas in prora remos duxiſſe aſſerit, unde recte ſibi colligere uidentur, alterum altero non fuiſſe altiorem. Alii contra cum Scheffero, Scaligero, Palmerio, Fabretto, pluribusque aliis contrariam tuentur opinionem, ordines biremium, triremium, quinqueremium aliarumque nauium ad quadraginta uſque, alios aliis fuiſſe ſublimiores; totque nituntur ueterum teſtimoniis, ut uix alio modo res intelligi poſſe uideatur; quum monumenta antiqua, in iiſque columna praeſertim Traiana ordines alios aliis impoſitos et ſubliniores prodat; quanquam noſtrates ad unum fere omnes rei nauticae periti, ſi quidem nauis ordinum triginta uel quadraginta reſpiciatur, id quaſi ἀμήχανον cenſeant.

§. 8. Alia adhuc mouetur quaeſtio, num in maioribus illis nauibus remos ſingulos remiges ſinguli mouerint; num uero remis ſingulis remiges plures iis tractandis aſſederint? Nos ſententiis eruditorum hac de re ex utraque parte probe examinatis non poſſumus non iis adſtipulari, qui plures illos remorum ordines alios aliis ſuperiores fuiſſe autumant, parum curantes, quo pacto in nauibus enormis et ſtupendae magnitudinis, quas oſtentationis potius quam utilitatis cauſſa conſtructas fuiſſe iam ſupra monuimus, hoc fieri potuerit. Ad plures uero remiges uni remo adhaerentes quod attinet, in biremibus, triremibusque ſingulis remis ſingulos quoque remiges admotos fuiſſe autumo; cuius rei exempla in columna Traiana omnium oculis ſubiiciuntur. De quadriremibus uero, quinqueremibus, aliiſque plurium ordinum nauibus, idem affirmare non auſim, quod ſcilicet remex unus in ſuperiori thranitarum ordine, quorum remi inferioribus neceſſario multo longiores, eoque grauiores eſſe debuerunt, remum eiuſmodi ſolus tractare potuerit.

§. 9. In columna Traiana biremes plurimas uidemus. In his autem illa praecipue obſeruari meretur, cuius ſchema *fig.* 11. exhibemus, in qua remi ſuperiores et inferiores in quincuncem quaſi diſpoſiti ſunt. Utrique nauis orae cancelli ſuperpoſiti ſunt. Si uero in uno huius nauis latere ſex tantum remi ſuperiores totidemque inferiores numerantur, caue putes, integrum hic remorum numerum repraeſentari; architectum enim, qui exceptis uiris res alias minoris ſemper, quam reuera fuerunt molis exprimit, hic quoque partem tantum remorum expreſſiſſe uero admodum ſimile eſt. Ceterum claſſica haec nauis eſt, cuius prora tribus roſtris munita eſt, eorumque medium arietis capite terminatur. In puppi caſa concamerata conſpicitur; apluſtre, quod puppi adhaeret et caſam illam complectitur, ſimplicis formae eſt. Notandum porro, in ſupremo prorae roſtro, pannum exhiberi, qui ab altera prorae parte ab altero roſtro ita haeret, ut a uento inflatus uolitare nequeat; ut taeniae illae, quae nauibus noſtris affixae a uento agitantur, quis uentus dominetur, indicant.

§. 10. Iuuat hoc loco paucis commemorare, quid ueteres *chenisci* et *propidis* nomine denotauerint. *Cheniſci* ſiue τȣ χηνίσκȣ nomen a Graeco χὴν, quod anſerem ſignificat deriuatur et peculiare quoddam genus ornamenti indicat, quod collum uel caput anſerinum referebat, quod puppibus nauium imponebant: formam illius *fig.* 12 *et* 13. nobis offerunt. Etymologicon cheniſcos eiuſmodi in prora poſitos aſſerit; quod aliquando forte factum eſſe non plane negauero. Id autem ominis cauſſa fieri ſolebat, ne nauis ſubmergeretur, ſed anſerum more per fluctus ſine periculo nauigaret. *Propis*, graece Πρόπις ſecundum ſcholiaſtem Homeri trabem illam ſignificat, quae in nauis fundo locata fluctus ſecat et findit. Haec autem trabs maioribus tantum nauibus apponebatur.


§. 11. Non praetereundae ſunt hoc loco Graecorum *Epotides* (ἐπωτίδες), quas Corinthii excogitaſſe uidentur et Syracuſani imitati ſunt; de his *Thucydides* Lib. VII ita loquitur. *Inſtruxerunt autem claſſem Syracuſani, ita ut ex ſuperiori nauali praelio didicerant, ſe fore meliori conditione, nauiumque proras decurtarunt et firmiores reddiderunt et proris impoſuerunt craſſas* epotidas, *iisque tigna iunxerunt et intus et extra, quae usque ad latera nauium ſpatio fere ſenum cubitorum pertingerent, ad maiorem eorum firmitudinem, quomodo et Corinthii aduerſus naues, quae ad Naupactum erant, ſimilibus proris inſtructi pugnabant.* Ex his uerbis coniicere licet, Epotidas illas trabes fuiſſe uel tigna, quae ex utroque prorae latere prominebant, ut roſtrorum immanes impetus repellerent uel minuerent. Nullam autem uocem Latinam reperimus, quae Epotidas has graecorum ſatis exprimat; neſcioque an Romani iis unquam uſi fuerint; niſi forte trabes illae capite arietino munitae et ſupra roſtrum poſitae illarum loco habeantur.

§. 12. Lis quoque inter aliquos eruditorum coorta eſt circa Deos illos marinos, quae in nauibus olim repraeſentabantur, ut nauigantibus non modo patrocinarentur ſed et nauibus ipſis nomen darent. Hic enim nonnulli contendunt, illas quidem imagines, quae in proris conſpiciebantur, ipſis nomen indidiſſe; numina uero, quae ad cuſtodiam nauis erant, quae ideo *tutelae* dicebantur, in puppi poſita fuiſſe. Hanc etiam imaginum diſtinctionem non ſine ratione affirmari, nec omnino repudiandam eſſe, uaria ſcriptorum teſtimonia ſuadent. Virgilius enim poſtquam *Aeneid.* X, 157 de leonibus ad proram nauis Aeneae depictis dixerat: *roſtro Phrygios ſubiuncta leones*, paullo poſt v. 171. ubi de tutela nauis loquitur, *aurato*, inquit, *fulgebat Apolline puppis. Ouidius* quoque in Ep. Paridis ita loquitur: *Accipit et pictos puppis adunca Deos.* Clarius idem auctor utrumque complectitur, tutelam ſcilicet et picturam, nomen naui dantem: dum *Triſt.* lib. I. El. 9. ſtatim ab initio ita canit: *Eſt mihi ſitque precor flauae tutela Mineruae, nauis et a picta caſſide nomen habet;* ex quibus uerbis clariſſime patet, Mineruam numen huius nauis tutelare fuiſſe, nauem ipſam, Caſſidem fuiſſe uocatam.

§. 13. Locus hic eſſet inſerendi deſcriptionem pleniorem nauium ſtupendae magnitudinis, quas Ptolemaeus inprimis Philopator et Hieron, Rex Syracuſarum conſtrui iuſſerunt. Haec autem, quamuis lectores in admirationem ſui facile rapiant; antiquitatis tamen ſtudio parum lucis affundunt, adeoque a nobis quoque facile praetermitti poſſe ſperamus. Si quis ea nihilominus legere cupiat, is ipſum Montfauconii noſtri opus Tom. IIII, Part. II. Lib. III. c. 6 - 8. adire ne grauetur.


CAPVT

1.




D. Emanuel Marti.

2.



3.



1. Navis turrita 2. Pharus Bononiensis. 3. Turris Nemausiensis Magna.

Caput IIII.
De nauium classicarum apparatu et ornamentis.

§. 1.

Inter tormenta naualia prorae rostrum, de cuius forma supra iam fusius actum est, omnino praecipuum erat. Rostra haec firmissima nauium arma erant, quibus hostium naues impetebant constringebantque, ut mergerentur; ideoque in ima prora iuxta aquam, immo in ipsa plerunque aqua naui praefixa latebant. Idque Scheffero iudice p. 125 ideo factum, ut eo grauius naues hostiles uulnerarent, aqua per rimas continuo succedente. Non tamen negandum, quod in schematibus pugnarum naualium multae passim naues conspiciantur, quarum rostra extra aquam sunt; nonnullae quoque duplex rostrum habent, alterum altero superius, interuallo aliquo interposito.

§. 2. Circa naues propugnacula quoque construebantur, quibus milites aliquo saltem modo contegerentur, ne toti hostium ictibus paterent. Remiges certe pugnae tempore peculiaribus appositis catastromatibus a telis hostium defensi uidentur. Singulare in nauibus propugnaculorum genus turres erant, quas Romani inprimis nauibus classicis imponere solebant, ut in mari quoque, uelut e muris, pugnaretur. Hae uero turres tum demum erigebantur, quum pugnandum erat. Nam si toto nauigationis tempore erectae fuissent, magnum sane incommodum peperissent. Adeoque trabes, ligna et asseres ceteraque omnia ad turrim construendam necessaria parata habebant, ut instante praelio erigi eiusmodi turres breuissimo tempore possent. Nauem turritam exhibemus *Tab. CXXVI. fig. 1.* Tab. CXXVI.

§. 3. Peculiares quoque habuere machinas bellicas, quas a forma sine dubio, qua constabant, *delphinos* uocabant. Has de antennis nauium suspendebant, ut inde in hostilem nauem coniicerentur, eamque molis suae grauitate perfringerent atque demergerent. Non frequens illius usus fuisse uidetur, et apud Graecos tantum commemoratur.

§. 4. Quod autem mirandum, remiges nullo alio tecto uel cubili utebantur, quam ipso, in quo remigabant scamno; milites quoque in scamnis decumbebant. Duces uero et praefecti classiarii strata et culcitras in ipsis tabulis positas habuere. Remi, qui apud Poetas saepius *tonsae* dicuntur, magno clauo, quem *scalmum* uocabant, ad oram nauis defixo asserabantur, ne loco mouerentur. Nec desunt, qui tradunt, remos aere quondam opertos fuisse, quo firmiores essent.

§. 5. Vela Latine quoque *tumices* appellabantur, eo quod uento inflante tumeant; graece ἱστία et ἄρμενα. Priscis temporibus singulae naues singula habuere uela; postea uni naui plura iungebantur. Quod in summo malo ponebatur uelum, *supparum* dicebatur. Conficiebantur uela ex lino, cannabe, iunco, immo priscis temporibus etiam ex corio. Nili accolae, (narrat *Strabo* l. 4.) uela ex calamo efficiunt, storeis uel cratibus similia. Antiquissimis temporibus illa alba fuere, dein uariis coloribus tingebantur; ita ex purpura quoque et hyacintho nonnunquam parata fuisse notum est. In summo malo *carchesium* erat, quod crateris concaui formam habuisse uidetur. Funes et rudentes, quibus malus et antennae alligari solebant, ex lino, cannabe, et in quibusdam regionibus ex foliis palmarum, immo ex planta papyri seu philyra fiebant. Ex corticibus arborum quoque, cerasi cumprimis, tiliae et uitis, rudentes paratas esse legimus.

§. 6. Gubernaculum Latini alio nomine *clauum*, Graeci οἴακα et πηδάλιον uocant. Erat remus aliis longior et latior, cuius generis plures nonnunquam in eadem naui erant. Ancora Graece ἄγκυρα dicitur, eiusque inuentionem quidam Midae, alii Tyrrhenis tribuunt. Priscis temporibus illas ex lapide uel marmore factas fuisse, ex loco Arriani discimus, quando in periplo Ponti Euxini, de templo Dianae in Colchide loquens, ita pergit: *ibidem ancora nauis Argus ostenditur, quae cum sit ferrea, mihi parum uisa est antiqua: licet magnitudine pariter et forma nonnihil ab ancoris nostrorum temporum differat; tamen uidetur esse recentior; at alterius ancorae lapideae fragmenta peruetusta ibi uisuntur, quae quidem uerisimilius est antiquissimae illius ancorae argonauticae reliquias esse.* Aliquando etiam corbes lapidibus plenae, nec non sacci arena repleti, ancorarum loco nauibus apponebantur. Hoc uero subsidii genere tum demum utebantur, quum aliae ancorae non suppeterent, uel quum in arenoso limosoque fundo ancorarum acumina sisti nequirent.

§. 7. *Bolis* inſtrumentum erat, quo fundum ſeu altitudinem maris, et an loca petroſa uel arenoſa eſſent, explorabant. Aliud inſtrumentum, quo ad exhauriendam aquam utebantur, *antliam* uocabant. Maiores etiam naues, quum uel malacia eſſet, uel nauis ad nauigandum nimia ſui mole inhabilis eſſet, remulco trahere ſolebant.

§. 8. Mos pingendarum ſiue coloribus ornandarum nauium usque adeo uetus eſt, ut iam apud Homerum illius mentio fiat. Pictura illa talis erat, ut et ſoli et imbribus ſ. aquae reſiſtere poſſet. In uariis nauium partibus imagines Deorum, tritones, equos marinos, delphines, aliaque animalia pingebant; nec ſatis illis erat talia pingendo exhibere; ſtatuas quoque atque anaglypha nonnunquam apponebant. In prora praecipue illae pingebantur imagines, quae naui nomen dabant, et quibus naues aliae ab aliis dignoſcebantur: et eiusmodi notae latinis *inſignia* 1) graece παράσημα dicebantur. Nomen ipſum nauis prorae plerumque inſcriptum erat. Taeniae quoque ſeu faſciae ad uentos dignoſcendos e nauibus ſuſpendebantur.

CAPVT V.

De nautis, militibusque claſſiariis, eorum armis, ſignis militaribus, exercitiis uariis, ominibus et ſacrificiis, item de pugnis naualibus.

§. 1.

Quae adhuc diximus, ad naues ipſas pertinent; iam de nautis atque militibus pauca monenda ſunt. Nautas officio ſuo fungentes nudos fere fuiſſe, *Schefferus* multis Scriptorum locis oſtendit. Si quando tegerentur ueſtimentis, utebantur e pilis caprinis concinnatis. Id tamen parum conſtans et ſtabile fuit. Veſtes militares et arma, quibus claſſiarii milites ſeſe contegebant, ſecundum Pollucem loricae fuere, galeae et ocreae, eiusdem cum iis formae, quas milites in terra pugnantes uſurpaſſe ſupra diximus. Tela, quibus hoſtes impetebant, etiam iis, quibus copiae terreſtres utebantur, erant ſimillima; gladii ſcilicet, arcus et ſagittae, fundae, claui, bipennes etc. Arma claſſiariis peculiaria, haſtae fuerunt longae, quibus ad hoſtiles naues pertingere poterant; *conti* quoque, in quorum ſuprema parte falces erant, ad reſcindendas nauium hoſtilium chordas atque rudentes idoneae. Haſtae huiusmodi Latine *falcatae* et graece δορυδρέπανα dicebantur. Arietis etiam genus quoddam habebant, cui nomen *aſſer* erat. Secundum *Vegetium* 4, 46 aſſer hic trabs erat ſubtilis ac longa, ad ſimilitudinem antennae in malo pendens, et utrinque capite ferrato munita. Hunc ſiue a dextra ſiue a ſiniſtra parte aduerſariorum naues ſeſe iunxerint, arietis uice impellebant, eoque ipſi bellatores hoſtium ſeu nautas proſtratos perimebant, ipſamque nauem ſaepe concutiebant. Petrariae quoque iis machinae fuerunt, manus item ferreae, quas nauibus hoſtilibus iniiciebant, illasque detinebant. Manus tamen hae ferreae a *coruis*, qui eandem operam praeſtabant, quodammodo differre uidentur. Naues porro aduerſarias igne in illas coniecto comburere laborabant; ſiphonibus modo atque tubis hunc in finem utentes, modo uaſa igne plena in naues hoſtium immittentes.

§. 2. Signa militaria atque uexilla, quibus in nauibus utebantur, iis, quos pedeſtres exercitus habebant, erant ſimillima. Graecis quoque ſigna fuere pro regionum ciuitatumque diuerſitate diuerſa. Apud Romanos prope praefectum aut principem lictores erant. Graeci plerumque ſcuta pro pugnae ſigno habuere. Tuba quoque et lituus canebant claſſicum; *celeuſma* autem erat clamor, qui remiges, ut ſtrenue operi ſuo incumberent, hortabatur. Lapidum interdum concuſſione pro ſigno et uoce utebantur. Singulares clamores erant, quibus remiges iubebant, uel ſimul remos immergere, et fluctus uerberare, uel celerius modo, modo lentius remos mouere; idem tibiis quoque aliisque inſtrumentis muſicis fieri ſolebat.

§. 3. Modus, quo Graeci Romanique, hique maxime, tam nautas et remiges, quam milites claſſiarios exercebant, notatu digniſſimus eſt; etenim non niſi diuturno uſu eo peritiae ueniebant, ut ex ordine et ſine ulla turbatione operam tam difficilem praeſtarent. *Thucydides* exercitia Syracuſanorum, quibus ſe ad oppugnandos Athenienſes, in re nauali Graecos alios longe excellentes, comparabant, accurate et per ſingula recenſet. Modum, quo Romani tum nautas, tum claſſiarios ſuos milites exercebant, *Polybius* L. I. c. 21. his fere uerbis deſcribit: *enimuero, dum illi,*

1) *Prorae* adeo propria, cum *tutela* puppis ſit.

illi, quibus construendarum nauium cura incumbebat, in paranda classe occupabantur, alii socios nauales cogere et ad remigandum eos in terra solebant exercere. Remiges sedere ad remigia iussos in littore eodem seruato ordine, ut si in nauium transtris considerent, hortatore in medio collocato, omnes simul resupinare sese manus adducendo et rursus incumbere eos propellendo, principio et fine motus ad pausarii iussionem facto assuefaciebant.

§. 4. Si naues conscensuri essent, uaria obseruabant, quae boni maliue ominis nauigantibus esse credebantur. Malum omen erat, si quis ad sinistram sese conuertens sternutaret; bonum, si ad dextram ei id fieret. Mali ominis erat, si hirundines in naui conquiescerent, seque sisterent. Plerumque nauem conscendebant, Neptuno ceterisque Diis marinis sacrificia peragentes; itemque uentis, siue omnibus, siue aliquibus tantum, quos sibi praesto esse, uel quos amoueri praeoptarent. Apollini, Tempestati et Tranquillitati, nec non Castori, Polluci et astris uictimas immolabant. Quumque ad naualem sese pugnam parabant, primo naues ad certamen destinatas exonerabant, ne nimio onere atque sarcina ad conuersiones atque discursus minus agiles et ineptae essent. Pugnas prope littora, quantum poterant, declinabant. Ventos sibi contrarios, quod hodieque fieri solet, diligenter explorabant; inter pugnandum uela demittebant, et remigum tantum opera utebantur; nonnunquam tamen uelis maioribus tantum demissis, minora expansa fuerunt.

§. 5. His peractis et obseruatis, Dux exercitus classem ad pugnam disponebat, ubi non unus idemque semper ordo tenebatur; sed ad praetoris solertiam pertinebat, pro loci, temporis, hostiumque conditione aciem uarie instruere. Si in bicornis lunae formam acies ordinata fuit, quae forma usitatior erat, Dux medium locum tenebat; si in lineam rectam, dextrum exercitus cornu occupabat, et si robur classis hostilis in dextro erat, ipse sinistrum tenebat. Naues ipsae densiores modo, modo rariores ordinabantur; secundum diuersam aciei hostilis rationem. Milites suo quisque loco constituebantur; alii quidem supra catastroma nauis, alii sub illo; ut instante pugna caesorum uel uulneratorum locum occuparent. Grauioris armaturae milites in extremis lateribus locum habebant; leuioris autem armaturae milites, sagittarii scilicet et funditores, in prora aut in puppi, siue etiam in medio catastromate locabantur. Sed ne haec quidem semper eadem ratione obseruabantur.

§. 6. Ante pugnam omina rite obseruabant, quod superstitionis genus apud ueteres plurimum obtinebat; eiusmodique ominibus historia Graeca et Romana plena est. Ex ominibus hisce quaedam communi omnium consensu bona, mala, existimabantur; fortasse longe plura erant, quae suum cuiusque ingenium uel metus finxerat. Victimae quoque Diis mactabantur, ut antea, quum naues primum conscenderent. Ante pugnam quoque Praetor seu praefectus classi in scapham siue liburnam conscendebat, ut classem circumuectus classiarios ad strenue pugnandum hortaretur. Hinc tuba proelii signum dabatur; primo quidem e naui praetoria, deinde e nauibus ceteris omnibus. Signo utrinque dato naues aduersis proris ad pugnandum utrinque prouolabant, uel etiam ita uertebantur, ut naues hostium, qua parte commodius putabant, adorirentur. Naues hostiles alias ab aliis seiungere conabantur, earumque remos perfringere, quod *remos detergere* dicebatur. Naues suas in aduersas rostris uehementissime impingebant, ut eas perrumperent atque mergerent. Illa uero rostrorum irruptio, quae in nauium latera fiebat, omnium periculosissima putabatur; eo quod latera haec plerunque minus solida erant, debilioraque, quam prora uel puppis. Naues aduersae saepius uno ictu mergebantur: ictus tamen in proram impacti ideo admodum periculosi fuerunt, quod eius defensores facillime in mare excuterent, quodque nauem ita labefactarent, ut postea ad pugnandum minus expedita esset. Ut autem ictus illos uitarent, ii, quorum naues rostris petebantur, remos obtendebant, quo nauis aduersae uiolentiam uel reprimerent, uel minuerent. Puppim nauis aduersae nunquam feriebant, praesertim quum fugeret.

§. 7. Quando manibus ferreis iniectis naues aduersae iungebantur, ut manus consererent: cruenta plerumque pugna fuit; dum utrinque in nauem aduersam irrumpere, hostesque uel occidere uel in mare deiicere conabantur. Itaque pontes nauibus iniiciebant, ut in eas transirent; audaciores etiam sine ponte in hostium catastromata insiliebant. Subiunxit auctor noster aliquot pugnarum naualium historiam; primo quidem pugnas nauales Graecorum, Salaminiensem contra Persas: aliamque eiusdem nominis, quae Demetrium inter et Ptolemaeum euenit; dein duas pugnas Romanorum contra Carthaginienses, quarum altera uicti Romani sunt ab Adherbale, Poenorum Duce; altera Romani Duce Lutatio uictores discesserunt. Nos uero instituti nostri rationem habentes earum recensioni hic immorari minus necessarium duximus, adeoque ampliorem eiusmodi proeliorum descriptionem hic omisimus.

CAPVT VI.
De Portibus et Pharis.

§. 1.

Adhuc de nauium forma, uariis nauigandi modis et de pugnis naualibus egimus; iam de iis quoque locis, pauca monenda sunt, in quibus naues receptacula habere solent; de portibus scilicet, uariaque illarum forma atque structura. Portum uel natura constitui, uel arte construi, uel utroque simul modo fieri, notum est. Naturales portus ii dicuntur, quos natura montibus rupibusque praecinxit, et a uentis atque tempestatibus tutos praestitit. Artificio constructi portus ii erant, qui uel excauando terram fiebant, ut innatare naues possent, uel aggeres molesque in mare producendo, quibus ea pars undarum, quae portui destinabatur, a procellis tuta esset. Portus, utrouis modo facti, ita comparatos esse oportet, ut naues non modo a uentis, sed hostium quoque impetu satis tutae sint; ideo portus munimentis quoque et propugnaculis muniendi sunt, quibus hostes arceri possint.

§. 2, His omnibus operam dederunt ueteres. Loca deligebant ab ipsa natura aduersus procellas munita, illaque propugnaculis et praesidiis instruebant; a quibus ii, qui portum ui irrumpere forte conarentur, repelli poterant. Fossas, quae ad conficiendum portum terram effodiendo fiebant, Festus *cotones* uocat, easque ueteres aggeribus, lapidibusque muniebant. Inter moles istas siue promontoria, quae ab utraque portus parte in mare protendebantur, saepius catenas tendebant, et uallo quodam, ex palis et sudibus constructo, securitatem sibi parabant. Turres quoque ad ostii defensionem hinc inde erigebant, in quibus noctu faces accendebantur, ut, si quae naues tenebrarum praesidio ingredi portum forte tentarent, protinus noscerentur. Hi autem ignes in summitate positi, non ad defensionem tantum spectabant, sed nauibus quibusue inseruiebant, ut sine periculo uel appellere uel soluere possent.

§. 3. Turres istiusmodi ab antiquissimis temporibus in usu fuisse constat; illarumque structura ab initio admodum simplex erat; sed Ptolemaeus Philadelphus, Rex Aegyptiorum, architecto usus Sostrato, in Pharo insula, haud procul a continente sita, turrim tam grandem, tamque magnificam construi curauit, ut multi eam inter septem mundi spectacula retulerint. Insequenti tempore insula haec ab Aegypti Regibus, aggere facto, continenti iuncta, peninsulae formam induit. Promontorium habebat seu rupem, qua maris fluctus frangebantur. In hac rupe Ptolemaeus turrim Pharum ex lapide candido aedificari curauit; opus certe magnificentissimum, pluribus tabulatis concameratis consistens. Geographus Nubiensis, ob ignem et flammam singulis noctibus ibi comparentem, *candelabrum* hanc turrim appellat, eiusque altitudinem trecentorum cubitorum fuisse statuit; quadratam illam fuisse, et a magnitudine cum pyramidibus illis Aegyptiacis comparari potuisse, ex Scholiaste quodam *Luciani* Manuscripto et a *Vossio* laudato ad Pomponium Melam p. 205. discimus.

§. 4. Arabes et quidam peregrinatores de turri hac Pharia multa fabulosa referunt, quale hoc, quando narrant, Sostratum prodigiosam hanc molem supra quatuor cancros uitreos fundasse. Parem illud fidem meretur, quod *Martinus Crusius* in Turcograecia p. 231. ex Arabibus memoriae prodidit: Alexandrum nempe Magnum in summo turris fastigio speculum poni curasse, tanto artificio elaboratum, ut ex quingentis parasangis, siue plus quam centum leucis, aduersariorum classes, quae contra Aegyptum uel Alexandriam accederent, detegerentur, post mortem uero Alexandri speculum illud fractum esse a milite quodam, cui Sodoro nomen fuerit. Haec enim narratio occupat, Pharum iam Alexandri tempore extitisse; id uero est, cui omnino historiarum monumenta repugnant. Ingens turris illius sublimitas effecit, ut ignis et flamma noctu ad instar lunae luceret. Quando procul conspiciebatur, quum minor lux uideretur, stellae instar fulgebat; quae res nautas interdum decipiebat, ut aliquam ex stellis, quibus ad nauium suarum cursum dirigendum utebantur, se uidere putantes, proram alio conuerterint et ad arenosum Marmaricae littus deducti fuerint.

§. 5. Turris haec paullo post nomen insulae accepit, ut et ipsa Pharus appellaretur. Id nomen Aegyptium subsequente tempore appellatiuum euasit; quod nimirum deinde turres aliae omnes, quae ad illius turris Alexandrinae exemplar et ad eundem usum structae fuerunt, Phari nomine uti coeperunt; sicut magnificum illud monumentum sepulcrale, quod Artemisia Mausolo

Regi,

Regi, coniugi suo, extrui curauit, tempore succedente sepulcris aliis a magnificentia celebratis Mausoleorum nomen indidit. Sed Phari nomen longius propagatum est, quam Mausolei denominatio; quandoquidem uox illa, successu temporis, plures significatus admittere coepit. Gregorius Turonensis in opere suo passim incendium, *Pharum igneum* uocat. Posteriori aeuo machinae quoque, in quibus plurimae lampades aut cerei apponebantur, quas Galli *lustres* appellant, Phari nomine dictae sunt.

§. 6. Alexandrina itaque Pharus, pharis ceteris omnibus nomen dedit, earumque exemplar fuit, ad quod extruebantur. Herodoto enim si fides habenda est, Phari omnes eiusdem formae erant. Tabulatis scilicet pluribus, illas ita extructas esse perhibet, ut quo altiora illa tabulata essent, eo strictiora quoque siue angustiora constituerentur, et inferiori aedificio semper porticum quasi relinquerent superiori latiorem et circumquaque prominentem. Id quod etiam in struibus illis funeralibus Augustorum, quae in nummis exhibentur, obseruamus, ubi singula tabulata inferioribus angustiora sunt, et coarctata magis apparent.

§. 7. Pharus illa Bononiensis, cuius schema Tab. CXXVI. fig. 2 exhibemus, inter eximia plane Romanae magnificentiae monumenta referenda est, nec dubitandum, quin ea ipsa Pharus sit, de qua Suetonius in uita Caligulae, qui inter cetera uitia iactantiae studio ad insaniam usque tendebat, c. 46. ita loquitur: *quasi perpetraturus bellum directa in littore oceani acie ac balistis machinisque dispositis, nemine gnaro et opinante, quod coepturus esset, repente ut conchas legerent, galeasque et sinus replerent, imperauit; spolia oceani uocans Capitolio Palatioque debita. Et indicio uictoriae altissimam turrim excitauit, ex qua, ut ex Pharo, noctibus ad regendos nauium cursus ignes emicarent.* Caligula cum exercitu suo ibi erat, ubi ex Gallia in Britanniam transmittebatur. Turris haec in promontorio, quod urbis portui quasi imperabat, structa, octangula fuit, cuius latera singula, Bucherio referente, uiginti quatuor uel quinque pedum erant. Tabulata duodecim habebat, quae in superficie exteriori uisebantur, connumerato quoque tabulato infimo, quod arx eam cingens occultabat. Pharus eadem a multis retro saeculis *Turris Ardens* seu *Ordensis* uocata fuit, quae denominatio forte idem denotat, ac turrim ardentem, quod ignis singulis noctibus in illa ardebat. *Eginardus* refert, Imperatorem Carolum M. anno 810. classem in portu Bononiensi parantem, Pharum hancce ad nauium securitatem instaurasse, et ut ignis ibi noctu accenderetur iussisse. Angli a. 1545. capta Bononia circa Pharum hanc arcem paruam turribus munitam aedificarunt; ita ut Pharus haec medium illius propugnaculum existeret.

§. 8. Quum uero nullum opus unquam extiterit, quod non diuturnitate et iniuria temporum labefactatum fuerit: et Pharus et arx illius anno 1644. collapsae dicuntur. Caussa huius ruinae ita effertur: rupis illa pars, quae uersus mare protendebatur, arci Pharoque contra maris aestus et fluctuum impetum quoddam quasi praesidium erat. Sed quum Bononienses lapicidinas in rupem illam inuexissent, ut lapides Batauis et uicinis urbibus uenderent: moles haec tandem aqua, nullo obice obiecto, in rupem illam irrumpente subruta, et grauitate sua oppressa sponte ruebat.

§. 9. Pharo huic iungimus turrim Nemausiensem Magnam, quae licet Phari nomine non gaudeat, in celeberrimis tamen Galliae monumentis locum meretur; et ob insignem magnitudinem, Magnae quoque cognomen sortita est. Quae supersunt illius rudera *fig.* 3. ob oculos ponimus. Figura illius octangula ad sollemnem Gallorum morem spectat, qui et templorum et turrium forma octangula inprimis delectati uidentur; cuius formae aedificiorum magnus numerus in Gallia passim obseruatur; plura olim numerabantur, quae temporum iniuria dilapsa sunt. D. Gualterius, architectus peritissimus, qui monumenta Nemausensia edidit, turrim quoque hanc magnam delineauit, non quidem ut hodie uisitur, sed qualem pro ingenii sui acumine illam fuisse existimauit, antequam temporis diuturnitas magnam illius partem deturbauit, ipsamque praecipuo suo decore spoliauit. Descriptione autem illius facta, ipse fatetur, prima tantum in hoc turre parastatarum rudimenta superesse, impolitis parata lapidibus, quae supra primum tabulatum erant. Quae uero supra secundum tabulatum ordine Dorico adornatae fuerunt columnae, eas prorsus euersas esse; quemadmodum et scalam, cuius muri tantum laterales uisuntur; adeoque semirutam hancce turrim plus quam triginta pedes ex altitudine sua amisisse; ruderaque delapsa et ad pedem turris undique iacentia, duodecim circiter pedes ab ima altitudinis parte tegendo abstulisse. Turris haec, qualis hodie exstat, quinquaginta sex pedes altitudine sua exaequat.

§. 10. Doctiſſimus Flechier, Epiſcopus Nemauſienſis de hac turri ita loquitur: in cacumine ſublimioris ex ſeptem collibus, qui intra urbem Nemauſum olim comprehendebantur, turris uiſitur ſemiruta, quam Magnam uocant, quoniam et maior et elegantius ſtructa, ſublimiorque fuit turribus ceteris, quae in antiquis moenibus, ſpatiis ſuis diſtinctae, conſpiciebantur. Per ſcalam aſcendebatur pluribus iisque diſiunctis graduum ordinibus concinnatam, donec ad mediam turris altitudinem perueniretur; ibi nempe cochlea fuit, qua ad ſupremum usque faſtigium aſcendebatur. Turris tota Dorico ordine ſtructa eſt, et ambitus partis infimae ducentorum quadraginta quinque pedum erat. In tota turri tres erant coronides, et ſupra ſingnlas ſtructura minor et ambitus duobus circiter pedibus uerſus centrum imminutus.

§. 11. Cui uſui tanta turris fuerit, nonniſi coniecturis ſciri poteſt. Quidam *Phari* turrim appellarunt, dicentes, ignem olim in faſtigio illius fuiſſe accenſum, quo ii, qui noctu per itinera et anfractus, quorum exitus paludes et ſiluae difficiles redderent, ducerentur. Nomen porro *Lampadis*, quod a multis ſaeculis tractui huic inditum erat, quin etiam cenſus et uectigal, quod totus hic tractus pro buxo et ſarmentis, pice et oleo ad ignem ſeruandum adhibitis hodieque penſare tenetur, eidem ſententiae fauere uidentur: lampadem ſ. ignem per totam noctem ardentem olim ibi fuiſſe. Sed alio nomine etiam, *Theſauri* ſ. *Aerarii turris* uocatur, urbem enim Nemauſum fiſcum olim imperii ſeruaſſe, notum eſt. Situs certe, ſtructura, altitudo et munimenta huius turris ad Aerarii publici tutelam ſpectare uidentur. Circa molem enim turris maiorem ſex conclauia minora erant ſemicirculi figuram referentia, quae deſuper tantum erant aperta; una cum duobus conclauibus aliis. Alii denique *Rogi turrim* et *turrim conſecrationis* uocarunt; quod putarunt Hadrianum Apotheoſi Plotinae ſuae iſtam deſtinaſſe; quod tamen nullo antiquitatis teſtimonio confirmatur.

ANTI-

ANTIQVITATIS EXPLANATIONE ET SCHEMATIBVS ILLVSTRATAE

TOMVS QVINTVS DE FVNERIBVS, SEPVLCRIS ET MAVSOLEIS AGENS;

CVIVS

PARS PRIMA

QVAE DE FVNERIBVS ET SEPVLCRIS, DEQVE INFERNO, DESCENSV AD INFEROS, CAMPIS ELYSEIS ET APOTHEOSI SIVE CONSECRATIONE NOTARI MERENTVR COMPLECTITVR.

LIBER PRIMVS.

DE

IIS AGENS, QVAE CIRCA DEFVNCTOS, PRIVSQVAM IN SEPVLCRVM INFERRENTVR, OBSERVARI SOLEBANT.

CAPVT I.

De diuersis circa moribundos et defunctos ritibus, unctione inprimis, uario cadauerum ornatu et collocatione in uestibulo. 1)

§. 1.

Quod iusta funebria iam antiquitus defunctis fuerunt soluta, et etiamnum soluuntur, pio sine dubio affectui, quem natura hominibus indidit, tribuendum est. Sed postquam sensum hunc uere humanum inualescens hominum nequitia uitiauit, effusis per uniuersum genus humanum religionibus profanis, ritus quoque funebres in superstitionem abierunt; dum pro diuersa illa et maximam partem adulterata de statu post mortem opinione, quaelibet ferme natio peculiares sibi circa defunctos caerimonias praescripsit. Portentiosissimus omnium ritus ille erat, quo ad funera suorum alios quoque homines uiuos aut flammis feralibus comburebant, aut ad tumulos defunctorum trucidabant; qui tamen olim mos apud plerasque nationes obtinuit; quasi uiuorum immolatio in mortuorum honorem cederet atque utilitatem. Diuersos itaque circa defunctos ritus, quoad fieri poterit breuissimis, dum referre animus est, a Graecorum et Romanorum, quorum, ut in aliis multis, ita in hac quoque re mores paene similes erant, caerimoniis initium facientes, ad barbaras inde gentes ordine progediemur.

1) Scriptores huc pertinentes nominat *Fabricius* in bibliographia c. 23. n. 3.4.

§. 2. Inter Graecos, si quis grauiori morbo laborans, animam breui redditurus uidebatur: rhamni laurique ramos ad ianuam apponebant; eo, quod rhamnum ad cacodaemonas abigendos facere putabant; laurum uero Apollini, Deo medicinae, sacram, eundem forte placare credebant. Filios moribundos parentes osculabantur, 2) os ori illorum ita applicantes, ut extremum quasi liberorum spiritum excipere uiderentur. Lebetes et uasa aenea percutiebant, ut strepitu hoc daemonas, malosque genios abigerent. Animam postquam moribundus efflauerat, os continuo atque oculos illius claudebant; 3) quod pietatis officium non parentes tantum filiis, sed et filios parentibus, fratres fratribus et sororibus, et coniuges coniugibus praestitisse, sexcentis exemplis constat. Fortassis aliae quoque et minus consuetae apud moribundos adhibebantur caerimoniae, quarum nonnullas
Tab. CXXVII. *Tab. CXXVII. fig. 1.* obseruare licet. Hic enim puellam lectulo incumbere uidemus, quae extremum commodum halitum emisit; eidem patrem atque matrem assidere obseruamus; patrem quidem ad caput lecti sellae plicatili insidentem, matrem uero ad pedes defunctae in cathedra collocatam. Ambo uestis lacinia caput obuelant, et natae obitum moesti lugent. Alii porro cognati atque domestici et gestu et situs modo in partem doloris atque moeroris se uenire significant. In extrema tabulae ora seruus comparet, barbaro more calceatus; quales supra saepius uidimus.


§. 3. Annulos 4) porro mortuis detrahebant, ne in pollinctorum manus deuenirent; ii tamen ad rogum deferendis reddebantur, ut cum iis comburerentur. At non mortuis tantum, sed et alto somno sopitis annulos religione quadam detrahebant; ad quem ritum dictum illud Spartiani in uita Hadriani Imperatoris spectare uidetur; dum *signa*, ait, *mortis haec habuit; annulus in quo imago eius sculpta fuit, sponte de digito lapsus est.* Parentes inde, cognati et uicini ad corpus defuncti conueniebant; plurimi defuncti nomen alta uoce clamabant, ut si anima forte nondum exisset, aeger aliquod uitae signum daret. Eodem animo in lauandis defunctorum corporibus aqua calida utebantur, ut, si, quem credebant mortuum forte adhuc uiueret, sensus ei reuocaretur; cuiusmodi casus apud defuncti cognatos magnam parere sollicitudinem poterant, eosque ad funeris elationem longius protrahendam inducere; quam ob caussam cadauera, ad rogum antequam deducerentur, per septem dies domi seruabant.

§. 4. Ablutionem excipiebat unctio, qua corpora mortuorum unguentis et aromatibus inungebant, ut uel celerius arderent, uel, si non comburenda forent, corruptionem atque foetorem illorum impedirent. Qui corpora hoc modo ungebant, ad Libitinariorum domesticos referebantur, et *Pollinctores* nuncupabantur. Vnguenta ipsa, ceteraque ad unctionem necessaria, in templo *Libitinae* a Libitinariis uendebantur. Ceterum Libitinariorum Pollinctorumque ministeria pro uilibus sordidisque muneribus habebantur.

§. 5. Romani defunctos suos solito uestimento, 5) toga scilicet, induebant. Graeci pallio operiebant, mulieres consueta ueste amiciebant. Erant etiam, qui dum uiuerent, magnificas ad cadauera sua tegenda uestes comparabant; ubi hoc simul notandum, quod, quum apud Graecos, tum apud Romanos, uestes illae ferales albae fuerint. Spartiatae insuper illos, qui de patria bene meriti erant, et inter pugnandum occubuerant, ramis oliuae coronare, uesteque purpurea exornare solebant. Mosque hic mortuos coronandi, ad posteriora quoque florentis antiquitatis tempora protractus, plurimis scriptorum testimoniis asseritur. Immo quas quisque uiuus coronas meruerat, easdem mortuorum capitibus imponebant; auream scilicet iis, qui rem melius gesserant; reliquis alias, pro suo cuiusque merito.

§. 6. Eo, quo diximus, modo exornatum defuncti cadauer in uestibulo 6) seu aedium ingressu ita collocabant, ut pedes ad ostium pertingerent, quod hodieque fieri notum est. Diuites et uiri primarii cypressum, arborem feralem et lugubrem, quae semel excisa nunquam renascitur, funeri admouebant. Graeci ad portam uas aqua lustrali, quae ex aliis aedibus funere uacuis afferebatur, repletum collocabant; qua aqua quicunque domum funestam intrabant, sese conspergebant. Crines quoque ex defuncti capite circa ianuam appendebantur. Hanc mortui ad ianuam ponendi caerimoniam *Collocationem* uocabant. Custodes autem cadaueri apponere consueuerant, ne quis uel quicquam ex uestibus illius, uel ipsum corpus auferre conaretur; hoc enim a creditoribus nonnunquam factum esse, ut ipsum cadauer pignoris loco raperent, donec a cognatis et propinquis

2) *Kirchm.* lib. 1. c. 5. *animam amittere* dicebantur morituri, H. *Magii* miscell. lib. 1. c. 12.
3) Idem c. 6.
4) Idem c. 5.
5) *Kirchmannus* lib. 1. c. 10.
6) *Lipsii* Elector. lib. 1, c. 6. Id iam in Homero occurrit. *Kirchmannus* lib. 1. cap. 12. προτιθεσθαι graece dicitur.



1 Cœrimoniæ nonnullæ apud defunctos a lugentibus amicis observatæ. 2. Duo Hypogæa. 4–6. Varia Columbaria sive loculi urnarum sepulcralium.

pinquis debitum ſolueretur, uel ex eo colligimus, quod Cimonis, patris ſui abreptum corpus, Miltiadem filium non niſi aere, quo pater multatus erat, ſoluto, redimere potuiſſe legamus. Si uero cadauer, hac de cauſſa ablatum, non redimeretur: ſepultura ſimul priuabatur; id quod pro ſumma infamiae nota, et maximo, quod ex illorum opinione defuncto accidere potuit, infortunio habebatur. Si quis itaque in mari uectus inſtans naufragium proſpiceret, quicquid habebat opum uel pecuniarum, circa corpus ſuum colligare ſolebat, appoſito ſcripto, quo iis, qui in corpus ipſius a fluctibus maris ad littus proiectum inciderent, ſupplicabat, ut accepta pecunia et in rem ſuam conuerſa, iuſta funeris et ſepulturae perſoluerent. Immo etiam nullo praeſente praemio iis, qui cadauer humanum forte repererant, eodem inſepulto praeterire, minime licebat; niſi ſceleris et inhumanitatis notam incurrere uellent. Et ſi quis procul a patria moriebatur, 7) cineres eius in eam reportabantur, ut in maiorum ſepulcro ponerentur. Qui fulminis ictu peribant, ſeorſim ſepeliebantur; quod eos Diis inuiſos eſſe putabant. Si uero Plutarcho in ſympoſio credendum, eodem, quo fulmine percuſſi erant, loco putredine conſumendi relinquebantur, locusque ille ſepto 8) cingebatur. Sacrilegi, templorumque uiolatores, itidem ſepulturae honore priuabantur.

§. 7. In definiendo tempore, per quod corpus defuncti domi detinebatur, ſcriptores non conueniunt. Homerus in Odyſſea L. XXIV, 63. corpus Achillis per ſeptendecim dies, antequam concremandum efferretur, ſeruatum perhibet. At ſecundum, Seruium, Virgilii interpretem, octauo poſt obitum die cremabantur, et cineres nono condebantur; id autem de nobilioribus, ditioribusque tantum intelligendum uidetur; quod plebeios aut poſtridie aut poſt diem tertium uel quartum elatos eſſe conſtet. Formula ſolennis, qua praeco poſt diem ſeptimum exſequias nunciare ſolebat, haec fere fuiſſe traditur: *exſequias L. Titio L. Filio, quibus eſt commodum, ire iam tempus eſt, ollus ex aedibus effertur.* 9) Apud Spartiatas, rege defuncto, equites per urbem circumquaque currentes, obitum eius nunciabant; tum mulieres paſſis crinibus, lebetes percutiebant nocte dieque lugubrem ſtrepitum edentes.

CAPVT II.

De ipſis exſequiis ſeu pompa funebri.

§. I.

Qui funus ſequebantur, defuncti plerunque cognati erant atque amici. Si uero is, qui e uiuis exceſſerat, de republica bene meritus eſſet, uniuerſus populus exſequiis aderat. Nobiles et uiri primarii efferebantur in lecticis, quae a numero ſex uirorum illas geſtantium ἑξάφοροι, ſi uero octo uiri illas ferrent, ὀκτάφοροι dicebantur. Plebeii a quatuor baiulis in ſandapila efferebantur. Feretrum uox generica fuiſſe uidetur, quae et lecticam et Sandapilam denotat. Lacedaemonii lecticae ſ. ſandapilae loco clypeo utebantur. Qui cadauera mortuorum efferebant *ueſpillones* 1) appellabantur; quam uocem Etymologi a ueſpera deducunt, quia defuncti ſub ueſperam plerunque efferri ſolebant. Priſco quidem tempore noctu efferebantur; mos tamen ille poſtea mutatus et pro ſolis adoleſcentibus, praematura morte abreptis, in uſu fuit. Athenienſes ſummo mane, ante ſolis ortum, mortuos efferebant.

§. 2. Vultus defunctorum, qui efferebantur, Kirchmanno teſte, plerunque aperti fuere, colore etiam illiti, maximeque uirginum. Verum, ſi qua eſſet in uultu deformitas, uelata facie eſſe ſolebant. Funus praeibant Siticines 2) et tibicines, cantilenam lugubrem modulantes, quam Graeci ἰάλεμον, Latini Naeniam ſ. *naenias* appellabant. Quia uero cantilenae iſtae, quibus uiuentium dolor de ereptis ſibi cognatis exprimebatur, nugis nonnunquam et tricis erant refertae: hinc fit, ut a Scriptoribus Naeniae frequenter pro nugis ineptis dicantur. Praeter tibicines circulatores quoque, mimi atque ſcurrae, qui ſaltationibus et geſticulationibus riſum mouere ſtudebant, nonnunquam funus anteibant. Faces quoque atque cerei, quorum loco in funeribus pauperum ſolis candelis utebantur, in pompis funereis praeferri ſolebant 3).

§. 3.

7) Aliis, qui in mari aut aliter perierant, ut corpus nanciſci non liceret, κενοτάφια ſeu *tumuli honorarii* exſtruebantur, quo animas quaſi inuocabant.

8) Quod *Bidental* dicebatur, uide *Salmaſium* ad Solinum. adde *Kirchmannum* lib. I. c. 3.

9) uid. *Kirchmannus* de funeribus Romanor. lib. 2. c. 10. Praeco erat funerum *indictiuorum*.

1) *Kirchman.* ib. c. 8 de Sandapila c. 9.

2) uide praeter *Kirchmannum*, H. *Magium* miſcell. lib. I. c. 13.

3) plura ad hunc dabit *Kirchmann.* lib. 2. c. 3. §. 7.

§. 3. Si is, qui efferebatur, magiſtratum, aut quid ſtrenue in bello geſſiſſet, ſique coronas et praemia reportauiſſet: inſignia magiſtratus una cum praemiis atque muneribus a ciuitatibus acceptis, item uexilla atque ſpolia, quae hoſtibus eripuiſſet, funeri praeferebantur. Vultus defuncti larua cerea repraeſentabatur, longaque ſeries auorum, quorum protomae cereae longioribus haſtis imponebantur, pompam hanc ornabant, exſequiisque peractis imagines 4) illae in aedium atrio collocabantur. Si Imperatores eſſent: urbium quoque nationumque ſubactarum imagines praeferebantur. Si Dux exercitus efferebatur, legiones inuerſis armis et haſtarum ferro ad terram conuerſo funeri aderant; lictores quoque faſces inuertere ſolebant. Liberti in funere incedentes caput laneo uelo obtegebant. Filii quoque defuncti uelato capite, filiae nudis pedibus paſſisque capillis, mulieres alba ueſte incedebant. Veſtis quoque atra a Romanis in funere uſurpata deprehenditur. Ad maiorem indicandum dolorem, cognati 5) ueſtes nonnunquam lacerabant. *Praeficae*, mercede conductae, lamentantes lacrymasque profundentes, defuncti laudes canebant. Praeficarum nomen his mulieribus ideo inditum creditur, quod ad hanc rem eſſent praefectae. Quum uero quaeſtus tantum cauſſa et de induſtria, nullo ipſae affectae moerore flerent: in prouerbium abiit, ut, qui moerorem doloremque ſimularent, praeficarum more id agere dicerentur. Praeficae capillum ſibi euellebant et id ipſum ceterae quoque mulieres imitabantur. Alii, graecorum more, capillos detondebant 6), eosque in mortui pectore deponebant, ſiue in rogum ipſum coniiciebant. Equorum adeo crines nonnunquam in luctus argumentum detondebantur. Alexander M. in funere Hephaeſtionis non equorum tantum mulorumque crines detonderi, ſed urbium quoque pinnas decuti et dirui iuſſit; ut uel muri amici ſui obitum lugerent. Aliquando etiam capillis non abſciſſis ad moerorem teſtandum puluere atque cinere caput adſpergebant. Nonnunquam tanta moeroris uis erat, ut in Deos ipſos, quod amicos ſibi et cognatos abſtuliſſent, maledicta profunderent. Immo furor eo uſque procedebat, ut templa lapidibus peterent, aras diruerent, et lares in uicos proiicerent. 7)

§. 4. Si defunctus nobilitate generis clarus eſſet, corpus eius ad roſtra deferebatur, ubi in laudem illius orationes funebres haberi ſolebant; de quo *Polybius* L. VI. c. 51. conferri meretur. Idem mos etiam apud Graecos obtinuit; nec uiri ſolum, ſed etiam mulieres nobilitate inſignes, quae aliquid reipublicae cauſſa feciſſent, eiusmodi orationibus laudabantur; quod etiam apud Romanos obſeruatum eſſe legimus.

CAPVT III.

De ipſa ſepultura et corpora comburendi conſuetudine. 1)

§. 1.

De loco ſepulturae, ſi quaeratur, notandum, maximam Graecorum partem ſepulcra extra urbem habuiſſe. Athenienſes inprimis ſumma hunc morem religione ſeruabant. In Delo inſula quempiam ſepelire ideo uetitum erat, quod Apollinis et Dianae natalibus illam ſacram eſſe Graeci omnes putabant. Romae mortuos antiquiſſimis temporibus intra urbem ſepultos fuiſſe credunt: ſed poſtea illud lege XII. Tabularum uetitum fuit his uerbis: *hominem mortuum in urbe ne ſepelito, neue urito.* Haec tamen lex ſaepius uiolata fuit. Cauſſae ſepulturae in urbe prohibendae duae potiſſimum afferuntur; primo quidem, quod putabant, oſſibus mortuorum loca, in quibus deponerentur, profanari; ſecundo, quod metuebant, ne cadauera, in urbe ſepulta, aërem corrumperent.

§. 2. Corpora comburendi conſuetudo apud Graecos Romanosque fere omnes obtinuit; aliquot tamen exempla occurrunt, quorum corpora hodierno more humata perhibentur. Priſcis temporibus Athenis mortuorum corpora, ſecundum legem Cecropis, ſepeliebantur, eorumque ſepulcra non admodum magnifica fuiſſe uidentur; quia lege cautum erat, ne plus operae impenderetur, quam decem homines triduo 2) praeſtare poſſent. Sunt tamen, qui corpora cremandi morem antiquiſſimorum etiam temporum in Graecia fuiſſe contendunt. Ex Homero certe conſtat, hunc morem tempora Troiana iam praeceſſiſſe. Fabrettus ueterum monumentorum auctoritate conficere nititur, corpora tum cremandi tum humandi ritum uno eodemque tempore Romae in uſu fuiſſe.

4) de *imaginibus Lipſius* elect. lib. 1. c. 29.
5) olim et genas uid. *Kirchman*, lib. 2, c. 11.
6) *Kirchman.* ibid. c. 15.
7) *Kirchmannus* lib. 2. c. 12.

1) de inhumatione uid. *Kirchmannum* lib. 1. c. 1. lib. 2. c. 20. H. *Magium* miſcell. l. 3. c. 10. 11.
2) uide *Kirchmannum* l. 3. c. 16.

fuiſſe. Pyrae, quibus corpora comburenda imponebantur, quarum forma plerunque quadrata fuit in pyramidem deſinens, pro hominum conditione maiores minoresque erant, eaeque ex larice, taxo, pino et fraxino, aliisue arboribus, quae igni facile conſumi ſolent, conſtruebantur.

§. 3. Supra corpus defuncti praeterea uinum cum lacte et melle fundebatur; uti pyram quoque uariis rebus cinnamomo ſcilicet, thure, uino, nec non omni pigmentorum, aromatumque genere, conſpergere ſolebant. *Murrhata* quoque mortuis potio dabatur, quae uel ex myrrha uel lapide quodam pretioſo, quem *murrham* uocabant, compoſita fuiſſe putatur. Quum uero largior haec aromatum effuſio non modo largiores ſumtus requireret, ſed et ingentem fumum, odoremque grauiſſimum emitteret: ſequiori tempore eam lege XII. Tabularum prohibitam eſſe legimus. Poſtquam corpus unxerant, oculos defuncti, quos ſtatim a morte clauſerant, rurſus aperiebant, nec non ori eiusdem monetam ſ. obolum, Graecis δανάκη dictam, ingerebant; ut Charonti naulum ſoluerent; quod tranſitus pretium poſtea auctum fuit, ut duo nonnunquam, tresue obolos ori mortuorum imponerent. Immo in ore mumiarum, quas hodieque in Aegypto eruunt, aureos deprehendi numos ſatis notum eſt.

§. 4. Pyram 3) accendebant illi inprimis, qui cognatione et natalibus ſuis defuncto propinquiores erant, idque agentes retro uultum uertebant, ne rem adeo lugubrem aſpicerent. Pyra accenſa uentos precabantur, ut flatu ſuo incendium augerent, eoque ipſo cadauer citius flammis conſumeretur. Incenſo rogo ueſtes quoque et aromata exquiſitiſſima et alia pretioſa, nec non ſpolia hoſtibus erepta in ignem coniecerunt. Tauri item et arietes immolabantur, qui ſimiliter in ignem proiiciebantur.

§. 5. Si plures una mortui uel in pugna occiſi erant, omnes ſimul uno tumulo humabantur. Sic unus fuit tumulus Lacedaemoniorum ad Thermopylas occiſorum, qui una ſepulti eodem quoque epitaphio celebrati ſunt, quod apud *Strabonem* Lib. 9. his uerbis legimus:

Ω ξεῖν᾽ ἀπάγγειλον Λακεδαιμονίοις ὅτι τῇδε
Κείμεθα τοῖς κείνων πειθόμενοι νομίμοις.

h. e. *O Viator, nuncia Lacedaemoniis, nos hic iacere, legibus eorum obedientes.* Nonnunquam Duces a militibus ſeparati et in duobus tumulis conſtituti ſeparatim cremabantur. Sic Lacedaemonii, poſt pugnam Plataeenſem, teſte, *Herodoto*, lib. 9. tribus ſepulcris effectis, in uno ſacerdotes, in ſecundo reliquos Spartiatas, in tertio ſeruos humauerunt.

§. 6. Multos nimia doloris uis eo usque adigebat, ut, defuncti deſiderio permoti, uiolentas ſibi ipſi manus inferrent. Sic libertus quidam Agrippinae cognomine *Mneſtor*, teſte *Tacito* Annal. 14. c. 9. rogo patronae accenſo, ferro ſeipſum transfixit. *Plinius* L. VII. P. Catienum Philotimum patronum ſuum adeo dilexiſſe perhibet, ut heres omnibus bonis inſtructus in rogum eius ſe coniecerit. Feminarum *Seneca* L. II. controu. decl. 2. quasdam, dicit, maritorum ſe rogis ardentibus miſcuiſſe; quam conſuetudinem apud Banianos Indos etiamnum uigere nemo neſcit; ubi, principe licet uetante, multae in funere coniugum flammis ſeſe dedunt. Dubium uero eſt, an hoc magis tragicum ſit, ſi quis defunctorum deſiderio ſeipſum interficiat, quam ſi inuitos ad buſtum nonnunquam trucidatos eſſe legamus; ſicut e. c. Achilles duodecim Troianos iuuenes, ad rogum Patrocli mactatos, in ignem coniecit. Manibus iſte uictimas humanas 4) immolandi ritus non ſolum apud priſcos Graecos, ſed et temporibus antiquiſſimis Romae obtinuit. Hoc autem, quod crudelius plerisque uidebatur, nonniſi raro admodum factum eſſe, uero ſimillimum eſt. Sanguini tamen humano ne omnino parceretur, uentum eſt ad gladiatorum 5) pugnam, quae ad buſtum, ſeu ad locum, in quo cineres erant, inſtituebatur; unde gladiatores eiusmodi *buſtuarii* dicebantur, et ex illorum ſanguine guttas quasdam fundebant in obolum ori defuncti ingerendum. Ab initio quidem gladiatores nonniſi ad funera praecipuorum magiſtratuum producebantur, poſtea conſuetudo haec ad priuata quoque funera manauit; multique teſtamento praecipiebant, ut funus ſuum gladiatoribus cohoneſtaretur; nec deſunt exempla gladiatorum, qui in mulierum funeribus pugnauerunt.

§. 7. Quum corpus in cinerem abiiſſet, oſſa nouae tunc caerimoniae ſeruabantur. Achilles in rogum iam conſumtum 6) uinum effundi praecepit, quod ignis reliquias extingueret; oſſa et quicquid adipis ſupererat, in urnam auream concludi iuſſit; quem morem poſtea Romani quoque imitati

3) de Pyra, rogo, buſto, *Kirchmannus* lib. 3. c. 1. 2.
4) Imo et uariorum animalium. *Kirchm*. l. 3. c. 4 et 5.
5) uid. *Lipſii Saturnalia*, l. 1. c. 8. et *Kirchm*. l. 4. c. 8 et 9.
6) *Kirchm*. libro 3. c. 7.

imitati ſunt; ſed lex XII. Tabularum ſumtus eiusmodi ſuperuacuos proſcribens uetuit, ne uinum in rogum effunderetur; quapropter dein aqua in hunc finem utebantur.

§. 8. Non praetereunda ſunt hoc loco *Vſtrina*, ſeu loca ampliora, muris circumdata, ubi pauperum ſeu plebeiorum corpora ſine magna caerimonia comburebantur. Vſtrinum uocatur eiusmodi ſeptum, quod comburendis corporibus fuit deſtinatum. Sponius eiusmodi Vſtrinum detectum conſpici putauit in uia Appia, in qua plura, quam in aliis uiis, ſepulcra uiſebantur. Fabrettus contra contendit, uſtrinum non pauperum corporibus cremandis, ſed alium locum ad eorum ſepulturam fuiſſe deſtinatum; puticulos nempe exquilinos, de quibus *Horatius* 1 Serm: Sat. 8. u. 10. ita canit; *hoc miſerae plebi ſtabat commune ſepulcrum.* Reineſius uocem *Apparatorium*, quae in multis inſcriptionibus legitur, id ipſum eſſe putat, quod alii uſtrinum uocant. Fabrettus uero multis rationibus uero longe ſimilius efficit, apparatorium, locum intelligendum eſſe, in quo coena feralis apparabatur, et aqua luſtralis ſeruabatur.

§. 9. Pyra conſumta et igne extincto, matres, ſorores et cognatae, atro colore ueſtitae, oſſa defuncti e cineribus collecta 7) ueſtimentis ſuis reponebant. Oſſa parentis filius colligebat; ſi nullus defuncto filius eſſet, cognati alii uel heredes id muneris praeſtabant. Principum et Imperatorum oſſa primores colligebant, eaque ſub linteo reponebant. Sic Imperatoris Auguſti reliquias apud Suetonium in Auguſto c. 101. primores ordinis equeſtris nudis pedibus collegiſſe legimus. Quaeſtio hoc loco moueri ſolet, quo pacto cineres defunctorum, a cineribus rogi, internoſci pouterint? Mea quidem opinione profani illi multis modis cauere ſtuduerunt, ne cineres diuerſi miſcerentur; ubi ille modus omnium aptiſſimus mihi uidetur, quo corpora, antequam flammis darentur, telae cuidam, ex amianto 8) confectae, incluſerunt; amiantum quippe Graeci ἄσβεςον uocant, quod flammis non comburatur.

§. 10. His tandem iuſtis ſolutis, quum diſcederent mortuo ſupremum uale 9) his uerbis dicebant: *Vale, uale, uale, nos te ordine, quem natura permiſerit, cuncti ſequemur.* In iis, quae ueteres mortuis apprecari ſolebant, uſitatiſſimum erat, quum dicebant, *ſit tibi terra leuis*; quae uerba in monumentis ueterum litteris tantum initialibus S. T. T. L. notata deprehendimus. Horum uerborum ſenſus uarie explicari ſolet. Aliis enim idem ſignificat, ac ſi dicatur, ne terra, oſſibus incumbens, pondere ſuo nimis illis moleſta ſit; ex quo haud male colligitur, ueteres omnino putaſſe, aliquem mortuis adhuc ſenſum ſupereſſe. Alii haec uota ideo emiſſa autumant, ut incantationes, quibus mortuos quoque obnoxios eſſe putarunt, depellerentur. Imprecationis genus e contrario erat, ſi cuiquam terram grauem optarent. Immo etiam ſacramenti loco, ut dictis ſuis fidem facerent, eiusmodi formulis utebantur. Sic e. c. *Propertius* II, 16. ita canit:

Oſſa tibi iuro per matris et oſſa parentis,
Si fallo, cinis heu! ſit mihi uterque grauis.

Alia defunctis precandi formula fuit, qua optabant, ut Dii iis aquam frigidam darent; quod ideo factum dicitur, quod animas mortuorum admodum ſitire credebant; quorſum id forte referendum, cum apud Homerum Od. XI, 28. defunctorum animae circa Vlyſſem bibendi cauſſa cucurriſſe feruntur. Has uero ſanguinem potius uictimarum caeſarum ſitiiſſe nouimus. Vir quidam eruditus et rei antiquariae peritiſſimus, aquam frigidam defunctorum animabus ideo datam eſſe perhibet, ut in flammis ultricibus aeſtuantes ea recrearentur.

§. 11. Funera ludis quoque concelebrandi ritus antiquiſſimus eſt, eo quod, *Plinio* VII, 56. teſte, Acaſtus in Iolco, et poſt eum Theſeus in Iſthmo, ludos eiusmodi funebres iam inſtituiſſe credantur. Quid quod celeberrimi iſti Graeciae ludi Olympii, Nemei atque Iſthmii, pro ludis quoque funebribus a quibusdam habeantur. Sed ſtabiles hi ludi erant, et certis temporibus deſtinati; de quibus iam ſupra pluribus egimus. Ludi uero, quos in funeribus nobilium edere ſolebant, ſine dubio iidem erant cum illis, quos ab Achille in honorem Patrocli editos legimus. (*Hom.* Il. XXIII, 257 ſqq.) Initium fuit equorum et curruum decurſio, in qua Diomedes uictor praemium abſtulit; ſecundus pugilatus, in quo Epeus ſuperior euaſit; tertius lucta, ubi Aiax et Vlyſſes cum aequali proemio diſceſſerunt; quartus curſus pedibus, quo Vlyſſes, ope Mineruae, Antilochum uicit; quintus haſtatorum pugna, ubi Aiax et Diomedes uirtute pares, paria quoque abſtulerunt praemia; ſextus fuit diſci ludus, in quo Polypetus, qui diſcum longius, quam ceteri, proiecerat, praemium aſſecutus eſt; ſeptimus ludus

7) *componere* id praecipue dictum, uide *Kirchm.* lib. 3. c. 8.

8) quod rectius iam *Kirchmannus* inter nugas retulit. lib. 3. c. 7.

9) idem ibid. c. 9.

dus arcus, in quo Meriones uictor praemium reportauit. Aeneas in anniuersariis patris sui Anchisis ludos paullum diuersos instituit. Prior pugna fuit naualis, secundus decursio pedibus, tertius arcus et sagittae, quartus caestuum ludus, quintus ludus Troiae, quo Ascanius cum pueris aequalibus lusit. In his tamen ludis nulla fit mentio pugnae gladiatorum, qualem Romani in defunctorum honorem edere solebant; rati Deos Manes humano sanguine delectari, eoque pacto illos mortuis reddi propitios. Romani quasi certatim ludos funebres immensis sumtibus instituerunt.

§. 12. Qui ludis eiusmodi funebribus tanquam spectatores aderant, pullata ueste induebantur, 10) quam paullo post in conuiuio publico, quod ludos istos continuo excipiebat, cum candida commutare solebant; quod tam strenue obseruabatur, ut Cicero Vatinio id uitio uerterit, quod ad conuiuium Q. Arii atratus uenisset. Plebi quoque uniuersae nonnunquam conuiuia publica dabantur; quae alii sua sponte, alii suprema defuncti 11) uoluntate, testamento quasi coacti, dare solebant. In his certum mensarum numerum, quibus omnes omnino excipiendi essent, assignabant. I. Caesar mensarum ad usque uiginti duo millia apparari iussit.

LIBER SECVNDVS.

DE HYPOGAEIS, COLVMBARIIS ET VRNIS CINERARIIS.

CAPVT I.

De Hypogaeis.

§. 1.

Corpora mortuorum postquam concremata fuerunt, tum Graeci tum Romani cineres ossiumque reliquias in urnis reponebant, ut sepulcro inferrent. Graeci peculiaria habuerunt *hypogaea* seu fornices subterraneos, in quibus urnas ponebant. Haec aedificia subterranea magna nonnunquam domicilia 1) fuere, in multa cubicula et conclauia distincta; qualia uiuentibus aedificari solent. Duo eiusmodi hypogaea uidere licet *fig.* 2. 3. in quibus uariae thecae seu apsidulae ad urnas cineribus plenas locandas conspiciuntur. Conclauia haec, quibus hypogaea saepius diuisa fuere ad diuersas plerunque familias pertinebant. Ceterum non urnae tantum, sed et apsidulae illae peculiaribus inscriptionibus notari solebant; et ut epitaphia eiusmodi firmiora essent, nec auferri omnino possent, ipsi etiam ciuitatis Archiuo inserebantur; qui tamen mos non in omnibus Graeciae ciuitatibus obtinuit.

§. 2. Si quis in alienis monumentis sepulcrisue cadauera suorum ponere, uel ipsi monumento uim inferre, 2) uel eadem plane auferre tentaret, illum non pecunia tantum multare, sed et uaria maledicta et imprecationes in eundem congerere solebant; ubi simul notandum, quod multi uarias imprecationis formulas epitaphiis suis subiunxerint; ut sepulcrorum uiolatores hisce comminationibus arcerent; quod multorum monumentorum auctoritate comprobatur. Sic Smyrnae olim inscriptio eruebatur, cuius uersio Latina ita habet: *Attalus, filius Hermippi, filii Attali, construxit hoc monumentum uiuens sibi et Ammio uxori suae, nec non filiis suis uiuentibus etiamque iis, qui defuncti sunt. Si quis huic monumento uim inferre tentauerit, soluet templo Smyrnensium denarios mille quingentos.* Imprecationes suo quisque modo faciebat. *Fabrettus* pag. 4. sequentem exhibet: *quisquis hoc sustulerit, aut iusserit, ultimus suorum moriatur.* et p. 76. aliam, *si quis hanc aram laeserit, habeat genium iratum populi Romani et numina diuorum:* ubi simul notandum,

10) uel *paenulati* erant. *Kirchm.* lib. 4. c. 9.

11) Non raro occurrunt inscriptiones, quae iubent quotannis uesci in memoriam mortui. uid. Excursiones litter. celeb. *Francisci Antonii Zachariae* uolum. 1. pag. 57.

1) in quae per gradus descendebatur. *Kirchm.* lib. 3, 15.

2) de religione sepulcrorum. *Kirchm.* lib. 3. 21.

dum, quod uox *ara* hic, ut in inſcriptionibus ſepulcralibus aliis bene multis, pro lapide ſepulcrali accipiatur. Aliae imprecationis formulae ſunt: *Mitem Iſidem iratam habeat, ſuorum oſſa eruta et diſperſa uideat: Manes iratos habeat; illi Manium numina irata ſunto.* Imprecationes eiusmodi etiam in eos mittebantur, qui in ſepulcris aluum exonerarent. Sic e. c. in ſepulcro C. Caecilii, referente *Fabretto*, pag. 110. haec uerba legebantur: *qui hic minxerit aut cacarit, habeat Deos inferos et ſuperos iratos.* Si quis porro monumentum ſuum ad aliorum uſum cedere nollet: inſcriptioni has litteras addebat H. M. H. N. S. i. e. *hoc monumentum heredes non ſequatur*, H. A. H. N. S. i. e. *haec ara heredes non ſequatur.* Nec mirandum eſt, ſi ueteres tot maledicta in ſepulcrorum uiolatores congererent; quod monumenta tanquam loca ſacra reſpiciebant; quapropter in lapides illos quadratos, in quibus inſcriptiones ponebant, qui arae plerunque formam referebant, aras uocarunt. Fabrettus quidem illa potiſſimum marmora ſepulcralia arae nomine inſignita fuiſſe memorat, in quas libationes pro defunctis effundebantur. Multi quippe eiusmodi lapides inueniuntur, qui ad recipiendas libationes, quas cognati profunderent, ſuperne perforati fuerunt.

CAPVT II.

De Vrnis Cinerariis 1) *et Columbariis.*

§. 1.

Vrnae ſepulcrales, oſſibus et cineribus defunctorum recipiendis deſtinatae, ex auro nonnunquam, argento, aere, alabaſtrite, porphyretico, marmore parabantur. Plebs infima fictiles plerumque urnas adhibebat. Achillem oſſa Patrocli in urna aurea depoſuiſſe legimus. Pauciſſimae uero huius metalli urnae reperiuntur; ſi tamen alicubi occurrant; et ſi certum atque indubitatum ſit, multos olim uiros diuites nobilesque oſſa ſuorum urnis aureis poſuiſſe. Verum qui in eiusmodi urnas forte inciderunt, illas ad alium plane uſum, quam ad exornanda Muſea, deputaſſe credamus. Pari ratione contigit, ut et urnae argenteae uix occurrant. Ex alabaſtrite et porphyretico lapide paſſim urnae uiſuntur, quanquam rarius. Marmorearum uſus frequentiſſimus eſt. Fictilium, quae plebeiorum oſſibus ſeruandis inſeruiebant, numerus maximus eſt; quanquam in muſeis non tanta cura cuſtodiantur, quanta aliae.

§. 2. Vrnae eiusmodi in duas omnino ſpecies diuidi ſolent. Illarum quippe aliae maiores ſunt et oblongae, in quibus corpora integra uel oſſa ſaltem iuſto ordine ſuo atque ſitu, quantum fieri potuit, ponebantur. Ex Sarcophagis hisce ſeu urnis grandioribus aliae quadratae fuerunt et oblongae, aliae etiam oblongae quidem, ſed utrinque in formam circularem redactae. Eiusmodi Sarcophagorum multi paſſim conſpiciuntur, ſed longe pauciores, quam urnae minores, quibus cineres et oſſa ſeruarunt, quarum non Romae tantum, ſed et multis aliis in locis magnus numerus deprehenditur. Vrnae hae forma maxime inter ſe differunt, earumque in genere aliae quadratae ſunt, aliae rotundae; in quibus illae pluribus plerumque anaglyphis notatae ſunt.

§. 3. Sarcophagi atque urnae plerumque in mauſoleis aut in hypogaeis pro ſpatii & amplitudinis ratione, maiori minorique numero ponebantur. In mauſoleis nobilium hominumque primariorum plurimae erant cellulae, atque conclauia, in iisque quamplurimae apſidulae ſeu thecae, aliae aliis eodem ferme ordine impoſitae, quo nidi columbarum collocari ſolebant; unde *Columbaria* quoque nominabantur. Vrnae nonnumquam etiam ollae appellantur; quae denominatio rotundis inprimis competere uidetur. Schemata eiusmodi columbariorum exhibent *fig.* 4, 5, 6, 7. Primum *fig.* 4. a Fabretto prolatum in uia Aurelia repertum eſt, et ad latus ſcalae cuiusdam, in quo decem apſidulae uidentur, poſitum. In ſingulis hisce apſidulis, quatuor erant urnae cinerariae, eo ordine collocatae, quo in apſidula maiori forma adiecta conſpiciuntur. Ex hoc tamen minime inferendum, quaternis ſemper ollis thecas illas fuiſſe inſtructas. In quibusdam enim apſidulis quatuor urnae uiſuntur, in aliis duae, in nonnullis una tantum; ollaeque hae foraminibus ſuis tam firmiter erant inſertae, ut neque auelli, neque auferri facile poſſent; et ab his ollis ipſa quoque columbaria nonnunquam *Ollaria* nuncupabantur. Columbarium ſecundum *fig.* 5. a Sponio proditum, non tantum thecarum ſeu apſidularum formam, ſed etiam foramina, quibus ollae inſerebantur, nec non uaſa quaedam cineraria conſpicienda tradit. Ea, quae *obrendaria* uocabant, maiora erant uaſa, oſſibus defunctorum reponendis deſtinata. Gruterus uocem hanc corruptam eſſe putat, eiusque loco

1) Scriptores, qui urnas illuſtrarunt, nominat *Fabricius* bibliogr. c. 23, n. 8. dicebantur etiam *oſſuaria*. *Kirchmann.* lib. 3, c. 8. diſcrimen, quod *Gutherius* ſtatuit inter *oſſuaria* et *cineraria*, *Bergero* non probatur, qui et urnas plures exhibet, tomo 3. theſauri Brandenb. p. 466. ſeq. *argenteam* Aem. P. Papiniani illuſtrat H. *Magius* miſcell, 2, c. 11.



Variæ Urnæ sepulcrales.



Variæ Urnæ sepulcrales.

loco *offerendarium* ponendum. Sed *obrendarium* potius a uerbo *obruere* deriuari uidetur, ita ut idem ſit, ac *obruendarium*; cui etymologiae inſcriptio quaedam fauet, quae his verbis, *obritus eſt*, terminatur; unde intelligas, uocem hanc pro ſepultura uſurpatam eſſe. *Cineraria* cellulae erant, in quibus cineres in urnis lapideis ſeu marmoreis ſeruabantur; alio nomine *Oſſuaria* dicebantur. Sponius cineraria et colnmbaria pro ſynonymis habet.

§. 4. Aedificium ſequens *fig. 6.* magnifice ſtructum, in uia Appia repertum fuit, et columbariorum formam habet; urnas ſepulcrales libertorum, uernarum et miniſtrorum domus Sexti Pompeii continens. Inter eos aliquis *Tricliniarius* dicitur, qui triclinium et coenationem procurauit. Alius Sexti Pompeii *Exactor* uocatur, qui cenſum et prouentum illius adminiſtrabat. Qui *Sumtuarius* appellabatur, ſine dubio ſumtus et expenſas regebat; qui *a potione*, pocillator erat; qui a *cubiculo*, cubiculi et lecti curam agebat; qui *tonſor*, capillos eius forte detondebat; qui *ab epiſtolis Latinis*, epiſtolas Latinas ſcribebat, ut alii Graecas; qui *ab hortulis Sextianis ad uiam Lauicanam*, ille erat, qui Sexti Pompeii hortos ibi poſitos colebat. *Fig. ſeq. 7.* aliud exhibemus columbarium Romae ad portam Capenam repertum, in quo uenatoris Caeſaris, tonſoris et unctoris, item medicorum ocularium mentio fit; inſcriptiones ipſas ob figurae anguſtiam addere non licuit. Haud inepte ex eo colligi poteſt, urnas hasce cineribus artificum et miniſtrorum Auguſtalium fuiſſe repletas uel ſaltem deſtinatas.

CAPVT III.

De urnis ſepulcralibus rotundis.

§. 1.

Ad urnas ſepulcrales procedentes, a rotundis initium facimus, et primo loco *Tab. CXXVIII. fig. 1.* elegantiſſimam illam urnam proferimus, quae ex Muſeo Domini Boiſſot in ſuprema Veſontionenſi curia praeſidis, deſumta eſt. In operculo eius, genius facem inuerſam extinguit; quo ſignificatur, illum, cuius cineres hac urna continentur, extinctum eſſe. Genius hic magno artificio elaboratus eſt, et uultu ad moeſtitiam compoſito manu caput ſuſtinet. Quatuor urnae ſequentes *fig. 2, 3, 4, 5.* diuerſae formae ſunt, earumque duae priores nulla inſcriptione notatae ſunt; tertia, in qua duae ſphinges uiſuntur, teſtante inſcriptione, ab Aſinia Fortunata Lucii Liberta curata eſt; quarta Vulcanum exhibet cum incude, forcipe et malleo ferrum cudentem; quodque praecipue hic obſeruari meretur, Vulcanus hic pileo caret, qualis in monumentis rariſſime apparet. Quae *fig. 6.* ſequitur urna *Genuciae*, nympham ſedentem exhibet; forte Genuciam ipſam, quae coronam, qua poſt mortem coronata fuit, manu tenet. Vrna ſequens *fig. 7.* ſtriata Phaedimi Auguſtalis eſt, cuius inſcriptio inuerſa lectu admodum eſt difficilis. Quae poſtea *fig. 8.* ſequitur, ouem repraeſentat et aues aliquot cum nido, in quo pulli parentes eſcam ferentes exſpectare uidentur. Vrnae *fig. 9.* inſcriptionem non intelligo. Quam *fig. 10.* exhibet urna, uas Hetruſcum eſt ſuperficie nigra. *Bartolus*, qui illud publicauit, materiam illius non definiuit; at ueroſimile eſt, uas eſſe fictile; qualia alia ſunt Hetruſcorum uaſa. Tab. CXXVIII

§. 2. Singularis omnino eſt urna ſequens *Tab. CXXVIIII. fig. 1.* cuius pes in triangulum concinnatus eſt. Verticem Deus Pan, cornibus quidem carens, ſed pedes caprinos habens & Syringem manu tenens, occupat. Inſidet globo uariis figuris et capitibus, quae laruarum ſpeciem praebent exornato. Sub globo hoc tres uiſuntur genii; urna ipſa figuris humanis atque capitibus, prioribus illis ſimilibus ornata eſt. Quae *fig. 2-16.* ſequuntur urnae, fictiles ſunt et pauperum cineribus deſtinatae. Quarum ima pars in acumen deſinit, illas columbariorum foraminibus inſertas fuiſſe creditur. In his tamen prae ceteris notari meretur urna illa fictilis, *fig. 10.* quae a. 1705. ad Eridanum cum pluribus aliis antiquitatis monumentis detecta fuit. Vtrinque illa anſata eſt, parsque eius ima in acumen deſinit; operculum habet, quod uetulae ſurſum aſpicientis, os aperientis, rugisque foedatae protomen exhibet. Ex oculorum forma et modo, lacrymas fundere colligitur. Coma ceteroquin neglecta, capillique paſſi in altero tantum latere comparent; uelo porro obtegitur, quo et caput et altera uultus pars paene occultantur, atque a tergo in cuculli formam terminatur. Idem operculum quandam ueluti baſin habet, qua in urnam inſerebatur, ſub qua haec uerba leguntur: HEV FL. QVARTI PRAEFICA V. ANN. LXI. (quum in baſi non ſat ſpatii eſſet, ut poſtrema inſcriptionis linea integra exararetur, ſupra baſin in ipſo cucullo poſita fuit) quae ſic legi debet: *Heu! Flauia Quartilla Praefica. Vixit annos ſexaginta et unum.* Praecedentis urnae *fig. 9.* delineatam Tab. CXXIX.

neatam imaginem celeberrimus Praeses Bon mihi transmisit. Vrna ipsa altitudinem duorum pedum atque dimidii explet; lapis ferrei coloris est, duritie marmoris. In summo operculo foramen obseruamus quadratum, idque oblongum, quod ideo adornatum uidetur, ut per illud lacrymae influerent, quibus cineres ac ossa defunctorum irrigarentur. Vrna huius tabulae ultima *Fig. 16. ossuarium* in specie dicitur; quod ad ossa defunctorum seruanda destinata fuerit.

§. 3. Ad urnas sepulcrales rotundas, easque maiores, quae pluribus ornamentis refertae sunt, etiam illae referuntur, quas *Tab. CXXX.* exhibet. In his prior *fig. 1.* hac inscriptione notata est: Tab. CXXX. DIS MANIBVS OCTAVIAE P. F. CATVLLIAE CELADI DIVI AVG. L. VXORI, quae ita legenda est: *Diis manibus Octauiae Publii filiae Catulliae Celadi diui Augusti Libertae uxori;* Secunda *Fig. 2.* Trophimi cineres complectitur; utrinque duo genii faces inuersas extinguunt. Vrna *Fig. 3.* quam in diario Italico edidi, a luctu ibidem expresso obseruatu digna est. Puella decumbens et resupinata prae dolore capillos sibi euellere uidetur; ad pedes comparet Satyrus baculum recurrum tenens; figuras enim bacchicas in monumentis sepulcralibus haud raro conspicimus. Vrna sequens *Fig. 4.* ornatissima, facta fuit Athaniae Pieridi, a Cneio Velleio Quarto eius coniuge. Ad latera epitaphii duo genii, cornibus copiae insistentes, magnum sertum tenent, quod totam inscriptionem ambiens spatium relinquit, in quo tigris ceruum uorans repraesentatur; sub serto duae lacertae simul concertant, auibus hinc inde positis; summum operculi culmen aquila serpentem unguibus arripiens occupat. Vrna alia *Fig. 5.* quam Bartolus Caeciliae Metellae tribuit, et ab eiusdem Caeciliae mausoleo ad palatium Farnesianum tempore Pauli Tertii erutam asserit, tota striata est, inque uno illius latere equi, in altero uero pulli equini caput erumpit. Vrna sequens *Fig. 6.* Minutii Felicis palmitibus pampinis, uuis auibusque ornata est. Vrna septima *Fig. 7.* Anniae Florae, quod ipsa testamento praeceperat, adornata fuit. Haec autem Bonae Deae consecrata est. Vltima *Fig. 8.* omnium singularissima est. In anaglypho illius repraesentantur iuuenes duo nudi rupi insidentes, qui piscantur et linea piscem aquis extrahunt; sub iisdem pisces grandiores natantes conspiciuntur. In altero latere iuuenis nudus urinator prono sese capite in aquas immergit. Nulla adest inscriptio, quae doceat, cui urna haec parata fuerit; uero tamen simile est, eam a piscatore quodam filiis, item piscatoribus 1) apparatam esse. In ima illius parte porta uisitur, uario ornatu decorata, sicut operculum quoque multis ornamentis instructum est. Basis leones sunt alati, quibus urna haec sustentatur.

CAPVT IIII.

De urnis quadratis.

§. 1.

Pergimus a rotundis urnis ad quadratas, quae plura anaglyphorum ornamenta prae se ferunt. Eiusmodi autem anaglypha artificis modo ab ingenio sunt, modo eius, qui urnam adornandam curauit, commentum; interdum etiam ad defuncti conditionem et uitae rationem spectant. Quum uero ingens eiusmodi urnarum copia, Romae praesertim, inueniatur, nobis praecipuas illarum, quae uel artificis industria, uel ornamentorum copia atque inscriptionum raritate prae ceteris sese commendant, repraesentasse sufficiat. Primae, quam *Tab. CXXXI, Fig. 1.* exhibemus, Liciniae Chrysidi Tab. CXXXI. dicta, ad quatuor angulos columnis tortilibus adornata est. Ipsa Chrysis sub epitaphio lecto decumbens et mortua repraesentatur cum duobus geniis, quorum alter ad caput, alter ad pedes defunctae positi sunt, et faces contra terram inuersas extinguunt. In suprema urnae parte tres itidem genii conspiciuntur, qui sertum seu encarpum tenent, cui duo cygni insident. In alio urnae latere Gryphus, Apollinis symbolum, uisitur. Vrna sequens *Fig. 2.* est Vlpii Martialis Augusti Liberti a marmoribus, qui uidelicet Imperatoris marmora curaret. Exornata haec est columnis tortilibus, magno encarpo et arbore. Encarpo insidet Pan, altera manu palmam, altera uero fistulam tenens, quam mulieri offert. In ima urnae parte duae aues pugnaturae quasi obseruantur. In inscriptione hoc singulare uidetur, quod uoci VLPIO littera V praeposita legatur. Scaliger praenomen esse putat, quod a littera V incipiat. Reinesius litteram hanc ante Rustiae nomen positam per praenomen *Vibiae* explicat. Fabrettus contra multis exemplis nixus litteram hanc *τὸ uiuit*, aut quamuis aliam uocem, quae uiuentem aut superstitem arguit, significare autumat. Nouum huius asserti argumentum inde eruitur, quod haec littera passim in inscriptionibus occurrat, in quibus littera Θ, quae

1) Saepe reperias, ipsa insignia, instrumentaque, quae uitae actae rationem iuuerant, simul condita fuisse, aut eorum imagines. *Miseni* tumulo Virgilius *tubam* et *remum* addit, quia *remex* fuerat; idem iam *Homerus* Odyss. 12. u. 13. in Elpenoris funere tradit.

1.


DIS MAN
LICINIAE
CHRISIDI
L. LICINIVS
FREGELLANVS
LIBERTAE
B. M. F.
Boissard.


2.


D. M.
V.VLPIO MARTI
ALI AVGVSTI L
A MARMORIBVS
Boissard.

3.


DIS MANIBVS
P. EGNATI
NICEPHORI
INFR. P. XVIII. IN AGR. P. XVII.
Boissard.

4.


C. CICVRINO ASIA
TICO AEDITVO SYL
VANI LITTORALIS
PARENTI SANCTISS.
T. CICVRINVS DIMA
RVS POSVIT
AEDITVAVIT ANN
XVI VIX LXX
MENS XI D VII.
Boissardus.


5.


D. M.
M.VIBII HETERINI
VERNAE FIDELISS.
M.AVR. POLLIO F.
ET M.HETERIO LIB F.
ET M.CASPERIO F.
Boissard.

7.


D.M.T. PLAVIO
IERACI F. EVT
YCHIA CONIVGIS
B.M.F.
Boissard.

6.


D. M.
QVIETORVM
CLYMENES
ET
LIBERTORVM
ET RAPHIS




Bonanni.



Boissard.

3.




4.




Boissardus.

8.


Romà missum.

5.



Bartoli.

6.



Boissard.

7.



Boissard.

1.



Boissard.

2.



Boissard.

3.



Boissard.

4.




Boissard.

5.



Boissard.

6.



Boissard.

quae mortuum denotat ipsi opponitur. Inscriptio itaque haec ita erit legenda. *Dis manibus*, *uiuenti* uel *uiuo Vlpio Martiali Augusti liberto a marmoribus.*

§. 2. Quae hanc *fig. 3.* excipit urna, itidem pluribus gaudet ornamentis. Duae quippe mulieres alatae, ad quorum pedes aquilae leporem corripiunt, anteriores angulos tenent. Eaedem mulieres magnum encarpum gestant, qui inscriptionem inferne cingit. Intra hunc encarpum res prorsus arcana et mysterio plena uisitur: puer scilicet serpente circumuolutus inuerso capite una cum urna, quam manibus tenuit deorsum praecipitatur; puer porro alius atque puella, tanto casu perterriti, fugam capessere uidentur. Tomo primo, quum de Mithra Deo ageremus, hominem serpente circumdatum solem eiusque cursum per signa Zodiaci denotare uidimus. Homo itaque ille, qui serpente circumuolutus praeceps agitur subindicare uidetur, solem radios suos in hominem defunctum non ulterius immissurum esse, nec mortuum cursu illius porro fruiturum esse. Vrnae operculum singulari ornatu fulget. Ante templum quippe, cuius frontispicium quatuor parastatis decoratur, Diogenes Cynicus e dolio suo egrediens uisitur, e cuius regione canis subsidet. Diogenis forte simulacrum innuit, uitam hanc exemplo illius esse spernendam. Praefericulum ad latus urnae positum in urnis et sepulcris saepissime uidetur, et sine dubio ad libamina et sacrificia inferis oblata respicit. Vrnae sequentis *Fig.* 4. ita legenda est: *Caio Cicurino Asiatico Aedituo Syluani Littoralis parenti sanctissimo, Titus Cicurinus Dimarus posuit. Aedituauit annis sexdecim, uixit septuaginta, mensibus nouem, diebus septem.* In supremo lapide repraesentatur Cicurini pater atque filius; in latere arbor et delphinus, quorum illa, meo quidem iudicio Syluanum, qui semper cum arbore conspicitur, hic Syluanum littoralem, qui in littore maris colebatur, denotare uidetur.

§. 3. In urna sequente *Fig. 5.* non libertos modo, qui plerumque diuitiis et auctoritate pollebant, sed etiam uernas, elegantes admodum urnas posuisse, deprehendimus. Heterini quippe uernae fidelissimi urna statua Heterini patris, item alia statua cuiusdam ex filiis eius exornatur. Fabrettus ex inscriptionibus quibusdam hoc se didicisse perhibet, uernas nonnunquam cum patronis suis sepultos fuisse; de libertis idem satis notum est. Quae hanc *Fig. 6.* excipit urna *Quietorium Clymenes et Libertorum et Raphis* appellatur. Clymene in urnae latere consistens manum capiti imponit, quod alias securitatis signum est, adeoque cum uoce *quietorium* consentit. Genius in latere opposito facem contra terram extinguens frequentissimum urnarum insigne est. Alia urna *Fig.* 7. est *T. Flauii Hieracis*, ab uxore Eutychia posita. Ornamenta illius sunt capita uirorum cornibus arietinis instructa, et sphinges alatae. Aues illae duae quae papilionem, animae symbolum, rostro impetunt, per se intelliguntur.

§. 4. Quae *Tab. CXXXII. Fig. 1.* sequitur urna Caio Terentio Tyranno, qui annos octo, menses tres et diem unam uixerat, a matre Terentia Donata posita fuit. In ima illius parte Terentii protome in cochlea a duobus geniis alatis sustentata exhibetur; ornatus capitis haud uulgaris est. Vrnae sequentis *Fig. 2.* inscriptio ita legitur. *Q. Caecilio Feroci Kalatori Sacerdotii Titialium Flauialium studioso eloquentia: uixit annis quindecim, mense uno, diebus uiginti quatuor, filio optimo ac reuerentissimo. M. Gauius Charinus.* Iam uero Q. Caecilius Ferox annos tantum quindecim natus calator s. seruus sacerdotum Titialium Flauialium fuisse dicitur. Calatores, Auctore Seruio, ad *Virgil.* Georg. I, 268. illi erant, qui sicubi uiderent sacerdotes assidentes, opus fieri prohibebant, ne negotio et ipsorum oculos et Deorum caerimonias contaminarent. Quod hic obseruatu dignum est in altero urnae latere, uotum est Orestillae filiae Gauii Charini, cuius nomen a filiae nomine prorsus diuersum est; qua de causa, ego quidem nescio. Inscriptio est: *somno Orestillae filiae*, et sub illa genius nudus facem extinguens, qui somnum repraesentat. In altero latere inscriptio sequens legitur: *Fatis Caecilius Ferox filius.* Fatis igitur uotum emittit Caecilius Ferox. Sub hac inscriptione Dea Nemesis, ut puto, cum rota repraesentatur, cuius inuidia Caecilius Ferox ex hac uita tam iuuenis abreptus fuerit. Quod ad uotum attinet ab Orestilla somno factum, somnum aeternum hic intelligas, qui mors ipsa est. Tab. CXXXII.

§. 5. Paucae uidentur urnae tot ornamentis condecoratae, quot in urna *Lucciae Telesinae fig. 3.* conspiciuntur. Ad quatuor urnae angulos inferne tot Sphinges et superne tot capita arietina, ex quorum cornibus magni encarpi dependent, conspiciuntur. In encarpo anteriori sub inscriptione Telesina duo puerulos utroque brachio sustinens uisitur. Ex duabus puellis, quae hinc inde positae et forte pro filiabus Telesinae habendae sunt, altera lugere et plangere uidetur. Sub encarpo eodem iuuenis caprarius cum tribus capris et uno capreolo uisitur. Antica operculi pars tripodem inter duos gryphos, Apollinis symbolum, exhibet. In altera urnae facie praefericulum, uas sacrum,

ſub illo nidum auiculis plenum, ad quas pater et mater eſcam afferentes aduolant, conſpicimus; quo ipſo forte Teleſinae in liberis alendis diligentia et uigilantia exprimitur. In infima lateris parte Cupido Delphino inſidens merum artificis commentum eſſe uidetur. Heteriae Superbae urna, quam *Fig.* 4. exhibemus, obſeruatu dignum quidpiam praefert. Vixit illa, ex inſcriptione, anno tantum uno, menſibus ſex, et diebus uiginti quinque; quum tamen ſtatua illius in medio lapidis uirginem adultam exhibeat. Dici forte poſſet, matrem illius Zoſimen hic repraeſentari; at duo genii, qui ipſam coronant, duae faces a lateribus poſitae, et quam manibus illa tenet columba, clariſſime indicant, illam ipſam Heteriam Superbam eſſe, quam parentes adultam repraeſentari maluerunt. Ad pedes illius hinc canis, cui uuam offert, inde columba uiſitur.

§. 6. Vrna Iuliae Erois f. Eroidis *Fig.* 5. ſequentem habet inſcriptionem: *Dis manibus Iuliae Erois coniugi ſanctiſſimae Tiberius Claudius Laliſus, cum qua uixit annis triginta et uno ſine querela, uixit annis quadraginta octo ſibi et ſuis.* Iuliae protome in cochlea exhibetur; duo capita humana cum cornibus arietinis, quale caput Iouis Hammonis pingitur, urnam ſuperne ornant; duae aquilae in ima parte uiſuntur. Vrna ſequens *Fig.* 6. L. Licinio Succeſſo a patre eius Comico et matre Auriola poſita fuit; uixerat is annos, tredecim, menſem unum et dies nouendecim. Quatuor urnae angulos totidem uiri nudi exornant. Sub inſcriptione equus conſpicitur marinus, quo puer uehitur; forte ipſe hic Lucius Licinius eſt; quo uero cum iumento hoc pergat, haud facile diuinaueris.

Tab. CXXXIII §. 7. In urna ſequente *Tab. CXXXIII. Fig.* 1. Caius Iulius Saecularis chlamydem geſtans, repraeſentatur. Manu dextra papilionem, animae ſymbolum, ſiniſtra columbam 1) quae uitae ſimplicitatem denotare creditur, tenet; ad pedes eius hinc ſimia, cuius caput excidit, inde canis uiſitur. Mos canes in ſepulcris pingendi antiquis illis temporibus admodum uulgaris erat; unde Trimalchio architecto, qui ſepulcrum illius ſtructurus erat, commendauit, ut ſecundum pedes ſtatuae ſuae catellam pingeret, cum coronis et unguento. Ad laeuam huius iuuenis candelabrum eſt, cui fax accenſa alligatur. In ſummo candelabri eiusdem Iulii Saecularis imago denuo uiſitur. Inſcriptio monumenti ſequentis *Fig.* 2. inter nobiliores iure ſuo computanda eſt. Verba ipſa ſunt: *patrem, matrem, liberos una lues ſuſtulit, lacrymis confecta Cypris, filio et nepotibus poſuit.* Mater itaque, Cypris uocata, inferis ſacrificat pro filio, nuru atque nepotibus. Ipſa uelata eſt et patera in ara ignita libat; poſita eſt inter duas cypreſſos, arbores ferales, quae in ſepulcris et mauſoleis ſaepius ponebantur; ramis quoque huius arboris ſandapilas, rogos et urnas ſaepius exornare ſolebant. Sed non hanc ſolum ob cauſſam cypreſſi hic poſitae uidentur; quum enim nomen matronae Cypris ad arboris denominationem proxime accedat, uocum affinitatem ad has arbores hoc loco ponendas auctorem urnae ſimul induxiſſe uero admodum ſimile eſt. Veteres enim quantum iſtiusmodi homonymias ſectarentur, multis exemplis effici poteſt.

§. 8. Vrnae ſequentis *Fig.* 3. inſcriptio notatu certe digna eſt, et his uerbis legitur: *Diis manibus Primillae Aeſtiones, cui et ſacris domeſticis offerre conceſſerat ollas ſex minores, et liberis eius in auito conditorio indulſit Caius Cincius Primigenius et Aelio Septimillo nepoti et Luciano.* Ollae, de quibus ſupra iam mentionem fecimus, plerumque fictiles erant et in conditorio auito reponendae. Primilla hic matronae ueſtitu repraeſentatur. Nomina numerica hic in propria conuertuntur in eadem familia. Auia quippe *Primilla* dicitur et nepos eius *Septimillus.* Vrnae *Fig.* 4. inſcriptio non minus digna, quae huc transſcribatur: *Aemiliae Phyllidi filiae manſuetiſſimae et ſupra ſexus ſui captum et aetatem prudenti Iulius Elicius pater infelix et ſibi et Cypriae Athenaidi uxori optumae benemerenti fecit et ſuis fecit poſteriſue.* Aemiliae Phyllidis imaginem altera urnae facies repraeſentat. Prorſus inſignis eſt urna ſequens *Fig.* 5. duabus inſcriptionibus, quarum ſuperior ad equos, inferior ad homines ſpectat. Prior inſcriptio ob duos equos duplex eſt; altera ita legitur: *Aquiloni Aquilonis; uicit centies tricies et ſecundo, ſecundas tulit octogeſies, tertias tulit tricies ſepties.* Alterius equi inſcriptio haec eſt: *Hirpinus nepos Aquilonis, uicit centies quatuordecies, ſecundas tulit quinquageſies ſepties; tertias tulit tricies ſepties.* Hirpinus Aquilonis nepos uidetur. Equorum circi tanta fama fuit, ut poetae illam in exemplum uſurparint; unde Martialis ita canit: *Non ſum Andremone notior caballo.* Inſcriptio autem ſepulcralis equorum hic agitatoris inſcriptioni praeponitur; nam, ut ſupra tomo tertio iam diximus, maior ſaepius equis, 2) quam uiris honos exhibebatur; inque ſignum uictoriae monumenta illis erigebantur, ut memoria illorum perennaret. Plurima ſuppetunt illorum exempla, qui equis monumenta erexerunt; de quibus Aelia-

1) Chriſtiana per tempora *columba* animae fere perpetuum et proprium ſymbolum.

2) Non raro in numis adeo equorum honor ſeruatur: ut *bucephali*, aliorum.

1.



Boissard.

2.




Boissard.

3.



Boissard.

4.



Boissard.

5.



Boissard.



1.
DIS MANIBVS
FLAVIAE HELPIDI
T. FLAVIVS
HERMA
CONIVGI
SANCTISSIMAE
Boissard.
2.
FIDEI
SIMVLACRVM
HONOR
AMOR
VERITAS
D. M. S.
T. FVNDANIVS EROMENVS VIVVS
FECIT SIBI ET POPPAEAE DEMETRIAE
CONIVGI KARISSIMAE ET MANI
LIAE EROMENIDI ALVMNAE ET
LIBERTIS LIBERTABVS POSTERISQ.EOR.
Boissard.
3.
ANNEAE PYRAL
LIDI
L. TROPHIMVS
AVG. LIB.
A VESTE ITEM
A LACVNA
LOCVM MONVMENTI
DEDIT
Boissard.
4.
DIIS MANIBVS
L. VISELLIVS L. F.
PAL. SEDATVS
VIXIT ANNOS XXII
S. Genevieve.
5.
D. M.
CORNELIA
TABAIDE
FRATERI
Bonanni.
6.
D.
CL. ZOSI
FORTVNA
IVGI B.M.F.
M.
ME TI CL
TVS CON
ET SIBI
Boissard.
7.
TI.CLAVDIVS LIANVARIVS VIXIT ANN X MENS VI D XII HOC MONVMENTO
CONDITVS EST
TI. CLAVDIVS SCARAPHI LIB. VITALIS
ARCHITECTVS V. A. XL.
FECIT SIBI ET SVIS
TI. CLAVDIO VITALI O F. V. A. III. M. VII D. VIII.
CLADIAE VITALIS L.
PRIMIGENIAE
CLAVDIAE VITALIS
OPTATAE
Boissard.

1.



Boissard.

2



Boissard.

4.




Bartolus

3.



Boissard. MS.

5.



Bartolus.

Aelianus, Plinius aliique conferri possunt. Apud Spartianum c. 20. legimus, Hadrianum equos et canes ita adamasse, ut iis sepulcra constitueret. Epitaphium subtus positum a Claudia Hellice factum est Lucio Auito Dionysio Lucii liberto, eius coniugi, factionis russatae conditori s. gubernatori, ut puto. Hic autem legitur *Cond. gr. russatae;* nescio an id *gregis russati* uel *gregariorum russatae factionis* legi debeat.

§. 9. Urna sequens *Tab. CXXXIIII. fig. 1.* a Flauio Herma coniugi Flauiae Helpidi posita fuit, et utriusque protomen exhibet operculum quatuor cygnis conspicuum. Helpis a capitis cultu, qui solo capillitio constat, spectabilis est. Marmor et inscriptio sepulcralis Titi Fundanii Eromeni *fig. 2.* id clarissime efficit, quod paullo ante diximus, imagines scilicet sepulcrorum, ad nomina hominum alludere. Eromenus idem est ac amatus; adeoque Titus Fundanius Eromenus manum dat uxori Poppaeae Demetriae, cum inscriptione AMOR. Putassem iuuenem illum, qui inter ambos paullo remotior uisitur, Maniliam Eromenidem esse, cuius in epitaphio mentio fit; sed capilli puerum arguunt. In margine porro anaglyphi haec uocabula leguntur: VERITAS, HONOR, FIDEI SIMVLACRVM, quibus sine dubio significatur, inter coniuges semper amorem, honorem, fidem et ueritatem esse colendam. Marmor sequens *Fig. 3.* hac inscriptione insignitur: *Anneae Pyrallidi Lucius Trophimus Augusti Libertus, a ueste, item a lacuna locum monumenti dedit.* Ornamenta funebria duae faces sunt, decussatim positae, quarum flamma uersus terram directa, quasi extinguenda; quo significatur, morte hominum uitam eodem modo extingui, quo flamma ignis. Inter faces urna uidetur rotunda cinerea, et ad latera illius arcus ruptis neruis, quibus ruptum uitae funiculum indicatur. Tab. CXXXIV.

§. 10. Urna musei S. Genouefae *Fig. 4.* splendidis instructa est ornamentis et ista inscriptione. *Diis Manibus, Lucius Visellius Lucii filius, Palatina, sedatus uixit annos uiginti duos. Palatina* idem est ac ex tribu Palatina. Ornamenta elegantissimae huius urnae sunt tripus, Apollinis symbolum, cui globus impositus; duo cygni, quae aues etiam nonnunquam ad Apollinis symbola referuntur; duae faces, totidem palmae arbores et in lateribus rami atque folia hederacea ex uase erumpentia. Urna Corneliae Thebaidis *Fig. 5.* hederae foliis, (bacchica haec ornamenta sunt) decoratur, superne duo capita uisuntur. In altero urnae latere cuniculus canistrum floribus et fructibus repletum depascitur. In anteriore operculi parte papilionem, animae symbolum, a duabus auibus utrinque positis laedi uidemus.

§. 11. Inter urnas aliquot etiam reperiuntur, quae plurium cineribus destinatae in duas, tres, pluresue partes sunt separatae, ne cineres commisceantur. Talis est urna a Tiberio Claudio Fortunato Claudiae Zosimae et sibi positae *Fig. 6.* duobus quippe foraminibus haec instructa est; in eaque uxoris imago super encarpis ex cornibus arietum dependentibus utrinque extensa bis conspicitur. Quae *Fig. 7.* uisitur urna, quatuor separatis loculis instructa est, quorum unus grandior quadratus et oblongus, tres autem quadrati minores sunt. Facta est haec urna a Tiberio Claudio Vitali architecto. Nomen aliud, quod post uocem *Claudii* legitur, est *Scaraphi* Libertus, quae uox Scaraphi aut uitiata aut saltem suspecta uidetur. Vitalis itaque hanc urnam et sibi et suis designauit. Maius foramen ipsi Claudio destinatum uidetur; tria reliqua Tiberio Claudio Vitali eius filio, qui uixit annos tres, menses septem, dies nouem; Claudiae primigeniae Vitalis Libertae et Claudiae Optatae filiae eius. Ab illo autem tempore hic etiam depositi sunt cineres pueri cuiuspiam, quod altera inscriptio his uerbis indicat: *Tiberius Claudius Caiae Libertus Ianuarius uixit annos decem, menses sex, dies tredecim. Hoc monumento conditus est. Notum autem est* litteram Ɔ inuersam *Caiam* denotare.

§. 12. Pulcherrima est urna illa sepulcralis, quam *Tab. CXXXV. Fig. 1.* exhibemus. Epitaphium octo uersibus elegiacis constat, quibus uir quispiam queritur, Venerem ingratam, cui pro sponsae suae salute uota tulerit, tamen eam a Proserpina paullo post nuptias abripi permisisse. Supra hanc inscriptionem duo coniuges in lecto coenam feralem celebrantes exhibentur; mensae accumbunt rotundae, tribus pedibus nixae. In urna hac elegantissima, sunt duo candelabra urnam utrinque terminantia, quorum imaginem iam supra *Tab. LVI. Fig. 25.* separatim exhibuimus. Urna sequens *Fig. 2.* a Genusio Delo Menae Mellusae uxori, duobusque filiis paruulis facta est. Alter Dexter appellatus, undecim menses uixit; alter Sacerdus nomine, menses tres, sexque dies. Ad matris sedentis genua puerulus maior consistit, minorem mater laeuo brachio tenet. Magnificum, quod *Fig. 3.* sequitur sepulcrum, Praefecto urbis Romae paratum atque sculptum fuit, tantaeque dignitati parem hic magnificentiam obseruare licet. Inscriptio sepulcralis, quae minimam marmoris partem occupat, ita legenda est: *Marco Aurelio, Marci filio Seueriano, Praefecto Vrbis Mar-* Tab. CXXXV.

cus Aurelius Syntychus filius et Flauia Nice parenti optumo fecerunt. Vixit annos quinquaginta, menses tres, diem unum: et Iuliae Zosimae Libertae et Hyllo. Tot iam libertos atque libertas in heroum sepulcris conditos uidimus, ut non mirandum sit, si cum praefecto quoque urbis liberti illius quiescant. Liberti enim non pauci praecipua munera obierunt, et cum nobilissimis familiis iuncti fuerunt. Ipsa Marci Aureliani Seueriani loculamento, quod in cochleam terminatur, inclusa conspicitur. Duabus columnis aquilae insident. Praefectus hic tunicam gestat ad terram usque defluentem et super eam, togam; brachia uetustate exciderunt. Ad unum monumenti latus Sphinx alata uisitur, et infra eam praefericulum cum disco. Praefecti urbis potestas, auctoritasque tanta fuit, ut post Imperatores nihil illam aequaret. Imperatorum tempore ad praefectum urbis deferebatur notitia criminum facinorumque, quae in urbe et ad centesimum usque ab urbe lapidem admittebantur. Huic licebat in exilium ablegare, uel in insulas, uel in prouincias, si facinorum ratio id postularet. Seruorum contra heros querelas audiebat, si uel immaniter afficerentur, uel si ad ministeria iniusta et indigna cogerentur. Ad eundem pertinebat inspectio tutorum et curatorum, an pupillorum bona probe administrarent. A rectoribus prouinciarum ad praefectum urbis appellabatur, et similiter a duobus praetoribus caussarum ad eundem praefectum. Monumenta duo sequentia *Fig. 4 et 5.* ad equites singulares spectant, quo nomine illi equites intelliguntur, qui ad sinistram Imperatorum pugnabant, uti Praetoriani ad dextram. Prius monumentum Tito Aurelio Genetiuo, equitum singularium decurioni, positum erat; qui ex Norico oriundus erat, et annos uiginti nouem natus obiit, quum militasset annos decem. Protome illius in summo lapide repraesentatur; in imo autem lapide seruus equos duo cultu solito ornatos tenet. Monumentum posterius Vlpio Vngulato itidem ex Norico oriundo dicatum est; quadraginta annos natus obiit, et militauit annos uiginti quatuor; unde colligas tum admodum iuuenes in bello meruisse. In ima tabula equus repraesentatur eodem cultu, quo priores illi. Vlpius ipse in suprema lapidis parte lecto incumbit.

Tab. CXXXVI. §. 13. Vrna Liuillae Harmoniae *Tab. CXXXVI. Fig. 1.* inscriptione commendatur. Haec autem ita legitur: *Diis Manibus Liuillae Harmoniae Tiburtianae, pudicitiae incomparabilis, modestiae singularis sacrum. Et Leutoriae Clytoris et suis.* Imago, quae hic offertur singularissima est. Viri duo Harmoniam nudam sustentant; unus eorum coniux illius esse uidetur, quum caput in eum reclinet, ipsoque niti uideatur, postquam nefarii cuiusdam hominis, qui uim forte illi inferre tentauerat, impudicitiam represserat; idem homo temerarius ab alio prostratus, in terramque excussus est. Alius item ad opem ferendam accurrens baculum tenet. Haec ad laudem pudicitiae, cuius in ipso epitaphio mentio fit, alludere quiuis intelligit. Ceterum urna haec, quae etiam Leuteriae Clytoridi et suis parata est, ab utraque parte columnis tortilibus exornata est. In superiori lapidis parte aquila encarpo insidens conspicitur. Vrna sequens Vosusii Saturnini *Fig. 2.* cuius inscriptio aut deficere aut uitiata esse uidetur, nihil peculiare habet, nisi lupam puerulos lactantem; reliqua enim ornamenta iam saepius uidimus. Monumentum *Fig. 3.* in quo Lucii Calpurnii Veientini et uxoris eius protomae repraesentantur, a Boissardo delineatum fuit. Protomae ambae ante et retro integrae comparent, quod in aliis monumentis raro deprehenditur. Inscriptio ita legitur: *Lucio Calpurnio Veientino et Sac. FF.* Duae litterae postremae FF *fecerunt* significant, quid autem per ET SAC indigitetur, non ita facile est diuinare. Postremum illud SAC posset esse initium nominis uxoris. Vrna Domitiae Augurinae *Fig. 4.* a cultu capitis eius spectabilis est. Inscriptio est: *Domitii Caii filiae Augurinae: uixit annos uiginti duos, menses quatuor, dies uiginti duos. Caius Erucianus Theseus maritus coniugi carissimae et Volusia Seuera et Anthemusius Augusti Libertus parentes fecerunt.*

LIBER

1.



Boissard.

2.



Boissard.

3.



Boissard.

4.




Bartoli.

5.



Boissard.

6.



Boissard.

1.



Boissard.

2.



Boissard.

3.



Boissard.

4.



Boissard.

5.



in Capitolio Rom.

LIBER TERTIVS.

DE

SARCOPHAGIS, VRNIS LACRIMATORIIS MONVMENTIS QVIBVSDAM GRAECORVM, GALLORVM ET HETRVSCORVM, NEC NON MAVSOLEIS VARIIS.

Caput I.

De urnis maioribus siue Sarcophagis. 1)

§. 1.

Vrnae maiores, quae totum corpus humanum extensum capiebant, sarcophagi dicebantur, earumque aliae quadratae fuerunt, aliae oblongae, aliae ouatae paene figurae, in semicirculum utrinque desinebant. Quem priorem hic *fig. 5.* damus Sarcophagum, a fratre P. Vedii Diogenis ipsi et uxori eius Vediae Feliculae adornatus fuit; in eoque utriusque coniugis protome repraesentatur; ambo manus iungunt. Frater Diogenis uxorem eius Vediam Feliculam *cognatam* uocat, qua uoce hoc loco, ut in multis aliis, affinitas intelligitur. Marmor sequens *fig. 6.* Epaphras matri Menaliae & patri suo Agathiae poni curauit. In epitaphio pro *uixit* legitur *bixit*, quae litterarum commutatio in his monumentis non rara est. Agathias uixit annos 45, menses nouem, diem unum.

§. 2. Sarcophagus sequens *Tab. CXXXVII, Fig. 1.* matri Domitiae Eutychiae a Domitio Eutyche apparatus est; ouatae formae est et striatus. Quae *Fig. 2.* sequitur urna a Seruio Valerio Seueriano, pro filio suo, cuius nomen tacetur, annos autem natus quadraginta obiit, facta est. Inscriptio a duobus geniis sustentatur. Sub illa duo alii genii alati sese amplectuntur; in extremis utrinque lateribus duo alii genii maioris staturae faces contra terram uertunt; ad pedes cuiusque genii arcus neruo remisso conspicitur, quo itidem uitae finis adumbratur. In altera facie laterali caput Medusae comparet. Vrnae sequentis *Fig. 3.* epitaphium obseruatu dignum est: sic enim se habet: *Diis Manibus Caii Larinatis Attici. Quod si quis ossa eius reiecerit, aut hanc abstulerit, habebit sacra Isidis illius Quieta irata.* Sacra haec Isidis hic sistro denotantur, quod totae imponitur. In altera ora uas est ansatum. Ceterum imprecationes eiusmodi contra uiolatores sepulcrorum in monumentis saepius occurrunt. Monumentum sequens *fig. 4.* inscriptione sua notabile est. Ea sic legenda est: *Lucius Antistius Caii filius, Horatia tribu sarculo Salius Albanus, idem Magister Saliorum. Antistia Lucii Liberta Plautia. Rufus Libertus, Anthus Libertus imagines de suo fecerunt patrono et patronae pro meritis.* Hae uero imagines Antistii et Antistiae protomae sunt. De Saliis supra actum est. Tab. CXXXVII

§. 2. In pulcherrimis Sarcophagis Romanis numerandus est ille Alexandri Seueri Imperatoris et Mammaeae matris, qui ex *monte del grano* in Capitolium translatus ibidem hodieque uisitur, cuius imaginem *Fig. 5.* exhibet. In operculo Imperator cum matre sedens uel potius decumbens conspicitur; uterque brachio suo puluinari posito innititur. Singula monumenti huius latera peculiaribus exornata sunt anaglyphis. In priori quidem facie quidam sedens exhibetur, qui pro ipso Imperatore habetur; in altera eiusdem lateris ora uir alius sedens e regione priori illi opponitur. Inter utrumque uiri multi alii mulieresue cernuntur. Viri nudi casside muniti equos ducunt, quo ipso ludi funerei significari possunt. Explicationem huius imaginis aliis relinquimus. Qui enim raptum Sabinarum hinc eruere conantur, nulla plane probabili ratione nituntur. Cetera reliquorum laterum anaglypha hic lubentes omittimus, quod nonnisi obscura nobis offerunt.

§. 3.

1) vid. *Salmasium* ad *Solinum.* Confer. etiam inscriptiones *Gruteri.*

Tab. CXXXVIII §. 3. *Tab. CXXXVIII. Fig. 1-6.* duos ſarcophagos marmoreos exhibemus, qui Hortae, in ditione Eccleſiaſtica reperti ſunt. Prior *fig. 1.* anaglypha profert admodum prominentia; ita ut etiam membra integra extra tabulam erumpant; unde mirum non eſt, ſi brachia et crura bene multa uetuſtate exciderunt. Repraeſentatio uero haec prorſus aenigmatica eſt; ad feſtum tamen Bachanalium ea reſpicere quodammodo uidetur. Primus, mea opinione Bacchus eſt, qui iuniori Bacchanti uel Fauno innititur, quod ex pampineis foliis, capillitio illius admixtis colligere licet. Prope Bacchum Faunus eſt, cuius brachium ruptum eſt, ut ſenis illius, qui Fauno proximus eſt. Bacchus autem uerſus nympham cubantem & dormientem procedere uidetur; nympham hanc ſi pro Ariadne habeamus, quam Bacchus a Theſeo relictam uxorem duxerit, haud ſane errauerimus. Prope Ariadnem uidemus Genium exiguum, eumque alatum, cuius brachia itidem exciderunt; forte pro Deo ſomni hic habendus eſt. Senex porro magnis alis inſtructus tempus fortaſſe ſignificat; utrumque hic brachium amiſit remanente tamen dextra, qua uelum Ariadnae retrahere uidetur. Ad dextram ſenis huius alia Bacchans mulier apparet, uas igne plenum tenens et ad ſiniſtram illius Bacchans ſ. Faunus alius facem ingentem ardentem ſiniſtra ferens. Faunus alius ebrius, oculos alio auertens et curioſo ſimilis caput humanum ſ. laruam in flammam immittit. Bacchans contra mulier alia hoc furore conſpecto utramque manum extendit, ut facem illam auertat; eadem uas utrinque anſatum, quod ante pedes illius iacet, ex manibus emiſiſſe uidetur. Alia larua ad aram conſpicitur. Ad pedem Fauni, cuius crus alterum et brachium exciderunt, canis clunibus inſiſtens herum ſuum reſpicit. Pone canem corbis eſt ex qua ſerpens multis gyris egreditur, in ſolennibus Bacchicis frequentiſſima. Alius Faunus uas magnum euertit, ex quo liquor effluit: prope ipſum infans nudus crura et femora amiſit. Faunus alius, cuius media pars capitis una cum uultu excidit, peluim fructibus plenam tenet. Ad aram uidemus mulierem uelatam, quae ſacerdotis forte uicem gerit, adſtantem arietem mox immolaturae. Ibidem ſenex comparet talari ueſte indutus, qui uas modio ſimile oſtentat. In utroque latere minori *fig. 2, 3.* repraeſentatur gryphus magnus alatus, qui pro Apollinis Symbolo habetur. Hi uero ex mero artificis arbitrio poſiti uidentur.

§. 4. Sarcophagus poſterior *Fig. 4.* priore illo magis integer et elegantior eſt. Latera duo extrema a puerulis Bacchantibus occupantur; qui medium tenent quatuor anni tempora, puerorum ſpecie prodũnt. Si ad ſiniſtram a dextra incipiatur, puer Bacchans altera manu utrem uino, uti creditur, repletum, altera baculum recurrum paſtoralem, uel etiam lituum ſiue auguralem uirgam tenet. Huic alius ſuccedit Bacchans, altera manu baculum oblongum tenens, altera caprae cornu arripiens. Prope capram panthera uiſitur, quod animal Baccho cariſſimum eſt. Hos quatuor anni tempora ſequuntur. Aeſtas primo per iuuenem nudum exprimitur, brachio ſiniſtro pallium geſtans. Aeſtate quippe in regionibus illis auſtralibus nudi ſaepius incedebant. Aeſtatis hoc ſimulacrum uas magnum ligneum frumento repletum tenet. Aeſtatem excipit Autumnus ſub imagine pueri ueſtiti quidem, ſed cruribus tibiisque etiam nudi. Caniſtrum hic tenet fructibus onuſtum, altera manu auem. Hiems pluribus quam ceteri ueſtibus amictus tunica tegitur, cuius manicae ad carpum usque protenduntur et braccae ad pedes defluunt. Quod autem nec uas aliquod, nec quicquam aliud teneat, eo reſpicit, quod tempeſtas hiberna nihil fructuum promat. Manus dextra aut obuoluta aut truncata eſt. Tempus uernum puer ſequens, femora tibias et brachia fere nudus exhibet. Altera manu uas floribus onuſtum, altera faſciam tenere uidetur. Inter autumnum et hiemem hircus decumbens conſpicitur, inter hiemen et uer auis. Poſt haec quatuor anni tempora Bacchicus iterum coetus procedit. Primo quidem puer facem ardentem tenens. Secundus eodem ſitu, quo penultimus in dextro latere, terga dat et longum baculum tenet, qui forte pro thyrſo habendus. Ex uaſe autem, quod laeua tenet, liquorem in caput tigris ſ. pantherae effundere uidetur. Poſtremus Bacchans lituum ſ. pedum pro more tenet, et altera manu lagenam humeris impoſitam. Ad pedes illius animal recumbit, quod forte pro capreolo habendum, et in altero latere corbis cum fructibus. In altero minorum laterum *Fig. 5 et 6.* iuuenis quiſpiam boues duos baculo agit; in altero uero puella flagello idem peragit.

CAPVT


1.
Hortæ in Statu Ecclesiastico.
2.
7.
3.
8.
9.
S. Genevieve.
Româ missa.
la Chausse.
Hortæ.
Hortæ.
4.
Hortæ in Statu Ecclesiastico.
13.
Bonanni.
14.
11.
15.
16.
Bonanni.
12.
10.
Bonanni.
Bonanni.
5.
6.
Fabretti.
17.
Mr. de Caumont.
19.
Bonanni.
Bonanni.
20.
21.
18.
Beger.
Bonanni.
Hortæ.
Bonanni.
Hortæ.
Bonanni.

1.



de Belveder à Rome

2.



Marbre d' Oxford.

4.



Marbre d' Oxford.

3.



Marbre d' Oxford.

5.



Marbre d' Oxford.

6.



Marbre d' Oxford.

CAPVT II.

De urnulis ſeu phialis, quibus lacrimae condebantur, quas paſſim ex ſepulcris eruunt. 1)

§. 1.

Sub initium huius Tomi V. monuimus, a ueteribus mercede conductas fuiſſe praeficas, quae in funere conſanguineorum plangerent, lacrimasque largiter profunderent; quod illae, nullo licet moeroris ſenſu affectae, egregie praeſtabant. Hae lacrimae certis quibusdam urnulis ſeu phialis, quarum aliae fictiles erant, aliae uitreae, ſeruari conſueuerant. Nec dubium eſt, quin cognatorum conſanguineorumque lacrimas ſimiliter eiusmodi phialis collegerint. Cognati uero et affines non illo tantum tempore, quo funus efferebatur, ſed aliis etiam temporibus ploratum ueniebant, et lacrymas profundebant, quae in defunctorum cineres defluerent; quo fine in medio plerumque urnae operculo foramen erat, cuius exemplum ſupra *Tab. CXXVIIII. Fig. 9.* iam uidimus. In urnis praeterea cinerariis phialas illas deponebant; uti magnus earum numerus paſſim repertus eſt, et in muſeis fere omnibus conſpici poteſt. Nec ſuas, praeficarumque lacrimas urnulis eiusmodi depoſuiſſe ſatis erat, ſed aromata nonnunquam et unguenta pretioſa lacrimis miſcebant.

§. 2. Magnam hic *fig. 7-21.* eiusmodi phialarum copiam proferimus; quae uariae formae ſunt, nec deſcriptione uerboſiori egent.

CAPVT III.

De Monumentis quibusdam ſepulcralibus Veterum Graecorum, Gallorum et Hetruſcorum.

§. 1.

Ad Graecorum aliarumque gentium monumenta ſepulcralia priusquam accedamus, inſerere hic lubet elegantiſſimum illud Cleopatrae monumentum, quod in aedibus Vaticanis Beluedere dictis uiſitur, cuiusque imaginem *Tab. CXXXVIIII, fig. 1.* exhibet. Antiqua illa et a peritiſſimi artificis manu eſſe uidetur. Viſitur illa in aditu impluuii ſupra fontem hic repraeſentatum decumbens, quo tempore Iulii III. tanquam in Spelaeo a Daniele Volaterrano uariis ornamentis atque picturis decorato, depoſita fuit. Infeliciſſimae huius reginae fata uel in uulgus nota ſunt. Poſtquam coniux illius Marcus Antonius uiolentas ſibi manus intulerat, ipſa quoque aſpide ad brachium admota mortem ſibi procurauit; hinc etiam aſpis hic brachio illius alligata conſpicitur: altero autem brachio caput diademate ornatum obtegit. Plutarchus regiis illam ornatibus inſtructam magnificentiſſimisque ueſtibus indutam expiraſſe ait; Verum magni illi ſculptores atque pictores id arti ſuae prodendae opportunius putabant, ſi partem aliquam corporis nudam relinquerent, in qua artis praeſtantia locum haberet; ideoque hic quoque artifex brachia et ſinum nuda exhibere maluit. Gratioſa illius facies et uultus ad triſtitiam compoſitus quoslibet facile ſpectatores moueat.

Tab. CXXXIX

§. 2, Ex monumentis Graecis primo loco *fig. 2.* ſe hic offert monumentum Philiſtae, ſumtibus publicis factum, quod ex uocibus frontiſpicio inſcriptis facile intelligitur. Verba enim haec ΦΙΛΙΣΤΑΝ ΜΕΜΝΟΝΟΣ Ο ΔΗΜΟΣ commode ita explicantur, *Philiſtam Memnonis curauit populus;* ubi uocem Δῆμος, *populus*, coronae laureae inſcriptam uidemus. Monumentum ipſum templi frontiſpicio perſimile eſt, et non duabus tantum columnis ordine Ionico poſitis, ſed et aliis ornamentis decoratur. Duae rotae ad coronae laureae latera poſitae, hoc loco etiam ad ornatum pertinent. Philiſta tunica induta et pallio inuoluta eſt. Ex duabus puellis ad dextram et ſiniſtram pro more poſitis altera arculam, altera uas ignotum tenet. Catellus inſuper Philiſtae abblanditur. Baſi inſiſtit poculum hodiernis poculis uitreis perſimile. Porro uel Apolloniam uel eiusdem parentes de republica optime meruiſſe opportebat; eo quod ſepulcrum illius etiam ſumtibus populi peractum eſt. Docet hoc inſcriptio, quam *Fig. 3.* in delineatione huius ſepulcri ita legimus: ὁ δῆμος Ἀπολλωνίαν Κηφισοφῶντος h. e. *populus hoc monumentum Apolloniae Cephiſophontis erexit;* mox autem ὁ δῆμος hic ſimiliter laureae coronae inſcripta legitur. Ceterum et hoc ſepulcrum, ut reliqua fere omnia,

1) Vid. *Bergerum* tomo 3. theſauri Brandenb. pag. 464. ſq.

templi frontiſpicium refert. Apollonia in medio illius ſiſtitur, altera manu puellae cuidam nendi quoddam inſtrumentum (tale quidem nobis uidetur) altera aliud ad euoluendum forte filum aptum porrigens. Monumenta eiusmodi illis, qui de re publica bene meruerunt, erecta frequenter occurrunt. Iungimus huic aliud monumentum *fig.* 4. lapidem ſcilicet ſepulcralem Aceſtimae Demagorae filiae et Artemidori uxoris; id quod ex inſcriptione dignoſcitur, quae ita legitur 'Ακεστίμη Δημαγόρου, γυνὴ δὲ 'Αρτεμιδώρου χαῖρε h. e. *Aceſtime Demagori filia, Artemidori autem coniux ſalue!* Aceſtime hic ſedens conſpicitur, ante ſe puellam habens, quae filo trochleae ſuperinducto tintinnabula in altero angulo pendentia mouere uidetur. Pone illam aliam uidemus puellam, quae ciſtulam aromatibus forte repletam tenet.

§. 3. Alium lapidem ſepulcralem exhibet *Fig.* 5. In hoc uir in lecto recumbens cibum ſumere et coenare uidetur; uxor illius ſellae nullo dorſo inſtructae inſidens, pedemque alterum ſcabello imponens, non tunica tantum, ſed et palla tecta eſt, qua caput obuelat, humerosque et brachia inuoluit. Vir ille menſae decumbens et ſeminudus craterem tenet; et cum admodum iuuenis ſit; potius pro filio, quam coniuge mulieris habendus erit. Ceterum coena haec ſine dubio feralis eſt. Ad latus uiri decumbentis puerulus conſiſtit, qui caput manu fulcit lugentis ſpecie; pari modo pone mulierem puella conſpicitur, quae ſpiculum ſagittae tenet. Aliud monumentum *fig.* 6. equiti defuncto paratum offerimus. Eques hic ex uiris primoribus eſſe uidetur. In terra recumbit cubito duobus puluinis innixus. Coma longior eſt, unde pro Graeco potius, quam Romano habendus; Romani enim curto admodum capillo utebantur. Suprema quoque loricae pars oculis patet, reliqua ampliſſimo pallio tegitur. Galea pone equitem poſita, nil niſi uulgare habet; clypei rotundi pars tantum dimidia uidetur; equi illius etiam caput oſtenditur. Vir denique ſedens, cuius dorſum tantum cernimus equiſo forte uel ſeruus equitis eſt; manu baculum tenet, cui funiculus, quo equum Tab. CXXXX. tenet inuolutus eſt. His monumentis *Tab. CXXXX. fig.* 1. adhuc iungimus lapidem ſepulcralem, Nicephori ſcilicet. In medio huius lapidis, quod ad formam portae excauatum eſt, ipſe Nicephorus forma prorſus iuuenili et tunica indutus, pallioque in humerum reducto comparet. Laeua tenet pateram, dextra crumenae aliquid ſimile; quidnam ſit, aeque neſcio ac id, quod in dextro portae angulo erigitur, cui Nicephorus id, quod manu tenet, impoſiturus uidetur. Inſcriptio haec eſt ΝΙΚΗΦΟΡΕ ΧΡΗΣΤΕ ΧΑΙΡΕ h. e. *Nicephore, bone, gaude,* uel *uale!*

§. 4. De funeribus Gallorum ueterum praeter ea, quae *I. Caeſar* L. VI. c. 19 memoriae prodidit, pauca nobis innoteſcunt. I. Caeſar autem loco citato narrat: *Viri in uxores, ſicut in liberos, uitae necisque habent poteſtatem; et quum paterfamilias illuſtriore loco natus deceſſit, eius propinqui conueniunt, et de morte, ſi res in ſuſpicionem uenit, de uxoribus in ſeruilem modum quaeſtionem habent; et, ſi compertum eſt, igni atque omnibus tormentis excruciatas interficiunt. Funera ſunt pro cultu Gallorum magnifica et ſumtuoſa, omniaque, quae uiuis cordi fuiſſe arbitrantur, in ignem inferunt, etiam animalia; ac paullo ſupra hanc memoriam ſerui et clientes, quos ab iis dilectos eſſe conſtabat, iuſtis funeribus confectis, una cremabantur.* Sic pauca admodum Caeſar de Gallorum funeribus tradit, nec docet, quo pacto mortuorum oſſa cineresque condiderint. Anno 1710. Bleſis monumentum repertum eſt, quod de Gallorum ſepultura multa nobis prodit. Quum enim in monaſterio S. Laudomari ad fundamenta quaedam iacienda terram effoderent, et ad decem uel duodecim pedes excauaſſent: in fornicem perparuum inciderunt, cuius circuitus intus tres pedes exaequabat, altitudo uero ſesquipedalis erat. Camerula illa rotunda fuit et in exteriori ſuperficie caemento optime obducta, intus uero gypſo munita fuit. Ad latus eius paruum erat foramen, per quod manus immitti commode poterat. Tres autem in hac cauitate figurae deprehendebantur, ex eiusmodi materia confectae, quae aliter ad conficiendos tubos, quibus tabaci fumum haurimus, adhiberi ſolet. Una ex figuris, illis ceteris praeſtantior, formam mulieris magnae ſellae inſidentis effert; qualis *Fig.* 2. ex parte antica et poſtica exhibetur. Cultus capitis muliebris non inelegans eſt; ſedens autem mulier infantem ulnis tenet, qui mortuus uidetur. Veroſimile eſt mulierem hac figura nobilem indicari, quae infantem enixa mortua eſt. Alius forte dixerit, mulierem hanc terram eſſe, quae tanquam mater communis nos omnes nutriat et poſt mortem in ſinu ſuo recipiat. Verum an Galli ueteres talia ſchemata in ſepulcra mittentes, ita cogitauerint, non facile cognoſci poteſt. Vrna ſequens *Fig.* 3. uitrea eſt, et ſimiliter mulierem ſedentem exhibet, priori illi in multis ſimilem. Os urnae ſupra caput mulieris erectum et utrinque anſatum eſt. Ipſa Panos tibiam ſeptem fiſtulis inſtructam tenet; ſub fiſtulis fimbriae ex ueſte pendentes uiſuntur.

§. 5. A Gallis ad Hetruſcorum monumenta procedentes *Fig.* 4. ſepulcrum Hetruſcum exhibemus ex muſeo Eminentiſſimi Cardinalis Gualterii. Defunctus in eo recubans, pectore et uentre nudo,

VRNAE ET LAPIDES SEPVLCRALES VETERVM GRAECORVM GALLORVM ET HETRVSCORVM.

Tab. CXXXX.

3.



le R.P. Lequien.

1.



Marbre d'Oxford.

2.



Mr. le pr. President Bon.

4.



Cabinet de Monseigr. le Card. Gualteri.

5.



des sepolcri Antichi.

6.



Monseigr. le Card. Gualteri.

7.



des sepolcri Antichi.

nudo, et brachio sinistro puluino innixus repraesentatur; dextra pateram ad sacrificandum tenet. Facies huius monumenti anterior pugnam nobis offert. Eques lanceam, quae iniuria temporis excidit, tenens, peditem deiicit, qui stricto gladio et clypeo, hostem propellit. Pone et ante equitem alios adhuc milites uidemus, qui magnis clypeis sese tegunt. Quod uero inprimis hic notandum est, equus in archetypo huius schematis ferreas soleas habet; quod in monumentis admodum rarum est. Monumentum sequens *Fig. 5.* in quo inscriptio Hetrusca obseruatur inter singularissima referendum est. Mulier in illo defuncta recubans et cubito duobus puluinis innixa repraesentatur. Capilli in cirros immanis longitudinis concinnati sunt. Manu dextra uas tenet, quod unguentarium putaueris. Anaglyphum, quod anteriorem lapidis faciem occupat, rem prorsus insolentem et historiam singularissimam exhibet. Vir galea clypeoque munitus, uiro uel monstro potius, capite canino instructo et ex puteo egredienti, manum porrigit. Inter utrumque uir alius iam prostratus et occisus, uti uidetur, iacet. Miles alius, galea atque thorace tectus, gladium brachio dextro erigens, cynocephalum illum, cuius collum fune ligatum, tenet, percussurus uidetur. In medio eorum uictoria uisitur, quae gladium suum in idem monstrum uibrat. In extrema imaginis parte uir alius sedens et in terra nixus manum capiti admouet, et ad huiusmodi spectaculum obstupescere uidetur. Quo haec omnia respiciant, ignotum est. Ad Mythologiam forte Hetruscam pertinent, quam nos ignoramus. Monumentum tertium *Fig. 6.* iuuenem in sepulcro decumbentem et sinistra pateram tenentem nobis offert. Facies sepulcri anterior pugnam peditum exhibet, qui gladiis et clypeis muniti inter se pugnant. Quod ultimo loco *Fig. 7.* proferimus sepulcrum, ad primarium quempiam uirum pertinere creditur. In suprema monumenti parte recubans duobus puluinis nititur. Lauro coronatus uelo caput tectum habet more sacrificatorum, manu uero pateram tenet ad libationes. Capilli, in cincinnos longissimos redacti, ex occipite in sinum eiusdem defluunt. Sub inscriptione Hetrusca, quae nec legi nec explicari potest, pugna repraesentatur admodum singularis. Duo scilicet uiri armati, quorum unus genu, alter pedem arae coronatae imponit, eoque situ uterque contra duos alios punctim atque caesim pugnant. Priores illi clypeis, aduersarii uero peltis instructi sunt; et pone eos duo alii uulnerati et in genua prolapsi animo deficere creduntur. Extrema monumenti duae puellae seminudae et brachia, uti uidetur, post terga reuinctae occupant; manu tamen uolumina (aut mappulas) tenent. Hoc omne Hetruscorum genium sapit, qui semper ludebant, et in seriis quoque iocari solebant.

CAPVT IIII.

De Mausoleis.

§. 1.

Graeci aeque ac Romani pro facultate sua et defunctorum conditione, nec non pro ratione affectus sui erga parentes mortuos, praeter minora illa monumenta, etiam maiora nonnunquam erigebant aedificia, quibus memoriam defunctorum immortalitati commendabant. Quaedam eorum magnificentia sua reliqua longe superabant, quae ex parte adhuc supersunt; licet temporum iniuria ornamentis prioribus maximam partem spoliata fuerint. Quantumuis autem egregia fuerint, nullo tamen modo cum celeberrimis illis Aegypti pyramidibus comparari possunt; quod et quantitate sua et structurae firmitate ad nostram aetatem integrae peruenerunt. Quod prae ceteris ferme omnibus inter maiora orbis spectacula referebatur, magnificentissimum erat Mausoli, 1) Regis Cariae, sepulcrum, a quo reliqua quoque eiusmodi aedificia sepulcralia, Mausoleorum nomen sortita sunt. Illud *Plinio* 36, 5. teste, uxor Artemisia a summis illius temporis artificibus, Scopa scilicet, Bryaxe, Timotheo et Leochare, in mariti memoriam, immensis sumtibus exstrui curauit; ubi hoc notandum, quod quamuis Artemisia, antequam opus hoc perfectum esset, obierit, artifices tamen illi nonnisi absoluto monumento hoc recesserint; id suae iam gloriae atque artis monumentum facturi. Sed ex superbo hoc aedificio nihil hodie superest. Tantus Artemisiae in maritum amor erat, ut cremati illius corporis cineres potui suo misceret, donec penitus essent consumti. Magnum quoque regina haec summis Graeciae Oratoribus praemium statuit, qui mariti memoriam oratione panegyrica solenni cohonestatum accessuri essent.

§. 2. In excitandis eiusmodi monumentis sepulcralibus siue Mausoleis Romani Artemisia non erant inferiores; nisi eandem superauerint. Mausolea certe Augusti, Hadriani, atque Seueri magnificentia

1) uid. *Leonem Allatium* ad Leonem byzantium, et histor uniuers. ex anglico uersam, item *Baylii* dictionaire.

ficentia sua aliis plerisque omnibus palmam praeripuisse nemo facile dubitet. Augusti Mausoleum, cuius reliquiae Romae in aedibus Florauentorum supersunt, ad cacumen usque arboribus perpetuo uirentibus opertum erat. Monumentum hoc per gradus ita erat constructum, ut structura sensim spatio suo et circuitu minueretur, et in singulis gradibus tantum spatii relinqueretur, quantum terrae ad ponendas arbores, earumque recipiendas radices sufficeret. In supremo cacumine Augusti statua conspiciebatur, una cum urnis, quae illius cognatorumque cineres includebant. Ante hoc sepulcrum obeliscus erat, qui horologii solaris uicem sustinebat. Obeliscus scilicet gnomonis munere fungebatur, horarumque signa in pauimento, quod latitudine sua obelisci altitudinem exaequabat, aeneis litteris notata fuerunt. Aliquas splendidissimi huius Mausolei reliquias *Tab. CXLI. Fig. 1.* conspiciendas
Tab. CXLI. offerimus; ubi ea tantum uisuntur, quae ad interiorem ambitum spectabant, omnibus ornamentis suis spoliata; qualia a Petro Santo Bartolo in aere incisa sunt. Totum aedificium ex lapidibus in rhombi formam concinnatis erat constructum. Haud procul ab eo lucus erat uariis ambulacris diuisus.

§. 3. Monumentum longe maius et ornatius erat Mausoleum Hadriani, ex quo unica tantum, sed immanis magnitudinis turris superest, quae Romae in castello S. Angeli arcis munitissimae speciem praebet. Moles haec est solidissima, intra quam exiguum spatium uacuum relinquitur; ita quidem, ut contra quamuis temporum iniuriam satis tuta uideatur. Olim hoc aedificium sublimibus undique columnis erat exornatum; quarum hodie octoginta in Ecclesia S. Pauli extra muros conspiciuntur. Statuae illae tum pedestres tum equestres fuerunt; superbae ibidem uidebantur quadrigae quibus monumentum hoc condecorabatur. Sed Procopio narrante, pleraeque in bello Gothico confractae sunt. Quum enim Romanis lapides in hostem coniiciendi deessent: statuas hasce confregisse, earumque fragmenta telorum uice in Gothos immisisse perhibentur. Orthographiam huius Mausolei, qualem modo laudatus Bartolus depinxit, *Fig.* 2. exhibemus; ingenue tamen fatentes, quod illa cum aliorum delineationibus non omnino conueniat.

§. 4. Quod ad Mausoleum Seueri, *Septizonium* uulgo dictum, spectat, multae de eo controuersiae mouentur. Quod certiori quadam de illo ratione affirmari potest, eo redit. Septimii Seueri sepulcrum in Septizonii, quod septem architecturae ordines, alterum alteri impositos haberet, morem concinnatum, et ad uiam Appiam positum erat. Sixti V. temporibus tres adhuc architecturae columnarumque ordines superfuisse dicuntur, quos Sixtus ideo deiici iusserit, ne ruina sua iam proxima quempiam opprimerent. Columnae quoque Traiana et Antonini Mausoleorum appellatione haud indigna sunt; siquidem in honorem Principum defunctorum constructae fuerunt; ut praeclara eorum gesta insignibus hisce monumentis aeternae memoriae traderentur.

§. 5. Mausoleum Plautiorum *Fig. 3.* magna turris erat, duabus inscriptionibus notata. Prior illarum ita legenda: *M. Plautius Marci filius, Auli nepos Siluanus, Consul, Septemuir epulonum. Huic Senatus triumphalia ornamenta decreuit, ob res in Illyrico bene gestas. Lartia Cneia, filia, Vxor. M. Plautius Marci filius Ungulanius uixit annis nouem.* Mausoleum sequens *Fig.* 4. in Pausilipo ad Neapolim posito, pro Virgilii sepulcro uulgo habetur. In camera, quae medium huius monumenti obtinet, nouem olim uidebantur columnae marmoreae, quae urnam itidem marmoream sustinebant, qua cineres celeberrimi huius poetae continebantur; eique hoc distichon insculptum erat, quod Donatus his uerbis repetit:

Mantua me genuit, Calabri rapuere, tenet nunc
Parthenope; cecini pascua, rura, duces.

Nonnulli Neapolitanos metuentes, ne summi poetae ossa sibi abriperentur, in Castello Nouo illa defodisse perhibent: quapropter hodie neque urna, neque marmora supersunt; unde quispiam scripsit;

Quod scissus tumulus, quod fracta sit urna, quid inde?
Sat celebris locus hic nomine uatis erit.


In illa montis parte, qua Mausoleum intratur, in marmore, quod e terra paullum emergit, haec leguntur:

Quae cineris tumulo haec uestigia? conditur olim
Illo hoc qui cecinit, pascua, rura, duces.

Miraculo proximum uidetur in Mausolei huius fastigio, quod a nonnullis templum nuncupatur, lauros pronatas esse, quae coronam quasi efficiebant. Etsi enim duae lauri, quae omnium maximae fuerunt, excisae fuerunt, circumquaque tamen multi laurorum surculi repullulant. Immo myrto quoque et hedera totum hoc Mausoleum operitur; ita quidem, ut ipsa natura poetae huius memoriam conseruare uideatur.


LIBER

1.




Bellori.

2.



Bartoli.

3.



Bartoli.

4.



Bartoli.

5.



6.



LIBER QVARTVS.

DE INFERIS, DESCENSV ANIMARVM AD INFEROS, CAMPIS ELYSIIS ET APOTHEOSI.

CAPVT I.

De Inferis.

§. 1.

Plerique Graecorum atque Romanorum animam humanam immortalem arbitrabantur. Inter Philosophos magnus semper fuit circa uitae humanae finem opinionum dissensus. Nonnulli animam simul cum corpore mori autumabant. Alii metempsychosin seu transmigrationem animarum ex uno corpore in aliud statuebant. Plato animam non immortalem tantum credebat, sed et homines bonos probosque in alia uita remunerandos, malos uero atque improbos castigandos asserebat. Animam a corpore suo separatam pro umbra habebant hominis uiuentis, quae et cogitare et loqui possit; licet non ita perfecte. Vitae autem genus, quod demortuorum umbras agere crediderunt, somno simillimum putabant; quapropter epitaphia nonnulla his uerbis incipiant: AETERNALI SOMNO.

§. 2. Vmbram mortuorum ad inferos descendere autumabant. Et quamuis ex mente Philosophorum inferi ab omnibus orbis partibus aequaliter distarent et ipse Cicero *undique tantundem uiae ad inferos esse* dicat: diuersas tamen ad eosdem patere uias putabant. Tales e. c. fuere flumen Lethe uersus Syrtes, in Epiro Acherusia, os Plutonis prope Laodiceam, antrum Taenari prope Lacedaemonem; Vlysses ad inferos descensurus per Oceanum ad Cimmerios contendisse legitur. Aeneas per antrum lacus Auerni eo ingressus est. *Xenophon* p. 377. Herculem per peninsulam Acherusiadem, prope Heracleam Ponti, ad inferos descendisse perhibet.

§. 3. Subterraneum illud inferorum habitaculum diuerso admodum modo ab antiquis describitur. Instar omnium hoc loco nobis Lucianus erit, qui sub initium libri, quem de luctu conscripsit, secundum uulgarem profanorum opinionem de inferis ita loquitur: „ circumluitur haec regio „ fluuiis magnis et horrendis, uel solo nomine formidandis; nam Cocyti, Periphlegethontes et aliis „ id genus nominibus uocitantur. Quodque grauissimum est, praeiacet palus Acherusia, quae pri„ma excipit aduentantes, quam non possis transmittere, nec transire sine uectore; nam et profun„dior est, quam ut pedibus transiri, et latior spatiosiorque, quam ut tranari queat. In summa hu„iusmodi est, ut nec auium manes eam transuolare possint. In ipso descensu et in porta, quae „ est adamantina, Aeacus est, regis patruelis, cui mandata est custodia, et iuxta eum canis triceps, „ admodum saeuus et formidandus, qui aduenientes amice pacateque intuetur; aduersus eos autem, „ qui aufugere conantur, latrat, eosque oris hiatu terret. Iam eos, qui transmissa palude sunt ingressi, „ pratum excipit asphodelo consitum et memoriae hostis aqua, quae ideo Lethes appellatur. Haec „ enim priscis illis mortalibus narrarunt, qui illinc redierant, nempe Alcestis et Protesilaus Thessali, „ Theseus Aegaeo patre natus, atque Homericus Vlysses; testes graues admodum et fide digni, qui „ mihi ex eo fonte non bibisse uidentur; alioquin eorum non meminissent. Pluto itaque et Pro„serpina, ut illi narrant, imperium obtinent, rerumque omnium dominatum administrant; quibus „ inseruiunt, et sub imperio ipsorum rempublicam gubernant, ingens turba, Furiae, Poenae, Terro„res et Mercurius; quanquam is sane non semper adest. Praefecti autem, satrapae, iudicesque se„dent duo, Minos et Rhadamanthus, ambo Cretenses, uterque Iouis filius; atque hi quidem bo„nos probosque uiros, qui honeste uitam transegerunt, ubi iam multi collecti fuerint in campum „ Elysium, uelut coloniam quandam inducunt, uitam optimam, felicissimamque ibi uicturos. Quodsi „ malos aliquos ceperint, hos Furiis traditos in impiorum locum, pro ratione malefactorum pu„niendos eiiciunt. Quo in loco quid tandem mali non patiuntur? torti, exusti, a uulturibus

„ corrosi, rota circumacti, saxa sursum uoluentes. Nam Tantalus in ipsa palude stat, in periculum
„ adductus, ne siti infelix moriatur. Alii mediae uitae, quorum complures sunt, umbrae facti sine
„ corporibus in prato uagantur, ut fumus ad tactum euanescentes. Aluntur autem libationibus
„ nostris et sacrificiis feralibus, quae ad sepulcra inferuntur; adeo quidem, ut si cui in terra nullus
„ reliquus sit cognatus uel amicus, is ieiunus et familicus inter socios suos ibi uersetur. Haec adeo
„ ualide uulgi animos peruaserunt, ut simulaç familiaris quispiam moriatur, primum obolum ori
„ illius inferant, ut portitori traiectionis mercedem pendere possit; nec illud prius explorent, cu-
„ iusmodi nummus legitimus sit, utrum apud inferos ualeat, Atticusne Obolus, an Macedonicus, an
„ Aeginensis. Nec cogitant, multo satius esse, nihil habere eum, quod portitori soluat, quum fu-
„ turum sit, ut a portitore non receptus postliminio in hanc uitam redeat. Posthaec lotos eos,
„ ac si infernalis palus iis lauandis non satis sit idonea, et corpore optimis unguentis uncto, tum
„ floribus pulcherrimis coronatos et splendide uestitos proponunt, ne uidelicet per uiam algeant,
„ neue a Cerbero nudi conspiciantur. „ Sic iocatur Lucianus, ex cuius uerbis arguitur, opinionem omnium fere mortalium communem fuisse, animas cum corpore minime mori, sed et post hanc uitam probos praemia, improbos uero supplicia manere.

§. 4. Loca illa subterranea, animarum habitaculo deputata a nonnullis in tres partes diuiduntur, Inferos scilicet, Tartarum et Campos Elysios. Inferi autem generatim sumti haec omnia complectebantur, atque etiam pro improborum simul habitaculo nonnunquam accipiuntur; sicut Tartarus pro impiorum inprimis et campi Elysii pro beatorum sede habebantur; quatuorque flumina, Acheron, Cocytus, Styx et Periphlegethon regionem hanc alluere putabantur. Quantum uero ad inferos, generatim sumtos, eorumque diuisionem spectat, tantum est opinionum diuortium, ut uix certi quid inde erui possit. Sic inferi, in strictiori significatu, a nonnullis pro peculiari loco habentur, animabus, quae per hanç uitam bona quidem multa, sed malis quoque permixta perpetrarunt, destinato; ut in eo purgentur et expientur, antequam ad Campos Elysios admittantur. Quum contra ea homines impii atque scelesti, quorum crimina expiari nequibant, in Tartarum praecipitarentur; qui secundum Homeri testimonium (Il. VIII, 16.) tantae profunditatis lacus erat, ut ab inferis tantum, quantum hi a coelo distant, distare crederetur. Qui uero totam uitam honeste transegerant, eos continuo ex hac uita ad campos Elysios migrare çredebant.

§. 5. Erant porro, qui dicerent, iis qui semel in Tartarum essent praecipitati, nullum expiationis modum, nec ullam inde reuertendi spem superesse, sed impios aeternis ibi cruciatibus affligendos esse. Plato uero docet, eos, qui in maxima crimina prolapsi sint, quibus tamen aliquod remedium superesse uideatur; qui e. c. ira abrepti uiolentas parentibus suis manus iniecerint, quos uero postea facti sui poenituerit, qui caedem etiam commiserint, necessario quidem in tartarum praecipitari, transacto uero anni spatio fluctu quodam ex eodem extrahi; homicidas uero tunc per flumen Cocytum, qui uero patrem matremue occiderit, per Periphlegethonta transire; ex quibus dein in Acherusiam transportantur; ibidemque eos, quos uel occiderunt, uel alio modo laeserunt, nominatim compellant rogantque, ut ex lacu exeundi uenia data in ipsorum consortium admittantur. Hoc si impetrent, illos a cruciatu statim liberari; sin minus, in carcerem denuo praecipitari, et ad flumina ista redire, donec eos, quos laeserint, flectere possint.

Capvt II.

De Diis Inferis et Manibus.

§. 1.

De Inferis summatim pauca praefati, ad Deos Inferos procedentes, ante omnia monemus, inferorum imperium, communi Mythologorum consensu, Plutoni tribui, cui uxor Proserpina plerumque assidet, aedes illius Cerberus canis, triceps, qui accedentes quosque blande excipiebat, ipsisque adulabatur, sed, si quis exire tentaret, uehementer latrabat, custodire dicitur. Plutoni Iudices erant subordinati, qui de animabus, magno quotidie numero ad inferos detrusis, iudicabant, et pro gestorum ratione improbos ad uarios cruciatus ablegabant; probos uero ad Campos Elysios missos praemiis remunerabant. Princeps inter hos iudices Minos erat, Rex olim Cretensis, et Iouis filius, quem ex Europa susceperat. Secundus Rhadamanthus erat, ex iisdem parentibus natus, qui de sceleribus et furtis in hac uita perpetratis perquirebat. Tertius Aeacus, et ipse Iouis et Aeginae filius, qui quum insulam suam desertam uideret: Iouem rogauit, ut aut incolas insulae daret, aut se ex, hac

hac uita abriperet. Iupiter ei obsecutus formicas, graece μύρμηκας, in homines mutauit, qui deinde Myrmidones appellabantur. Platonem his inferorum iudicibus Triptolemum quoque iungere legimus.

§. 2. Diis Manibus, a quorum nomine pleraeque ferme urnarum inscriptiones exordiuntur, anceps significatus est; quum hacce denominatione non Dii tantum inferi, quorum iam mentio facta est, sed Parcae quoque, Furiae, nec non ipsae defunctorum animae insigniri soleant; quod fere rationi prorsus repugnare uidetur. Etenim qua ratione ipsae demortuorum animae, quae coram iudicio isto infernali comparere tenebantur, pro ipsis Diis inferis, a quibus iudicandae erant, haberi possint, nemo facile intelliget. Interim minime negandum, quod in inscriptionibus sat multis ipsae defunctorum animae Manium nomine nuncupentur; ex quo hoc simul euincitur, quod prisci Manes siue animas defunctorum in tumulo manere crediderint, ipsumque Manium nomen a *Manendo* originem traxerit. Deos uero inferos similiter pro Manibus accipi, ex inscriptionibus Graecorum paene omnibus aperte liquet; quod in latinis quoque nonnunquam factum esse, uariis exemplis constat. Hinc etiam euenit, ut ipse Pluto, aliusque quis ex Diis Manibus SVMMANVS, h. e. Summus uel princeps Manium, passim diceretur. *Ouidius* quidem Fast. VI, 731. quis Deus ille Summanus fuerit, dubitare uidetur, ita canens:

Reddita, quisquis is est, Summano templa feruntur,
Tunc, quum Romano Pyrrhe timendus eras.

Raphael Fabrettus difficultates has perspiciens, totam controuersiam perquam commode dirimi posse putat, si Manes non pro ipsa hominis anima, sed pro nescio qua separata ab homine potestate sumantur. Quid uero, si pro singulorum geniis habeantur? quum profanos illos alias sexcentas fabulas finxisse sciamus, parumque curarint, utrum commenta inter se conuenirent nec ne: mirum non sit, si etiam hoc loco a sanae rationis tramite aberrauerint.

§. 3. PARCAE tres sorores erant, quas Iupiter ex Themide suscepisse creditur, quarum prima Clotho, secunda Lachesis, tertia Atropos nominari solent. De origine illarum Mythologi non consentiunt; dum Nocte alii, alii Necessitate eas natas esse fingunt; quae ἀλληγορικῶς accipienda uidentur. Filum illae uitae humanae nere, semperque pensa sua trahentes finem quoque uiuendi cuique hominum definire dicuntur; tantaque illae concordia regi creduntur, ut nihil plane dissidii inter illas unquam ortum sit. Ipsa Parcarum nomina cum earundem officiis aliquam affinitatem habere putantur: Clotho nomen a uerbo κλώθω, *neo*, deriuat; quo haec uitae humanae tempus nere uel eiusdem filum atque texturam abscindere censetur. Lachesis, cuius appellatio a λαγχάνω, *sortior*, originem trahit, sortem humanam moderari et dispensare creditur. Tertia Atropos ideo dicitur, quod immutabilis sit, et omnium rerum ordinem subuertat; quum uel iuuenes, uel alios, quibus orbis saepius uix carere potuisset, ineuitabili fato abripit.

§. 4. FVRIAE, aliter Erynnes quoque et Eumenides uocantur, atque pro Noctis et Acherontis filiabus habentur. Orpheus tamen eas Plutonis et Proserpinae filias perhibet. Hesiodus contra ex terra et Saturni sanguine illas natas esse asserit. Earum tres uulgo nominantur, Tisiphone scilicet, Alecto et Megaera; quibus poetae capillorum loco serpentes affingunt; quo ipso scelerum, ob quae homines iis excruciandi traduntur, horrorem repraesentare uidentur. Taedas item ardentes ipsis tribuunt, quibus conscientiae stimulos denotant, qui mortalibus ea exprobrare solent, quae occultari praeoptent. Cicerone teste, Furiae Romae peculiarem lucum, et Athenis templum iis sacrum habebant. Pausanias Furias ab Atheniensibus σεμνὰς Θεὰς i. e. *Deas uenerandas* appellatas fuisse commemorat.

§. 5. Aliud Inferorum numen erat CHARON, Erebi et Noctis filius, notissimus ille nauicularius, a quo animas mortuorum per fluuium Acherontem, Stygem et Cocytum transuehi credidit antiquitas. Senex is erat, specie horrendus, cuius mento plurima erat canities et oculi ignem emittebant; omnibus inexorabilis, qui eadem asperitate et reges et subiectos, pauperes et diuites excipiebat. Dumque naulum a cunctis exigere credebatur, ueteres obolum s. numum in os mortuorum ponebant, ut traiectus pretium soluere possent. Atheniensium Magistratus aliquando praecepit, ut defunctorum suorum ori tres oboli iniicerentur; quo a plebe eo magis distinguerentur. Idem mos ab Aegyptiis accuratius, quam ab aliis, obseruatus dicitur; quandoquidem in ore corporum, quae in arenosis locis saepius eruuntur, *Mumiae* uulgo appellantur, plerumque numus aureus reperiri narratur.

§. 6. LIBITINA 1) quoque pro Dea Inferorum a quibusdam habetur; quae funeribus maxime praeſit. Plutarchus in uita Numae aſſerit, eam a nonnullis pro Proſerpina fuiſſe habitam, quum alii eandem pro Venere haberent. Adeoque eadem Dea, quae hominum natalibus praeerat, eorundem quoque morti praeficiebatur. Poetae nomen Libitinae nonnunquam pro ipſa morte ponunt.

CAPVT III.

De tranſitu animarum ad Inferos, Inferi portis, ſuppliciis infernalibus et Styge.

§. 1.

De tranſitu animarum ad Inferos notandum, quod Mercurius peculiaris huius uiae Dux 1) extiterit, et umbras, quae in hoc itinere ueſpertilionum more ſtridere ſolebant, ad exilem domum Plutoniam deduxerit. Antiquiſſimis temporibus portae quoque, quibus animae mortuorum ſubterranea illa habitacula intrarunt, confictae fuerunt. 2) Hinc formula loquendi nata eſt, ut, qui uitam cum morte mutarent, ad portas Inferi ſe conferre dicerentur. Haec loquendi ratio etiam in ſacris litteris occurrit; ubi e. c. Eſaiae 38, 10. dicitur: *ego dixi in dimidio dierum meorum, uadam ad portas Inferi* i. e. moriar. In Nouo uero Teſtamento Inferi portae pro tenebrarum poteſtate accipiuntur. Eaedem portae Inferorum nonnunquam in monumentis quoque conſpiciuntur. Sic ſchema illud, quod *Tab. CXXXXI, fig. 5.* exhibet, in Glyconis et Hemerae ſepulcro comparet, eiusque inſcriptio ita ſe habet: Θεοῖς καταχθονίοις Γλύκων καὶ Ἡμέρα, h. e. *Diis Inferis Glycon et Hemera.* Sub inſcriptione hac porta uiſitur, cuius alteram ualuam Mercurius iam ingreſſus animabus ad Inferos tranſituris aperire uidetur. Tres uero haſtae, cum ramis lauri utrinque poſitae, Glyconem uirum bello ſtrenuum fuiſſe indicant, qui bello lauros ſibi collegerit. In ſepulcro Lepidiae Papiriae *fig. 6.* aquilae, ad utrumque portae latus poſitae, eandem cuſtodire uidentur. Encarpus etiam inſignis a ſummo urnae latere utrinque pendens, monumentum hoc haud parum ornat.

Tab. CXLII. §. 2. *Tabulae CXXXXII. fig. 1.* ea ferme omnia, quae ad exitum uel finem hominis pertinent, quae mortem uel praecedunt, uel ſubſequuntur, notata reperiuntur. Quum uero ſchema hoc inſcriptione prorſus careat, explicatu perquam difficile eſt. In medio duae ualuae, quas pro Inferi portis habemus, et ante eas duo coniuges manus mutuo iungentes uiſuntur. Ad dextrum portae latus mulier lecto incumbens extremum ſpiritum exhalare uidetur; illaque forte eadem illa mulier ſiue coniux eſt, quam modo ante portam Inferi uidimus. Ad lecti pedem maritus ſedet, qui moerore confectus uxoris fatum luget. Mulier illa uelata, quae morienti et manum ſibi porrigenti adſtat, forte pro matre illius habenda. Supra mulierem iſtam morituram caput ore aperto cernitur, quod ipſam forte morientis animam ſeu umbram exprimit. Viri porro duo Charontis cymbam conſcenſuri uiſuntur, a quibus nauicularius iſte ſub porta, cymbae inſiſtens, naulum petere uidetur. Ad alterum latus duos itidem uiros uidemus, qui ad Inferos tranſeunt, quos Mercurius ſequitur. Hic autem mulierem ſimul uelatam alloquitur, quae forte alia umbra eſt, eo ductore, ad Inferos contendens. In extrema huius tabulae parte alia cymba uiſitur, ex qua uir, caſſide et clypeo munitus, deſcendit, et Mineruam, quam ex caſſide et clypeo, Meduſae caput referente, cognoſcimus, alloqui uidetur. Iuxta eum uir alius armatus et in terra decumbens pro mortuo forte habendus. Haec imago anteriorem ſarcophagi faciem occupat. In minore eius latere *fig. 2.* uir repraeſentatur, pilum tenens, pallio ſe tegens, qui mulieri uelatae manum porrigit. Bartolus hanc mulierem pro uxore illius habet, quam in Inferis agnoſcere et reperire uidetur. Qui pone eum conſpicitur armatus, forte pro amico illius habendus, quem ibidem offendit. In altero huius ſarcophagi latere minore *Fig. 3.* nonnulla Inferorum ſupplicia repraeſentantur. Hic enim primo Tantalus cernitur, ori utraque manu aquam admouens, quae uero confeſtim iterum defluit, ita, ut bibere nunquam poſſit. Iuxta ipſum Ixion, in rota horrendo modo extenſus, uiſitur. Siſyphus item genu flectens, immanem lapidem humeris geſtat. Imago ſequens *Fig. 4.* in eodem Mauſoleo reperta fuit, et Stygem, celeberrimum inferorum flumen, repraeſentat. Senis admodum barbati ſpeciem refert, qui rupi inſidens, altera manu monſtri marini caudam tenet, altera uero aquam effundit. Ad latus eius temo et ancora et ſupra caput illius κράνιον defuncti poſitum eſt; quod fluuium infernalem certiſſime denotat.

§. 3.

1) De *Libitina* uide Kirchman. lib. 1. c. 9.
1) uid. H. *Magium* miſc. lib. 4. c. 11.


2) Nempe, quia ad humanam huins uitae rationem, et iſta ſub terra fingi ſolebant,

1



Bartoli.

2.




Bartoli.

4.



Bartoli.

3.



Bartoli.



1. et 2. Descriptio brevis eorum, quae mortem vel praecedunt, vel sequuntur. 3. Poenae infernales. 4. Styx fluvius infernalis. 5. Anniversaria erga defunctos caerimonia.

§. 3. Suppliciorum infernalium quum paullo ante mentio facta fuerit, monendum, quod Homerus illa distinctius recenseat. (Od. XI, 570 sqq.) Orionem scilicet in magno Inferorum prato uenari dicit. De Tityo, terrae filio, qui Latonam, ex Iouis uxoribus unam rapuerat, refert, eum supinum iacere, cuius iecur uultures sine fine lacerent. Tantalum, in lacu ad mentum usque stantem, siti torqueri, nec ullo modo bibere posse narrat. Quum enim caput inclinando aquam petebat, haec continuo diffluebat, ut nigra tantum terra superesset; uti et mali, pyri, ficus et oleae, uirescentes fructus ad caput eius usque inclinabant; sed quum manu porrecta carpere uolebat, iidem a uentis abripiebantur. Sisyphus lapidem ingentem ambabus manibus comprehensum incredibili labore in montis supercilium portare tentabat; sed quoties paene ad cacumen usque montis, sudore diffluens et puluere consperfus, uenisset, uiribus deficientibus lapis ex manibus eius delapsus, ad radices usque montis pondere suo deferebatur; nec ullus erat laboris finis, eaedemque semper uices repetendae. Ixion, Phlegyae filius, uitricum suum Deionem (alii Erioneum appellant) insidiis interfecerat. Quum uero tantum scelus nec Dii, nec homines, expiare uellent; Ixion circumquaque palabundus errabat, quo se uerteret nesciens; donec Iupiter uicem illius miseratus, scelus eiusdem expiauit. Ixion uero, tanti beneficii immemor, ipsam Iunonem, Iouis uxorem, ad adulterium allicere conatus est, qua re comperta, Iupiter Iunonis loco ei Nubem substituit, ex qua Centauros suscepit. In terram uero rursus demissus, quum se Iunoni admodum placuisse iactasset, Iupiter, petulantiam hanc minime ferens, ipsum in Inferos praecipitatum ad rotam alligari iussit, qua perpetuo circumuolueretur.

CAPVT IIII.

De Campis Elysiis.

Campi Elysii, qui probe et honeste uiuentibus destinati fuere, secundum nonnullos in ipso lunae orbe, ubi aer purissimus est, siti fuerunt; alii in aliqua Sphaerae caelestis parte illos collocant; in Hispania prope hortum Hesperidum, alii in insulis fortunatis, alii denique, quorum opinio uulgatior est, in ipsis Inferis hos campos fuisse existimant. Saluberrimo uero amoena ista loca aëre gaudebant, et a sole, quem ab illo, qui orbem nostrum terraqueum illuminat, longe diuersum credidere, nihil plane incommodi patiebantur. Terra quoque frugiferis arboribus consita dicitur, quae nullo colente exquisitissimis perpetuo fructibus onustae fuerunt; sicut aer, suauissimo florum odore perfusus, incolas eximie delectare solebat. Auium porro per aerem uolitantium et in arboribus considentium concentus, aures perpetuo demulcebat. Cupiditas praeterea, ambitio, auaritia, aliique animi turbulenti motus prorsus hinc exulabant. Hinc omnes sorte sua erant contenti, et frequentia concelebrabant conuiuia, in quibus Nymphae et pueri formosi ministrabant. Ipsa uero beatorum corpora Lucianus nihil soliditatis habere, adeoque ossibus et carne prorsus destituta nonnisi animas esse asserit, humanae formae uelamine tectas.

CAPVT V.

De Apotheosi 1) *siue Principum Romanorum consecratione, et parentalibus.*

§. 1.

Apotheoses, quibus Romani suos Imperatores post obitum solenni ritu consecrabant, eosque in numerum Deorum ita relatos, diuino honore prosequebantur, sat antiquis a temporibus usitatae fuere. Ipsum autem consecrandi ritum Herodianus prae aliis Lib. IIII, c. 3. his fere uerbis distinctius describit: „mos est Romanis consecrare Imperatores, qui superstitibus filiis successoribus moriuntur; „ quique eo sunt honore affecti, relati dicuntur inter diuos. Est autem tota urbe quasi luctus qui- „ dam, festae celebritati et cultui promiscuus. Defuncti corpus ritu solito magnaque pompa sepe- „ litur; cereamque imaginem defuncto quam simillimam effingunt, eamque in regiae uestibulo „ ponunt, supra eburneum lectum maximum atque sublimem, uestibus stratum aureis. Et quidem „ haec Imperatoris imago pallida aegroti speciem refert. Circa lectum uero utrinque magnam „ partem diei sedent, a laeua quidem senatus omnis, uestibus atris amictus; a dextra uero matronae, „ quas

1) vid. scriptores ap. *Fabricium* in bibliogr. c. 7. n. 24. et comparationem clar. *Heilmanni* cum canonisatione.

„ quas uirorum aut parentum dignitas honeſtat. Harum nulla uel aurum geſtans, uel monilibus „ ornata conſpicitur; ſed ueſtibus albis exilibus indutae, moerentium ſpeciem praeferunt. Haec ita „ per ſeptem continuos dies fiunt; medicis quotidie ad lectum uenientibus, inſpectumque aegrum „ deterius ſe habere pronunciantibus. Deinde, ubi iam diem obiiſſe uiſus eſt, lectum humeris attol- „ lunt, qui ex equeſtri ordine ſunt nobiliſſimi, et ex ſenatorio lectiſſimi iuuenes, perque uiam ſacram „ in uetus forum deferunt, ubi Magiſtratus Romani imperium ſuum deponere conſueuerunt. Vtrin- „ que autem gradus quidam ſunt ad ſcalarum ſimilitudinem exſtructi; in quibus altera ex parte „ puerorum chorus eſt, e nobiliſſimis atque patritiis; altera feminarum illuſtrium, hymnos paea- „ nasque in defunctum canentium uenerando ac lamentabili carmine. His peractis attollunt ite- „ rum lectum, atque extra urbem in Campum Martium perferunt, ubi, qua latiſſime campus patet, „ ſuggeſtus quidam forma quadrangulari lateribus aequis aſſurgit, nulla praeterea lignorum ingen- „ tium materia compactus in tabernaculi formam. Id quidem interius fomitibus aridis impletum, „ exterius autem intextis auro ſagulis atque ſignis eboreis uariisque picturis exornatum. Supra al- „ terum minuſculum poſitum eſt, ſed forma et ornatu priori illi perſimile, portis ianuisque paten- „ tibus. Tertium ibidem et quartum inferiore ſemper contractius; donec ad extremum, quod „ omnium minimum eſt perueniatur. Poſſis aedificii huius formam comparare turribus iis, quae „ portibus imminentes, ignem proferentes, naues in tutas ſtationes dirigunt, et Phari uulgo uocantur. „ Lecto igitur in ſecundum tabernaculum ſublato, omnis generis aromata et ſuffimenta, fructus, her- „ bas, ſuccosque omnes odoratos conquirunt, atque aceruatim effundunt. Quippe neque gens eſt „ neque ciuitas, neque qui honore ullo aut dignitate praecellat, quin certatim ſuprema illa munera „ in Principis honorem mittant. Vbi uero ingens aromatum aceruus aggeſtus eſt, et locus omnis „ repletus; tum circa aedificium illud adequitant, uniuerſis ordinis equeſtris certa quadam lege ac „ recurſu, motuque pyrrichio in orbem decurrentibus. Currus item ordine decenti circumaguntur, „ inſidentibus purpuratis rectoribus, qui perſonas geſtent referentes imagines Romanorum omnium, „ qui glorioſe exercitibus praefuerunt aut imperarunt. Quae ubi celebrata ſunt, facem capit impe- „ rii ſucceſſor, eamque tabernaculo admouet. Tum ceteri omnes undique ignem ſubiiciunt; cun- „ ctaque illico fomitibus illis aridis odoramentisque referta igni ualido corripiuntur. Mox ex ſum- „ mo minimoque tabernaculo, tanquam e faſtigio quodam, ſimul cum ſubiecto igni aſcenſura in „ aetherem aquila dimittitur, quae principis animam in coelum deferre creditur. Ac iam ex illo „ tempore *una cum ceteris numinibus Imperator colitur.* „ Sed aliqua ſunt in Herodiani textu, quae uitiata uidentur. Nam quum e. c. illos tantum in Deorum numerum ſublatos fuiſſe, aſſerit; qui filios ſucceſſores reliquerint, hoc ipſi hiſtoriae repugnat; ſiquidem multi fuere Imperatores, qui anteceſſores ſuos in Deorum numerum retulerunt, etſi nec filii, nec cognati illorum fuerunt.

§. 2. Conſecrationes eiusmodi Imperatorum ſaepius in numis exhibentur; in quibus tabulata iſta, quae multis contignationibus inſurgunt, conſpiciuntur. In numis quoque nonnunquam aquilae Tab. CXLIII. comparent, quae auolantes animam Imperatoris extollunt. *Tabula CXXXXIII. Fig. 1.* Imperatoris Claudii, quem Nero, ut irrideret, caelo dicauit, Apotheoſis exhibetur. Protome hic Imperatoris Claudii coronam radiantem et illuſtri nimbo circundatam geſtantis aquilae, mox in caelum auola- turae, dorſo inſiſtit. Aquila altero ungue Iouis fulmen, altero globum, imperii ſymbolum tenet; quo ſignificatur, Claudium mox cum ipſo Ioue in coelo regnaturum eſſe. Auis ipſa in ingenti ar- morum aceruo poſita eſt; ad cuius utrumque latus roſtra quoque nauium uiſuntur. Quibus in- nuitur, Imperatorem hunc, uel potius eius duces, terra marique uictores fuiſſe.

§. 3. De Apotheoſi Fauſtinae, uxoris M. Aurelii Imperatoris, Capitolinus 26. ita loquitur: *Fauſtinam uxorem ſuam in radicibus montis Tauri in uico Halalae exanimatam ſubito morbo amiſit. Petiit a Senatu, ut honores Fauſtinae aedemque decerneret, laudata eadem, quum impu- dicitiae fama grauiter laboraſſet; quae Antoninus uel neſciuit uel diſſimulauit. Nouas puellas Fauſtinianas inſtituit in honorem uxoris mortuae. Diuam etiam Fauſtinam a ſenatu appellatam gratulatus eſt; quam ſecum et in aeſtiuis habuerat, ut matrem caſtrorum appellaret.* Anagly- phum, quod conſecrationem huius Fauſtinae exhibet, Romae in Capitolio tale uiſitur, quale *Fig. 2.* depingitur. Hic illa ſub forma matronae uelatae non aquilae, ut Imperatores, ſed dorſo mulieris alatae, quae facem ardentem tenet, inhaerentis et quaſi ex rogo ignito progredientis repraeſentatur. Bartolus mulierem hanc, cuius dorſo Fauſtina fertur, pro Diana Lucifera habet; uerum quum hanc Deam nunquam alis adeo amplis inſtructam deprehendimus; pro Victoria potius nobis habenda ui- detur; idque eo magis, quod nomen *Matris Caſtrorum* ei inditum fuerit; quo ipſo innuitur, eam uictoriarum, quas Aurelius reportauit, aliquo modo fuiſſe conſortem. M. Aurelius hic ipſe ſedens cum alio Romano, et iuuene arae adiacente, conſecrationis ſpectator comparet.

§. 4.

1.



Marmor Rom.

2.




Marmor Rom.

3.



Lapis Reg.

10.



Keysler.

11.



Keysler.

4.




12.



Keysler.

5.



6.




7.



8.



9.



1. Apotheosis Imp. Claudii. 2. Apotheosis Faustinæ uxoris M. Aurelii Imp. 3. Apotheosis Germanici. 10–12. Monumenta sepulcralia populorum quorundam septentrionalium. 4–7. Mumiæ Aegyptiacæ 8. 9. Sphinx et Pyramis Aegyptiaca.

§. 4. Pulcherrimus gazae regiae achates Germanici Apotheosin ita repraesentat, sicut *Fig. 3.* exhibetur. Lapis hic per septingentos ferme annos penes Monachos Benedictinos S. Apri Tullensis fuit, illumque, secundum traditionem illius coenobii, Humbertus Cardinalis, monasterii huius monachus, Constantinopoli, quo sub Leone IX. concesserat, detulisse fertur. Tanta illis temporibus erat rei antiquariae ignorantia, ut hic lapis pro monumento sacro, quod religionem Christianam respiciat, haberetur; siquidem Germanicum hunc, S. Iohannem Euangelistam, ab aquila abreptum, et ab angelo coronatum esse putauerunt. Postquam uero monachi isti S. Apri lapidem hunc a. 1684. regi Galliarum obtulerunt: antiquarii circa imaginem in diuersas abiere sententias. Alii Augustum esse existimauerunt; maior uero numerus Germanicum agnouit. Nusquam quidem legimus, Germanicum Apotheosi fuisse honoratum. Sed monumentum hoc uel Caligulae, cuius pater erat, uel alius consanguinei iussu adornatum esse, dubio caret. Tacito enim teste, insignis monumentorum numerus ab amicis huic Principi, qui dum uiueret, *amor et deliciae populi* appellabatur, paratus fuit. Sed eiusmodi praesertim monumenta ei adornata fuere, quorum moles non maior erat, quam quae Tiberium facile lateret. Quum enim laudatissimus hic Princeps et a virtute et victoriis Tiberio plane inuisus esset, honores illi exhibiti periculo minime vacabant. Huius generis est achates hic, in quo Germanicus aquilae insidens repraesentatur. Pectus illius tegit Aegis Mineruae, virtutis bellicae symbolum. Sinistra cornu copiae, dextra lituum seu virgam auguralem tenet. Illud Deorum beneficentiae insigne fuit; haec auguris dignitatem indicabat. Capiti illius victoria lauream coronam imponit, et aquila palmam unguibus tenet; quae uirtutis bellicae signa in eiusmodi monumentis quam maxime sunt vulgaria.

§. 5. Hic consecrationis seu hominum inter deos referendi ritus a Graecis ad Romanos pertransiit. Sub finem quippe Tomi I. uiros praeclaros sat multos uidimus, qui in Deorum atque Heroum numerum fuerunt relati, qui Heroismus iure suo pro aliqua consecrationis specie haberi potest. Exemplum huius rei profert Thucydides L. VII. p. 350. Postquam Brasidas dux Lacedaemoniorum fortissimus prope Amphipolim occisus erat: milites eum ante illum urbis locum, quo postea forum constitutum est, sepeliuerunt; Amphipolitae uero hoc minime contenti circa sepulcrum eius septum construxerunt, ipsique tanquam heroi parentarunt, et certamina et sacrificia in honorem illius annua constituerunt; ipsumque postea tanquam coloniae suae fundatorem coluerunt. Quae de Hephaestionis, Alexandri amici Apotheosi Lucianus in libro, quem de calumnia scripsit, iocatus fuerit, ea hic omnino locum merentur. Postquam e uiuis excessit Hephaestion, Alexander ad reliquam funeris magnificentiam id additum uoluit, ut mortuus Hephaestion inter Deos referretur. Ciuitates continuo ei templa condiderunt, delubra dedicarunt, aras, uictimas et festa nouo Deo consecrarunt. Eratque nomen Hephaestionis iusiurandum omnium religiosissimum. Si quis autem risisset ad ea quae fiebant, uel non omni studio ipsum colere uisus esset, ei capitalis poena erat indicta. Assentatores uero perspecta hac Alexandri iuuenili cupiditate, ei ignem et fomitem addere coeperunt; somnia narrantes et uisa Hephaestionis, nec non medelas ei attribuentes, eiusque oracula praedicantes, denique assessori, malorumque depulsori Deo, sacra fecerunt. Alexander haec libenter audiebat, tandemque iis, ut ueris, fidem adhibebat, et gloriabatur, quod non modo Dei filius esset, sed quod Deos etiam creare posset. Quot igitur Alexandri amicos putamus ob illam Hephaestionis diuinitatem tum male habitos fuisse, quum accusarentur, quod communem omnium Deum non colerent, adeoque Regis beneuolentia excidisse? Tunc temporis Agathocles Samius, qui apud Alexandrum tribunus et in honore fuit, parum abfuit, quin cum leone concluderetur, accusatus, quod sepulcrum Hephaestionis praeteriens illacrymasset. Verum illi opem tulisse fertur Perdiccas, per Deos omnes, ipsumque Hephaestionem iuratus, ipsum in uenatione sibi clare uisum mandasse, ut Alexandro diceret, Agathocli esse parcendum, qui non ut mortuum lacrymasset, nec quod uanam Hephaestionis diuinitatem crederet, sed quod pristinae familiaritatis meminisset.

§. 6. Ad honores, quibus ueteres defunctos prosequebantur, caerimoniae quaedam anniuersariae, quas *Parentalium* nomine significabant, iure suo referendae sunt. Quotannis scilicet ad sepulcra eorum accedebant, ubi sacrificiis oblatis conuiuia feralia celebrabantur; quo fine ditiores in mausoleis suis et hypogaeis diuersa conclauia, triclinia atque cubicula parasse uidentur. Nonnunquam etiam fossas in terra faciebant, in easque uinum, lac, aquam, aliosque liquores, quibus animas apud inferos uitam producere credebant, infundere solebant. Anniuersariam eiusmodi erga defunctos caerimoniam, ut puto, conspicimus in pulcherrima tabula *Fig. 5.* Tab. CXXXXII. in qua mulier uelata et lacrymabunda, comitantibus filiabus uel cognatis, ad coniugis mausoleum sese confert. Viri duo, qui seruorum speciem referunt, eandem comitantur. Mausolei huius porta inprimis conspicua est; in cuius frontispicio duo genii candelabrum tenent.

§. 7. Praeter anniuerſarias iſtas caerimonias, annuoſae luctus, Romae alia adhuc ſolennitas in uſu fuit, quae *Feralium* nomine uenit, quae, *Ouidio* Faſt. 2. u. 543. teſte, ab Aenea originem traxit. Quid quod non Romae tantum et in Graecia, ſed et in Perſide et apud alias gentes pro Regibus, Imperatoribus, aliisque uiris inſignibus, qui de re publica bene meruerunt, luctus eiusmodi publicus inſtituebatur. Inſcriptione quadam Metenſi docemur, peculiare quoddam ſacerdotium fuiſſe pro animabus apud Inferos degentibus. Inſcriptio illa his uerbis legitur: *Marcus Antonius Martialis Pontifex Curialis quinqueuir Sacrornm Erebi.* Erebus uero apud ueteres duplici ſignificatu ſumitur. Nonnunquam hac uoce noctis uel coniugem uel patrem deſignant; aliter uero pro Inferorum quadam parte accipiunt; quo ſenſu etiam in inſcriptione modo citata intelligenda uidetur. Ceterum quinque ſacerdotum Collegium erat, quos *Quinqueuiros* appellabant; qui pro animabus defunctorum ſtatutis temporibus ſacrificia offerebant.

ANTIQVITATIS
EXPLANATIONE ET SCHEMATIBVS ILLVSTRATAE
TOMI QVINTI PARS SECVNDA
DE BARBARARVM GENTIVM FVNERIBVS, DE LVCERNIS ET SVPPLICIIS AGENS.

LIBER PRIMVS
DE BARBARARVM GENTIVM FVNERIBVS.

CAPVT I.

De ritu Aegyptiorum circa funera cognatorum et domeſticorum. 1)

§. 1.

Herodoto Euterp. 85. teſte, Aegyptii cognatorum et domeſticorum ſuorum funera ſequenti modo curabant. Quibuscunque aliquis ex domeſticis homo alicuius pretii deceſſit: omnes illius familiae mulieres caput et uultum luto oblinebant; deinde, relicto inter cognatos cadauere, cum omnibus affinibus ſuis ſuccinctae mamillisque nudatis ſeſe ipſas uerberantes per urbem uagabantur; ex altera parte uiri quoque et ipſi ſuccincti idem faciebant; iisque peractis demum cadauer condiendum deportabant.

§. 2. Qui ad unctionem hanc conſtituti et artis illius periti erant, iis, qui cadauer ipſis ungendum deferebant, diuerſa mortuorum exemplaria in ligno depicta oſtendebant; ut, quodnam placeret, eligerent. Si quis autem omnium exquiſitiſſimum nominaſſet, nefas habebatur. Si de pretio conuenerant, cognati demortui domum redibant. Interim unctores corpus ipſis commendatum diligentiſſime condiebant. Ante omnia quidem ferro incuruato cerebrum cadaueris per nares extrahebant, eiusque loco uaria pharmaca infundebant. Acutiſſimo lapide Aethiopico ilia conſcindebant

1) Vid. praeter ſcriptores a *Fabricio* c. 23. n. 7. deſignatos, *hiſtor. uniuerſ.* ex anglico uerſam tomo I.

debant et totam aluum extrahebant. Hanc ubi repurgarunt, et uino palmeo eluerunt, odoribus contusis, myrrha scilicet et casia, aliisque aromatibus, thure tantum excepto, eandem completam rursus consuebant. Nitro deinde abditum hoc cadauer per septuaginta dies saliebant; quibus exactis corpus hoc denuo ablutum sindone byssina inuoluebant, gummi simul illud illinentes, quo Aegyptii glutinis loco utebantur. Hoc dein recepto propinqui ligneam hominis effigiem faciebant, cui corpus illud conditum includebant, et in loculo repositum ad parietem ita erigebant, ut stare uideretur.

§. 3. Qui sumtibus maioribus ad condiendos mortuos non pares essent, clysterem tantum unguento, quod ex cedro exprimebatur, implebant, eoque aluum nec scindentes nec protrahentes uiae posterioris hiatum inferciebant, et per septuaginta dies sale condiebant. Die septuagesima unguentum illud cedrinum, cuius tanta uis fuisse traditur, ut aluum simul cum intestinis per temporis illud spatium tabefecerit, una cum aluo rursus extrahebant. Nitro autem carnes similiter adeo tabefactae dicuntur, ut cutis tantum et ossa cadaueris relinquerentur. Tertia conditurae ratio, qua illi utebantur, qui tenuiori erant fortuna, haec erat; qua uentrem ablutionibus tantum abstergebant, et per 70. dies sale arefaciebant.

§. 4. Si quis autem Aegyptiorum uel exterorum mortuus deprehensus, siue a crocodilo raptus, seu ab ipso flumine suffocatus fuerat: urbs illa, ad cuius oram cadauer eiusmodi eiectum esset, ad ipsum condiendum et honestissimis exsequiis sepeliendum obstricta erat; idque in sacris loculis, quoniam cadauer cuiquam proximorum aut amicorum ne quidem contingere fas est; sed ipsi Nili sacerdotes manibus illud contrectantes sepeliunt.

§. 5. *Diem exsequiarum*, Diodoro teste, *cognati iudicibus aliisque consanguineis et amicis praenunciant, dicuntque talem, cuius nomen indicant, lacum esse transiturum. Postea uero coactis iudicibus plus quadraginta, atque in quodam hemicyclo considentibus in quodam praeparato ultra lacum consessu nauicula ad hanc rem instructa trahitur, gubernante proreta, quem lingua sua Charontem uocant. Indeque Orpheum in Aegyptum peregrinatum fabulam de Inferis partim imitatum fuisse perhibent. Deducto per stagnum nauigio, priusquam mortui loculus deponatur, quisquis accusare uelit a lege potestatem habet. Quod si quis in medium progressus institutam accusationem probauerit, lata per iudices sententia cadauer sepultura priuatur; sin contra accusator calumniosus deprehendatur, magnae obnoxius est poenae; si inculpatus deprehendatur mortuus, deposito luctu cognati ad laudes eius procedunt, et de genere quidem nihil memorant; quod tamen graeci in more habent; putant enim Aegyptii, se omnes aeque nobiles esse. Sed ut a puero educatus et instructus fuerit, ut Deos, iustitiamque coluerit, recensent, ac Deos Inferos, ut in piorum consortium recipiatur, rogant. Laudes populus excipit, ac defunctum praedicat, ut qui aeternum cum piis aeuum in Ditis regno acturus sit. Cadauera quibus propria sunt monumenta, in designatis locis reponunt. Qui uero sepulcra non habent, domi aediculam construunt, erectumque loculum ad parietem constituunt. Vel ob intentata crimina uel aeris alieni caussa sepultura prohibitos in aedibus suis condunt. Et saepius fit, ut nepotes, quibus aucti maiores debitis aut criminibus exsolutos honorifica sepultura dignentur. Parentes autem et maiores in aeternam habitationem translatos sanctissime colere et in honore habere Aegyptiorum mos est. Haec etiam iis consuetudo est, ut parentum mortuorum corpora pro creditis oppignorent; si qui uero non redimant, ii magnum dedecus consequuntur, ac post mortem sepultura priuantur.*

§. 6. Multa hodieque uisuntur eiusmodi corpora aromatibus condita, et multis cannabinis fasciis constricta; quae trito uocabulo *Mumiae Aegyptiacae* uocantur. In museis passim corpora eiusmodi uisuntur, et in Aegypto fere quotidie noua eruuntur; quorum pleraque, uti narratur, aureum numum in ore habent, Charonti soluendum. Praeter priorem fasciarum cannabinarum saepius replicatarum apparatum, alia in superficie tela est picta, concinne posita, et uariis figuris hieroglyphicis et Numinum Aegyptiacorum imaginibus ornata. Haec corpora condita ligneis plerumque capsis sunt inclusa, quarum superficies itidem uariis hieroglyphis insigniebatur. Tab. CXXXXIII. Fig. 4 — 7. aliquas eiusmodi Mumias diuerso modo concinnatas exhibemus; quarum prior *Fig. 4.* anno 1692. Lutetiam allata, faciem simul atque manus ostendit; sequentem *Fig. 5.* ex Kirchero mutuati sumus; tertiam et quartam ex Petro de Valle sumsimus.

Caput II.

De Pyramidibus Aegyptiorum et Sphinge. 1)

§. 1.

Aegyptii Reges suos magnificis et maxime conspicuis sepulcris tumulabantur. Inter haec aedificia prae ceteris eminebant celeberrimae illae pyramides, quae ad hodiernum usque diem permanserunt, quae ob immanem molis magnitudinem inter septem ista orbis spectacula referebantur. Herodoto narrante, primus hoc opus suscepit Cheopis Rhampsiniti successor, qui nullis non addictus uitiis, templa omnia claudi iussit, et, ne Diis sacrificia offerrentur, uetuit; Aegyptiosque aedificiis, quae ipse susceperat, construendis addixit. Alii in Arabii montis latomiis lapides caedebant, et ad Nilum usque comportabant; ubi in scaphas impositos ad oppositam Nili ripam prouehebant, aliisque tradebant, qui ipsos ad Libyae montem traducerent. Decem myriades seu centum hominum millia labore hoc continuo sese macerabant; quorum ternis quibusque mensibus cuiuis myriadi noua succedebat. Decem totis annis populus transuehendis lapidibus ingenti sudore incubuit; et ad uiae opportunitatem latam uiam construxit, quod opus haud minoris, quam ipsa pyramis sudoris erat. Viae longitudo quinque stadiorum erat, quae sexcentos et uiginti passus Geometricos exaequabant. Latitudo eius decem ulnarum erat; altitudo octo ulnarum, ubi solum erat demissius. Latera huius uiae ex incisis quadratisque lapidibus constabant, uariis hieroglyphis exornatis. Decem quoque anni elapsi erant, dum haec uia strueretur, et loca subterranea in colle, in quo pyramides ipsae erigebantur, pararentur. Locum sepulcro suo ponendo Rex in insula, quam ducto ex Nilo canale effecerat, parari iussit. In construenda pyramide per uiginti annos desudatum est, eiusque latitudo in singulis faciebus octingentorum pedum erat. Lapides, ex quibus haec pyramis construebatur, pedes triginta longitudine exaequabant.

§. 2. Haec pyramis, pergit idem Herodotus, gradibus est instructa. Quod pro raphanis, caepis atque alliis impensum fuit, summam talentorum mille sexcentorum complebat; quod ex inscriptione, Herodoti tempore adhuc superstite, compertum est. Quantum uero pro ferramentis, pane, alioque ciborum genere, et quantum pro uestibus insumtum sit, uix definiri poterit. Pyramis secunda, a Chephrene, Cheopidis illius successore exaedificata, priore minor erat; tertia omnium minima, Mycerinum Chephrenis filium auctorem habuit.

§. 3. Tres hae pyramides, quae hodieque supersunt a multis peregrinatoribus descriptae fuerunt; qui fere omnes cum Herodoto consentiunt. Longe uero accuratior nobis uidetur Cornelii Brunii delineatio. Et licet tres tantum pyramides uulgo numerentur; earum tamen quatuor sunt; sed postrema adeo exigua est, ut ceteris non annumeretur. Quae omnium maxima est, ea sola ad cacumen usque adiri potest, eamque solam per aditum admodum angustum intrare licet. Quamuis autem pyramis haec gradibus instructa sit, ita ut quisque lapidum ordo inferior magno spatio superiorem excedat; tamen non nisi magno conatu, nec sine insigni periculo, illam ascendas; quod lapides non tantum praealti, sed et multis in locis abrupti sunt atque exesi. Brunius asserit, se in maiore pyramide ducentos decem lapidum ordines, alios aliis impositos numerasse, seque in ima illius parte laterum mensura capta deprehendisse, quod singula latera septingentorum quatuor pedum latitudinem exaequent. Mensura uero ascensus exterioris ab eodem Brunio sexcentorum et sexdecem pedum fuisse dicitur. Pyramis porro isthaec, quae in terra illam conspicientibus in acumen desinere uidetur, in uertice tamen spatium quadratum, idque planum habet; quod ad singula latera sedecim pedes longum est, et decem uel duodecim lapidibus permagnis constat.

§ 4. Secunda pyramis procul conspecta prima altior uidetur, quod in eminentiori solo posita est; eaque undique clausa est, ut nullus in eam aditus pateat. Putatur tamen olim in illa quoque aliquem fuisse meatum, itemque tramites atque conclauia uacua. Certe, quum illa aeque, ac prima, sepulcrum fuerit, uix est quod dubitetur, quin meatus quoque et camerae in illa constructae fuerint. Quadrata et haec est, et secundum Theuenotium singula illius latera sexcentos et triginta pedes lata sunt. Tertia pyramis, si cum ceteris comparetur, admodum est exigua, et olim tabulis lapideis uestita putatur.

§. 5.

1) Adde descriptiones in historia uniuersali ex anglico; et in *Pocokii* itinerario.

§. 5. In uicinia harum pyramidarum statua quoque conspiciebatur in ipsa rupe incisa, quae Sphingis formam repraesentabat; cuius uero solum caput, mulieris faciem referens, superest. Corpus huius statuae arena, cuius congerie collis quidam efficitur, ita obrutum est, ut solum caput et collum huius Sphingis emineat. Ingens uero illius moles uel ex eo colligitur, quod solum caput uiginti septem pedum altum dicatur, et ab aure ad mentum usque quindecim pedes numerentur. Plinius hanc molem Amasis, regis Aegypti sepulcrum fuisse perhibet; idque uero eo similius uidetur, quod eo loco posita fuit, qui commune quasi coemeterium erat, ubi pyramides et cryptae siue sepulturae loca fuerunt. Sphingem hanc una cum pyramidum forma externa eaque minima *Fig.* 8. et 9. exhibemus.

CAPVT III.

De Mumiarum campo et auibus aromatibus conditis.

§. 1.

De Mumiis, quae cadauera fuerunt Aegyptiorum, uariis aromatibus condita, iam supra uerba fecimus; hoc loco de mumiarum campo, cuius itinerum scriptores passim mentionem faciunt, quaedam proferenda sunt. Campus hic mumiarum, uicesimo circiter ab urbe Cairo lapide situs, latissimus est, planus et arena ita coopertus, ut nulla arbor uel planta in eo nascatur, nec ulla aedes uel casa ibidem conspiciatur. Tota potius illius superficies ossibus aridis, brachiis, cruribus, caluariis, linteis laceris, ruptis loculis, exiguis idolorum simulacris tecta atque repleta est. Totus hic campus subterraneis meatibus, qui in uarias cameras et conclauia abeunt, innixus dicitur. In cameris his in rupe excauatis cadauera ista aromatibus condita locabantur. Qui uero cadauera haec seu mumias perquirunt, eos in puteos descendere oportet, quibus ad subterraneas illas cameras deueniunt. Mumiae ipsae fasciis constrictae et uariis picturis ornatae, nonnunquam etiam deauratae sunt.

§. 2. Aromatibus aues quoque nonnunquam condiebantur. Sic *Aelianus* Hist. anim. VI, 7. sepulcrum cornicis prope lacum Moerin situm commemorat. Puteum praeterea peregrinatores nostri auium sepulcrum, quod in mumiarum campo uisitur, denotant; in quem Miltonius Anglus ipse fune sese demisit, eumque his uerbis describit: *adrepentes ingressi sumus in cryptam seu in conclaue in rupe excauatum, altitudine humani corporis, latitudine ulnae, longitudine ingenti. Hinc et inde plurimos meatus offendimus in rupe excauatos, in quibus camerae plurimae figulinis urnis repletae, quarum singulae operculo ex eadem materia gaudebant; in quibus urnis aues aromatibus conditae seruabantur. Vna tantum auis in singulis urnis erat. Oua quoque gallinacea reperimus, quorum integrum quidem putamen; sed ea intus uacua erant; quo fiebat, ut tetrum odorem non conceperint.*

CAPVT IIII.

De funeribus Troglodytarum, Aethiopum Macrobiorum, Nabataeorum, Assyriorum. Persarum, Derbicum, Caspiorum et Scytharum.

§. 1.

T*roglodytae*, Diodoro Siculo et Strabone testibus, mortuorum cadauera paliuri uiminibus ita constringebant, ut collum cruribus annecterent. Dein in collem quendam coniecta ridentes et cachinnantes lapidibus ingentibus eo usque impetebant, donec lapidum congestu plane obruerentur. Caprae denique cornu iis imposito ludibundi discedebant.

§. 2. *Aethiopes*, qui ob uitae longitudinem (centum quippe et uiginti annos uiuendo plerunque transigebant) *Macrobii* dicebantur, testante Herodoto, eodem paene, quo Aegyptii modo defunctorum corpora curabant. Cadauera quippe exsiccata gypso quodam oblinebant, et eodem qui uiuis illis erat, colore pingebant. Dein in columna quadam uitrea intus uacua illa ponebant; quo pacto funera haec, homines uiuos referentia, per uitrum semper conspici poterant; nec tetrum un-

quam odorem emittebant. Hoc autem modo per anni ſpatium ea domi ſeruabant, illisque omnium rerum primitias offerentes, ſacrificiis quaſi uenerabantur. Anno transacto corpora illa circa urbem collocabant. Longiſſime ab hoc honore diſtabat *Nabataeorum* ritus, qui mortuorum corpora ad inſtar fimi uel ſtercoris habentes, re ipſa prope ſimum ſepeliebant. Heraclitus dicere ſolebat, mortuos ſtercorum eſſe deterrimum, adeoque quam primum eliminandum.

§. 3. *Aſſyrii* defunctorum corpora in melle deponebant, ſicut Romani quoque melle ſaepius utebantur; quod eo corpus a uermibus et putredine defendi putabant. Caeterum Aegyptiorum quoque circa funera morem ſeruantes, Herodoto teſte, Reges ſuos circa paludes ſepeliebant; qui tamen mos minus conſtans fuiſſe uidetur; ſi quidem, quod idem *Herodotus* in Clio c. 147. de Nitocri Aſſyriorum regina narrat, fidem mereatur. Haec enim regina ſupra portas urbis, frequentiori populo tritas, loco edito et conſpicuo ſepulcrum ſibi exſtrui, eique hanc addi inſcriptionem curauit: *Si cui regum Babylonis poſt me futurorum fuerit pecuniae penuria, aperto ſepulcro ſumat quantumcunque uoluerit pecuniae; nec tamen aperiat, niſi indiguerit; non enim in rem eius fuerit.* Hoc itaque ſepulcrum intactum manebat, donec imperium ad Darium peruenit, qui ſub cadauere tranſire maieſtate ſua indignum iudicabat. Sed ſacra tandem auri fame ductus, ſepulcro hoc aperto, nil plane reperit, praeter aliam inſcriptionem his uerbis expreſſam: *niſi auri inſatiabili cupiditate tenereris, defunctorum ſepulcra non aperuiſſes.*

§. 4. Cruenta prorſus Scytharum funera Herodotus Melpomene 72. his fere uerbis deſcribit: *Regum ſepulcra apud Gerrhos ſunt. Vbi Borysthenes iam nauigabilis eſt, ibi quum rex eorum deceſſit, ingentem ſcrobem forma quadrata effodiunt. Hoc ubi praepararunt, corpus mortui cera oblinunt, illiusque aluum euulſam atque repurgatam ſilere contuſo, thymiamate, apiique et aniſi ſeminibus repletam rurſus conſuunt, et cadauer hoc ad aliam gentem ferunt. Hoc qui accipiunt, idem agunt, quod Scythae Regii. Auris partem amputant, crinem circumtondent, brachia circumcidunt, frontem naſumque ſauciant, ſiniſtramque manum ſagittis traiiciunt. Regis dein cadauer carpento impoſitum ad aliam gentem, cui imperitant, transferunt; quae eos eodem comitatur, unde primum uenerant. Hoc modo ſi ſingulas gentes, quibus Rex imperauit, cadauer illius luſtrauit, apud eos tandem deponitur, et ſepelitur, qui in extremis Gerrhis habitant. Poſteaquam cadauer ſuper torum in loculo poſuerunt, haſtis utrinque defixis deſuper ligna diſponunt, quae pallio contegunt. In reliquo loculi ſpatio aliquam ex concubinis illius ſtrangulatam ſepeliunt; nec hanc ſolam eo condunt, ſed cum quoque, qui uinum miſcebat, et cocum et equiſonem et miniſtrum; nec non eum, qui a nunciis ipſi erat, equos item et omnium aliarum primitias, quin etiam phialas aureas; argentum enim atque aenea uaſa apud eos non in uſu erant. His peractis omnes certatim humum iniiciunt, cumulum perquam magnum congeſtaturi. Anno elapſo idem agunt. Ex famulis regis intimos ſumunt, ſunt autem Scythae indigenae; nam famuli ſunt, quos rex iuſſerit, nec ullus uenalitius ei miniſtrat. Horum miniſtrorum quinquaginta cum totidem praeſtantiſſimis equis ſtrangularunt, aluosque eorum uacuatas paleisque rurſus repletas conſuunt, et ubi dimidium fornicis ſuper duo ligna reſupinatum ſtatuerint, alterumque dimidium ſuper altera duo ligna et multa alia eiusmodi defixerunt: tum ſuper ea equos, craſſis tignis in longum ad ceruicem uſque traiectos imponunt. Equos autem infrenant, eorumque habenas ad palos alligant. Dehinc ſuper eorum ſingulos ſtatuunt ſingulos quinquaginta iuuenum ſtrangulatorum, per quorum ſpinam ad ceruicem uſque ſtipitem transfigunt. Hisque equitibus ita diſpoſitis abeunt.*

§. 5. *Alios autem Scythas, quum deceſſerunt proximi quique in plauſtris collocatos ad amicos circumferunt. Hos ſinguli amicorum excipientes cadauer comitantibus epulum praebent, et cadaueri tantundem ciborum quantum ceteris omnibus aſſignant. Hunc in modum homines priuati per quadraginta dies circumaguntur; quibus peractis humantur. Scythae uero poſt eiusmodi exſequias ita ſe purgant. Vbi corpus abſterſerunt et lauarunt, tria ligna ſtatuunt mutuo inclinata, circa quae laneos pileos praetendunt et in medium lignorum atque pileorum lapides ex igne fulgentes coniiciunt.*

CAPVT

CAPVT V.

De funeribus Germanorum et populis quibusdam septentrionalibus.

§. 1.

De *Germanorum* funere, quum Tacitus de moribus Germanorum c. 27. differit, ita loquitur: *Funerum nulla ambitio; id solum obseruatur, ut corpora clarorum uirorum certis lignis crementur. Struem rogi nec uestibus nec odoribus cumulant; sua cuique arma, quorundam igni et equus adiicitur. Sepulcrum cespes erigit. Monumentorum arduum et operosum honorem, ut grauem defunctis aspernantur. Lamenta et lacrymas cito, dolorem ac tristitiam tarde ponunt. Feminis lugere honestum est, uiris meminisse.*

§. 2. *Gentes septentrionales*, quorum nomine praeter Germanos Scythas inprimis, Sarmatas, Cimbros, Danos atque Britannos intelligimus, Regibus primoribusque suis defunctis pro conditione demortui maiores minoresue terrae tumulos in sepulcra parabant. Alius sepulcra construendi modus ille fuit, quo ingentes lapides in terram defigebant, et certa inter illos obseruata distantia maiores latioresque prioribus illis imponebant; ita ut spatium illud inter defixos in terram lapides relictum obtegeretur. Inque locis quibusdam monumenta haec barbara multos simul homines recipere et ab aeris iniuria tutos praestare poterant. Non autem in septentrionalibus tantum istis regionibus eiusmodi monumenta comparent; sed in Galliis quoque multa eorum supersunt, et plura forte superessent, nisi ingentes, quibus ea constructa fuere, lapides aliis aedificiis erigendis adhibiti fuissent. Celeberrimus *Keyslerus* in antiquitatibus suis septentrionalibus p. 1. sqq. mentionem facit eiusmodi monumenti, quod in Anglia sexto a Salisburia milliario uisitur. Lapidibus illud ingentibus magis in longitudinem quam latitudinem extensis consistit. Diuersae quoque illi molis sunt; qui medium tenent, reliquis longe maiores sunt. Nonnulli eorum uiginti pedes alti et septem pedes lati sunt. Bini plerumque in terra defixi sunt, quibus alii coronidis quasi siue zophori loco impositi sunt, et erectos illos lapides operiunt. Inter hosce lapides quidam soli, nec aliis tecti, alii plane delapsi conspiciuntur. Ceterum lapides hi omnes admodum duri atque solidi sunt, nec politi, nec scalpro uel malleo concinnati, sed plane rudes. Schema huius monumenti exhibet *Fig. 10.* Plura adhuc in Anglia sunt monumenta huic similia. Immo in Germania quoque, et quidem iis maxime regionibus, quae propius ad Septentrionem sitae sunt, Frisia scilicet, Westphalia, aliisque plurima eiusdem generis sepulcra occurrunt. Hae uero lapidum congeries sedecim uel octodecim, nonnunquam uiginti et plures per passus pertinent. Nonnunquam ad formam rotundam accedunt; ut in monumento quodam Ducatus Brunsuicensis prope Helmstadium, quod *Fig. 11.* ex supra laudato Keyslero pag. 8. proferimus, uideri potest. Huic *Fig. 12.* aliud iungimus, quod circa locum, cui nomen *Artolf* est, in luco uisitur; quod a quibusdam pro ara habetur.

LIBER SECVNDVS DE LVCERNIS VETERVM.

CAPVT I.

De lucernarum origine uariisque illarum speciebus. 1)

§. 1.

Pauca Veterum monumenta numero maiori occurrunt, quam lucernae. His enim omnia ferme per Europam musea repleta uidemus; et magnus etiamnum illarum numerus passim ex terra eruitur. Vsum earum antiquissimum esse, nemo facile negabit; quanquam de prima illarum origine nihil

1) uide plures scriptores de *lucernis sepulcralibus* apud *Fabricium* bibliogr. c. 23. n. 10.

nihil certi affirmari poſſit. Quidam ab Aegyptiis eas inuentas eſſe perhibent; ſed nullo fundamento ſatis firmo innixi. Lucernarum uero neceſſitas, cum iuuenti facilitate coniuncta, eas ſub mundi ſtatim primordiis inuentas eſſe ſuadent.

§. 2. Pro diuerſo earum uſu in tria praecipue genera diſtinguere lubet. Primo quidem in eas, quibus in templis et celebrandis ſacris utebantur; ſecundo eas, quae in aedibus adhibebantur, quibus etiam illas annumeramus, quas in nuptiis atque conuiuiis uſurpare ſolebant; et tertio eas, quae in ſepulcris ponebantur; quae ideo in ſpecie ſepulcrales dici ſolent. A prioribus illis, quas in ſacris faciendis adhibebant, feſtum Lucernarum, quod tum apud Aegyptios, tum apud Athenienſes celebrabatur, originem traxit. Lucernas autem diebus feſtis in templis accendendi conſuetudo ab Hebraeis forte ad gentes profanas promanauit. Athenienſes Lucernas in feſtis Mineruae, praecipue Vulcani et Promethei accendiſſe feruntur; quod hic ignem de caelo detulerat, ille ex Mythologorum opinione, faber ipſius ignis et lucernarum auctor erat; iſta uero pro omnium artium inuentrice habebatur. Romanos in templis uaria ſolennia celebraturos lucernas accendiſſe, notum eſt. Immo feſtis quibusdam diebus ianuis atque feneſtris, item arboribus lucernas appendebant. Quae in ſepulcris ponebantur lucernae, a multis eruditorum perpetuae atque nunquam extinctae exiſtimabantur. Ad ſententiam ſuam corroborandam uaria ueterum lucernarum exempla appellant, quae poſtremis hisce ſaeculis paſſim in monumentis adhuc accenſae deprehenſae, ſed aëre ſuperueniente continuo extinctae fuerint.

§. 3. Sed quamuis nemo dubitet, lampades ardentes olim in ſepulcris poſitas fuiſſe, ex illis tamen nonnullas adhuc ardentes fuiſſe inuentas, quae ignem flammamque per tot ſaecula perpetuo ſeruarint, creditu perquam eſt difficile. Exempla quippe, quae uulgo citare ſolent, quae apud Licetum, qui integrum hac de re librum edidit, una cum uariis eruditorum ſententiis legi poſſunt, a uiris ſagacioribus iam diu ſunt exploſa, et ad fabulas poetarum relegata. Sane ſi uel unicum indubitatae fidei exemplum in medium proferri poſſet, ſententiae huic ſubſcriberemus; fieri ſcilicet poſſe, ut reperiatur oleum, quod non conſumatur, et ellychnium, quod ſemper accenſum maneat; etiamſi omnes omnino philoſophi occlamarent.

§. 4. Celeberrimum omnium exemplum eſt Tulliolae, Ciceronis filiae, cuius ſepulcrum Pauli III. tempore detectum eſſe aſſerunt. Iſthaec puella, inquiunt, cum carne reperta fuit, capillique adhuc ſuperſtites aurea lamina colligabantur. Lucerna item adhuc ardens deprehenſa fuit, quae aëre circumfuſo ſtatim extinguebatur. Additam quoque inſcriptionem, TVLLIOLAE FILIAE MEAE, filiam Ciceronis ſatis dilucide declarare. Hoc uero exemplum per omnia falſum eſſe, prae ceteris Alexander ab Alexandro, qui eodem tempore, quo cadauer illud Romae eruebatur, ipſe Romae fuit, ſatis abunde comprobauit. Quis credat, Ciceronem filiam ſuam Aegyptiorum more potius aromatibus condiiſſe, quam cremaſſe? qui mos poſterior apud Patricios Romanos uſitatior erat. Cur etiam filiam ſeorſim et ab auito monumento ſeparatam ſepeliuiſſet? Reliqua uero exempla omnia ex rumore uulgi feruntur. Ex operis ſcilicet atque foſſoribus, qui, quum terram fodiebant atque excauabant, fumum aliquem uel uaporem uiderint, reperta deinde lucerna, illam commodum fuiſſe extinctam et fumum inde promanaſſe, putarunt. Aliis certe teſtibus opus eſſet, ſi eiusmodi prodigio fides adhibenda foret. Pauſanias, quum de lucerna in templo Mineruae loquitur, quae poſtquam ſemel oleum infuſum eſſet, non alio dein oleo addito per integrum annum ardere credebatur: ſacerdotum hoc commentum eſſe fatetur, qui haud dubie oleum denuo infuderint. Hem! quot referuntur eiusmodi ueterum miracula, quibus uiri ſagaces omnem plane fidem negant. Et quid? ſi quidem hoc uerum eſſet; hoc tamen exemplum unicum minime ſufficeret ad lucernarum aeternarum fidem ſtabiliendam. 2)

§. 5. Lucernae magnam partem fictiles erant, multae ex aere, pauciſſimae ex auro uel argento fuere confectae, et in eadem ſaepius lucerna plura erant ellychnia. Si quis autem omnes illas lucernas, quae paſſim uiſuntur, ſecundum diuerſum earum uſum diſcernere et definire audeat, quaenam illarum in templis, quae in aedibus, quaeue ſepulcris adhibitae fuerint, operam ſane difficillimam ſusciperet. Vero tamen ſimile eſt, eas, quae uel pedibus altioribus fulciri, uel catenulis, quibus ſuspendantur, inſtructae uidentur, in aedibus atque templis adhibitas fuiſſe. Quamuis minime negandum, quod eiusmodi lucernae in ſepulcris quoque nonnunquam fuerint inuentae. Licet autem magnam hic lucernarum copiam exhibeamus, longe tamen maior earum numerus eſt, quas ipſe Mont-

2) adde ſcriptores a *Fabricio* de ea re ibidem citatos.



1.
N. Mus.
2.
Mr. Foucault.
3.
Cab. de Medina Celi.
4.
Cab. Duc de Medina Celi.
6.
5.
L'Abbe Fauvel.
7.
9.
Mr. Foucault.
Cab. du Duc de Medina celi.
10.
8.
Beger.
Cab. du Duc de Medina celi.

1.




R. P. Alberti.

2.




l'Abbé Fauvel.

3.



Bonanni.

5.



Bonanni.

4.




Thiroux.

8.



Licetus.

9.




Bellori.

6.



7.



Montfauconius in opere profert, et ſimul fatetur, ſe multo maiorem illarum numerum omiſiſſe, quae adhuc delineatas poſſideret, uel in uariis librorum monumentis paſſim excuſas uiderit. Nobis ſuffi-ciat, ex omnibus lucernarum ſpeciebus aliquas protuliſſe, minime tamen illas omittentes, quae rebus obſeruatu dignis ab aliis differunt. In his autem proferendis hunc potiſſimum ordinem ſerua-bimus, ut ab iis, quae ex ſola artificum imaginatione profectae uideantur initium faciendo ad reli-quas progrediamur, quae ad mythologiam reſpiciunt.

CAPVT II.

De lucernis, quae ex ſola artificum imaginatione profectae uidentur.

§. 1.

Tabula CXXXXIIII. decem lucernas exhibet forma admodum diuerſa. 1) Illarum prima *fig. 1.* quae in muſeo noſtro uiſitur, ſimplicis formae eſt, et catenula inſtructa, cuius unco ſuſpendi poteſt; domeſtici uſus fuiſſe uidetur. Secunda *fig. 2.* plurimis ornamentis gaudet, et nauiculae ſpeciem prae ſe ferre uidetur. Tertia *fig. 3.* cuius catenula uſum domeſticum forte arguit, gryphi capite exor-nata eſt. Quarta *fig. 4.* ut multae aliae, per iocum ab artifice inuenta uidetur; uirum ſcilicet tiara phrygia tectum, et in extremo equi capite conſidentem repraeſentat. Lucerna ſequens *fig. 5*, in ex-tremo capulo equi caput exhibet. Quae *fig. 6* conſpicitur, uolucris pede nititur, et uiri admodum barbati protomen effert; quae forma uſui domeſtico, quo menſae forte imponebatur, apta fuit. Duae lucernae ſequentes *fig. 7. et 8.* fictiles ſunt, earumque prior tribus, poſterior uero, quam ex muſeo Brandenburgico proferimus, ſeptem ellychniis inſtructa eſt. Quae has *fig. 9.* excipit lucerna, tigridem ore aperto exhibet, cuius corpus macularum loco floribus diſtinctum eſt. Lucerna huius tabulae ultima *fig. 10.* ſphingem repraeſentat, et ex muſeo Ducis de Medina Celi depromta eſt. Tab. CXLIIII.

§. 2. *Tabula* ſequens *CXXXXV.* uero eiusdem ſpeciei lucernas nobis offert; quarum prima *fig. 1.* R. P. Alberti plane ſingularis eſt. Caput etenim, uiri admodum barbati, formae ſpectabilis et oris dignitatem referentis effigiem exhibet. Oculi eius argentei ſunt, aures praelongae et ad me-dium uſque colli demiſſae; caput corona intus uacua cinctum eſt, cui uas ſubiectum eſt, quod ad infimum collum deſcendit, quod uero cum uaſe illo, quo oleum condebatur, nihil commune habet. Elegans hoc caput animalis, cuiuspiam alitis corpori ſuperimpoſitum eſt; cuius pars extrema in Tri-tonis caudam deſinit. Pedes anteriores leonis eſſe uidentur. Lucerna ſequens *fig. 2.* uiri caput ga-lea muniti exhibet. Quae galea cochleam refert, et iuba exornatur. Lucernae duae ſequentes *fig. 3. et 4.* ſandaliorum ſ. ſolearum formam referunt; earumque priori catenula iuncta eſt, qua ſuſpen-di poterat; poſterior anſae loco ſerpentem conuolutum habet. Lucerna quinta *fig. 5.* elephantum ſtratum referens plane ſingularis. Sexta *fig. 6.* uirum lucernae flammam excitantem, quem pro Si-leno habeas, repraeſentat. In lucerna proxima *fig. 7.* uir eandem ore ſufflat. Sequens *fig. 8.* aqui-lam bicipitem exhibens, a Fortunio Liceto eo demum tempore confecta perhibetur, quo Imperium Romanum a *Theodoſio M.* in orientale et occidentale diuiſum erat; eo, quod effigiem eiusmodi aqui-lae bicipitis, ante illa tempora nondum effictam fuiſſe antumat. Tanta certe priſcis illis tempori-bus artificum inuſitata quaeuis atque inſolita exprimendi fuit licentia, ut minime mirer, ſi etiam ante illa diuiſi imperii tempora aquilam eiusmodi bicipitem effinxerunt. Tab. CXLV.

CAPVT III.

De lucernis, quae ad Mythologiam reſpiciunt.

§. 1.

Quae ad mythologiam pertinent lucernae, ceteras numero longe ſuperant; nec ingratum Lectori-bus noſtris fore putamus, ſi Deos illos rurſus in ſcenam producamus; idque eo minus, quod non paucas hic imagines animaduertent, quae in toto opere nondum uiſae fuerunt. A Cybele ita-que,

1) Huius aliorumque generum *Lucernas* exhibet etiam *Begerus* tomo 3. theſauri brandeb. pag. 435. ſeqq.

que, Matre Deum, ordientes, *Tab. CXXXXV. fig. 9.* folio ipfam infidentem, turrimque capite ge- ftantem confpicimus. Altera manu tympanum, altera pateram tenet, duoque leones ad utrumque eius latus illi affident; quae uulgaria huius Deae fymbola femper habita funt. Quae *Tab. CXXXXVI.* Tab. CXLVI. *fig. 1.* uifitur Cybele, Veftae more concinnata eft, et forte pro ipfa Vefta, Cybeles habitu efficta, haberi poteft. Vefta quippe perinde nonnunquam pro Tellure habetur, ac Cybele. Turris enim duoque leones Cybeles certe fymbola funt; fax ardens Veftam faepe denotat. Lucernae duae fe- quentes *fig. 2. et 3.* Iouis inprimis fimulacra nobis offerunt. Prior quidem, quae catenula ad fufpen- dendum inftructa eft, a Bellorio, ob canem ad Iouis pedes iacentem, *Iouem Cuftodem* repraefentare creditur. Cuius fententiae uerifimilitudo hoc magis probatur, quod Iupiter hic cum fulmine et hafta in porta feu oftio confiftens cuftodis quafi officio fungitur. Pofterior, in qua duo ellychnia compa- rent, Iouem aquilae infidentem exhibet; eodem fcilicet modo, quo Imperatores in nummis exhi- beri folent. Hic uero hoc fimul notandum eft, quod non ipfe tantum Iupiter fulmine inftructus compareat, fed et aquila aliud fulmen unguibus ftringat. Lucerna fequens *fig. 4,* Iouem inter Iuno- nem et Mineruam confidentem offert; quales in templo Iouis Capitolini* confpiciuntur. In hoc quippe templo Iupiter atque Minerua haftam manibus tenent; Iuno uero cornu copiae cum ingenti encarpo, qui finum eius complectitur. Iuno hic pro terra fumitur, quae flores et fructus emittit; quae Iouis influxu fecunda dicitur. Iupiter fub brachio finiftro fulmen habet, et aquilam a latere. Minerua noctuam caffidi infidentem praefert.

§. 2. Serapidis lucerna *fig. 5.* ex alabaftrite confecta, quinque ellychniis eft inftructa. Mon- ftrum fequens triceps *fig. 6.* a quibusdam pro Cerbero habetur. Quae *fig. 7.* fub forma equi, ex cuius pectore tubus ingens cum ellychnio prorumpit, repraefentatur lucerna, eam eruditiffimus Cau- ceus pro Neptuni lucerna habet. Sequens *fig. 8.* Nereidem exhibet, quae in duas pifcis feu monftri marini caudas terminatur. Tritonem ipfi fimilem iam fupra uidimus *Tab. VII. fig. 9.* *Licetus* Sire- nem effe putat, fed fummopere hallucinatur. Tomo quippe primo iam demonftrauimus, Sirenes aues partim, partim feminas fuiffe. Triton fequens *fig. 9.* tuba marina ludit, et in duas pifcis cau- das definit, humeroque gubernaculum geftat; ad utrumque eius latus Delphini confpiciuntur.

Tab. CXLVII. §. 3. *Tabulae CXXXXVII. fig. 1.* aliam uidemus lucernam, quae Nereidem forma humana effictam, et equo marino, quo undas permeat, uectam exhibet. Lucerna fequens *fig. 2,* a Bonan- nio publicata, folem repraefentat, catenulisque eft inftructa. Forma illius hoc peculiare habet, quod non tantum duobus ellychniis conftet, fed etiam per duos angulos in globos definentes terminetur. *Fig. 3.* elegantiffimam nobis lucernam offert, in qua Pegafus inter duas Nymphas confiftit. Ex Nymphis his altera ope cochleae ipfi potum praebet; altera aquam in eum effundit, qua abluatur. Has uero Nymphas pro duabus Mufis fumendas effe, ex laruis, quibus infiftunt, quaeue Euterpes et Thaliae fymbola funt, recte, credo, colligitur. In media hac lucerna uitis folium cum uua cerni- tur. Lucerna fequens *Fig. 4.* Mineruam cum Aegide et Medufae capite oftendens, a praecedentibus lampadibus forma multum differt. *Fig. 5.* elegans lucerna eft Deae Ephefinae, ea forma, qua fae- piffime eam uidimus; cum triplici fcilicet mammarum ordine hic comparet, uerubus item et ceruis utrinque ftipata. Sed quod hic magis fpectabile eft, in parte lucernae fuprema lectifternium re- praefentatur, feu lecti in fupplicationibus publicis ftrati, quibus imagines uel ftatuas Deorum impo- nebant. In hoc Ifis, Serapis, Diana, aliaque Dea, quam forte pro Venere habeas, confidere ui- dentur. Bellorius arbitratur, Venerem in lucerna fequenti *Fig. 6.* pro Venere Libitina habendam effe. Formam certe Veneris habet. Pulcherrima lucerna fequens *Fig. 7.* Herculem, globum cae- leftem humeris portantem, offert. Hoc autem modo Hercules in templo Iouis Olympii reprae- fentatur; quoniam Atlas, coelum fuftinens, hoc onus per aliquod temporis fpatium in Herculis hume- ros deuoluit. In alia lucerna *Fig. 8.* Bacchus fedens dextra thyrfum tenet, finiftram uero capiti imponit; pedibus tigris, fera ipfi admodum familiaris, adiacet. Serapidis protome capuli quafi fiue anfae uicem fuftinet. A Baccho *Fig. 9.* ad Silenum uenimus, qui uas utrinque anfatum tenet. Sileno *Fig. 10.* fatyrum fenem iungimus, utre uini grauatum, et prope uitem uuis onuftam confiften- tem. In altero latere baculum uidemus recuruum et nodofum cum tibia feptem fiftulis compacta; quae Pani aliter tribui folet.

Tab. CXLVIII. §. 4. *Tab. CXXXXVIII. Fig. 1.* lucernam nobis offert, quam ab utroque latere Satyrus com- plectitur. Facies antica uariis figuris onufta eft, in quibus Cupido mulieri cum aliis affidenti ma- num porrigit, eumque duo iuuenes fequuntur. Lucerna fequens Marefchalli d'Etrées *Fig. 2.* Dia- nam refert, quae manibus ambabus inftrumentum tenet, quod altero latere in uafculum definit, ad reci-


1.
2.
3.
Bellori.
Bellori.
Bellori.
4.
5.
6.
Beger.
Bellori.
Bellori.
8.
9.
7.
Bellori.
la Chausse.
Licetus.

LVCERNAE VETERVM. Tab. CXXXXVII.



2.



Mr. le Mar. d'Estrees.

1.



Licetus.

3.



Mr. Patin.

4.



Licetus.

6.



la Chausse.

5.



Licetus.

9.



Licetus.

7.



la Chausse.

8.



Licetus.


1.
3.
2.
LARIBVS
SACRVM
P.F.ROAMOEN
Licetus.
Licetus.
Licetus.
6.
4.
5.
l'Abbé Fauvel
la Chausse.
7.
la Chausse.
8.
9.
Bellori.
Licetus.
Bellori.

recipiendum ellychnium apprime aptum. Oleum in hanc lucernam per magnum foramen, quod intra humeros illius uisitur, immittebatur. Quae hanc *Fig. 3.* excipit lucerna, quam a Carolo Patino accepimus, mulierem refert, manus erigentem, cuius corpus in monstrum marinum desinit. Oleum per os capitis monstrosi promanabat, ibidemque erat ellychnium. *Fig. 4. et 5.* Silenum proferunt. *Fig. 6. et 7.* duo capita, infra in lucernas aptata conspiciuntur; quorum alterum bacchantis est, qui barbae loco uitis foliis tegitur, alterum iuuenis, hedera et corymbis coronati. Haec capita *Fig. 8.* aliud sequitur, Satyri cornuti faciem horridam repraesentans. Lucerna sequens *Fig. 9.* insolitae prorsus formae est. Aquilae illa pede nititur, cui tria satyrorum capita imposita sunt, iisque globus foliis exornatus imminet. Globo insistit testudo, quae ex cochlea caput et pedes emittit. Os aperit, quod ellychnium recipere uidetur. Cochleae tandem insistit Satyrus cornutus pedibus caprinis instructus.

§. 5. *Tab. CXXXXVIIII. Fig. 1. et 2.* lucernam nobis exhibet, sacrificium a tribus mulieribus Priapo oblatum referentem. Vna coronam capiti illius impositura uidetur; secunda flexis genibus supplices ad illum manus extendit; tertia, sacerdotis officio fungens, gallum gallinaceum Priapo mactandum tenet. Latera huius lucernae Tritonibus ornata sunt; quorum alius tuba canit, alii Nereides dorso gestant. Inscriptionum prior L. C. I. qui sub Priapi sacrificio conspicitur, lectu difficilis est, et a Liceto ad I. Caesarem refertur; eam enim ita legendam existimat: *Liberatus captiuitatis Infortunio*, uel *Liberatus Calamitate Insulana;* qua uero ratione interpretatio haec nitatur, ego quidem nescio. Idem fere censendum de posteriori C. I. C. I. O. M. S. quam idem Licetus ad eundem Caesarem respicere autumat; eamque ita legi uult: *Caius Iulius Caesar Ioui Optimo Maximo sacrauit.* Litterae quatuor posteriores I. O. M. S. in monumentis saepissime occurrunt, et ita leguntur, *Ioui Optimo Maximo Sacrum.* Tres uero priores C. I. C. aliis etiam modis facile legi possunt. Lucerna sequens *Fig. 3.* ipsa inscriptione Laribus sacra dicitur et Larem sub senis barbati forma nobis repraesentat. Intra crura uas conicae formae tenet. Inscriptio, in fine uitiata, forte ita legenda est: *Laribus sacrum P. F. Roman.* Lucernae duae sequentes *Fig. 4. et 5.* a Doctissimo Cauceo nobis oblatae, nulla omnino explicatione indigent. Altera magna utrinque uasa exhibet, in quorum uno Iouis aquila conspicitur. Hanc alia excipit *Fig. 6.* equi capite insignita Lucerna sequens *Fig. 7.* uirum nobis offert, latis foliis opertum. In sequente *Fig. 8.* Charon umbram defuncti, naulo soluto, in nauem suam excipit; iisque Mercurius pro more adest. Vltima, quam *Fig. 9.* proferimus lucerna, quatuor laruas exhibet; nempe in lucernis eiusmodi artifices pro uarietate ingenii luserunt. Tab. CXLIX.

LIBER TERTIVS
DE
SVPPLICIIS VETERVM. 1)

CAPVT I.
De Supplicio Crucis.

§. 1.

Agmen huius operis claudant diuersa ueterum supplicia. Imagines illorum in monumentis non occurrunt, et quae passim publicatae sunt, ad arbitrium auctorum et artificum concinnata sunt, adeoque in collectione hoc monumentorum antiquorum nullus iis locus concedi potest.

1) Plures scriptores de uario suppliciorum, poenarumque genere, uide ap. *Fabricium* in bibliogr. c. 15. n. 15.

§. 2. Pro uaria reos torquendi et cruciandi ratione, ſupplicia in uaria quoque genera diſtingui poſſunt. Cruciandis quippe ſontibus non lignum tantum et laqueos, ſed ferrum quoque, ignem, aquam, lapides, toxica, feras et alia multa adhibebant, quae uel ſcelerum atrocitas uel hominum crudelitas poſtulare uidebatur. Ex his ſuppliciis alia mortem inferebant, alia caſtigandis ſolum et ad meliorem frugem reuocandis hominibus improbis deſtinata fuere.

§. 3. De ſuppliciis his ſingulatim acturi, a cruce, quod ſupplicii genus omnium grauiſſimum exiſtimabatur, et maiorem prae aliis infamiae notam inurebat, exordiemur. Tam uulgaris apud Veteres crux erat, ut poenas fere omnes et cruciatus hoc nomine inſignirent. Quid! quod animi quoque morbos, caſus infauſtos omnes et quasuis afflictiones, eadem denominatione ſignificauerint? Aliquando illi quoque crucem ſubire dicebantur, qui brachiis, pedibusque ligatis de arboribus ſuspendebantur. Graecis crux σταυρὸς ſiue σκόλοψ dicebatur, et cruci quemquam affigere apud eosdem σταυροῦν uel σκολοπίζειν dicebatur.

§. 4. Ad ipſam crucis formam quod attinet, ex trabibus illa compacta erat, et ad litterae T figuram proxime accedebat; quae crucis figura etiam inter ſigna numinum Aegyptiorum non raro conſpicitur. Crux Chriſti a uulgari illa crucis forma in eo differebat, quod palus illius in terram defixus alteram trabem transuerſam decuſſabat, et ſupra litteram T uerticem quaſi emittebat; qualis non in nummis tantum Conſtantini M. ſed quamplurimis etiam Chriſtianorum monumentis comparet. Hac ſcilicet forma, †. Poſterioribus tamen ſaeculis nonnulli fuerunt, qui formam T Seruatoris quoque noſtri cruci tribuebant. Alia crucis forma ad figuram litterae X, quam hodie S. Andreae crucem appellare moris eſt, propius accedit; quae ſupplicio huius Apoſtoli adhibita fuiſſe dicitur. Duas ſcilicet trabes transuerſas oblique ita componebant, ut quatuor quaſi cornua emitterent, quorum ſuperioribus brachia, inferioribus uero pedes damnatorum alligari ſolebant.

§. 5. Crux ſeruorum inprimis, aliorumque infimae ſortis hominum ſupplicium erat, et antequam ii in crucem agerentur, flagris lorisue caedebantur; id quod acerbius et maioris infamiae eſſe cenſebatur, quam ſi uirgis lacerati fuiſſent. Flagris eiusmodi tali nonnunquam, aut alia animantium oſſa erant annexa; ita ut aliquando miſeri homines inter uerbera exſpirarent. Chriſtus, Seruator noſter, columnae alligatus fuit, ut flagellaretur. Quod uero crucem ſuam baiulauerit, id etiam alias uſitatum fuiſſe, ex loco *Plutarchi* efficitur de tarda Dei uindicta, *corpore quidem*, inquit, *quiuis ſceleſtorum damnatorum ſuam portat crucem; nequitia uero ſupplicia ſingula ipſa ſibi fabricatur.* Vulgo moris erat, damnatum in crucem iam defixam et erectam agere; ſed non deſunt exempla reorum, qui cruci in terra iacenti alligari, et dein una cum illa erigi ſolebant. Manus porro atque pedes damnatorum funibus modo cruci alligabant, modo membra haec clauis ferreis perforantes ligno affigebant. Si clauis cruci affigebantur, ſingulas manus ſingulis clauis fuiſſe perforatas dubio caret. Sed quaeritur, utrum ſingulos pedes etiam ſinguli claui, uel unus tantum clauus utrumque ſimul pedem ſuffixerit. Hic haud exigua opinionum ſunt diuortia; maxime circa Seruatorem noſtrum cruci affixum. Gregorius Nazianzenus, aut ſi quis alius carminis de Chriſto patiente auctor eſt, crucem τρίσηλον, i. e. *trium clauorum*, appellat. Alii binis pedes clauis transfixos fuiſſe perhibent. Cyprianus de paſſione Domini loquens *clauis*, ait, *ſacros pedes terebrantibus. Iuſtinus* contra Tryphonem, *Irenaeus* II, 42. et alii in crucis medio lignum defixum fuiſſe aſſerunt, quo is, qui cruci affixus erat, quaſi conſidere potuerit. Alii contra eiusmodi lignum ſub pedibus fuiſſe dicunt.

§. 6. Aliquando tituli quoque 1) uel tabellae, quibus ſignificabatur, qua de cauſſa is, qui ſupplicio afficiebatur, damnatus fuerit, uel in ipſa cruce defigebantur, uel reum comitabantur. *Suetonius* in Caligula c. 32. teſtatur, Romae publico epulo ſeruum ob detractam lectis argenteam laminam carnifici confeſtim fuiſſe traditum, ut manibus abſciſſis atque ante pectus a collo propendentibus, praecedente titulo, qui cauſſam poenae indicaret, per coetus epulantium circumduceretur.

§. 7. Corpora ad crucem damnatorum plerumque ad mortem usque affixa manebant; immo nonnunquam cuſtodibus additis, ne ab aliis auferrentur, poſt mortem quoque in cruce relinquebantur. A canibus nonnunquam et auibus diſcerpebantur; immo nondum extinctis quoque leones atque

1) *Elogium* etiam dici ſolet.

que urſos interdum immittebant, qui eos laniarent; cuiusmodi exempla *Suetonius* et *Dio Caſſius* de Nerone referunt. Nec deſunt exempla reorum, qui inuerſo capite cruci affixi fuere. Aliquando etiam ad crucis pedem ignis ſuccendebatur, ut damnatus lentis flammis cremaretur.

CAPVT II.

De infixione ſtipitis, furca, catapulta, cataſta, ſcala, diaſphendoneſi et equuleo.

§. 1.

Alius ſupplicii eiusque horrendi, quod hodieque apud Turcos obtinet, ſpecies eſt, qua per podicem medium damnatorum corpus ſtipite transfigebant, cuius exempla iam apud ueteres uſitata paſſim leguntur. *Seneca* de conſolatione: *uideo iſtic, cruces, nec unius generis, ſed aliter ab aliis fabricatas. Alii capite aduerſo in terram ſuſpendere, alii per obſcoena ſtipitem egerunt;* et clarius epiſt. 14. *cogita hoc loco carcerem et cruces, et adactum per medium hominem, qui per os emergat ſtipitem.*

§. 2. *Furca*, aliud ſupplicii genus, diuerſo modo accipitur; uel enim ad caſtigationem tantum et emendationem adhibebatur, uel extremum erat ſupplicium. Nonnunquam ignominiae potius, quam ſupplicii cauſſa ſeruorum collo appendebatur; unde *furciferi* nomen pronatum. Si furca extremi ſupplicii loco adhibebatur, tunc caput rei ipſi ita inſerebatur, ut manibus alligatis ultra ſe demittere aut mouere non poſſet; hinc flagris ad necem usque caedebatur. Sub furca ſeruos, nonnunquam etiam liberos, flagris quidem caedebant, ſed non ad necem usque. De forma furcarum uarie disputatur.

§. 3. *Catapulta*, graece καταπέλτης, non bellicam tantum machinam, ſed etiam ſupplicii genus denotat; illamque equulei quandam fuiſſe ſpeciem, uero admodum ſimile eſt. Id quod *cataſtam* appellabant, ſuggeſtus erat uel tabulatum altius elatum, in quod gradibus conſcendebatur, in eoque cruciandi extenſi fuiſſe dicuntur. Eodem uocabulo nonnunquam etiam compedes maiores, quibus ſerui uenales detinebantur, ſignificari ſolent. Si ad inferendum ſupplicium haec machina conſtructa fuit, ego quidem formam illius non intelligo.

§. 4. *Scala*, graece κλίμαξ, Suida teſte, inſtrumentum erat ad cruciatum compoſitum. Reus ſcilicet illi alligatus et ſuspenſus, non flagris tantum caedebatur, ſed in eadem etiam eiusdem membra miſere detorquebantur, acetumque naribus illius infundebatur. Reos etiam torculari nonnunquam eodem, quo uuas ſolemus, modo comprimebant. Apud Carthaginenſes peculiare ſupplicii genus erat, quo reus praegrandi crati alligatus una cum ea in aquam deponebatur; quo facto cratem lapidibus iniectis adeo grauabant, ut cum miſero mergeretur. Immaniſſimi ſupplicii genus erat *Diaſphendoneſis*, quo arbores duae modo uiolento inflectebantur, et ad utramque illarum alter damnati pes alligabatur; dein arboribus repente miſſis corpus miſere ſcindebatur, ut utrique arbori pars haereret. *Vopiſco* c. 7. teſte, Aurelianus militem, qui cum hoſpitis uxore adulterium commiſit, ita puniuit. Alia machina fuit *equuleus* 1) ad uulgariſſimum ſupplicii genus adornata. Forma illius non ſatis nota eſt; ſed paruo illam equo ſimilem fuiſſe ex ipſa huius machinae denominatione colligitur. Magnum autem et praealtum ſcamnum fuiſſe uidetur, cui reum ad ſupplicium damnatum alligabant, ut uerberibus et ſcorpionibus caederetur.

CAPVT

1) uide ad cap. 4.

CAPVT III.

De rota, ſcapha, ſuſpendio, ſtrangulatione et capitis abſciſſione.

§. 1.

R*ota* in antiquiſſimis ſuppliciis ponitur, quandoquidem Scholiaſtes Ariſtophanis in Pluto iam illius mentionem facit. Damnati uero ad illam alligati, una cum rota uoluebantur; quo ipſo membra illorum quam maxime extenſa dilaniabantur. Hoc ſupplicii genere unus ex Maccabaeis cruciatus fuit, qui, Ioſepho teſte, ad rotam uinctus, membra non tantum admodum extenſa habuit, ſed flammis quoque ilia eiusdem adurentibus miſerrimi hominis coſtae denudatae fuere. Serui, tradit Suidas, ad rotam alligati uerberibus excipiebantur. Rota, cui Ixion 1) affixus inhaerebat, ſecundum Mythologos continuo uoluebatur.

§. 2. *Scaphae* ſupplicium, 2) apud Perſas inprimis uſitatum, omnium erat immaniſſimum. Duas illi ſcaphas parabant, quae corpus rei utrinque conſtringerent. His reus incluſus, ſolum caput cum manibus atque pedibus per anguſta ſcaphae illius foramina protendere poterat. Reo hoc modo undique conſtricto cibum et potum maiori copia, quam ipſe deſiderabat, obtrudebant; et ſi cibum capere nollet, oculos illius fodicando ad comedendum adigebant. Potus loco mel cum lacte ipſi offerebant, eodemque liquore eius quoque uultum perfundebant, et oculis ad ſolem conuerſis eum radiis ſolaribus excruciandum exponebant; ubi ſimul uultus eius melle et lacte perfuſus, ingens muſcarum examen alliciebat; quumque miſero homini aluum non niſi intra ſcapham exonerare liceret; foediſſima hinc putredo et uermes oriebantur, quae miſerrime eum torquebant; donec ipſa praecordia inuadentes necem ipſi afferrent.

§. 3. *Suſpendium* iam apud ueteres in uſu erat, apud quos arbores patibuli uicem ſuſtinebant; rei uero caput uelari, et arbor eiusmodi poſtea exſecrabilis infelix haberi ſolebat. Aliquando ſontem altero tantum pede ſuſpendebant, grauia inſuper pondera collo illius alligantes. Alii brachio ſuſpenſi flagellis caedebantur, uel aliis cruciatibus uexabantur. Ignominioſiſſimum apud ueteres ſupplicium erat *ſtrangulatio*, ſi collum rei laqueo conſtringentes eum ſuffocarent. Hinc uirgines ſtrangulari nequibant, niſi prius a carnifice uiolatae fuiſſent. *Seruius* in libris Pontificalibus cautum fuiſſe aſſerit, ut, qui laqueo uitam finiſſent, inſepulti abiicerentur. Caput quoque amputandi mos iam apud antiquos admodum frequens erat; ad eamque rem ſecuribus utebantur.

CAPVT IIII.

De forcipibus et ſerris, igne atque aqua, aliisque inſtrumentis ad excrucianda reorum et martyrum 1) *corpora adhibitis.*

§. 1.

Forcipes item ferreas, easque plerunque candentes, ad excruciandos martyres fuiſſe adhibitas, paſſim legimus. Quaedam dentibus quoque inſtructae erant, ut carnes fortius lacerarent. Vncis etiam ferreis ad eandem carnificinam utebantur. Immo lectos nonnunquam ferreos adhibebant in quibus damnatos miſere cruciabant. Martyrum permulti ſerris ferreis diſſecabantur; quod ſupplicii genus in Veteri Teſtamento in uſu fuiſſe uel Eſaiae exemplum ſatis comprobat. 2)

§. 2.

1) Vnde *Ixionos* amicos legas in *Lampridii* Alexandro. uid. *Pithoei* aduerſaria lib. 2. c. 17. Erat *rota aquaria*; unde in *antliam* condemnari dicebantur. uide *Lipſii* Elector. lib. 2. c. 15.

2) σκαφισμος, σκαφευσις dici ſolitum.

1) de martyrum cruciatu uide *Gallonii* librum ſingularem ſaepius latine excuſum, cuius excerpta adiecta ſunt Hier. *Magii* libello de equuleo per *Iungermannum* edito. Conferenda etiam hic ſunt *martyrum acta* cum editorum notis uariis.

2) ſiquidem ſatis certa niteretur fabula auctoritate.

§. 2. Ignis uariis modis in ſupplicium adhiberi ſolebat. Alii quippe balneis incluſi uapore ualido praefocabantur; alii in caldaria, aqua, oleo, uel pice feruenti plena, coniecti animam efflarunt. Non hic praetermittendus eſt bos ille aeneus Phalaridis Syracuſarum tyranni, cuius inuentor Perillus quidam fuiſſe dicitur. Bos hic igne ſubiecto candefiebat, et ita conſtructus erat, ut ſi damnatus cauitati illius incluſus dolorem gemitu atque clamore exprimeret, ſola bouis mugientis uox audiretur. Ipſe Perillus iuſſu tyranni primus in hunc bouem coniectus, inuenti ſui periculum facere cogebatur.

§. 3. Aqua porro ſontes nonnunquam interemtos fuiſſe conſtat. Romae rei demergendi, in iisque parricidae inprimis, culeo pelliceo inſuebantur, iisque ſimia, gallus et ſerpens, qui eodem culeo concludebantur, addi nonnunquam ſolebant; culeum dein in mare coniiciebant. Martyres interdum in ſtagnum glacie rigidum mittebantur, ut frigore interirent. In Aegypto parricidarum corpora cannarum aculeis confixa, tandem ſupra ſpinarum falces cremabantur. Neronis tempore Chriſtianos aliquando tunicis ſulphure illitis ueſtitos legimus; in quibus accenſis miſerrime peribant. Laminae quoque ferreae, illaeque candentes, membris damnatorum admouebantur; cuius ſupplicii Cicero in Oratione in Verrem quarta mentionem facit. Aliud ſupplicii genus etiam hoc erat, quo miſeros nauibus fractis, et uelis remisque deſtitutis imponebant, et fluctibus permittebant.

§. 4. Multis in regionibus ſontes lapidibus obruebantur; quo ſupplicii genere apud Macedones proditores inprimis afficiebantur. Alii ad lapicidinas et metalla, alii contra ad beſtias damnabantur, ut cum iis pugnarent; quod duplici ratione fiebat. Vel enim armis ad ſe defendendum inſtructi cum iis in amphitheatro congrediebantur, uel plane inermes beſtiis deuorandis obiiciebantur; quo ultimo modo multos Chriſtianorum interiiſſe legimus. Apud Aegyptios ſontibus ſerpentes uenenatos admouebant, quorum morſu interibant. Apud Athenienſes ueneni et cicutae potus locum ſupplicii obtinebat.

§. 5. Crudeliſſimum ſupplicii genus, a Macrino Imperatore excogitatum, *Iulius Capitolinus* c. 12. his uerbis refert: quum quidam milites ancillae hoſpitis pudorem deprauaſſe ſuſpecti eſſent, atque id per quendam frumentarium ille didiciſſet, adduci eos iuſſit, interrogauitque, utrum eſſet factum; quod quum conſtitiſſet, duos boues mirae magnitudinis uiuos ſubito aperiri iuſſit, atque his ſingulos milites inſeri, capitibus, ut ſecum colloqui poſſent, exertis. Aliud genus mortis, a Mezentio excogitatum, omnium immaniſſimum erat, quo uiuorum corpora mortuorum cadaueribus aduerſa iungebant, et ita colligabant, ut ſingula uiuentis membra ſingulis defuncti membris aptarentur.

§. 6. Alia quoque fuere ſupplicia, quae ſontibus quidem mortem non inferebant, ſed miſere tamen illos cruciabant; cuius rei exempla innumera primi Chriſtianorum martyres ſuppeditarunt; quorum conſtantiam et patientiam crudeliſſimi illorum temporum tyranni diris eiusmodi cruciatibus frangere tentabant.

APPENDIX
MONVMENTA QVAEDAM EXHIBENS,
QVAE
IN CALMVCORVM TERRA
REPERTA FVERE.

§. 1.

Lectori rem haud ingratam nos facturos putauimus, ſi monumenta illa, quae anno 1721. in Calmucorum ſub Imperatoris Ruſſorum poteſtate, degentium regione reperta ſunt, hic proferremus. Quamuis enim quaedam illorum priſcam illam uetuſtatem non attingant; aliquam tamen antiquitatis remotae ſpeciem prae ſe ferunt. In iis uero enarrandis ipſis doctiſſimi *Schumacheri*; Czaria-

Czarianae maieſtatis Bibliothecarii, uerbis nobis uti liceat. *Calmuci*, inquit, *Czarianae maieſtatis patrocinio fruentes, illam regionem incolunt, quae inter Siberiam et mare Caſpium ad orientem fluminis Volgae ſiue Rhae interiacet. Iſtic reperta eſt ſubterranea illa domus, nec non manuſcripti codices, de quibus diarium publicum ad 18. Octobris mentionem fecit. Hodieque in illorum antris et ſepulcris reperiuntur omnis generis inſtrumenta et ornamenta, quae tum rei diuinae, tum uſui peculiari cuiusque deputabantur; ſecures ſcilicet, cultri, uaſa diuerſa, urnae, lucernae ſepulcrales, inaures, annuli, fibulae, hominum animaliumque figurae aureae, argenteae, uariique generis, quarum quaedam ad archetyporum fidem delineata, eodemque loco reperta, hic proferimus. Primo quidem duas uel reginas uel Deas Indorum in ſolio ad modum Orientalium concinnato ſedentes. Materia ad flauum colorem accedit, ut aes corinthiacum. Prima illarum duobus dextrae manus digitis et tota ſiniſtra manu mutila eſt. 2) hominem genu flexum ex materia eadem. 3) Principis Orientalis ſtatuam equeſtrem aeneam. 4) alium equum aeneum, 5) lucernam ſepulcralem, quae itidem ſtatuam equeſtrem exhibet. 6) Anſerem, 7) noctuam, Siberiae idolum et 8) figuram quandam aeneam Sinenſem.*

Tab. CL. §. 2. Singula haecce monumenta nos *Tab. CL.* ſequenti ordine conſpicienda tradimus. *Fig. 1.* Deam aliquam uel reginam Indorum exhibet; quae reuera numinis cuiusdam notas prae ſe ferre uidetur. Corona illius forma plane ſingulari in anteriore parte caput hominis barbati offert, cuius capilli in longiſſimos cirros aptati in humeros usque deſcendunt. Alterum illius brachium armilla pulcherrima ornatum eſt. Magnae illa baſi inſidet, uariis inſtrumentis et ſymbolis onuſtae, quae cultum quendam religioſum indicare uidentur. Pedem dextrum puluillo imponit, ex quo inſtrumentum aliquod aduncum prominet, eique lepus adiacet. Altera regina *Fig. 2.* eodem fere ſitu, quo prior illa exhibetur; ornamentis tamen et geſtu ab illa priore multum differt. Alteri illius pedi anſer ſubiectus eſt; id quod aliquam illius regionis ſuperſtitionem arguit. Haud inſolentior porro ſitus et figura conſpici poſſit, quam uiri illius Sinenſis, quem *Fig. 3.* profert. Pileus, caput, totiusque corporis habitus, nil niſi monſtroſum et prorſus inuſitatum oſtendit. Nil dicam de baculo e regione illius poſito, cui uaſculum uinarium alligatum eſt. *Fig. 4.* equitem ſiſtit ſtapedes habentem, id quod in priſcis equitum monumentis uix unquam uideas. Stapedum forte uſus in regionibus ad orientem ſitis primum obtinuit. Pone hunc equitem puer umbellam tenet, qua heri caput a ſolis ardore tueatur. Ante ipſum uir, ſenis ſpeciem referens, et quidpiam humano cordi ſimile manu tenens, conſpicitur. Forte et hic aliquid myſterii ſubintelligendum. Anſer ille *Fig. 5.* cuius roſtrum ope uerticuli moueri poteſt, a barbaris illis gentibus ſuperſtitioſe forte cultus eſt. Quod ad noctuam *Fig. 6.* attinet, de cuius pectore tintinnabulum ſuſpenditur, eam libentius ueſpertilionem eſſe crederem, niſi illa iam ſupra noctua uocata fuiſſet. Duo equites cum uiro genu flectente *Fig. 7, 8, 9.* candelabrorum uicem ſuſtinuiſſe uidentur. Viri illius dorſo non tantum annulus affixus eſt, quo forte ſuſpendebatur, ſed et caput eius magno foramine oleo infundendo inſtructum eſt.

Bayerische Staatsbibliothek MÜNCHEN



1. et 2. Duæ Reginæ vel Deæ Indorum. 3. Figura Viri Sinensis plane singularis. 4. Eques mysterium aliquod arguens. 5. 6. Anser et noctua, aves quas barbaros olim religioso cultu prosecutos esse constat. 7–9. Duo equites cum viri simulacro, quibus lucernarum loco utebantur.

Index rerum et uerborum memorabilium.

A.

Abbadires, Dii Carthaginienſium 194
Ablutio eorum, qui ad ſacra ſe comparabant 128
Abolla, ueſtis Philoſophica 197
Abraſadabra, quid? 180
Abraxae 178
Abundantia, Dea 72. 76
Acatia, nauis ſpecies 338
Accenſi, quinam? 293. ſq.
Accumbendi modus ad menſam 220. ſq.
Acerra 122
Acheloides ſeu Sirenes 83
Achelous ab Hercule victus 55
Acheron, fluuius infernalis 368
Achillea, feſtum Graecorum 144
Acinaces 305
Actaeonis fabula 39
Actia, feſtum Graecorum 144
Acus diſcriminalis 205. 208
Adonia, feſtum Graecorum 144
Adonidis et Veneris amores 45
— — luctus ad mulieres Iudaeas tranſiit 46
Aeacus, Iudex inferni 368
Aedes earumque partes 216
— — Murciae, quid? 261
Aedificia publica 242
Aegibolia, quid? 132
Aegis, quid? 36
Aegophagos, cognomen Iunonis 20
Aegyptiorum religio 159. Templa 177. Ritus circa funera defunctorum 374
Aeliae Capitolinae auctor 108
Aelurus ſeu Felis, Aegyptiorum Deus 167
Aeneae cum Anchiſa fuga 69
Aeora, feſtum Graecorum 145
Aequitas, Dea 79
Aes graue quid denotet? 233
Aeſculapius 66
Aeternitas, Dea 79
Africae Symbolum 244
ἄγκυλα, quid? 270
Agitatores ſ. aurigae 262
Agonalia, feſtum Romanorum 148
Agonothetae 89
Agriculturae inſtrumenta 287
Agrionia, feſtum Graecorum 144
Agroterae, feſtum Graecorum ibid.
Agyrtae 91
Aidoneus, idem cum Plutone 24
Αἰὼν ſ. aeuum diuerſo ſenſu a Graecis ſumitur 8
Ἀκράτισμα, ientaculum 223
Ἀκροςόλιον 337
Alaſſontes, calices 227
Albogalerus 93, 100
Alecto, Furia 369
Allocutiones ad exercitum 315
Amaltheae cornu 56
Amentum 306
Amiculum 204
Ἀμπεχόνη. palla ſ. pallium 204
Amphiproſtylos 103
Amphitheatrum 255
Amphitrite, Neptuni uxor 23
Amphora, menſurae ſpecies 226, 229
Amuleta 212
Anabole, ἀναβολὴ, ueſtis ſpecies 204
Anacalypteria, feſtum Graecorum 145
Anaxyrides ueſtis 213
Ancilia 303
Angerona ſ. Angeronia, Dea ſilentii 80
Angeronalia, feſtum Rom. 148
Anguſticlauii, quinam 294
Animalia, quae in ſacrificiis mactari poterant 126
Anna Perenna, Dea Carthaginienſium 193
Annus, qua forma effingitur 8
Annuli et Sigilla 251
— — Senatorum et Equitum Rom. ornamentum, 251
— — mortuis detracti 348
— — traditione moribundi heredem nonnunquam denotabant 251
— — incantati quid? 252
Anteros et Eros 51
Antaeus ab Hercule ſuffocatus 55
Anthema 266
Antheſteria, feſtum Graecorum 145
Antinous, juuenis effeminatus in Deorum numerum ſublatus 173
Antiochiae Symbolum 245
Anubis ſ. Cynocephalus 171
Apaturia, feſtum 139, 145
Apex ſ. galerus Saliorum 92, 100
Aphractae naues 339
Aphrodiſia feſtum Graecorum 145
Aphroditis, Venus marina 43
Apis, Taurus, Deus Aegyptiorum 168
Apluſtre 337
Apodyterium 247
Apollo Muſarum Dux 27, 28, 30. Apollinis cognomina 29. unde Lycogenes dicatur, 109. eius ſchemata uaria 28. Apollo Muſagetes 29
Apollinares, feſtum Rom. 148
Apollonia, feſtum Graec. 145
Apophoreta 124. ſq.
Apotheoſis Rom. Principum 371
— — Germanici 373
Apparitor 294
Appia uia 330
Aprilis, ſub imaginis forma 10
Ἀψὶς 287
Aquaeductus 333
Aquila, ſignum militare 312. hinc aquiliferi ibid.
Aquiminarium 123
Arabum Dii ante Mahomedem 180
Arae, earumque variae formae et ſpecies 118
— et altaria utrum differant ib.
— jus aſyli habebant 120
Araeoſtylos 103
Arcae ueterum 320
Arcera, uehiculi ſpecies 333
Ἀρχιερεῖς 90
Archigallus, Princeps inter Sacerdotes Cybeles 5, 91
Architectorum inſtrumenta 277
Arcus et Sagittae 306
Arcus triumphales 327
Arena 255
Argili 316
Argyraſpides 303
Ariadnea, feſtum Graecorum 145
Aries 319
Ariſtaeus ſ. Agraeus 26
Ἄριστον prandium 223
Arma Graecorum et Rom. 295
Armaria ueterum 220
Ἄρμενα 341

Armillae 208
Armiluſtrium feſtum Rom. 148
Aromatum et unguentorum uariae conditurae 247
Artemis ſ. Hecate 39
Artemiſia, feſtum Graecorum 145
Artocreas, quid? 223
As, eiusque partes 230. reductiones aſſis 232
— ſemiuncialis 232. as ſextantarius uel ſextantalis 232
Aſiarchae 90
Ἀσκαυλος 280
Aſclepia, feſtum 145
Aſcoliasmus 277
Aſpergillum, quid? 123
Aſtarte, Phoenicum Dea 182
Aſtraea Dea 79
Aſyla templorum 105
Aſymboli, quinam? 288
Atalanta, Meleagri uxor 42
Ate, Dea 78
Atlas 15
Athenarum ſymbolum 245
Athletae 265
Atramentarium 286. atramentum 283
Atrium 217
Atropos 369
Attis, Cybeles comes 6
Aucupium 275
Auena, inſtrumentum muſ. 278
Auerrunci, Dii 2
Augures 94
Auguſtus, menſis, ſub imagine 11
Aureum Saeculum 6
Auri argentique uis mira per orientem diſperſa 236
Aurora, eius figura 13
Aurum coronarium quid? 324
Aues aromatibus conditae 377
Auxiliares copiae 292

B.

Baalis et Beli cultus 181
Babylonici muri 242
Bacchanalia, feſtum Rom. 148. eorum ritus 138
Bacchantes ſeu Maenades 60
Bacchus 57–61. eius natiuitas 58. ſtatuae uariae 58, 59. capita cornuta 60. coetus et pompae diuerſae 138. expeditio in Indiam 59. myſteria et ſacrificia 137
Balliſta 319
Balnea et thermae, uariaque uaſa et inſtrumenta in iis uſitata 246
Balneum Metelli 247. Senecae 248
Baptiſmus ſanguinis 132
Barditus 186
Baſilicae 243. Baſilica Aemilia et Cornelia 114
Baſſarae 271
Baxea 209, 210
Beelphegon ſ. Priapus 181
Bellenus, Gallorum Deus 187
Bellerophon 31
Bellona ſeu Enyo 34
Bellonarii 34, 156
Bembina Tabula ſeu menſa Iſiaca 174
Benna ſpecies uehiculi 332
Berecynthia ſ. Cybele 3
Bes, aſſis pars 231
Βίβλος 284
Biclinium 218
Bidentes 126
Bigae et bigarii 262
Bilanx 239
Birota ſeu Birotum 332
Birrhus, ueſtimenti ſpecies 195, 201
Biſtaphia ſ. ſtapes 309
Britanniae ſymbolum 245
Bolis, quid? 342
Bona Dea cur Subſaxana dicatur 120
Bos, placenta 126. boues cretati 128
Buccellatum 315
Buccina 279
Büſterich, Idolum Germanorum 186
Bulla, ornamentum puerorum nobilium 211
Buſtuarii 351

C.

Cabiri, Deorum ſpecies 71
Cadauera ſuorum alienis in monumentis ponentes grauiter puniti 353
Cadurcum 220
Caeſarauguſtae Symbolum 245
Calabriſma, ſaltatio 266
Calamus, ad ſcribendum 285
Calantica 206
Calaſiris, ueſtimenti ſpecies 195, 213
Calcaria 311
Calceamentorum uariae ſpecies 208. ſqq.
Calceamenta clauata 210
Calceus 208. ſq.
Caliendrum 206
Caligae 209
Calliope, Muſa 30, 31
Callobides 266
Calumnia Dea 78
Calyptra 206
Camilli 130
Caminus 218
Camoenae ſ. Muſae 30
Campana, genus ſtaterae 239
Camulus, idem cum Marte 33
Canaephorae 25
Candelabra 125
Candys, ueſtimentorum genus 172, 213
Canopus 172
Cantabrum 312
Caracalla, ueſtis 201
Carcheſium 341
Carmentalia feſtum Rom. 148
Carnea, feſtum Graecorum 146
Carpentum, uehiculi ſpecies 332
Carruca, Carrus, uehicula ibid.
Carthaginienſium religio 193
Capitis abſciſſio, ſupplicii genus 386
— — cultus muliebris 205
— — tegmina uaria 203
Caſtor et Pollux 70
Caſtra aeſtiua et hiberna 318. ſtatiua et Praetoria, ibid. Gentianorum, Miſenatium, Rauennatium et peregrinorum ibid.
Caſtra metandi modus 317
Catadromus 254
Cataphracti equites 308. milites 316. cataphractae naues 338
Catapulta 319. ſupplicii genus 385
Cataſta, ſupplicii genus ibid.
Catathiſmus 266
Cauea Amphitheatri 255
Caueae pullares 124
Cauſia, pileus Macedonum 203
Cecryphalum, ueſtis 204

Celeusma 342
Celoces, naues 338
Celotia, nauis species ibid.
Centauri 85
Centenarius 290
Centuriones 294
Cerberus, Canis infernalis 24. ab Hercule ex inferno eductus 56
Cercopithecus 170
Cercurus, nauis species 338
Cerealia, festum Romanum 148
Ceres, Dea et inuentrix agriculturae 24 sq.
Cernophoros 266
Ceryces seu Praecones 89
Cestuum ludus 265. Cestiferi ibid.
Cetra 302
Chalcidis Symbolum 245
Chalcioeca, festum Graecorum 146
Chalcioecos, templum Mineruae aeneum 105, 111
Chalcus, mensura 229
Charistia, festum Rom. 148
Charon, nauicularis apud inferos 369
Charta, χάρτης 283
Chely 282
Cheme, mensurae species 230
Cheniscus 340
Chii, insulae symbolum 245
Chiliombae 143
Chimaera 31
Chiron, Centaurus 85
χιτών, tunica 195
Chitoneas 266
χιτωνίσκος, interula 195
χλαμύδιον, amiculum 196. Chlamys, uestis species 195
Chlanis s. Chlanidion, uestis 196
Choenix, mensurae species 230
Choraulis 279
Chrodo, Idolum Germanorum 186
Chrysographus 283
Chthonia, festum Graecorum 146
Chus, mensura 230
Cibi uarii in conuiuiis adhibiti 222
Cinctus Gabinus 198, 201
Circulatores 254
Circus 260. Circus maximus 261
Cisium, uehiculum 332
Cithara, instrum. mus. 281
Clauata calceamenta 210
Claues, uariae formae 219
Clauulare, uehiculum 333
Clauus nauis 341
– – latus et angustus 198
Clementia Dea 79
Clibanarii Equites 308
Clio, Musa 30
Cloacae 333
Clotho, Parca 369
Clypeus uotiuus 304
Cneph s. Cnuphis, Deus Aegypt. 159
Cnossi, urbis, symbolum 245
Cochlearia uaria sacris adhibita 122
Cocytus, flumen inferorum 368
Coelum 14
Coenationes, Coenacula 217
Coeus 14
Cohortes Laconum 290. Praetoriae et urbanae 293
Collocatio mortuorum ad portam 348
Colobium, uestis 201
Colossus Rhodius 242
Colum, Colatorium 224
Columbaria 354
Columnae Traiana, Antonina et rostrata 328. milliares ibid.
Combennones 332
Comburendi corpora defunctorum consuetudo 350
Compagus, 209. sq. Compes ibid.
Compitalia, festum Rom. 148
Comus, Deus conuiuiorum 75
Conclaue 218
Concordia Dea 79
Congius, mensura 229
Coniurati, Coniuratio 292
Connubiorum ritus 248
Consecratio templorum 105
Constantia Dea 79
Consualia, festum Rom. 149, 261
Contus 342
Conuiuia instituendi modus 220 sq.
Coquorum industria 223
Coraces, Sacerdotes Mithrae 92
Coraica mysteria ibid.
Corcyrae Symbolum 245
Κορδακισμὸς, Cordax, saltatio 266
Coris s. hasta 306
Cornicen 280
Coronae uariae; castrensis scilicet, ciuica, graminea, muralis, naualis, obsidionalis, plectilis, rostrata et uallaris 327
Corybantica, festum Graecorum 146
Corytus 307
Cos, insulae Symbolum 245
Cothurnus 209. sq.
Cotyla Attica, mensura 230
Couinus, uehiculum 332
Crepida 209. sq.
Crepusculi imago 13
Criobolia, Cybeles sacrificium 5, 131
Cristae galearum 302
Crobylum, pileus Atheniensium 203
Crocodili ab Aegyptiis diuino honore habiti 171
Crocota, uestis 204
Crotalum 281
Crucis supplicium 383
Crumata 281, 282
Crupezium 281
Cubicula 218
Cucullus, capitis tegmen 203
Culleus, mensura 230
Cultri uariae formae 125
Cunae 211
Cuneus in Amphitheatro 254
– – in acie 317
Cuniculi 321
Cupido, Veneris Comes 47
Currus falcati 321
Cursus 265
Custodes corporis 294
Cyathus, mensura 229
Cybele, Dea et uariae illius figurae, nomina et sacerdotes, nec non cultus 3-6
– – cur dicatur Dea Phrygia, Syria et Pessinuntia? 6. turrita cur? 4
– – eius sacrificia consueta 127
Cymba, nauis species 338
Cymbalum 281 sq.
Cynocephalus 171
Cynophontis festum apud Graecos 146

D.

Daciae symbolum 245
Daedala, festum Graecorum 146

Daedalus et Icarus 23
Dagonis Idolum 181
Danubii ſymbolum 245
Daphnephoria, feſtum 146
Daphnes fabula 29
Dea iunior 173
December in imagine 13
Decuſſis, moneta 230
Dedicatio templorum 106
Delectus militum apud Graecos 289
— - — — Romanos 291
Delphinus, machina bellica naualis 341
Delubrum 102
Denarius, moneta 231. bigatus et quadrigatus, drachmalis, duplex 234
Dendrophori 134
Deſultores equi 264
Deunx, moneta 231
Deuotiones et Vota 152
Dextans, aſſis pars 231
Diana, Dea uenatus, 38. uaria eius nomina et formae 38. ſqq. Diana Agrotera 144. Ardoinna ſ. Arduinna 40. Epheſia ibid. Epheſiae templum 242. Lucifera 39
Diamaſtigoſis, feſtum Graecorum 146
Διανηστισμὸς, ientaculum 223
Diaſphendoneſis, ſupplicii ſpecies 385
Dichordium, inſtrum. muſ. 281
Didrachmon 234
Dies Aegyptiorum feſti 176
Dii, eorum uariae claſſes, caeleſtes ſcilicet et terreſtres, maiorum et minorum gentium 2. Geniales ſ. Geruli ibid. 2. inferi 368
Dii mali 78. minuti et patellarii 2. nixi 108. ſelecti 2. Deorum numerus infinitus 1
Dii Arabum ante Mahumedem 180. Gallorum 187. Germanorum 185. Hiſpanorum et Carthaginienſium 192. Medorum, Palmyrenorum, Perſarum 183. Scytharum 184
Dii laneos habent pedes, quid ſignificet 7
Dindymene eadem cum Cybele 6
Dioſcuri ſ. Caſtor et Pollux 70
Dionyſia ſ. Dionyſiaca, feſtum Graecorum 146
Diota, menſura 226, 229
Διπλοΐς, ueſtis 197
Diptera, templorum ſpecies 103
Diſcordia, Dea 78
Diſcus 265. in ſacris adhibitus 123
Diſpater, idem cum Plutone 24
Diuinandi modus inhumanus apud Druidas 191
Dodonides, Nymphae 83
Dodrans, aſſis pars 231
Dolium 226
Domus Romanorum et Graecorum 216
— — trium lectorum 217
Δόρπιστον, prandium 223
Δόρυ κα[illegible]ινον quid? 306
Δουρέτανα, haſtae 342
Drachma 231
Draco, ſignum militare; hinc Draconarii 312
Druides, Gallorum Sacerdotes 190
Dryades, Nymphae 85
Duces belli 293

E.

Eanus, idem ac Ianus 98
Εἰκόσοροι naues 339
Ἐν[illegible]ορος nauis ibid.
Elaeotheſion 247
Eleuſinia, feſtum Graecorum 146
Eleutheria, feſtum Graec. ibid.
Eliſſa ſeu Dido a Carthaginienſibus Deorum numero habita 193
Elyſii Campi 368, 371
Ἐμμέλεια 266
Encaddires, Dii Carthaginienſium 194
Encaenia, feſtum Graecorum 146
Encauſtum ſeu atramentum 283
Enceladus 17
Encyclion, ueſtis ſpecies 204
Endymion 81
Enyalius idem cum Marte 33
Enyo ſeu Bellona 34
Epactroceles, nauis piratica 338
Epheſi Symbolum 245
Epheſtrides ſ. chlamys 195
Ephydriades Nymphae 83
Epichyſis, uas aeneum 226
Ἐπίκοπαι, naues 338
Epimetheus 15
Epipontia ſeu Venus marina 43
Epiri Symbolum 245
Epotides 340
Equi, eorum uariae ſpecies 263. iis monumenta poſita, ibid. equi Deſultores 264
Equitatus Graecorum et Romanorum 307. aliarum gentium 309
Equites cataphracti ſeu clibanarii 308
Equuleus, ſupplicii ſpecies 385
Erato, Muſa 30, 31
Eretriae Symbolum 245
Eros et Anteros 51
Erynnes ſeu Eumenides, Furiae 369
Ἑσπέρισμα, merenda 223
Eſſeda, uehiculum 333
Ἑταῖροι, quinam dicti 270
Euboeae Symbolum 245
Euentus bonus, Deus 72
Euocati milites, quinam 292
Euocatio Deorum 151
Euripus in Circo 261
Euterpe, Muſa 30
Exactores, quinam? 355
Ἐξάφοροι 349
Exauctoramentum 292
Exercitus allocutiones 315. ordines et profectiones ibid.
Exomis ueſtis philoſophica 197
Exſequiarum ritus 349
Extiſpices 95

F.

Factionarii 263
Factiones agitatorum 262
Falarica 306
Fanatici 156
Fanum quid proprie ſignificet 101
Faunalia, feſtum Romanum 149
Fauni 61, 62
Febris, Dea 78
Februarii imago 10
Feciales 97, 98
Fecunditas, Dea 76
Felicitas, Dea ibid.
Felis ab Aegyptiis diuino honore habita 167
Feneſtrae ueterum 219
Feralia, feſtum Romanum 149, 374
Fercula 222
Feriae Latinae 149
Feſta Aegyptiorum 176. Graecorum 144. ſqq. Romanorum 148. ſqq.
Fibulae uariae 207

Ficus

Ficus Ruminalis 68
Fidelia, uas 227
Fides, Dea 79
Fiſtulae et tibiae uariae 278
Flamines 93, 94. Flamen Dialis 93. Martialis, Quirinalis ibid.
Flammeum ſeu Flammeolum 206
Flora, Dea florum 65
Flumina Inferorum 368
Flyns, Idolum uet. Germ. 186
Follis 267
Fornacalia, feſtum Romanum 149
Fortuna ſecunda et aduerſa, Deae 71, 78
Fratres aruales 97, 99
Frenum lupatum 311
Frigidarium 247
Funambuli 254
Funda 307. Funditores 300
Funera Troglodytarum, Aethiopum Macrobiorum 377. Nabataeorum, Aſſyriorum et Scytharum 378. Germanorum et populorum quorundam ſeptentrionalium 379
Furca, ſupplicii ſpecies, hinc Furcifer 385
Furiae ſeu Erynnes 369
Fuſcinulae 125

G.

Gaeſum 306
Galeae ſeu Caſſides 301
Galerus 93
Galli, Sacerdotes Cybeles 5, 91
Galli originem ſuam a Dite ſeu Plutone traxiſſe dicitur 187. Gallorum religio 186
Gallia togata quaenam 199
Galliarum trium ſymbolum 245
Gallica 209, 210
Gauſape, ueſtis 201. ſq.
Γενεὰ, generatio, quid? 8
Genii 72
Germaniae Symbolum 245
Germanici Apotheoſis 373
Germanorum Dii 185
Gerrum 304
Gingra uel Gingrus 279
Gladiatorum ludus 257
Gladiorum uariae ſpecies 304
Glaucus, Deus marinus 22
Gorgones 37
Gratiae, Veneris ſociae 46
Grus, machina bellica 320
Guttus, uas 226
Gymnaſia, unde nomen 265
Gynaeceia 218

H.

Hamadryades, Nymphae 83
Harpa 282
Harpaſtus, pila 267
Harpe 305
Harpocrates 167
Harpyiae 83. ſq.
Haruga uel Harunga 126
Haruſpices 94. ſq.
Haſtarum uariae ſpecies, 306. Haſta amentata, pura ibid. falcata 342
Haſtati milites 292
Hebdomas a Saturno forte inchoata 13
Hecate tergemina 39
Hecateſia, feſtum Graecorum 146
Hecatombe 143
Hecatompedon 111
Helepolis 320
Heliopolis 117
Hemiectum, menſura 230. hemina idem ibid.
Hemiolia, nauium ſpecies 338
Herculis, natiuitas, educatio et inſtitutio, ſtatura, uaria nomina et labores 52–57
Hercules Argentinenſium 189
– – Macuſanus ſ. Maguſanus, item Muſagetes 57
– – cur Placidus nonnunquam dicatur 56
– – cur et ubi Saxanus uocetur 120
Hermae, quinam? 35
Herthus et Hertha, Dii Germ. 186
Heſus uel Eſus, Deus Gallorum 187
Hierapolis ſymbolum 245
Hieroceryces 90
Hierocoracica myſteria 92
Hierophantae 90
Hilaria, feſtum Romanorum 149
Hilaritas, Dea 76
Hippocentauri 85
Hippodromus ſeu Circus Conſtantinop. 262
Hippogreta 290
Hircus ab Aegyptiis diuino honore cultus 171
Hiſpaniae ſymbolum 245
Hiſtriones et ſcurrae 254
Holca, menſura 229
Holocauſtum ibid.
Honor, Deus 78. ſq.
Hoplitae 316
Horae; hoc nomine a Graecis quatuor anni tempeſtates deſignantur 8
Horaea, feſtum Graecorum 146
Hortus penſilis 241
Hoſtiae, quales cuilibet Deo mactari praecipue conſueuerint 127. Hoſtiae eximiae et prodigiae quid? 126. humanae apud Romanos et Graecos rariſſimae 127
Hyades 15
Hyaenae, Sacerdotes 92
Hydraulus 279
Hygieia ſeu ſalus 67
Hypaethra 103
Hyperion 14
Hypocauſtum 246
Hypogaea 353

I.

Ἰάλεμος ſ. naenia 349
Ianuarii imago 9
Ianuae aedium 219
Ianus 15
Iapetus 14
Ibis, auis Aegypti 172
Icarus Icario mari nomen dedit 23
Ichnevmon 171
Idaea, eadem cum Cybele 3
Idololatriae origo et progreſſus 1
Igdis, ſaltationis ſpecies 266
Imperatores quinam dicebantur 293
Impluuium 217
Impudentia, Dea 78
Inaures 208
Incendium mundi, ſaltatio 266
Incitae; ad incitas redactus, quis? 277
Indigetes Dii 2
Indorum arma 299
Indulgentia, Dea 79
Inferi, quinam 367. tranſitus animarum ad inferos 370

Infula 203
Instrumenta agriculturae 287. architectorum 278. pistorum 287. sacrorum 122. scriptoria 282
Insulae seu aedificia plebis contigua 216
Inter caesa et porrecta quid? 129
Interula, uestis 195
Inuidia, Dea 78
Iola ab Hercule adamata 57
Irmenseule, Idolum Germanorum 186
Isis, Dea Aegypti 160. unde Myrionymos dicta 160. unde noua, 173. eius pompae 163 sq.
Ismaelitae s. Saraceni 311
Isthmici ludi 260
Ἴσια 341
Ἰσι βοῦς 287
Italiae symbolum 244
Iudaeae symbolum 245
Iudices Inferorum 368
Iulius in imagine 11
Iunius, similiter ibid.
Iunonis uaria schemata et cognomina 18–20. Iuno cur Ammonia, Argiua, Argolica, Albana, Lucina dicta 19, 20. cur Tenea 109. conseruatrix, moneta, sospita, pronuba 19. Iuno inferna eadem cum Proserpina 24
Iupiter; eius uaria schemata 16–18. unde ἀγήτωρ seu ductor 290. Ammon 17. Fulgerator ibid. infernus idem cum Plutone 24. Iouis Olympii statua 242. Iupiter Stator et Feretrius 18. Stygius seu Pluto 24. Vindex 18
Iurantes aram tenebant ut iuramenta essent eo solenniora 119
Iustitia, Dea 79
Ixionis supplicium 371

K.

Καταγραφὴ 290
Κέντρον s. stimulus 287
Κνήμις s. compages 196
Κόρδαξ 266
Κόρυμβος 337
Krutzmannus, Argentinensium Hercules 189

L.

Labarum 312
Labyrinthus Aegypti 242. Cretensis ib.
Lacedaemonis symbolum 245
Lacerna, pallii genus 200
Lachesis 369
Lacinia, uestis 201
Laconicum, quid? 246
Laena uel Chlaena, uestis 196
Laetitia, Dea 76
Lancea 306
Lances 224
Laocoon 86
Lapides speculares ex quibus fenestrae fiebant 219
Lararia 74
Larentalia seu Laurentalia, festum Rom. 149
Lares et Penates 72 sq. Lares permarini 74. Lares unde Grundiles nonnunquam dicantur 128
Laticlauii 294. Laticlauium patrimonium 200
Latinae seu Latiares feriae 149
Latronum s. Latrunculorum ludus 276
Lauerna Dea 78. Lauerniones ibid.
Lectisternium, festum Romanum 151
Lectus genialis uel nuptialis 250. cubicularis 220
Leda, Castoris et Pollucis mater 70
Legati in bello 294
Legiones 293
Lembus, nauis species 338
Lemuria seu Lemuralia, festum Rom. 149
Lenaea, festum Graecorum 146
Lenaeus siue Bacchus 57
Leo, saltationis species 266
Leones, Sacerdotes 92
Leontica, festum Graecorum 92, 147
Lernaea, festum Graec. ibid.
Leucothea seu Ino 75
– – seu Matuta 22
Liberalia, festum Rom. 149
Liberalitas Dea 79
Libertas, Dea 76
Libitina 370. Libitinarii 348
Libra Romana 231. mensuralis et ponderalis 239
Liburnae naues 338
Ligulae seu Lingulae 125
Limnades, Nymphae 83
Limoniades idem ibid.
Litare quid proprie significet 129
Lituus seu uirga auguralis 125, 280
Lorica hamata 302. squammata 297
Lucernae ueterum 220, 379
Lucta 265
Ludus Cestuum 265. Ludi Circenses 260, 262. Ludus gladiatorum 257. Ludi Gymnici 265. Ludi Latronum seu Latrunculorum 276. Ludi in amphitheatris exhibiti 257. Ludi minores, quinam? 276. Ludi talorum et Ludus Troiae 267. Ludis funera celebrata 352
Luna seu Lunula in calceis Senatorum 209
Lunus, Deus 81
Lupercal 99. Lupercalia festum Rom. 149
Luperci 97, 99
Lupercus 143
Lupus Instrumentum bellicum 320
Lycaea festum Graecorum 147
Lycogenes, idem cum Apolline 29
Lydae 271
Lyra 281

M.

Macedoniae symbolum 245
Macellum 243
Macetae 271
Machinae bellicae 319
Maenades seu Bacchantes 60
Mafors, Mafortium, uestis 204
Mactrisma s. Mactrismus, saltationis muliebris species 266
Magadis 282
Magi, Persarum 184
Magister equitum 295
Magna mater et Mater Deum, eadem cum Cybele 3
Mairae, Deae Gallorum 189
Maius in imagine 11
Malleus ad mactandas uictimas 124
Mandyas, pallii genus 195
Manes, Dii inferi 368
Mannus, Deus German. 185
Mansiones seu Μοναὶ 330
Manus ab Aegyptiis pro Diis habitae 174
Mars, Deus belli et Romuli et Remi pater 33. Cur dicatur Gradiuus ibid.
Marsyas, Cybeles Comes 4. fabula de illo 29
Martius in effigie 10
Martyrum cruciatus uarii 386
Mater sacrorum 92
Mater Sipylena seu Cybele 6
Materae seu materes 301

Matronalia, festum Rom. 150
Matuta, Dea 22, 75
Mavors, idem ac Mars 33
Mausoleum 242, 365
Mediana seu aedes demissiores 216
Medimnus, mensura 229
Medorum Dii 183
Medusa 37 sq.
Megaera, furia 369
Megalesia, festum Cybeles 6, 150
Meleager, Dianae minister 41
Melethyta, oblationum species 126
Melissa Sacerdos 90
Melpomene, Musa 30, 31
Membra corporis humani tot numinum loco ab Aegyptiis culta 173
Men seu Deus Lunus 81
Menagyrtae, Cybeles Sacerdotes 5, 91
Mendes s. Hircus ab Aegyptiis diuino honore habitus 171
Mensa Isiaca 174
Mensae ueterum 220
Menses XII. peculiaribus imaginibus repraesentatae 9 sqq.
Mensurae uariae 229
Mercurius 34, 35
Mesoporphyron, uestis 199
Mesopotamiae nomen insulae Tiberinae datum 113
Messinae symbolum 245
Metragyrtae, Cybeles Sacerdotes 5, 91
Militum romanorum uariae classes et ordines 292. milites classiarii et eorum arma 342. milites beneficiarii 292
Mimallonae 271
Minerua cum uariis eius schematibus et protomis 35 sqq.
Minos, Iudex inferni 368
Minotaurus, monstrum 23
Minutal 223
Miracula VII. mundi 241
Missus equorum in Circo 264
Mithras, Deus 82
Mitra 206
Mna seu mina, mensura 229
Mnemosyne 14
Mneuis 169
Monaulus 279
Monetas quis primus signauerit? 230
Mongas 266
Monoxylon, μονόξυλον 335
Monumenta Veterum Graecorum, Gallorum et Hetruscorum 363
Monumenta quaedam in regione Calmucorum reperta 387. sq.
Monumentis uim inferentes graui poena affecti 353
Moribundos (circa) et defunctos ritus uarii 347
Morphasmus 266
Mulciber seu Mulcifer, idem cum Vulcano 27
Mulleus 209
Mumiae Aegyptiacae 369, 375; earum Campus 377
Muri Babylonici 242
Murices 311
Murrhata potio mortuis data 351
Murtia Dea 78
Musculus 320
Musae et uariae illarum Schemata 30 sqq.
Musica instrumenta 278
Mutatorium, quid? 243
Myma, species cibi 223
Myoparona, nauis species 338
Myrmillones, quid? 257

N.

Nabla 279
Naenia 349
Naiades, Nymphae 83
Napeae, Nymphae ibid.
Nauium formae et genera uaria 338
– – partes praecipuae 337
– – construendarum ratio 335. Naues biremes, triremes, quadriremes, quinqueremes, 339. classicae, earumque apparatus 341, 338. Naues longae, naues longae actuariae, onerariae, plicatiles, tutelae 338, 336, 340
Naumachia 259, 267
Nautae 342
Neapolis Symbolum 244
Necessitas, Dea 78
Nemausiensis domus s. templum 117
– – – turris 345
Nemei ludi 260
Nemesia, festum Graecorum 147
Nemesis 71
Neocori, quinam 89
Neptunus et uaria illius Schemata 21
Nereides Nymphae 82, 22
Nereus, Deus marinus 22
Nicatismus 266
Nili symbolum 244
Nimrod sub Beli nomine primus diuinis honoribus mactatus 1
Niobis fabula 29
Nisus, Scyllae pater 85
Nobilitas, Dea 77
Noctua, saltationis species 266
Noctulius, Deus 81
Nouember sub imagine 12
Nox, Dea 80
Nummi aurei et argentei quando cudi coeperint? 233
– – in museis conseruati an publici usus fuerint 335
Nummus uictoriatus 234
Nuptiarum coerimoniae praecipuae 250
Nyctileus, Bacchi cognomen 81
Nymphae 82
Nyssae symbolum 245

O.

Obelisci Aegyptiorum 177
Obolus, mensura 229. obolus mortuorum ori iniectus 351
Obrendaria ossibus defunctorum reponendis destinata 354
Oceanitides Nymphae 82
Oceanus 14
Ocrea 209. sqq.
October sub imaginis forma 12
Ὀκτωφόροι 349
Ollae 224. Ollaria s. columbaria 354
Olympia, festum Graecorum 147
Olympici ludi 259
Omina 157
Omphale ab Hercule adamata 57
Onuphis 169
Opera militaria 313
Ophir, ubi fuerit 236
Opocinos 266
Ops eadem cum Cybele s. Terra 3

Optiones 294
Oracula praecipua 155
Orbona, Dea 78
Orchestra, quid? 253
Orcus 24. Orci galea ibid.
Ordines militares 293. exercitus 315
Oreades f. Orestiades Nymphae 83
Organa musica 279
Orgiastae 90
Orgyophantae ibid.
Orientis et Occidentis symbola 244
Orion 15, 371
Orphei fabula 85
Orpheotelestae 271
Orus, Deus Aegyptiorum 160
Osiris idem ibid.
Ossuarium 355. sq.
Othona, uestimentum Philosophorum 197
Oues ambiguae uel potius ambegnae 126
Ouoscyphium 226
Oxobathon, mensura 230

P.

Pactolides Nymphae 83
Paganica pila 267
Palaemon, Deus marinus 22
Palilia, festum Rom. 150
Palla, uestis 196
Palladium 38
Pallas seu Minerua 35 sqq.
Palliolum 197
Pallium cum diuersis eius speciebus 196, 204
— — Philosophorum 196
Pallor, Deus 78
Palmyrenorum Numina 182
Pan et Panes 61, 62. Pan cur lucidus dicatur 64
eius cum Cupidine lucta 64
Panathenaea, festum Graecorum 147
Pancratiastae 265
Panduria 279
Pannoniae symbolum 245
Panthea 83, 104. Pantheum Mineruae Medicae 104.
Romanum ibid.
Pantomimus seu histrio 215
Papyrus eiusque philyra 284
Paragauda uestis militaris 202
Parasiti 89
Parazonium 305
Parcae 369
Parentalia 373. 371
Paridis iudicium 46
Parma 302
Parthorum cultus militaris 300
Pater Sacrorum 92
Paterae, uasa sacra 123
Paterpatratus 97 sq.
Patrica mysteria 92
Pauor, Deus 78
Pax, Dea 77
Pectis 281
Pecuniae nomen unde? 230
Pedalium, πηδάλιον 341
Pegasus equus 31
Pegmata, quid? 256
Pelta 302. Peltastae 316
Penates 74
Pentathli, πένταθλον 265
Penteteris 8, 271
Penula, uestis 197, 204
Peplum idem ibid.
Pergamenum 284
Pergami symbolum 245
Periphlegethon, flumen inferni 368
Periporphyron, uestis 199
Periptera, templorum species 103
Periscelides 208
Pero 209
Persarum Dii 183
Perseus 37, 38
Petasus, capitis tegmen 203
Petauristae f. Petauristarii 255
Phaecasium 209, 211
Phaethontis fabula 32
Phalanges Phalanx, Macedonica 316
Phallica saltatio 266
Pharetra 307
Pharus 242, 344. Pharus Alexandrina et Bononiensis 346
Phaselus, nauis species 338
Phelone, φελόνη, penula 204, 197
Phiala, locus in Nilo 169
Philistaeorum Idolum 181
Philyra papyri 284
Phoenicum Dii 181
Phoenix, fabula 85
Phorcys Deus marinus 22
Pietas, Dea 79
Pilentum, uehiculum 332
Pileus 203
Pilus, iaculi species 305
Pinacis 266
Pinarii et Potitii 97
Piscatus 275
Pistorum instrumenta 287
Pitoritum, uehiculum 332
Placentarum uariae species 223
Plaustrum 333
Pleiades 15
Pluto, Deus inferorum 23
Plumbatis caedi 265
Pluteus, quid? 243
Pocillatores, quinam 223
Pocula, uaria 227
Podium 256
Polemarchus 290
Pollinctores 348
Polyhymnia, Musa 30 sq.
Pomona 66
Pompa Romanorum et Graecorum 268. Alexandri Magni 273. Antiochi Epiphanis 269. Ptolemaei Philadelphi 270
Pompa funebris 349
Ponderum uariae species 239
Pons; de pontibus in genere 331. eorum uaria nomina, ibid. e. c. Pons Fabricius, Aelius, Cesti, Miluius, Narsetis, Sublicius, Senatorius, Palatinus, Triumphalis, Narniensis.
Pontifices, eorumque maximus 93
Popana, placentae species 126
Pereuith, Idolum Germanorum 186
Portae 243. inferorum 370. Porta maior 243
Portumnus seu Portunus, Deus marinus 22
Portus 344
Posca 315
Praecidaneae hostiae, quaenam 126
Praefecti militum 290
Praefericulum 122
Praeficae 350
Praestigiae 157. Praestigiatores 254
Praestites Lares 74
Praetexta 201
Priapus, Deus hortorum 65
Primipilus 294
Princeps iuuentutis 267

Principes militum 292 sq.
Proceleusmaticus Cantus 268
Profectiones Exercitus 315
Prometheus 14, 15
Promoti Centuriones 294
Prono, Deus ueterum Germ. 186
Pronubium quid 249
Prophylacteria 212
Propides 340
Prora & puppis nauis 337
Proscenium 254
Proserpina 24
Proteus, Deus marinus 22
Prouidentia Dea 77
Proxena, uehiculum 333
Πρόμνα 337
Pseudodiptera, templorum forma 103
Pseudothyrae s. portae falsae 219
Psyches fabula 48
Pudicitia, Dea 80
Puellae Faustianae 114
Pugiles, Pugilatus 265
Pugio 305
Pullata uestis 201. qui funeribus aderant ea induebantur 353
Pulpitum 254
Puluinaria, festum Rom. 151
Purgatores s. Purificatores i. e. Sacerdotes 88
Pycnostylos, quid? 103
Pyram quinam accendebant 351
Pyramides Aegyptiorum 376, 241
Pyrrhichia, saltatio 266
Pythia Delphica 90
Pythii ludi 260

Q.

Quadrans, assis pars 231 sqq.
Quadrasses, monetae species 230
Quadrigae, Quadrigarii 262
Quartarius, mensura 229
Quietorium 357
Quinarius 234
Quincunx, Assis pars 231
Quinquagenarius 290
Quinquatria s. Quinquatrus, festum Rom. 150
Quinquertium 265. Quinquertiones 266
Quinqueuirorum Collegium 374
Quirinalia, festum Rom. 150

R.

Radegastus, Idolum uet. Germ. 186
Rates 335
Remos detergere, quid? 343
Retiarii quid? 254
Rex Sacrificulus 97, 99
- Sacrorum 93
Rhadamanthus, Iudex Inferorum 368
Rhea, eadem cum Cybele 3
Rheda, uehiculum 332
Rheni symbolum 245
Ritus diuersi circa moribundos 347
Robigalia, festum Rom. 150
Roma Dea 68
Romuli et Remi natalia 69
Rorarii, quinam 293
Rota, supplicii species 386
Rumia s. Rumilia, item Rumina, Dea 75

S.

Sacerdotes corporis uitio laborare uetitum 88
Sacerdotes Aegyptiorum 175. Romanorum 92. Graecorum 87. Cybeles 91. Mithrae 92
Sacramentum militare apud Romanos 292
Sacrarium 102
Sacrifici, iidem ac Sacerdotes 88
Sacrificia; eorum etymologia 125. uaria genera 125 sqq. ritus praecipui 128 - 130. loca diuersa, quibus peragebantur 128. quibusdam iis adesse licuerit ibid.
Sacrificia publica et priuata, cruenta et incruenta 126. adorea 127. rustica 141
Sacrificia et omina nauigantium 343
- - Aegyptiorum 175
- - Singulis Diis oblata, Aesculapio scilicet 140. Dianae 137, 142. Herculi 140. Hygiaeae et Ioui conseruatori 142. Laribus 141. Marti ibid. Marcurio 137. Mineruae, Pani, Priapo et Siluano 140
Saga uirgata 214
Sagaris 307
Sagittae et arcus 306
Sagum, uestis militaris 202
Salii 97, 100
Salpinx 279
Saltationis uariae species 265 sqq.
Sandalium 209, 210
Sapientia, Dea 79
Saraceni seu Ismaelitae 311
Sarcophagi s. urnae maiores 354
Sarissa 306, 316
Sartago 224
Saturnalia, festum Rom. 6, 150
Saturnus 7
Satyri 61, 62
Scabillum 281
Scalmus 341
Scapha, nauis species 338
- - supplicii genus 386
Scala, supplicii genus 385
Scarabaeus ab Aegyptiis diuino honore mactatus 173
Scelesti a Sacris arcebantur 128
Scena, quid? 254
Scenitae 318
Schoenobatae 255
Schola Faustiana 114
Sciri, festum Graecorum 147
Scops seu Scopeoma 266
Scrinia, Scriniarius 202, 286
Scripturae instrumenta 287
Scutorum uariae species 302 sq.
Scutulata uestis 202
Scyllae fabula 84
Scytala 313
Scytharum Dii 184. templa 185
Sebum, mensura 230
Secespita 124
Securis 307. ad mactandas uictimas 124
Securitas, Dea 77
Secutores 257
Seia, templum fortunae aureum 105
Seiuges, quid? 262
Selinon 327
Seliquastrum 220
Sellae ueterum 220
Semis s. Semissis, assis pars 231 sqq.
Semones s. Semidei 2
Senecae Balneum 248
Septemuiri Epulonum 97, 99
Septiiuges, quid? 262
Septizonium 366
Septunx 231

Sepultura 350. eius locus ibid.
September in effigie 12
Serapis 165. Serapium 114
Seriae 226
Serpens Solis et Medicinae Symbolum 5, 173
Serracum, uehiculum 332
Serrati nummi 234
Sestertius 234
Sextans, sexta pars assis 231 sq.
Sextarius, mensurae species, Sextarius castrensis 229
Sibyllae, earumque libri 95
Sica 305
Siciliae symbolum 245
Sicinnis, Sicinnista, Sicinnizare 266
Sicyonia 209, 210
Sidonis symbolum 245
Sigilla et annuli 251
Sigma, modus tricliniorum 221
Signa militaria 312
Silenus et Sileni 61 sq.
Siluanus 61, 64
Simpula s. Simpuuia 123
Sinus togae 198
Siparum uexillatum 312
Sirenes 83
Sirpea stercoraria, uehiculum 333
Sistris 281
Sistrum 164
Sisyra 196
Sitalca, cantilena 266
Siticines 349
Sito eadem cum Cerere 24
Sivva, Idolum uet. Germ. 186
Σκιάδιον 203
Smirnae symbolum 245
Sobas 266
Soccus 210
Socii in bello 292
Sol ab Apolline diuersus 32. Sol, Luna et sidera inter Deos relata 3
Solea 209 sq. Solea ferrea equorum 309
Somnus Deus 80. Somnus aeternalis pro morte positus 81
Sors conuiualis 276
Sortilegium quid? 157
Soteria, festum Graecorum 147
Spes, Dea 76
Sphinges 171
Sphinx Aegyptiorum 376
Spiculatores 294
Spoliarium, quid? 258
Stapes 309
Statera quomodo a trutina differat 239
Statiua castra 318
Sternutantibus apprecandi mos 157
Stili diuersae formae 286
Stipitis infixio, supplicii genus 385
Stips uncialis 231 sqq.
Strangulatio, supplicii genus 386
Stratologia 290
Stratores 295
Strongylus 338
Stymphalides 83, 84
Styx, inferni fluuius 368, 370
Suantouith, idolum uet. Germ. 186
Subarmalis uestis 202
Suboptio 294
Subucula, uestis 195
Succenturio, Succenturiatus 294
Succidaneae uictimae 126
Sudatio 286
Summanus idem cum Plutone 24
Sumtuarii, quinam 355
Suouetaurilia 136
Suppellectilia uaria aedium 220
Supparum 341
Supplicationes, festum Rom. 151
Supplicia ueterum 383 sqq.
– – infernalia 371
Suspendium, supplicii genus 386
Symbolum quid? 287. Symbola uariarum regionum, fluuiorum, urbium 244
Synthesis, pallii species 197
Syracusarum symbolum 245
Syrinx instrumentum mus. 4, 279, 280. a Baccho adamata et in arundinem mutata 63
Syrorum Dii 181, 182
Systylos, quid? 103

T.

Talentum, quid? 239, 240
Tali 276
Talos, torni inuentor 23
Tantali supplicium 371
Tarentina uestis 204
Tarentini, quinam? 316
Tartarus 368
Taurobolia et Criobolia 127, 131 sq.
Taurocathapsia 277
Tauromachia 277
Telesphorus 68
Tellus 14
Tempestas, Dea 78. quatuor anni tempestates 8
Templa Templorum origo, uariae figurae, ornamenta et diuitiae, nec non consecratio et ius asyli 101 – 105
Templa Aegyptiorum 177
– – ueterum Gallorum, quae erant sumtuosissima 192
– – Scytharum 185
Templa singulorum Deorum Dearumque e. c. Adonidis 112. Aesculapii 113. Antonini et Faustinae 116. Apollinis 109. Apollinis Actii 110. Bacchi 112. Balbeci 117. Bellonae 110. Castoris et Pollucis 114. Clementiae 116. Cybeles s. Opis 107. Dianae 111. Dianae Ephesiae 242. Dodecatheum 105. Euentus boni 115. Fauni 113. Febris 115. Felicitatis ibid. Fidei 116. Fortunae, et Fortunae Praenestinae in specie 114. Florae 113. Herculis 112. Hygieae 113. Iani 107. Iouis Capitolini, Conseruatoris, Feretrii, Olympii, Propugnatoris, Statoris, Tonantis et Vltoris 107 sq. Iunonis reginae, Lucinae, Matutae et Sospitae 108, 113. Larium 115. Latonae 110. Lauernae et Libertatis 115. Lunae Noctilucae 116. Malorum 115. Martis et Martis ultoris 110. Matutae 115. Mercurii 110. Mineruae 111. Necessitatis 115. Nemesis 114. Neptuni 109. Pacis 115. Panis 113. Pauoris 115. Pietatis 116. Plutonis 109. Pudicitiae 116. Remi 116. Romae Deae 113. Romuli 116. Saturni 107. Siluani 113. Solis 110. Spei 115. Telesphori 113. Tempestatis, 115. Tutelinae ibid. Veneris 112. Vestae 109. Victoriae 115. Violentiae ibid. Virtutum 116. Vulcani 109
Templum Cyzicenum 117
– – – Augurum Circulus 95
Tempus eiusque diuisio 8 – 14
Tenedos symbolum 245
Tepidarium 247
Teraphim 181
Terminalia, festum Rom. 150
Τετρακαιεικοντόροι naues 339

Tessera quid? 276
Testudo instrum. mus. et machina bellica 280, 320
Textoria ars 287
Thalamus, pars nauis, hinc Thalamitae 337
Thalia, Musa 30, 31
Tharamin, Deus Gallorum 187
Theatra et Actores 253
Thebae Aegyptiacae 242. Thebarum symbolum 245
Thensa, uehiculum 332
Theogamia, Theophania, & Theoxenia, festa Graecorum 147
Thermae et balnea 246, 248
Thermantris 266
Thesea, Thesmophoria, festa Graec. 147, 148
Thesmophylaces et Thesmothetae 14
Thessaliae symbolum 245
Theutates, Deus Gallorum 187
Thoanos, pars nauis 337
Thorax s. Lorica 302
Thranitae 337
Thuribula 122
Thyades seu Bacchantes 61
Thyas Sacerdotissa 90
Thymiaterium s. thuribulum 122
Tiberiades, Nymphae 83
Tiberis symbolum 244
Tibia utricularis 279
Tibiarum et Fistularum differentia 278
Tintinnabulum 282
Titanes 14
Tityus 371
Toga. Togarum materia 198. Toga Romana 198. praetexta 201. picta 199. uitrea, undulata 199
Tonsa 341
Toreumata uitri 227
Torques 208
Trabea, uestis 200
Tranquillitas, Dea 77
Tremissis 234
Triarii 292
Tribonium, pallium philos. 196
Tribunal s. Suggestus 315
Tribuni militum 294
Triclinia 217
Tricusses, monetae 230
Trietya, festum Graecorum 148
Triens 232 sq.
Trigae unde Trigarii 262
Trigla s. Triglia, Dea uet. Germ. 186
Tripodes uariae formae 90, 121. Tripodes pocula 227
Triptolemus 25
Tripudium solistimum 94, 124
— — — soniuium 158
Tripus, instrumentum musicum 281
Triton, De[illegible] marinus 22
Triuia s. [illegible]te tergemina 40
Triump[illegible]3. naualis 326
— — [illegible]ulli Aemilii 325. Titi 326
Troadis [illegible]tum 245
Troiae lu[illegible] 267
Tropaeum 321
Trophimus 290
Trulla 224
Tryblion, mensurae species 230
Tuba 279
Tuccia, uirgo Vestalis 20
Tuisto, Deus Germanorum 185
Tumices s. Vela 341
Tunica 195. Tunica palliolata 197
Turmae equitum 293
Turris Nemausiensis 345
Tutelae naues 349
Tutelina s. Futilina Dea 75
Tutulus, quid? 92
Tympanum a Cybele inuentum 4, 281 sq.
Typhon, quid apud Aegyptios? 160
Tyri symbolum 245

V.

Vasorum uaria genera 225. sqq. etc. culinaria 224. ex insula Chio 225. Coptica 225. Corinthia et Lesbia 225. crystallina 226. Deliaca 225. Hetrusca 228. murrhina s. myrrhina, Samia 225. Thericlea et uitrea 227
Vbertas, Dea 76
Vehiculorum uariae species 332
Veiouis nomen quid significet 18
Velites 292, 316
Venatus 274
Venus 43. Veneris et Adonidis amores, 45. Venus Murtia 78. Victrix 45
Verbenae, quid? 119
Vertumnus, Deus fructuum et messium 65
Verua 224
Verutum 306
Vesperi figura 13
Vespillones 349
Vesta Dea 20 sq.
Vestales 96. Vestalium maxima 97
Vestes Graecorum et Roman. 194. mulierum 204. Sacerdotum 99
Vestibulum 217
Vestimentorum inuentrix Iuno 19
Vestimenta militaria Graec. & Rom. 295. aliarum gentium 213, 214
Veterani milites 292
Vexillarius 294. Vexillum 312
Viae publicae 329
Victimarii 129
Victimas humanas Galli immolarunt 187
Victoria, Dea 77
Villae et horti campestres 224
Violentia, Dea 78
Virtutes, Deae ibid.
Vmbo togae 198
Vncia, pondus et mensura 229, 231, 239
Vnctio defunctorum 274, 347
Vnguentorum et aromatum uariae conditurae 247
Vngulus s. annulus 251
Volsellae 247
Voluntarii milites 291
Voluptas a Psyche et Cupidine producta 50
Vomitoria in Amphitheatris 253
Vota 152
Vrania, Musa 30, 31. a Carthaginiensibus praecipue culta 193
Vrna, mensurae species 230
— cineraria 354. urnae sepulcrales rotundae 355. quadratae 356
Vrnulae seu phialae lacrymales 363
Vstrinum 352
Vter symphoniacus 279
Vulcanus et uaria eius schemata 26 sq.

X.

Ξυςὶς, uestis species 204
Ξιφισμὸς 266

Y.

Ὑποκρητηρίδιον 228

Z.

Zyga pars nauis, unde Zygitae. 337

BENEVOlLVS LECTOR

hinc inde omiſſa et commiſſa ſic corrigere uelit.

Pag. 2. not. 5. l. 2. l. Statii.

p. 3. in text. l. 8. l. *tolerari.*

p. 4. not. * poſt L. 3. add. c. 9. conf. Hygin. fab. 165.

— not. 5. l. 1. Faſtor. 4.

p. 5. §. 6. l. 8. pro *Sacrificia* l. *myſteria.*

— in not. 10. l. 2. pro 20. l. 11.

p. 7. l. 3. l. L. II. c. 24. ib. §. 3. l. 3. pro *circumdatur* l. *circumuoluitur.* §. 4. l. 2. l. 43, 1. in not. 4. l. 2. lege 43, 1.

p. 12. in text. l. 12. l. *minima menſura.* not. 32. l. 1. leg. epigr. XXIX, 19.

p. 13. §. 24. l. 15. l. *iconem* pro *aliam.* not. 33. l. 5. *ubi* pro *ibi.*

p. 14. not. 1. l. 2. poſt. 5. add. v. 81.

p. 16. not. 3. add. c. 11.

p. 17. §. 3. l. 7. poſt. ait, pone: Od. XI, 314. ſq. §. 4. l. 9. l. *impoſuerint.* not. 5. l. ult. add. v. 281. ſq. not. 6. poſt. 3. add. v. 578. not. 7. poſt Aſtron. 2. add. c. 20. lin. 3. poſt. lib. 4. add. c. 7. 18. §. 8. l. 6. leg. *conſecraret.* c. II. §. 1. l. 4. poſt. Homer. add. Il. XIV, 200. ſqq. not. 13. pro 4. pone 5.

p. 19. §. 3. l. antep. dele colon. not. 2. l. 1. pro 17. pone 15. lin. 2. add. c. not. 3. lege, Homer. not. 11. pro 45. pone 44. lin. 3. poſt ſaepius add. e. g. L. XXIV. c. 20.

p. 20. not. 13. l. 4. poſt Aſtron. add. L. II. c. 43.

p. 21. c. III. §. 1. lin. antep. leg. *adſcriptae.*

p. 22. §. 4. l. 12. poſt Heſiod. add. Θ. v. 238. not. 3. add. c. 28. not. 5. poſt Od. 4. pone v. 375. et poſt Georg. 4. add. v. 440. ſqq. not. 7. add. v. 240.

p. 23. not. 11. lege Ταλως.

p. 24. l. 1. lege ἀιδης, Haides. c. V. §. 2. l. 3. pro *adeo*, pone: *cum iſta.* not. 2. C. IV. poſt. Aen. 4. add. v. 638. not. 4. l. 2. pro 733. lege 731. not. 4. c. V. l. 2. poſt ſexta add. c. 48.

p. 25. §. 4. l. 15. poſt certum eſt, add. §. 5. l. 10. l. *Celeus.* l. ult. pro *decernerent* lege *decreuerint.* not. 7. l. Verr. ſexta, c. 3.

p. 26. §. 6. lin. ult. lege Verr. ſexta c. 57. not. 9. l. 3. 4. lege *Faſoldum.*

p. 27. §. 3. l. 5. poſt l. 2. add. c. 10. c. 1. not. 8. poſt 8. add. 422.

p. 29. not. 15. l. 4. leg. *pantheon.*

p. 31. §. 6. l. 2. pro *perhibent* l. *conſentiunt.* l. 8. pro *nam* pone *niſi.* §. 8. l. ult. pro *ab aliis* l. *iuxta alios.*

p. 32. l. 1. pro *abſcidi* pone *abſcidit*; et dele; *dicitur.* c. IV §. 1. l. 7. poſt et add. 2.) not. 3. l. • add. Lucian. in Dial. Iou. et Solis.

p. 33. §. 3. l. 6. poſt Plutarch. add. 8. l. penult. dele: *que.* not. 8. ſtatim ab in init. adde, in Romulo.

p. 34. not. 2. l. 3. pro et 6. pone et 5. not. 3. l. 2. poſt hymn. add. in Mercur. v. 292. not. 4. l. 1. poſt Amphitr. add. v. 12. not. 8. poſt lib. 1. add. v. 8.

p. 35. §. 3. l. 4. lege *poſitas.* c. VII. lin. penult. dele: *in.*

p. 36. not. * add. u. 96.

p. 39. §. 4. poſt. Cicer. add. de N. D. II, 27.

p. 42. §. 14. l. antepen. l. *hac* pro *hoc.*

p. 45. §. 8. l. 4. poſt Lucian. add. in Amoribus T. IV. p. 186. §. 10. l. 8. poſt L. X. add. v. 503. ſqq.

p. 46. not. 1. l. 1. leg. πλάττωνται. lin. 3. poſt theogon. add. v. 907. ſqq.

p. 47. not. 1. l. 1. poſt theogon. add. v. 201. l. 2. lib. I. add. v. 664. not. 2. lin. 1. poſt deor. add. c. 23. lin. 4. poſt od. 2. add. v. 34.

p. 48. §. 4. l. 5. leg. *cap.* 6.

p. 51. §. 14. l. 5. poſt L. IV. add. v. 520. lin. 9. poſt Ouid. add. Faſt. IV, v. 1.

p. 52. not. 1. lin. 1. poſt Deor. add. c. 16.

p. 53. not. 5. poſt L. VII. add. v. 656. ſq.

p. 57. not. 1. l. 4. poſt L. III. add. c. 23.

p. 60. §. 9. l. 1. leg. *quae — Bacchans* not. 11. l. 2. pro *Il.* pone *Od.* φ. et add. v. 295.

p. 62. not. 5. poſt ἀφανες pone την φυσιν et poſt Aelian. add. III, 18. Hiſt. uar.

p. 63 [illegible] lege *ſine* pro *ſi* §. 6. l. 6. poſt H[illegible] add. in art. poet. v. 225. ſq. not. 13. l. 2. pro *ut* l. *et.*

p. 64. n. 19. l. 1. poſt Horat. add. Epiſt. L. II. ep. 1. v. 143. not. 21. poſt Georg. 1. add. v. 20.

p. 67. not. 9. l. 2. poſt Diuin. add. c. 59.

p. 68. not. 13. l. 2. leg. *groning.*

p. 70. c. III. §. 1. l. 13. pone *erat.* l. 14. leg. *Lynceo.*

p. 72. §. 3. l. 17. poſt. L. II. add. c. 41. not. 8. l. 1. poſt Cic. add. in Piſon. c. 10.

p. 73. §. 3. l. 5. poſt Faſt. 2. add. v. 612. lin. 11. poſt. Tibull. add. L. I. El. 1. v. 19. ſq. not. 1. l. 2. poſt Sat. 12. add. v. 87. lin. 4. poſt Quinct. add. c. 27. lin. 5. poſt Sc. 2. add. v. 24. not. 2. l. 1. l. *dii.*

p. 74. not. 7. l. 1. poſt Sat. 5. add. v. 31. not. 9. l. 1. poſt Sat. 12. add. v. 89. ſq. lin. 3. poſt antea add. v. 87. l. not. 11. poſt Verr. 5. add. c. 54.

p. 76. not. 2. l. 1. poſt L. I. add. c. 62. lin. 2. pro *Had.* pone *Illud.*

p. 78. c. II. l. 15. lege *uipereum.* lin. 16. poſt Virg. add. Aen. VI. v. 280. ſq. not. 4. lin. 1. poſt L. I. add. c. 27.

p. 80. l. ult. poſt Tibull. add. L. II. El. 1. v. 89. ſq.

p. 83. c. IV. lin. pen. del. *a.* lin. ead. lege *nominibus.* c. V. §. 1. lin. ult. l. *Harpyiae.*

p. 84. not. 4. l. 1. poſt M. add. v. 513. ſqq. not. 6. poſt Theogon. add. v. 267. not. 1. lin. ult. poſt lib. 8. add. fab. 1.

p. 85. text. l. 5. leg. Odyſſ. XII. v. 85. ſqq. not. 3. l. 1. poſt Lucian. add. in Dial. Iunon. et Iou. not. 4. lin. 4. poſt X. add. fab. 1. lin. 5. l. *Eratboſtenis.* lin. 6. leg. Cataſteriſm. ead. l. poſt 24. add. Ouid. Metam. XI. f. 1.

p. 86. l. 6. poſt Luciano, adde, de Aſtrologia. Sect. V. §. 1. l. 5. poſt II. add. v. 40. ſqq.

p. 88. lin. 18. poſt Homer. add. L. XIV. init. not. * l. 1. poſt Homer. add. Il. α. v. 11.

p. 90. §. 4. l. 6. l. *plurium.*

p. 92. C. V. §. 1. l. 9. poſt lib. 10. add. c. 6.

p. 93. l. 6. poſt l. 7. add. c. 9. §. 4. l. 1. poſt Liu. add. Dec. I. L. I. c. 20.

p. 94. §. 6. l. 4. poſt Val. Max. add. L. I. c. 1. §. 2. §. 1. l. 10. poſt Cicero add. de Diuin. II, 34.

p. 95. §. 3. l. 8. l. *Hetruſcis.* §. 2. l. 4. poſt Lactant. add. Diuin. Inſtit. L. I. c. 6. §. 8.

p. 96. §. 2. l. 1. poſt Gell. add. L. I. c. 12.

p. 98. §. 2. l. 1 poſt Cicer. add. de Legib. II, 9.

p. 99. §. 5. lin. 8. poſt Cic. add. pro Coel. c. XI. not. 7. l. 2. poſt Sueton. add. c. 76. not. 9. l. 2. leg. lib. 2. c. 2.

p. 100. §. 1. l. 7. poſt Val. Max. add. L. I. c. 1. §. 4.

p. 102. l. 3. poſt Gell. add. L. XIV. c. 7. §. 4. l. 4. lege *Hic.*

p. 104. not. 6. l. 1. lege συνοικεται.

p. 105. §. 1. lin. penult. poſt Verr. add. c. 44.

p. 106. §. 3. l. 2. poſt lib. 4. add. c. 53. not. 8. l. 1. poſt in Aul. add. v. 930. §. 4. l. ult. poſt. Tiber. add. c. 37. §. 5. l. ult. poſt Calig. add. c. 5.

p. 109. §. 7. l. 1. leg. *Flaminio.*

p. 110. not. 11. l. 2. leg. *Pincianus.*

p. 112. §. 1. l. 16. l. *omiſiſſe.* not. 16. l. 7. l. *nonumquae.*

p. 113. l. 2. l. *fortuito.* not. 5. poſt Tacit. add. Ann. L. IV, 56.

p. 114. §. 8. l. 6. l. *Malae.*

p. 115. not. 10. l. 1. §. 12. l. 3. poſt Cicer. add. de N. D. L. III. c. 25. lin. 4. poſt Val. Max. add. L. II. c. 5. §. 6.

p. 116. §. 1. l. 8. poſt Maxim. add. L. II. c. 5.

p. 118. not. 2. l. 1. pro *Qui* l. *Quod* et pro *Salinus* l. *Solinus.*

p. 119. not. 14. l. 3. leg. v. 199. ſq. lin. 4. l. v. 416. ſq.

p. 121. C. II. §. 1. l. 3. l. *omnibus.*

p. 123. not. 6. l. 1. poſt certe add. de Clar. Orator. c. 11. lin. ult. poſt Plaut. add. Ciſtell. II, 1, 46.

p. 124. not. 9. l. 2. poſt diuerſ. dele I, 15. et poſt 6, 6. adde et de Diuin. I, 15. not. 10. l. 1. 2. pro *Italici* l. *Halis.*

p. 125. not. 14. l. ult. pro 8. l. 18.

p. 126. §. 4. l. 10. poſt I. add. v. 449. not. 2. l. 6. poſt lat. add. ling.

p. 127. not. 8. l. 1. poſt Virg. add. Aen. VII. v. 109. not. 11. l. ult. l. *conſecratos.*

p. 137. §. 26. l. 16. pro 6. l. 7.

p. 138. §. 30. l. 7. l. *ueſte.*

p. 139. §. 12 l. 7. l. ἀνεσυειν

p. 140. §. 35. l. 14. dele uerba: *Aliud — denotat.*

p. 143. l. 7. poſt Liu. pone L. I. c. 5.

p. 147. l. 36. l. *umbella et circumferebatur*

p. 154. §. 7. l. penult. poſt l. 2. add. c. 9. et 10. ult. poſt Auguſt. add. c. 97.

p. 156. §. 1. l. 5. poſt Prud. add. περι στεφ. hymn X. v. 1061. l. 7. l. *Bellonarios.*

p. 157. l. 1. poſt L. II. add. c. 57. §. 3. l. 12. pro *unum* l. *lunam.*

p. 158. l. 11. poſt Vlyſſ. pone *a.* §. 6. l. 4. l. Fam. VI.

p. 159. §. 1. l. 5. leg. *magorum.*

p. 160. not. 1. l. penult. l. *commemoratur.*

p. 162. §. 4. l. 2. l. *conueniat.*

p. 166. §. 3. l. antepen. poſt L. II. add. c. 59.

p. 169. l. 1. pro *in hiſt. uar.* l. *de Animal.*

p. 179. §. 6. l. 5. poſt Scripturae add. Apoc. 5.

p. 181. l. 7. l. *inter.* l. 8. dele *ſu.*

p. 185. l. antepen. poſt Libri add. c. 2.

p. 186. l. 7. poſt teſte add. c. 40.

p. 192. §. 16. l. 6. poſt Suet. add. c. 54.

p. 193. l. 3. l. *Gaditani.*

p. 201. c. IV. not. 8. poſt ſumſit add. Suet. in Calig. c. 10.

p. 203. §. 1. l. 3. poſt πίλιον add. uel.

p. 208. §. 3. l. 9. poſt Liu. add. L. I. c. 11. ubi uero loco *brachii dextri* legitur *brachium laeuum.*

p. 209. §. 6. l. 3. poſt Petron. add. c. 82.

p. 210. §. 9. l. 4. poſt Herenn. add. L. IV. p. 40. Opp. Rhet. edit. Berol.

p. 211. not. 3. l. 1. pro *rob.* l. *nob.*

p. 213. §. 4. l. 10. pro *quem* l. *quam.*

p. 215. §. 3. l. 7. poſt Plaut. add. in Poen. V, 5. 19.

p. 216. §. 2. l. 3. l. *duo.*

p. 221. l. 1. poſt e. c. add. Odyſſ. H, 168. ſqq.

p. 223. §. 9. l. 3. poſt coquus, add. ap. Petron. c. 70.

p. 226. not. 2. l. 3. l. *conuiual.* §. 4. l. 2. pro *alii* l. *aliis.*

p. 233. §. 10. l. 4. poſt Gell. add. L. X, 6.

p. 254. §. 5. l. 1[illegible] Tere[illegible], add. Hecyr. Prol. v. 4

p. 275. §. 4. l. 2. po[illegible] ſua [illegible] L. XIX, v. 449.

p. 276. c. III. §. 1. l. 5. poſt Odyſſ. add. L. I. v. 107. §. 2. l. 6. l. L. VIII. c. 14.

p. 281. §. 7. l. 3. poſt Ouidii uerſu add. Faſt. IV, 213.

p. 286. §. 12. l. [illegible] *eſontionenſium.*

p. 351. §. 7. l. 3. [illegible]ſt iuſſit, add. (*Homer.* Il. XXIII, v. 23[illegible] [ſ]qq.)

p. 353. §. 11. l. 3. poſt luſit, add. (*Virg.* Aen. V, 114. ſqq)

— — §. 12. l. 4 [illegible]iſſet, add. Cic. in Vatin. c. 13

p. 354. c. II. §. 1. [illegible] 3. [illegible]mus, add. (*Hom.* Il. XXIII 243

p. 356. not. 1. l. 4. poſt [illegible] add. Aen. VI, 233.

p. 360. §. 13. l. 18. lege *Domitiae* pro *Domitii.*

p. 367. §. 2. l. 2. poſt Cicero add. Tuſc. I, 43.

— — — l. 6. poſt Aeneas add. *Virgil.* Aen. VI, 42. ſqq.

p. 369. l. 2. poſt Plat. add. in Apolog. Socratis.

— — §. 4. l. 2. poſt Heſiodus add. Θεογ. 185.

— — — l. 7. poſt teſte add. de Nat. Deor. L. III. c. 18.

p. 380. §. 4. l. 6. poſt Alexandro, pone Gen. Dier. L. III. c. 2. in fine.


p. 387. §. 3. l. penult. poſt quarta add. c. 63.

BENEVOLVS LECTOR

hinc inde omissa et commissa sic corrigere uelit.

Pag. 2. not. 5. l. 2. l. Statii.
p. 3. in text. l. 8. l. *tolerari*.
p. 4. not. * post L. 3. add. c. 9. conf. Hygin. fab. 165.
— not. 5. l. 1. Fastor. 4.
p. 5. §. 6. l. 8. pro *Sacrificia* l. *mysteria*.
— in not. 10. l. 2. pro 20. l. 11.
p. 7. l. 3. l. L. II. c. 24. ib. §. 3. l. 3. pro *circumdatur* l. *circumuoluitur*. §. 4. l. 2 l. 43, 1. in not. 4. l. 2. lege 43, 1.
p. 12. in text. l. 12. l. *minima mensura* not. 32. l. 1. leg. epigr. XXIX, 19.
p. 13. §. 24. l. 15. l. *iconem* pro *aliam*. no 33. l. 5. *ubi* pro *ibi*.
p. 14. not. 1. l. 2. post. 5. add. v. 81.
p. 16. not. 3. add. c. 11.
p. 17. §. 3. l. 7. post. ait, pone: Od. XI 314. sq. §. 4. l. 9. l. *imposuerint*. not. l. ult. add. v. 281. sq. not. 6. post. add. v. 578. not. 7. post Astron. add. c. 20. lin. 3. post. lib. 4. add. c. 18. §. 8. l. 6. leg. *consecraret*. c. II. §. .4. post. Homer. add. Il. XIV, 20 sqq. not. 13. pro 4. pone 5.
p. 19. §. 3. l. antep. dele colon. not. l. 1. pro 17. pone 15. lin. 2. add. not. 3. lege, Homer. not. 11. pro 4 pone 44. lin. 3. post saepius add. e, L. XXIV. c. 20.
p. 20. not. 13. l. 4. post Astron. add. II. c. 43.
p. 21. c. III. §. 1. lin. antep. leg. a *scriptae*.
p. 22. §. 4. l. 12. post Hesiod. add. v. 238. not. 3. add. c. 28. not. 5. po Od. 4. pone v. 375. et post Georg. add. v. 440. sqq. not. 7. add. v. 240
p. 23. not. 11. lege Ταλως.
p. 24. l. 1. lege ἀιδης, Haides. c. V. 2. l. 3. pro *adeo*, pone: *cum ista*. no 2. C. IV. post. Aen. 4. add. v. 63 not. 4. l. 2. pro 733. lege 731. not. c. V. l. 2. post sexta add. c. 48.
p. 25. §. 4. l. 15. post certum est, ad §. 5. l. 10. l. *Celeus*. l. ult. pro *dece nerent* lege *decreuerint*. not. 7. l. Ver sexta, c. 3.
p. 26. §. 6. lin. ult. lege Verr. sexta 57. not. 9. l. 3. 4. lege *Fasoldum*.
p. 27. §. 3. l. 5. post l. 2. add. c. 10. 1. not. 8. post 8. add. 422.
p. 29. not. 15. l. 4. leg. *pantheon*.
p. 31. §. 6. l. 2. pro *perhibent* l. conse *tiunt*. l. 8. pro *nam* pone *nisi*. §. 8. ult. pro *ab aliis* l. *iuxta alios*.
p. 32. l. 1. pro *abscidi* pone *abscidit*; dele: *dicitur*. c IV §. 1. l. 7. post add. 2.) not. 3. l. * add. Lucian. Dial. Iou. et Solis.
p. 33. §. 3. l. 6. post Plutarch. add. 8. penult. dele: *que*. not. 8. statim ab init. adde, in Romulo.
p. 34. not. 2. l. 3. pro et 6. pone et not. 3. l. 2. post hymn. add. in Me cur. v. 292. not. 4. l. 1. post Amphi add. v. 12. not. 8. post lib. 1. add. v.
p. 35. §. 3. l. 4. lege *positas*. c. VII. li penult. dele: *in*.
p. 36. not. * add. u. 96.
p. 39. §. 4. post. Cicer. add. de N. D. II,
p. 42. §. 14. l. antepen. l. *hac* pro *hoc*.
p. 45. §. 8. l. 4. post Lucian. add. in A moribus T. IV. p. 186. §. 10. l. 8. post L. X. add. v. 503. sqq.
p. 46. not. 1. l. 1. leg. πλάττωντες. lin. 3. post theogon. add. v. 907. sqq.
p. 47. not. 1. l. 1. post theogon. add. v. 201. l. 2. lib. I. add. v. 664. not. 2. lin. 1. post deor. add. c. 23. lin. 4. post od. 2. add. v. 34.
p. 48. §. 4. l. 5. leg. *cap*. 6.
p. 51. §. 14. l. 5. post L. IV. add. v. 520. lin. 9. post Ouid. add. Fast. IV, v. 1.
p. 52. not. 1. lin. 1. post Deor. add. c. 16.
p. 53. not. 5. post L. VII. add. v. 656. sq.
p. 57. not. 1. l. 4. post L. III. add. c. 23.
p. 60. §. 9. l. 1. leg. *quae — Bacchans* not. 11. l. 2. pro *Il*. pone Od. φ. et add. v. 295.
p. 62. not. 5. post ἀφανῆς pone την φυσιν et post Aelian. add. III, 18. Hist. uar.

p. 63 lege *siue* pro *si* §. 6. l. 6. post H add. in art. poet. v. 225. sq. not. 13. l. 2. pro *ut* l. *et*.
p. 64. n. 19. l. 1. post Horat. add. Epist. L. II. ep. 1. v. 143. not. 21. post Georg. 1. add. v. 20.
p. 67. not. 9. l. 2. post Diuin. add. c. 59.



l. *nonumque*.
p. 113. l. 2. l. *fortuito*. not. 5. post Tacit. add. Ann. L. IV, 56.
p. 114. §. 8. l. 6. l. *Malae*.
p. 115. not. 10. l. 1. §. 12. l. 3. post Cicer. add. de N. D. L. III. c. 25. lin. 4. post Val. Max. add. L. II. c. 5. §. 6.
p. 116. §. 1. l. 8. post Maxim. add. L. II. c. 5.
p. 118. not. 2. l. 1. pro *Qui* l. *Quod* et pro *Salinus* l. *Solinus*.
p. 119. not. 14. l. 3. leg. v. 199. sq. lin. 4. l. v. 416. sq.
p. 121. C. II. §. 1. l. 3. l. *omnibus*.
p. 123. not. 6. l. 1. post certe add. de Clar. Orator. c. 11. lin. ult. post Plaut. add. Cistell. II, 1, 46.
p. 124. not. 9. l. 2. post diuers. dele 1, 15. et post 6, 6. adde et de Diuin. I, 15. not. 10. l. 1. 2. pro *Italici* l. *Halic*.

p. 125. not. 14. l. ult. pro 8. l. 18.
p. 126. §. 4. l. 10. post I. add. v. 449. not. 2. l. 6. post lat. add. ling.
p. 127. not. 8. l. 1. post Virg. add. Aen. VII. v. 109. not. 11. l. ult. l. *consecratos*.
p. 137. §. 26. l. 16. pro 6. l. 7.
p. 138. §. 30. l. 7. l. *ueste*.
Aliud —
c. 5.
ebatur.
dd. c. 9.
97.
τεςεςθ.
erios.
. §. 3. l.
§. 6. l. 4.
memoratur.
II. add.
nimal.
add. A-
d. c. 2.
c. 54.
dd. Suet.
d. uel.
. I. c. 11.
itur *bra*-
d. c. 82.
add. L.
erol.
am.
in Poen.
dyss. H,
add. ap.
§. 4. l. 2.
. L. X, 6.
add. He-
. I. XIX,
lyss. add.
l. c. 14.
ersu add.
um.
. (*Homer*.
d. (*Virg*.
et, add.
nus, add.
p. 356. not. 1. l. 4. post add. Aen. VI, 233.
p. 360. §. 13. l. 18. lege *Domitiae* pro *Domitii*.
p. 367. §. 2. l. 2. post Cicero add. Tusc. I, 43.
— — — l. 6. post Aeneas add. *Virgil*. Aen. VI, 42. sqq.
p. 369. l. 2. post Plat. add. in Apolog. Socratis.
— — §. 4. l. 2. post Hesiodus add. Θεογ. 185.
— — — l. 7. post teste add. de Nat. Deor. L. III. c. 18.
p. 380. §. 4. l. 6. post Alexandro, pone Gen. Dier. L. III. c. 2. in fine.
p. 387. §. 3. l. penult. post quarta add. c. 63.

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Montfaucon, Bernard de / Schatz, Johann Jakob / Semler, Johann Salomo

Antiqvitates Graecae Et Romanae

[Nürnberg] 1757

Res/2 Ant. 57
urn:nbn:de:bvb:12-bsb00073414-1
VD18 11164093